35

Uc 6400
fol.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0014921
Uc 6400

HISTORIA POLONICA

IOANNIS DŁVGOSSI

SEV LONGINI

CANONICI CRACOVIEN.

IN TRES TOMOS

DIGESTA.

Autoritate & Sumptibus

HERBVLTI DOBROMILSKI

EDITA

DOBROMILI,

In Officina Ioannis Szeligæ, Anno D. 1615.

Ex
Biblioth. Regia
Berolinens.

vtls 744478

VENETIS
PRINCIPI M. A. MEMO.
ET SENATVI
VNICO ORBIS TERRARVM

RINCIPEM Historiæ SLAVICÆ DLVGOSSVM, Vobis, ô qua sol habitabiles illustrat terras, Maximi & liberrimi, omniũ ætatum, orbis terrarum, VENETI, adfero. Et quod eiusdem inclytæ gentis & generis, pars magna estis; Nam maiores Vestri ex Paphlagonia ad Timauum Illyricum amnẽ nostro Slauico sanguini permixti vnam ex duabus gẽtibus fecêre: & quòd maximum & liberrimum Historicorũ, non nisi apud maximos & liberrimos lucẽ adspicere deceat. Quid? & Libertas & Nobilitas Polona quònam meliùs, quàm ad libertatem & Nobilitatem Vestram spectabit? & Polona Aquila Princeps alitum, cum quo melius, quàm cum Principe ferarum Leone Veneto? Sed hæc splendida, veriora autem ista. Natura omnes liberi esse volumus, nec vllum animal est, quod non vitæ periculo libertatem quærat. Et Brutis quidẽ pro LEGE, nam cõtraire illi nec possunt, nec velle possunt. Hominibus quêis rectũ & prauum ex æquo, diuino munere data est LEX. Eam Princeps Sapientiæ in libro suo mundissimo de mundo, ad Magnũ illum Macedona, quem ipse fecerat Magnum, Deo comparat. Et per hanc ciuilem Reipub: sanctionem, æternam illam & sanctissimam, nec vllo verborum splendore dignè vocandam & inuocandam MENTEM, scribit ac describit. LEX enim neq; hominum ingenijs excogitata, neq; scitum aliquod est populorum, sed æternum quiddam, quod vniuersum mundum regit, imperandi, prohibendiq; sapientia. Ita prima LEX illa & vltima est MENS, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis DEI. Hæc vim habet ad rectè facta vocandi, & à peccatis auocandi. Quæ vis non modò senior est, quam ætas populorum & Ciuitatum: sed æqualis illius cœlum atq; terras tuentis & regentis DEI. LEX vera atq; Princeps apta ad iubendum & ad vetandum orta est simul cum MENTE DIVINA & est ratio recta summi DEI. Nec ipse mundus sine LEGE stare potest. Nam & hic DEO paret, & huic obediunt maria, terræquè, & hominum vita iussis supremæ LEGIS obtemperat. Eum siue DEVM, siue æternam omnium rerum LEGEM, secutæ sunt gentes humanæ ferè vniuersæ. non solùm hæ, quas Europæus Sol, mitiorquè Iupiter vrget: sed illæ etiam feræ Asiæ & Africæ

Aborigenes. Ius ſemper quæſitum eſt æquabile, neq; enim aliter ius eſſet. Quod cùm non ſemper iuſti & boni reddant, LEGES ſunt inuentæ, quæ cum omnibus ſemper vna atq; eadem voce loquerentur. LEGVM imperia potentiora quàm hominum. Sed ô FATA in abſcondito, ô diuinæ Sapientiæ abyſſus multa, Soli vos eſtis, qui veras LEGES hincq; DIAM LIBERTATEM, neq; ciuilibus armis pollutam, neq; externis deformatam & ſummo Soli parem, retinetis. Soli vos eſtis, quos LEX docuit LIBERTATEM, hæc verò admirandam Virtutem & Sapientiam Petrarcha Rempub: Veſtram vocat Domum Libertatis & Iuſtitiæ, portum adflictorum, non modò à tempeſtate, ſed à bellis & Tyrannis, ô ventum peſtilentem. Seluagus ſummam quietem, defenſionem ſine precio, ſcholam non viſam. Ego cœlum in ſolo & ſalo Veſtro, & ſolum ac ſalum Veſtrum in cœlo. Nam quæ obſecro nunc Gens eſt, quæ nunc viuit, atque æuum agitat, ſiue illi Chriſtiani ſint, ſiue Barbari, cui non plurimum de Maiorum gloria deceſſerit? quæ nunc, aut optimos Principes, aut fortiſsimos Duces, aut prudentiſsimos Senatores, qui olim erant, non ſuſpiret? Soli Vos eſtis, qui continua æmulatione omnes ſuos deceſſores ſuperatis. Imperare Conſtantinopoli: Regere Ciprum: Cretam & Inſulas Ægæi plurimas poſsidere: Triumphare ex maximis orbis terrarum Monarchis: opem omnibus adflictis ferre, Regna & Prouincias conferre, geſta maiorum veſtrorum, maxima ſunt hæc? ſunt; ſed à multis antea facta. Sed firmare LEGIBVS Patriam: immortalem illam reddere: ea quæ nocere poſſent remouere: nec oſtentatione maximi belli permoueri: quæ vos his proximis annis feciſtis, Ita conſilia attingunt ſolium Iouis & cœleſtia dona. Nec illa Vobis deſunt. Vidi ego Vos Turcicam pacem non muneribus emere, ſed mutuo metu tenere: ſcio ego ita Vos res Veſtras habere, vt niſi vicinorum ſuſpecta eſſet fides, id totum habere poſſetis, cuius tertiam partem Maiores habuêre: Non ignoro quibus modis & rationibus nuper Henricum Quartum Galliæ Regem præclariſsimum, & alios viros inſignes iuuiſtis. Quod eò libentius commemoro, cùm pro LEGIBVS heus quibus ego iactatus fatis, quæ Bella exhauſi. Sed Veſtra ſic ſe habent, vt non timeam dicere, ô fortunatum orbem Terrarum, ſi aut à Vobis, aut Veſtris LEGIBVS regeretur. At nos quid? voluerunt certè Maiores noſtri diuini Viri LIBERTATEM nobis relinquere, ſed pauca literis conſignarunt, rati ſeros nepotes ſimiles: multa miſcuerunt non mala, ſed quæ, vel leuiter mali in contrarium torquere poſſunt, quid verò corruptiſsimo hoc æuo, peſsimi, poſt homines natos, non faciunt? Tota res in hominum mentibus, heus quàm fluxæ, quàm peruerſæ. Et quî aliter fieri poteſt, vbi cæco quodam impetu miniſtratur, & adminiſtratur. ita perditum it res noſtra, nec vllum remedium valentius, quàm ſi luce Veſtra tenebras ſuas clareſcere vellent. Eò illos duco, non modò ſermonibus, quà publicis, quà priuatis, ſed hac etiam dedicatione huius Hiſtorici nunquam publicè viſi.

VALETE ORBI IMPERATE.

D. D.

IOANNIS DLVGOSSI CANONICI CRACOVIENSIS, & rerum Poloniæ Hiſtoriographi VITA.

IOANNES DLVGOS VIR FVIT clarus & inſignis, quippè Nobili familia WIENIAWA oriundus, ſplendorem gentis ſuæ virtute & diſciplina militari illuſtrauit. In qua re eò magis ac faciliùs excelluit, quod magnitudo corporis & membrorũ firmitas commoditatẽ ei dabat ea præſtare. quæ ingenij viuacitas imperaſſet, ob quam rem non mediocriter charus erat inclyto Wladiſlao Secundo Polonorum Regi. Præficiebaturq; plerumq; Ciuitatibus atq; Oppidis, maximè illis quæ Rex aut muniri, aut certè inſtaurari cupiebat. Cùm itaq; Præfectus eſſet in Oppido Brzeznica Anno à Salute mundi Milleſimo Quadringenteſimo Quindecimo, ex generoſa Beatrice, quam iam pridem propter ſplendorem generis & morum elegantiam ſibi legitimo matrimonio coniugauerat, filium ſuſtulit. Qui cùm ætatem ſuam in talibus ſtudijs exegiſſet, vt benè ac ſapienter viuendi exemplum multis mortalibus præbuerit, operæprecium eſſe puto ea omnia quæ ad vitã eius pertinerent, quãtum mediocritas ingenij patietur, literis commendare, vt quando non licet mihi Philoſophica grauitate ſeculi noſtri deprauata ſtudia & mores refutare, grauisatq; integerrimi Viri vitam recenſendo, ante oculos hominũ, quaſi normam aliquam ponam: ad quam omnes illi conformare ſe poſsint, qui vitam ſuam taliter agendam putent, vt non fruſtra à natura ſuſcepiſſe rationem videantur. Igitur nato puero in arce prædicta ſub Chriſtiana obſeruatione ceremoniarum, aſsignatum eſt nomen Ioannes, quod deinde quaſi fatale decem fratribus poſt eum natis inditum eſt à parentibus. Nam cùm primogenitus eodem nomine appellatus, non ſine indole probitatis futuræ viueret, Secundus verò & Tertius filius, quibus diuerſa nomina iuncta erant, deceſſiſſent, conuerſi parentes in relligionem nominis, eo vocabulo quartum appellauêre, ſub cuius auſpicio primum filium viuere augurabãtur. Quæ res cùm feliciter ceſſiſſet, quippè quia iſte non ſolùm valeret, & viuax eſſet, ſed tota indole etiam primogenitum ſuperaret, & iam tunc in eo virtutis prognoſtica quædam intuentibus exhiberet, cauſam dedit, vt cæteris deinde liberis naſcentibus, benè ominatum, & quaſi aliquid perpe-

tuitatis in se complectens nomen imponeretur. Accesit deinde nomini gẽtile cognomen LONGINVS, & mox defuncto fratre, qui erat maior natu, appellatus Senior. Primùm itaq; nominis obseruatione atq; auspicio apud omnium parentum præ cæteris liberis charus esse incepit, tùm factus in dies est charior, & morum quadam non puerili elegantia, & cibi atq; potus abstinentia & parcitate. Nam preter id, quod modici erat cibi vsq; ad Sextum decimum annum aquæ tantummodo potu contentus vixit. Qua frugalitate, cùm naturæ prima incrementa debilitarentur, factum est, vt infirmior longeq; magis gracilis euaderet, quàm cæteri fratres. A quibus quidem per pueriles simultates multa indies patiebatur, eò quòd mater, vt plerumq; vsu euenire solet, propter naturam debiliorem, ex omnibus ipsum vnicè diligendum susceperat, & blandimenta plurima non sine aliorum inuidia ei semper offerebat. Et iam non procul esse apparebat, quòd pater in eam sententiam venturus esset quoq;, vt tandem euenit. Nam etsi per aliquot tempus pari charitate liberos omnes prosequeretur, tandem non potuit non illi plurimum affici, in quo plura, & manifestiora futuræ probitatis apparebant argumenta. Et proinde cùm videret istum quàm plurimis optimæ indolis signis totius domus suæ decus atq; ornamentum futurũ, singulari & præcipua quadam pietate ipsum complexus est, perseuerãterq; præ cæteris dilexit adeò, quòd cùm è vita decederet, omnia quæ vel in funere, vel in domesticis rationibus fieri vellet isti tãtùmodo cõmiserit. Cùm sextũ ætatis annũ ageret, paterq; Præfectus esset Oppidi Nouæ ciuitatis Korczyn, traditus est ad ludum literarium, ad quam rem natura ipsa Duce ita liberali animo accesit, vt quasi iam tunc sentiret, quanta esset doctrinæ ac literarũ Maiestas. Et proinde mirabili quodam instinctu ac motu animi, studiorũ atq; oblectamentorum pueriliũ instrumenta, quibus vsq; ad eã diem inter æquales operam dederat, in proximam paludẽ abiecit, & mentẽ totã ad literas conuertit, tanta auiditate, vt nihil pro illis assequendis sibi durũ ac laboriosum videretur. Et quod mirari in ea ætate possimus, cum pueris propter humoris affluentiam somnus non solùm familiaris, sed omninò sit necessarius, surgebat cum Pædagogo ante diluculum, & à lanitoribus Arcis, quando preces parum efficaces erant, gemitu & lachrymis exitũ ad Scholas impetrabat. Post paternam in eo loco Præfecturam, diuersis in Oppidis diligentẽ operã Grãmaticæ præbuit, in qua non mediocriter profecit, prout ætas sua, & Magistrorũ peritia tunc ferebat. Tãdẽ à Parẽte Cracouiã missus, cùm ferre non posset rigidã & austerã naturã cuiusdã Magistri, cui creditus cõmendatusq; fuerat, scripsit ad patrẽ, petijtq;, vt cõmodiori præceptori se instituẽdũ cõmitteret. Quã rẽ secus ac erat pater interpretatus significauit Magistro. Ex quo euenit, vt seuerius & inclemẽtius postea cũ discipulo ageret, quippẽ quod acerbitas naturæ exasperata erat, cùm pueri ad patrẽ reclamatione, tùm quod pater animaduertẽdi in filiũ Pædagogo liberalius veniã indulserat post adolescentis conquestionẽ. Cùm itaq; seueritas & rigor præceptoris indies cresceret, iste inconsultò patre illum deseruit, timenq;

mensque ne in difficiliorem magis & seuerum incurreret, si alteri cuipiam se crederet, liberè instituit vitam agere, ac proinde Collegium diuitũ intrauit, in quo ferè per triennium Dialecticæ ac Philosophiæ inuigilauit. Sed adeò etiam puer doctus esse maluit, quàm videri, quòd nunquam aliquo titulo, cùm per doctrinam posset, insigniri voluit. Cæterum cùm necessaria sibi ægrè submini strarentur, quippè quòd pater illi difficilem Nouercam superduxerat, coactus est vitæ suæ modum statuere, cum nulla esset facultas incumbendi studio, si deessent alimenta. Diu itaq; conditionem suam questus, examinatisque pluribus viuendi rationibus, nullam, quæ à literarum studijs aliena esset, satis laudare potuit, eoq; semper animus reuoluebatur, vt dura & misera omnia pro nanciscenda doctrina pati paratus esset. Verùm vrgente tandem rei domesticæ difficultate, ductus opinione & fama, quæ constans erat de integritate & literatura, humanitateq; Zbigneĩ tũc Episcopi Cracouieñ inter familiares ipsius curauit se adscribi. Sperauit enim forè, vt in domo viri doctissimi atq; optimi, non solùm honesta conditione viueret, sed continuam etiam rationem studiorum esset habiturus. Cui quidem cupiditati non solùm non repugnauit pater, sed laudato filij ingenio diligentissimè etiam & efficaciter Episcopo commendauit. Receptus itaq; in familiam à Zbigneo, statim à principio non mediocriter charus quàm pluribus fuit, præsertim domino, erat enim adeò acuti & perspicacis ingenij, vt facilè ex solo hominis aspectu vniuersam ipsius naturam præsentiret, ac iudicaret. Sed cùm indies LONGINI vita & mores, non solúm opinioni de eo conceptæ, responderent, sed plura etiam sperari de se adducerent, ille sibi primùm Cancellariæ, deinde familiæ, postremò vniuersæ facultatis suæ curam credidit. Quibus rebus ea integritate & diligentia duobus & viginti annis præfuit, vt & per totam vitam Zbigneus eum perseueranter dilexerit, & in morte quoq;, quid de ipso viuus sentiret, testatus sit. Siquidem inter Exequutores testamenti sui, quasi præcipuum nominauerat, nec per aliquem diligentius supremam voluntatem suam exequendam esse putauit, quam per illum, qui viuentis nullam vnquam voluntatem irritam esse permisisset. Inter inita famulatus, cùm, supra quàm rati essent cæteri, gratia ipsius indies magis ac magis crescceret, apud Episcopum, plerosq; veterum familiarium aduersos habuit, ferebant ægrè sibi diuturnitatem obsequiorum suorum ab huius diligentia quasi obscurari. Et proinde diuersis machinationibus, aut suspectum, aut inuisum Domino reddere procurabant. Nec defuerunt qui quasi leuem ac temerè in ea re sentientem Episcopum coarguerent, quòd tantarum rerum summam adolescentulo crederet, quippè quod tunc LONGINVS annum circiter decimum septimum ageret. Sed cùm paulatim reliquorum animos partim conscientia, quod innocentem persequerentur; partim patientia & mansuetudo istius infregisset, & ad se diligendum conuertisset, fratris Episcopi germani Ioannis Glowacz de Olesnica Palatini Sandomirieñ tàm diu infensum animum in se tolerauit, quoad Episcopus efficacissimis asseuerationi-

 bus, addita

bus, addita iurisiurandi relligione meritò diligendum persuasit. Ascitus itaq; in consiliorum secretorumq; omnium partem, nec minus ad summam rerum vniuersarum administrationem, difficilè dictu est, quanta bonorum omnium commendatione singula administrabat, quantoq; in honore apud domesticos erat. Singuli illum, quod per ætatem mirabile videbatur, & venerabantur, & colebant. Nunquam causam dedit, vt cum aliquo litigaret, prouocantes verò interdum ratione, interdum mansuetudine, quandoque dissimulãdo superauit. Nihil antiquius habuit, quam vt creditarum rerum sibi rationem integram non solùm seruaret, sed etiam augeret. Et proinde statim ab initio omnes fructus, immunitates, prouentus, & iura Episcopatus, quæ propter negligentiam prædecessorum quibusdam codicillis, & commentariolis, non solùm dispersa, sed propemodum absoleta, & perdita erant, in certum ordinem, & autenticum Registrum digessit, & ordinauit, tanta conuenientia & circumspectione, vt non videretur præteritas negligentias emendasse, sed potiùs Ecclesiam nouis fructibus locupletem atq; opulentam reddidisse. Ac deniq; id cauisse, vt in posterum tuta esset ab omni iactura negligentium, quandoquidem in vnum quasi corpus, compaginata membra sub oculis ita exposuit, vt facili cura successores posteà vniuersa, & conseruare, & augere potuerint. Quo etiam beneficio affecit Canonicorum Collegium, & Sacerdotes reliquos Cathedralis Ecclesiæ. Nam cùm Præbendæ eorum, salaria & certa emolumenta diuersis Chirographis, & confusa, & inordinata essent, in ordinem certum & Registrum non sine diligentia exquisita, composuit, vniuersosq; Ecclesiæ illius prouentus ita distinxit, atq; ordinauit, vt & facilè sit vniuscuiusq; proprium noscere, vt iura bonaq; Ecclesiæ tuta sint aduersus iniurias cuiuscunq;. Crebris item exhortationibus persuasit Zbigneo, vt pro Ecclesia emeret Ducatum Seuerienſem, in qua re dum tractaretur, varios labores & pericula sustinuit, partim ab his, qui ægrè ferebant Zbigneum pecunijs exhauriri, partim à nonnullis, qui eo emendo præferri cupiebant. Sed omnia æquissimo tulit animo, cùm videret se non solùm Ecclesiæ, sed etiam Reipub. in ea re operam nauare. Siquidem Ducatus ille non tàm in ditionem Ecclesiæ propter illam emptionem concedebat, quàm etiam Regno adijciebatur. Et proinde contemptis quibuscunq; periculis, non prius destitit, quàm rem perfecit. Ductus præterea naturali quodam instinctu & deuotione, qua non solùm Deo, sed etiam sanctis omnibus afficiebatur, maximo & studioso ambitu impetrauit à Zbigneo, & Prælatis cæteris Cracouien Ecclesiæ, vt vascula & scriniola argentea, reliquijs Sanctorum plena, quæ hodierno tempore diebus solennibus monstrantur, emerentur. Ad quam rem conducendam non exiguam precij partem sponte ac liberaliter contulit. Cæterùm mortuo Zbigneo, cùm vnus ex testamenti Executoribus nuncupatus esset, summo studio & diligentia omnia per eum legata exequenda curauit, nullum vnquam in ea re periculum, nullum laborem effugit. Tantamq; fidem & solertiam, vt mortui voluntas quoq; perficeretur, adhibe-

bat, quòd meritò Executores alij omnem curam in eum reiecerunt. Absolutissimè itaq; omnia, quæ ille post mortem facienda legauerat, adimpleuit. Quæ verò viuus inchoauerat, eo modo, quo ille destinasset, diligentissima ratione absoluit, adeò, vt difficilè dictu sit, quanta alacritate & constantia vtiliter dispensauerit supra duodecem millia florenorum, quæ Zbigneus Studentum & Religiosorum hominum vsui & amplitudini Testamento destinauerat, quantumq; laudis ab vniuersis inde fuerit assecutus, palàm est. Nam preter id, quod integritatis & fidei magnam existimationem conquisiuit, ab omnibus Vir gratissimus dici promeruit. Siquidem illi mortuo gratias egit, & officium operamq; suam præstitit, à quo viuo plura susceperat beneficia. Quam quidem animi gratitudinem, etsi viuente etiam illo, quantum facultas permiserat, semper præ se tulisset, & post mortem tamen adeò diligens in exequendo, quæ suprema voluntate mandauerat, fuerat, vt facilè dubitari possit, viuentinè, an mortuo diligentius, aut diuturnius inseruierit, nunquam tamen magis quàm in morte manifestè apparuisse cõtenderim. Tunc enim præcipua quadam & propemodum admiranda pietate, eo vsq; se gratum, collatorumq; in se beneficiorum memorem, testatus est, vt non solùm alios, in quos propensissima semper fuerat humanitas & munificentia Zbignei superauerit, sed ipsos etiam consanguineos, & fratres, viciſse asseueretur. Nam cùm illius cadauer, vt potè, hominis corpulenti, & crassitudinis inusitatæ, statim tabuisset & flueret, fordidissimoq; odore alios omnes à se repelleret, iste nunquam ab eo separari potuit, neque odoris fæditate, neq; amicorum suasionibus, qui contracturum noxam asseuerabant. Quos quidem opinio haud sanè falsos habuit. Nam etsi beneficio robustæ ætatis, tunc haud quaquam prosterni potuerit, irrepsit tamẽ in arcana spiramenta lues naturæ, & paulatim labefactauit sensus, quos sibi subitò infringere non poterat. Ex quo secutum est, vt post elapsum annum grauissimè ægrotauerit, asseuerantibus Medicis tabem illam & sordem cadaueris, illius ægritudini causam & originem præstitisse. Accesit adtestimonium mirę erga illum virum gratitudinis, quod cùm consuetudo non haberet, vt pro concione in funere mortui laudarentur, LONGINVS epistolis ad amicos plurimos, dolorem quem ex illius morte conceperat, expressit. Ex quibus vnam legi, in qua preter id, quod inexhausti doloris sui acerbitatem testatus est, ita effusè & eleganter virtutes, moresq; ac penè vniuersam vitam illius recenset, vt nullo modo lector possit non cõqueri vehementer, quod talis, tantusq; Vir è medio sit sublatus. Tantaque ipsius Epistolæ ad efferendas laudes illius est efficacia, vt facilè affirmare ausim, nullum ex plurimis monumentis, quæ nomini suo propagando ipsemet constituit, diutius, ac illustrius quam eius Epistolã, Zbignei famam cõseruaturã. Sed cùm non solùm genere illo scriptionis, sed quãplurimis alijs memoriã viri de se benè meriti exornauerit, & immortalitati consecrauerit, dubiũ quãdoq; inter prudentes fuit, cum quo á fortuna melius actum est, an cum, LONGINO, cui tam egregio ac liberali viro seruire contigit,

an cum Zbigneo, cui tantæ probitatis & fidei ſeruum ſors dederat? pluresque in eam ſententiam ibant, quòd in ea re Zbigneus felicior fuiſſet, cui eius hominis miniſterio vti contigiſſet, qui non ſolùm & ſciret, & vellet, fideliter morem gerere, ſed qui etiam cumulatiſsimas gratias, ſi quid beneficij in eum conferretur, referre poſsit, eo modo, vt apud omnem poſteritatem collata in ſe officia eſſent immortalia. Cæterum cùm ſtudioſiſsimè frequentaret templa & loca, in quibus Diuinis ceremonijs opera impenderetur, incidit ei aliquando cogitatio, nihil in terris maius, aut præſtabilius eſſe ordine Sacerdotij, quippè quod omnis eorum labor & cura, circa Diuina tantum verſaretur, & humana omnia infra eorum dignitatem haberentur. Præterea, cùm ab ineunte ætate in frequenti conſuetudine habuiſſet memoriter recitare paſsionem Chriſti, non ſine quodam argumento religioſiſsimi animi, ex quo non mediocrem cum admiratione ſentiebant voluptatem parentes, à quibus plerumq; inuitabatur laudibus & blandimentis plurimis, quibus puerorum ingenia delectarentur. Iam tunc ab exordio adoleſcentiæ Sacerdotij votum nuncupauit, & ſeſe moribus vitæq; tali accomodare inſtituit, vt qui non tàm ad Sacerdotium voto duci, quàm illud virtutibus & vitæ ſanctimonia mereri videri vellet, illis itaq; artibus omnem adoleſcentiã exegit. Et cùm iam primum & Vigeſimum annum ageret, non vt pleriq; alij per ambitũ, ſed meritis ſuis ita efflagitantibus ſacris Subdiaconatus initiatus à Zbigneo Epiſcopo, nec multò poſt ad Diaconatum accitus. Sacerdotium autem quinto vigeſimo ætatis anno accepit tanto fauore omnium, vt videretur vnus eſſe, per quem Deus immortalis rectè placari, ac generi humano conciliari poſſet. Beneficia diuerſis temporibus plura ei collata obtinuit, quæ potiùs non rendendo ſuſcepit, quàm per ambitionem impetrauerit. Nam cùm Zbigneus vnicè ei afficeretur, velletque apud eum teſtari quantum cordi haberet commodum & amplitudinem ipſius, ex officio promouit eum apud Parochialem Eccleſiam Sancti Martini in Oppido Kłobuczko, reſignante illam ob aduerſam valetudinem patruo ſuo germano Bartholomeo Plebano, impetrauitq; à Wladiſlao Tertio inclyto Poloniæ Rege, qui ius patronatus in ea Eccleſia habebat, vt promotioni à ſe factæ conſentiret, quod facilè à Rege exorauit: nam & illi merita LONGINI innoteſcebãt, & Eccleſiæ illius modi, vt potè quæ celebris diueſq; eſſet, hominẽ benè meritũ præfici cupiebat. Nec multò poſtea, creſcẽtibus ſemper in eo virtutibus, viſus eſt Zbigneo dignus, qui in Collegio Canonicorum Cracouienſi Eccleſiæ conſcriberetur. Et proinde non ſine vnanimi totius Capituli conſenſu Præbendam ei contulit, quæ in fructibus mediocres excedebat. Deinde, diuerſis temporibus melioris ſortis conditionem ſemper aſcendens, diuerſas Præbendas commutando poſſedit. Demùm, ad illam euectus eſt, quæ omnium optima & ditiſsima exiſtimatur. In quibus tanta integritate ſua & gratia vniuerſi Capituli verſabatur, quòd vicinarum quoq; Eccleſiarum Prælatos eo vſq; ad ſe diligendum conuertit, vt cuperent multi cum illo in eadem Eccleſia, quãdoq; emolumentũ aliquod

& viuen-

& viuendi opportunitatem habere, & ex eo facilè euenit poſtea, vt in Viſlicienſi Eccleſia, primò Cantoriam, exinde Cuſtodiam, adipiſceretur. In Sandomirienſi Canonicatũ preter alia tenuiora beneficia, quæ in locis pluribus conſecutus, viris egregijs, & de quorũ virtutibus aliquid ſperari poſſit, liberaliter impartiebatur. In qua re, tàm ſtudioſus fuit, vt nonnullis cupidus aliquando videretur. Credebant enim ipſum ad impetranda beneficia ſtudio vtilitatis accedere, cùm ipſe nulla alia ratione in ea diligentia fuiſſet occupatus, quàm vt immeritis aliqbus, volẽtibus abuti bonis Eccleſiæ, obſiſteret, aut dignos, & probatos ſacerdotes in Eccleſias induceret. Nam quantum à cupiditate pecuniæ abfuerit, teſtantur ædificia, veſtes, tabulæ, vaſa, picturæ, libri, quæ in Eccleſijs ipſo Authore partim exornatis, partim inſtauratis, partim ex integro ædificatis, plurimis in locis pulcherrima & precioſiſsima viſuntur. In villa enim Cuſtodiæ Viſlicieñ, erexit opere lapideo templum, ſub titulo Stephani Regis, cuius quidem ſtructura etiam in ciuitate quauis inter ornatas haberetur. Piſcinam inſuper operis non vulgaris, effodi curauit, atq; aggere circumſepſit, & aquaticum priſtinum in altero ipſius angulo, non mediocri impenſa & labore locauit. In Oppido autem Viſlicienſi iuxta Cæmiterium Eccleſiæ coëmptis duabus areis, redditibuſq; immunibus ab omni vectigali, turrim ædificari curauit, ac etiam domum amplitudinis haud mediocris, vt potè, in qua commodè Collegium Vicariorum illius Eccleſiæ habitat. Quod opus ſupra commoditatem incolendi neceſsitas maximè commendandum, & acceptiſsimum fecit inhabitantibus. Nam cùm Oppidum illud fato, vt credi poteſt, quodam, igni ſit obnoxium, crebriſq; incendijs afficiatur. Vicarij in tuto degunt, nec vt anteactis temporibus continuò, aut timore, aut etiã periculo ignis infeſtantur. In agro Sandomirienſi in villa Præbendæ Odanchow, quam in ea Eccleſia obtinebat, ſub titulo Beatæ Mariæ à fundamentis erexit templũ Parochiale coctili laterculo, puchritudinis ac magnitudinis maioris, quàm aut villæ competat, aut certè ferant emolumenta Præbendæ, in cuius ornamentum ac etiam amplitudinẽ tale opus conſumauit. Preterea, cùm inter præcipuos Aduocatos in aduerſitatibus ſuis haberet Sanctum Staniſlaũ, & pro comperto crederet multas inſidias per illius merita, ac interceſsionem euaſiſſe, volens, quantum in eo erat, Sanctiſsimo Martiri gratiam rependere, curauit, vt in villa, in qua ortus eſt, ex muro Eccleſia erigeretur, atq; etiam ornaretur, cùm prius eſſet lignea, & propemodum exigua & vilis, ad quod opus aliquot habuit adiutores. Nam cùm Sãctus ille vniuerſi Regni Patronus ſit, pudebat quàm plures, quòd ita viliter in natali loco coleretur. Sed neq; Præbendæ Cracouienſi fructus, aut auarè poſſedit, aut inutiliter diſpenſauit, quinimò Eccleſiaſticis ædificijs debitam partem exhibuit, partẽ pauperibus erogauit. Inſtaurauit enim domum muris & fundamẽtis reſarcitis, in quo hodie Ius Pontificum docetur, eamq; ad habendum Spiritualium Conſiſtorium per Officialem Cracouienſi aſsignauit. Qua liberalitate motus Thomas tunc Cracouienſi Epiſcopus, perpetuum Ius Pa-

tronatus

tronatus ſibi, familiæq; ſuæ, ſuper Altare Geruaſij & Protaſij in Cathedrali Eccleſia tradidit. Domum Collegij, cui nomen eſt Hieruzalem, quàm moriens Zbigneus inceptam reliquerat, in vſum & commoditatem Scholaſticorum mira celeritate & diligentia perficiendam locauit, quam poſtea igne conſumptam magnificè inſtaurauit. Preterea magno ambitu à Rege impetrauit emptionem Marcarum centum annui cenſus, quas quidem liberas, & immunes ab omni Regio vectigali, victui, & neceſsitatibus degẽtium in ea domo, in perpetuum aſsignauit. Fuit etiam à natura ita inſtructus, vt ſingulorum vſui, & commodis libenter faueret. Sed tùm maximè nihil arduum & laborioſum ſibi exiſtimabat, cùm ea exequeretur, aut procuraret, quæ dantibus operam literis, aut relligioſis viris profutura eſſent. Ampliauit ergo Collegium, quod pauperum nuncupatur, nam veteri ædificio inſtaurato, totam partem, quæ in poſtico eſt, demptis ruinis & caſſulis, quibuſdam ſemirutis, & abſoletis, ſtatim ex integro ædificauit. Egitq;, vt, commoditate illa inhabitandi, etiam in infima fortuna conſtituti, facilè ſtudijs liberalibus operam nauare poſſent. Iudæorum Synagogam, & diuerſoria, quæ è regione Collegij Artiſtarum erant, cùm vicinitas continuam controuerſiarum materiam inter Scholaſticos & Iudæos ſubminiſtraret, ſubmouit ad Pomerium Ciuitatis, ac velut extra fidelium conuerſationem relegauit, coemptiſq; eorum habitaculis, Ciſtercienſi Ordini dedicauit vt religioſè illic Deus coleretur, vbi per Iudæos ſuperſtitioſè colebatur. Magnifico IOANNI de Melſtyn perſuaſit, vt Domum, quæ hodie nuncupatur Hungarorum, Studentium commoditati legaret. Ex aduerſo Collegij Iuriſconſultorum coëmpta ingenti area, & ab omni Regio vectigali liberata, domum egregiæ amplitudinis inſigniſque ſtructuræ ex cocto latere ab ipſis fundamentis ædificauit, eamque pro habitaculo aſsignauit, illis, qui Pontificio Iuri operam impenderent. Sed neq; minus magni ac liberalis animi fuit in exornandis ædificijs, quàm in erigendis, nam omnia, quæ ab ipſo ædificata ſunt, non ſolùm muris & ſtructura, ſed neceſſarijs quibuſq; ſunt locupletata. Viſlicienſi Eccleſiæ liberaliter erogauit purpureas veſtes, auro illitas, quibus Sacerdos, & gemini miniſtri ad ſolenne Sacrificium peragendum exornantur, vnà cum pallio, quo altare in anteriori, parte obducitur. Præterea fuit auctor aurei calicis, qui maximus in eadem eſt Eccleſia, & inaurati vaſculi, quo Euchariſtia in ſolenni proceſsione ad populum circumfertur, quarum rerum precium ſupra quinq; millium Marcarum aſcendiſſe putatur. Erat illi cura & cogitatio præcipua, vt quæcunq; poſsideret, meliora efficeret. Et propterea Sandomirienſis Præbendæ fructus & emolumenta aucturus, commutatione illius vnius villæ cum additamento Marcarum centum, duas recepit ad vtilitatem Præbendæ illius. In agris etiam aliorum beneficiorum multa vtiliter, aut inſtituit, aut inſtaurauit. Sed non minus in augendo Diuino cultu, quàm in ædificãdis Eccleſijs boniſq; illarum augendis, & in melius ſemper conuertendis, ſollicitus ſtudioſuſq; fuit, tota enim mente & cogitatione eò cõuerſus erat,

vt aſsiduè ſecum meditaretur, quoquo modo ſanctiùs, Diuinæ ceremoniæ coli frequentariq; poſsint. Viro enim, qui omninò ingenium conuerterat ad contemplationem Diuinarum rerum non ſatis quicquam placebat, quòd non in quotidiana fieret conſuetudine ad honorem Dei, videbanturq; omnia ſibi, vel cultu, qui debetur, inferiora, vel minus frequentari, quàm innumerabilia Dei erga genus humanũ beneficia exigerent. Et proindè cùm neq; poſſet, neq; liceret ſibi nouos ritus religioſiùs colendi Deum excogitare, inuentos quàm ſanctiſsimè obſeruare, & in frequenti vſu habere procurabat. Itaq; impetrauit ab inclyto Cazimiro Rege Poloniæ vt liceret ſibi inducere in Eccleſiam Parochialem Sancti Martini abs ſe ædificatam in agro Kłobucenſi, Canonicos Regulares Beati Auguſtini, quorum Sanctimonia & relligio in præcipua apud omnes exiſtimatione habetur. Idq; deinde, accedente conſenſu & fauore Zbignei, executus eſt. In quam rem preter labores & expenſas alias impendit fructus, & adminiſtrationem vnius Eccleſiæ, quã germano reſignauit, qui tùm in eo Oppido Plebanũ gerebat. Ductus præterea eadem cura preter particularem & priuatam deuotionẽ ſuam erga S. Staniſlaum, cùm natalem locum prius latericia ornaſſet Eccleſia, procurauit non ſine magna difficultate, vt in Eccleſia Rupellæ Cracouiæ, in qua ille Martyriũ ſuſceperat, collocarentur confratres ſub religione Pauli Primi Heremitæ, vt ſecundũ Eccleſiaſtica inſtituta horæ Canonicæ frequẽtarentur, & reliqua in diuinis officijs ordinata debitis ceremonijs abſoluerẽtur, quo populus non tam à loco, quàm etiam à Sanctimonia incolarum ad frequentandum Eccleſiam illam inuitaretur, & debitus honos protectori & patrono totius Regni impendatur. In qua re preter ſumptus alios, & emptionem villæ, pro victu & neceſſarijs confratrum illorum, ac etiam reſignationem Præbendæ Sandomirienſi factam Plebano, quem ab Eccleſia Rupellæ amouere oportuit, innumerabiles labores ſubijt, cùm pleroſq; aduerſos haberet, quibus non facilè perſuadere poterat, vt in Parochialem Eccleſiam confratres admitterentur. Sed facilè illi fuit vnam atq; alteram repulſam tollerare, ſpe illa quòd eorum mentes aliquando, vel per diuturnam inſtantiam ipſius, vel per merita S. Staniſlai, cuius in honorem id agebatur, inflecti poſſent, vt tandem euenit, cùm ſinguli tanta facilitate in eam rem conſenſerint, quanta prius pertinacia ſe inexorabiles præbuerant. In Sandomirienſi inſuper Eccleſia, cui, quod in ea Canonicus fuiſſet, præcipua quadã deuotione afficiebatur, ſacerdotum numerum auxit, inductis in eam Monaſterijs octo, quibus negotium eſt perpetuum, ſingulis diebus ſolenne ſacrificium, horaſq;, & reliqua Diuina in honorem Beatæ Mariæ Virginis celebrare, coëmptiſq; duabus villis, videlicet Okalina & Goyczow apud Monaſterium Suleiouienſe, ex quarum fructibus victus, & reliqua dictis Manſionarijs neceſſaria ſuppeterent. Ad quam rem adiutores habuit Nicolaũ Penuſſer Archidiaconum Sandomirieñ, & Thomam Epiſcopum Cracouieñ cùm vterq; ad id opus perficiendum in morte ſua nonnullas pecunias legaſſet, quæ negligentia quadam propemodum perditæ erant, niſi cura & ſtudi-

um istius ad eas recuperandas interceſisſet. Sed cùm legata illorum non ſatis ſufficerent, in multis ille ſuppleuit, & è cuſtodia Viſlicienſi germano ceſſit, vt ille decimas S. Adalberti extra muros, & etiam S Heduigis ad negotij huius ſupplementum reſignaret. Ex quibus omnibus eò vſq; eſſet prouiſum, vt nunquam dubitari poſſet futurum, quòd tàm pium commentumq; opus & inſtitutum inopia vel neceſsitate aliqua intermitteretur. Sed quod mirari ac dolere homines poſsint, eò vſq; proceſsit malignitas ſeculi noſtri vt viuenti ſub tanta diuinarum rerum ſollicitudine, tantoq; ſtudio illuſtrandæ atq; augendæ relligionis, non defuerunt perſecutores, & quidē graues, quorum auctoritas humanæ perfidiæ effecit, vt commenta in eum crimina experimentum eſſent patientiæ ipſius, non periculum. Nam cùm Petrus de Scrokoćin Vicecancellarius Regni eum falſitatis inſimulaſſet, delataq; res eſſet ad Regni conſilium, repetitis vitæ ſuæ omnibus actionibus, & adductis cauſis, rationibuſq;, propter quas, nedum crimen, ſed neſuſpicio quidem in eo eſſe poterat, tanta modeſtia, & circumſpectione, cauſam ſuā perorauit, vt coactus ſit aduerſarius negare ſe vnquam aliquid ignominioſum ſibi obieciſſe, cū tandem perſequeretur Longinus cauſam ſuam, & ſponte ſe ad ſupplicium ſe veniſſe aſſeueraret, indignūq; facinus eſſe diceret, non altius ſcrupuloſiuſq; contra fontes inquiri. Præterea iniquiſsimum eſſe affirmaret, ſcelera, quæ poſtea in exemplum peſsimum adduci poſſent, impunita dimittere, obortis lachrymis Vicecancellarius veniam petijt, ſibiq; ignoſci poſtulauit, non ſine Regis & circumſtantium omnium admiratione, cùm viderent eum, qui tanquam reus ibi conſtitutus erat, cōſtantem, atq; intrepidum, accuſatorem verò ſollicitū & trepidantem. Difficilior diuturniorq; fuit inſimulatio illa, qua defuncto Zbigneo per ipſius fratrē accitus eſt in iudicium, quaſi loculos & ſecretiora ſcriniola cōpilaſſet. Quod poſtea falſum indicauit Teſtamentum ſolenne Epiſcopi, quo integritas, & fides Longini erga Epiſcopum ipſum facilè probabatur. Sed neq; à Rege tutus fuit, nam cùm vacante Sede Cracouieñ ſequerētur partes Iacobi de Sienno, quem Pius Pontifex maximus ad eam Sedem promouerat, vnâ cum illo & fratre iuniore Ioanne Canonico Cracouieñ in exilium miſſus eſt, in quo per triennium fuit. Quo tempore crebrò perſuaſum eſt Regi, nihil commodius ad exterminandum Cracouieñ Eccleſiæ Scyſma, quàm ſi vterq;, Senior, iuniorq; Longinus, quoquomodo è medio tollerentur. Nec defuerunt qui tàm atrox facinus patrare parati eſſent, niſi toto exilij tempore in arce Melſztyn non ſine diligenti ſtudio ſe continuiſſent. Cùm verò aliquādo ſollicitaretur, vt Regiæ voluntati non ſe opponeret, & Ioanni Gruſcziński, quem Regius fauor ad Epiſcopatum Cracouieñ promouebat, adhæreret, maluit exilium, periculaq; omnia pati & ſubire, quàm ab eo, quod ſibi iuris eſſe videbatur, diſcedere, potiùſq; facultates ſuas ab aduerſarijs Iacobi paſſus eſt, quàm ipſe in iuſta cauſa amicum deſereret. Ex qua conſtantia etſi tunc nonnullis inuiſus fuerat, tamen poſtea iudicio omnium commendari meruit. Nam compoſitis tandem rebus illis, Rex, cui cognita & perſpecta

ſpecta ſatis erat prudentia integritaſq; ipſius, & proinde ſentiens non paruum vſum in eo eſſe poſſe, ad curam Reipublicæ inſtituit eum ſibi conciliare. Itaq; vt præteritorum omnium videretur oblitus, Secretorum ſuorū participem habere voluit, admittendo eum in conſilium. & quoties ſe occaſio offerebat ad Conuentus optimatū, quoſcunq, frequentare contigiſſet, deſtinabat. Quam rem ipſe nō ſatis æquo animo ferebat, quippè quod relligioni mancipatus, intelligebat ſe non niſi periculosè, in curis humanarum rerum verſare poſſe. Sed cùm Regiæ voluntati aduerſandum non putaret, preſertim quod in eo etiam communis omnium ſalus negligi videbatur, cōmiſſa ſibi munera eo ſtudio & diligentia obibat, vt ſemper expectationi hominum de ſe reſponderet. Quamobrem gratior indies apud omnes eius erat exiſtimatio, paſsimq; aſſeuerabatur ſacerdos optimus & integerrimus, ciuis verò circumſpectus & prudentiſsimus. Ex quo fiebat, vt ardua & difficilia omnia maximè ei crederentur, vtq; ad eas cauſas legeretur, ad quas cæterorum ingenia minimè ſufficere putabantur, præſertim vigente bello Prutenico, quod ſuſcipiendum minimè cenſuerat multis rationibus, ſed imprimis propter naturam Regis, quem à bello ſciebat abhorrere. Sed cùm cæteris optimatibus Regni ſecus videretur, vltrò venientibus in ditionem Pomeranis & Prutenis plurimis, qui à Magiſtro tanquam Tyranno ad Regem tanquam legitimum hæredem deſciſcebant, deditionem eorum acuratiſsimè perſcripſit. Deinde cùm de fine & pace ſemper ſollicitus eſſet, quippè quòd etiam principio belli contradixiſſet, non vt in alijs rebus quaſi inuitus, ſed ſponte, ac propemodum per ambitionem operam ſuam adhibuit. Quotieſq; de pacificatione illa agendum fuit, haud grauatim procurationem ſuſcepit, preſertim poſt aduentum Lauentini Epiſcopi, qui à Sede Apoſtolica eas ad res componendas Legatus fuerat. Tunc enim magis, quàm vnquam aliàs, fretus bonitate & prudentia Legati, enixiſsimam operam concordiæ dedit, & modis omnibus, quibus res & temporum conditio paciebatur, partibus quietem ac pacem ſuaſit, nec prius deſtitit, quàm quod cogitauerat, & cupiebat, perfecit, interpoſitis iuſtis atq; honeſtis vtrinq; conditionibus. Quibus ab eo excogitatis atq; deſcriptis, cùm recitarentur, Inclytus Rex Poloniæ cū conſilio ſuo, & Magiſter generalis Pruſsiæ cum Aſſeſſoribus liberaliter aſſenſēre, eaſq; ſuſcepēre. Inditumq; eſt fœderi illiuſmodi nomen perpetuæ pacis. Legationes pro Rebuplica plures ac eaſdem inſignes obiuit, in quibus plurimorum hominum opinionē ſæpè etiam ſeipſum ſuperauit. Cùm exortum eſſet in Hungaria ſociale ac propemodum inteſtinum bellum, miſſus eſt à Rege Poloniæ ad dirimendum illud, Regnumque pacandum. Quæ quidem res non difficilis ſolùm, ſed penitùs impoſsibilis plurimorum iudicio cenſebatur, quippè, quód ambitio & libido dominandi belli cauſa erat, nec poni à partibus arma poterant ſine manifeſto periculo. Quam rem etſi ipſe à principio intelligebat, prouinciam tamen ſuſcepit, fretus perſuaſione quadam Deum ſcilicet non permiſſurum, Regnum illud Chriſtianæ relligionis propugnaculū, vaſtari ſeditionibus inteſtinis, & pro-

 indè fa-

indè facilè futurum, vt Deo integritati suæ aspirante, omnia componeret. Quod quidē non secus ac cogitasset euenit, siquidem omnia pacata reddidit, & iam pugnātibus exercitibus deponere arma persuasit. Cuius rei apud omnes tanta fuit gratia, & admiratio, vt Nicolaus V. Pontifex Max: Regi Poloniæ ob id gratias quàm plurimas ageret, & Zbigneo Legati de latere auctoritatem concesserit, & ad reliquias belli Hungarici sopiendas, destinauerit. Collega etiam fuit in Legatione, quæ Wratislauiam missa est à Rege, pro contrahendo matrimonio cum Illustrissima Helizabeth Serenissimi Alberti Romanorum Hungariæ & Bohemiæ Regis filia. In qua legatione, cùm plurima laude digna gesserit, illud maximè cōmendandum fuit, quod precibus & suasionibus suis Ioannem de Capistrano, virum religionis & sanctitatis venerandæ, in Regnum Poloniæ induxit, egitq; vt illius miraculis Prouincia illustraretur. Datum est insuper ei negotium redimendorum captiuorum, vt militibus satis fieret post pugnam apud Choinica infeliciter gestam. Preterea commissa est ei causa emendæ arcis Oppidi Mariemburg. In quibus omnibus tantum difficultatis & laboris inerat, vt non immeritò Collegæ in legatione diffiderent. Itaq; vir prudens quanquam & ipse diffidentiæ proximus esset, dissimulabat tamen, & per totum illud iter Collegas ad spem bonam excitauit. Postquàm verò in Prussiam ventū est, ea dexteritate ingenij in omnibus legitimum modum adinuenit, capto consilio ex oportunitate rerum, vt tandem facillima omnia sint visa, quæ prius penè impossibilia videbantur. Nec longa mora, absolutis illis, quæ perficere missus erat, summa cum commendatione omnium remeauit. In bello, quod aduersus Mathiam Hungariæ Regem propter Bohemiæ Regnum gestum est, multas legationes vtiliter gessit, multa excogitauit, multa scripsit. Obiuit & legationem, quàm cæteri magno fastidio horrebant, reliquisq; omnibus difficiliorem, quippè quòd in causa ipsa, non solùm Optimates Regni, sed & Cazimirum etiam ipsum Regem aduersantem habuit. Nam cùm Zbigneus insignitus esset titulo Cardinalis, quo tempore Scysma erat in Romana Ecclesia, neq; tanti ordinis adhuc insignia recepisset, quippè quod prudēs ac bonus vir, integritatem Iuris omnibus rebus præferebat, expectabatq;, vt prius Scysma conueniret, quàm de honore sibi vltrò oblato rationem habere vellet. Neutrum enim eorum, qui se maximos Pontifices asseuerabāt, aut spernere, aut approbare volebat, & proinde nullius fauores, aut sequebatur, aut renuebat. Sed cùm sopito Scysmate Nicolaus V. Romanus Pontifex vltrò etiam id ei honoris obtulisset, haud immeritò suscipiendum putauit. Verùm simultas & inuidia quorundam, presertim Vincentij Primùm, deindè Wladislai Gnesnensis Archiepiscoporū, quorum vterq; despectus in ea re videbatur, rem apud Regem eò vsq; turbauerat, suspectāq; fecerat, quòd & literis plurimis, & oratore ob eam causam misso, Rex caueret. Ob quàm rem cùm Zbigneus non mediocriter turbaretur, sollicitusq; secū esset, quòd aut Regi aduersandum videret esse, aut decus & ornamentum suum obmittendum, Longinus causam vltrò suscepit, & studium, ac diligentiam suam,

si Romā

si Romam mitteretur, pollicebatur. Idq; facilè impetrauit, cùm quod Zbigneus plurimis experimentis iam dudum compertum haberet, nihil ab ipso frustra aggredi, tùm quòd ipse per se, quid in ea re acturus esset, non satis deliberabat, illinc tanti ordinis ambitione, hinc autoritate Regia diuersa suadente. Sed nec temerè Longinus eam Prouinciam sibi delegit, vir enim consilij ac prudentiæ exquisitæ, intelligebat Regiam voluntatem facilè immutari posse, vbi percepisset rem illam, sibi, atq; vniuerso Regno fore ornamento & decori. Nec quicquam pertinacius ab alijs Regibus concupisci, quàm vt aliquis ex suis in Concilium illud admittatur, apud quod vniuersæ Reipub. Christianæ summa versatur. Itaq; licet tota Italia sociali bello, ac pestilētia vastaretur, imperterritus vtroq; periculo iter arripuit. Tanta ei cupido inerat, & honori hominis de se benè meriti consulere, & quibuscunq; dignitatibus posset Regnum illustrare. Postquam verò in Vrbem venit adeò efficax in persuadendo, tùm Pontifici, tùm Cardinalibus fuit, quòd maximè renitēte Oratore Regio, causam perorauit, & Zbigneo Cardinali insignia consignanda impetrauit. Et ne diuturna expectatione hominem torqueret, quanta maxima celeritate potuit, Cracouiam regressus est. Nec mora, licet tibi multa minarentur, præstituto die, cùm Regni Optimates quàmplurimi & Cracouien vniuersitas ad Cathedralem Ecclesiam conuenissent, pileum rubeum Cardinalatus insigne, literasq; Apostolicas, non sine luculenta oratione, Zbigneo assignauit. Quæ oratio in eo fuit, vt & deleret suspiciones, quæcunq; erant, quòd id, aut periculosum, aut indignum Regno foret: & explicaret, quantum gloriæ ac amplitudinis Polonorum nationi exinde obuenturum esset. Preterea quanta ambitione id ab alijs Principibus expeteretur, vt quàm pulchrum & magnum esset, Regem inter Prælatos suos hominem eius ordinis habere, cuius consilio religio tota administratur. Ex quo factum est, vt pleriq; aliter persuasi ad veram sententiam reducerentur, ceperintq; & Longini procurationem commendare, & Zbignei amplitudinem sibi ipsi ornamento existimare. In quam persuasionem paulò post etiam Rex adductus est, adeòq; se preter voluntatem suam causæ illiusmodi aduersatum fuisse testatus est, quod plerumq; gloriabatur se etiam Cardinalibus imperare. Quantum verò gratiæ ob id apud iam Cardinalem Zbigneum Longinus fuerit consecutus, non facilè dixerim, cùm nō solùm votis illius in assequenda tanta dignitate satisfeciisset, sed etiam Regi, cuius maximè iram reformidabat, se conciliasset, charūq; reddidisset. Sed nec minus Regi seipsum conciliauit exinde, cùm propter exornatum ea dignitate Regnum, tùm propter præstitum documentū virtutis, & fidei suæ, in quacunq; actione, tàm apud suas, quàm apud exteras nationes. Peregrinationes varijs ex causis inclytas obiuit. Primam suadente Zbigneo in Italiam ad Eugenium Pontificem maximū, & inde in Germaniam ad Basilienſe Concilium: consecuturus Cracouiensem Præbendā, à qua actione sponte destitit, cùm ius suū infirmum esse comperisset, maluitq; reditus suos frustrari, quàm conscientiam ledi. Secundæ Peregrinationis causa fuit in Panno-

niam de-

niam delatum Hungariæ Regnũ ad Wladislaũ Poloniæ Regem. In quo itinere, cùm agrestium tumultus raptores frugum temerè insequeretur, & casu in Zbigneũ impetũ fecisset, pro salute illius se opposuit, & non sine ingenti vitæ suæ periculo incolumem Zbigneũ conseruauit. Flagrauerat etiam penè ab ineunte ætate desiderio quodam videndi Hierosolymã, & Christi cunabula. Itaq; quo anno fortè frequentabantur veniæ, quas Iubileum vocant, Romam se contulit, inde Venetias, ex quo loco in Syriam transire curauit, delatus felici nauigatione in Prouinciam pio admodum & ardentissimo affectu Christi Sepulchrum, mortisq; & natiuitatis ipsius loca visitauit. Præterea reliqua omnia, in quibus Dominum diuersatum fuisse, asseuerabant gnari regionis, & rerum illiusmodi curiosi. Dùm verò vestigia Christi circuiret, visus est plerumq; non mediocriter flere, aut gaudio, quod viuo sibi illa videre contigerat, votiq; compos erat, aut miseratione mortalium, qui eo vsq; humanis illecebris detinentur, vt ne ad præsentem quidem Deum oculos conuertant. Sed & plerumq; gratis se ad id tempus vixisse iactabat, frustraq; in mundo fuisse, quandoquidem Opificis mundi natale solum non prius vidisset. Ac subinde repetebat frequenter illud Psalmistæ. Nunc dimittis seruum tuum Domine &c. Cæterum cum nauis ad reditum festinaret, maiore cum mærore inde abstractus, quàm fuerat desiderium, propter quod venerat. Reuersus in patriam, cùm iam omninò à curis rerum humanarum se absoluere, & in quiete reliquam ætatem agere, cultuiq; diuino intendere instituisset, accitus est per Regem ad curam & institutionem liberorum suorum. Quod negotium diu suscipere recusauit, tandem instantibus preter Regem Regni etiam optimatibus, multisq; rationibus ad eam rem ipsum cohortantibus, presertim persuasione illa, quod nihil Deo immortali acceptius facere posset, quàm eorum curam suscipere, quos ille ad imperandum gentibus nasci voluit, nihil opportunius, aut vtilius Reipublicæ, quàm dilos benè instituere, qui in ea præesse debebant, coactus est sententia sua cedere, ac onus subire. Itaq; præfuit illis aliquot annis, ea dexteritate ingenij, vt contra rerum naturam pueri non inuiti, & discerent libenter ea quæ ipsis tradebantur, & apud illum spretis ludis puerilibus, assiduè esse cuperent. Ex quo factum est, vt breui ita eos institueret, vt non minus propter indolem, ac virtutes eorum, quàm propter genus Regium chari ac venerabiles omnibus essent. Dedit hæc cura occasionem peregrinationi ipsius ad Bohemiam. Nam cùm iam dudùm fama apud omnes vicinos Principes percrebuisset, de indole admirabiliq; ingenio, ac etiam institutione inclytæ prolis Regis Poloniæ, Bohemi primogenitum veluti legitimum hæredem in Regem petierunt. Quorum votis cum pater assensisset, nunquã adduci potuit, vt sine Longimo ad suscipiendum Regnũ filium destinaret, quòd negotium plures ob causas LONGINVS suscipere recusabat. Sed inprimis quòd Bohemia esset interdicta omnibus Catholicis. Verùm cùm obortis lachrymis Rex tandem diceret, Duos esse adolescentuli parentes, se primum qui genuisset, secundum ipsum qui educasset,

& institu-

& instituisset. Crudele admodum immanèq; futurum si eodem tempore ab vtroq; quasi raptus ad gentes ignotas mitteretur. Se quidem si liceret, cum filio ire paratum, sed cùm id conditio Regni non pateretur dignum videri, quod vtriusq; parentis ipse vices impleret, atq; tùm maximè adolescentulo Prælto esset, quando in nouitate rerum erat instituendus. Victus itaq; cùm genitoris pietate tùm filij necessitate munus suscepit, euntemq; Pragam comitatus est, ibiq; tàm diu fuit, quod Corona illi, & cætera Regis insignia exhibita fuissent. Deinde compositis rebus, vt temporum conditio ferebat ad curam reliquorum remeauit. Valetudinis fuit variæ, raro tamen cum periculo ægrotauit. In prima adolescentia constituto, inguen vtrumq; intumuit, sanatusq; est sine sectione à Phisico per id tempus egregio. In ea ægritudine castitatis votum nuncupauit, nec sine maxima difficultate poltea seruauit. Cùm ab Italia reuerteretur cum insignibus Cardinalatus, quæ pro Zbigneo impetrauerat, febre correptus est, quam noxam in itinere contraxisse credebatur propter aërem pestilentem. Vexatus etiam est à quartana mensibus sex post regressum ex Hungaria: quo tempore & Zbigneus pro Coronatione inclyti Wladislai se illuc contulerat. Post mortem quoq; Zbignei in ægritudinem satis periculosam incidit. In quibus omnibus adeò patiẽti animo fuit, vt in æquo habere videretur vitæ, mortisq; conditionẽ. Sed illa omniũ periculosissima fuit ægritudo, qua afflictus est post reditum ex Bohemia, cùm propter ætatem iam infirmam, tùm magnitudinem & grauitatem ægritudinis. Nam cùm in Bohemia contraxisset noxam calculi, propter aquarum Sulphurearum vim, & miserabiliter illic ab eo tortus fuisset, reuersus statim ab eadem causa vexari cepit. Accessit etiam ad dolores calculi, febris quotidianæ exæstuatio, vsq; ad desperationẽ medicorum, & suam intensa. Quamobrem vitæ suæ diffidens Testamentum non solùm scripsit, sed etiam est executus distractis cæteris rebus quæ legabat. Sed inprimis copiosissima, & egregia librorum suppellectili, ex qua omniũ studentum Collegia secundum facultates eorum locupletiora reddidit. Et procul dubio (vt credi potest) actum erat de ipsius vita, nisi aut doctrina, qua supra omnes medicos excellebat, aut in exhausto desiderio, quo pro salute tanti viri afficiebatur Ioannes Stanconis desperantibus cæteris non solùm non desperasset, sed desperatam etiam curam hominis suscepisset, tanto studio & charitate, vt in dubio posuerim, plus ne diligens charitas, an medici eximia doctrina ægroto ad salutem profuerit? nam vtriusq; effusissimam operam ad sanandum illum adhibuit, cùm reliquos omnes preter grauitatem infirmitatis, imbecillitas ægrotantis ad desperandum impulisset, Stanconem nihil æquè terrebat, ac animus ægroti. Videbatur enim non solùm vitæ diffidere, sed vltrò etiam mortẽ appetere, vt credi posset, dolore quodam qui mentem ipsius iam dudum torquebat, cùm videret Rempublicam ab ijs, qui præessent, ita administrari, vt non procul ab infortunio esse appareret, & proinde cupiebat moriens, non in deterrimo statu eam relinquere. Cæterum cùm iam de morte, quàm de vita, fama,

constan-

constantior esset, conuenere frequentissimè ad eum visendum boni homines, quibus Respublica cordi erat, lamentabanturq; passim non sine maximo incõmodo bonorum omnium, sed Reipublicæ imprimis talem Virum de medio tolli. Sed preter omnes in mentem Regis altius dolor descenderat, cùm intelligeret se priuari viro integerrimo, cuius consilio multa bono ordine gessisset, liberos verò suos veluti altero parente orbari. Et proinde de salute ipsius sollicitus, crebrò ad eum visendum descendit, interdũ etiam filios misit, vt saltem charitas, qua illorum diuinam indolem virtutesq; prosequebatur, aliquam superuiuendi cupiditatem adhuc in animum iam de morte solùm cogitantem, injiceret. Ex quorum studio, & pietate, Stanconis quoq; cura & diligentia augebatur adeò, vt preter spem omnũ ipsum sanauerit. Propter quod non pauciores medico, quàm LONGINO gratulati sunt illi, ob felicem curæ suæ euentum, quod veluti iterum vitæ restitutus videbatur. Mirabanturq; plerique varietatem animi ipsius, quòd cùm calamitates quascunq;, exilium, ægritudines, ac deniq; omnia aduersa pacientissimo & forti animo tolleraret, vitæ quoq; studio tàm modico teneretur, vt mortem nunquam formidasset. Propinquorum ærumnas aut mortes vsq; ad muliebrem impatientiam animo molli & effæminato ferre non posse testatus est. Nam vt de vtroq; parente sileam, ex quibus alterum decimo quarto ætatis anno, alterum vigesimo octauo amisit, quorumq; naturaliter iactura omnibus molesta & grauissima est, huic quoq; maximè debuit esse, quoniam in matre etiam perdidit alimenta, & suffragia omnia, per quæ liberalibus disciplinis operam nauare desiderabat. Per patris verò obitum curæ familiari succesit, quæ etiam literarum studijs aduersa erat. Fratrum moribus, quæ ab alijs facilè tolleraui consueuêre, omninò impar fuit. Nam cùm jam in matura ætate fuisset constitutus (quippè quòd secundum & quadragesimũ annum ageret) cùm quandoq; apud fratrẽ maiorẽ natu in vico Bambelno ageret, & latrones in domũ irrupissent, atq; illum sagitta confossum coram se animam exhalarare inspexissent, adeò dolore consternatus est, vt non nisi difficulter retrahi potuerit, quin rebus humanis se abdicaret, & relligioso aliquo claustro includeret, ætatem ab omni humana contagione procul acturus. A qua quidẽ obstinatione, cùm nulla suadẽdi efficacia ipsum retrahere posset, recordatio tandẽ paternæ voluntatis eum continuit. Nam moriẽs Pater, fratrum, sororumq;, ac vniuersæ familiæ illi curam delegauerat. Itaq; ne aut parẽtis suprema mandata negligere, aut vilitate quadam animi, quasi susceptæ curæ familiari non sufficeret, Monasterio se mancipasse videretur, se ipsum à destinato proposito continuit. Laborauit etiam impaciẽtia, cùm renunciaretur ei in Bohemia mors fratris iunioris, qui erat & ipse Cracouiẽsis Canonicus. In qua re etsi potiùs muliebrẽ imbecillitatẽ, quàm viri benè instituti robur præseferret, tamẽ erat & ipse apud omnes paulò excusatior, quàm in reliquorum necessariorum deploratione fuisset. Nam cùm in ætate confectus, vt potè qui quinquagesimum Septimum ageret annum, familiarem curam fratri commisisset

misisset, eaq; delegatione animum suum cogitationibus omnibus liberasset, quæ ipsum vel à studio librorum, vel à Diuinarum rerum contemplatione auocare poterant, non immeritò visus est impatienter ferre mortem illam, qua non solùm fratre priuaretur, sed etiam in seruitutem curæ maximæ liberis ingenijs aduersæ, ipsum reduceret. Diu itaq; propemodum effæminatè fratrem defleuit, nec passus est ab alijs consolari, donec mora ipsa paulatim tractabile vulnus reddidit, tantaq; fuit in recenti casu propemodum animi consternatio, vt sepè asseueraret, pro certo se præmori maluisse. Quod ex animo ab eo dici nullus ambigebat, qui intelligeret, quemadmodum ipse omnia semper parui fecisset, quæ inter prima ab alijs nuncupantur, & propter quæ vita solet esse iniucunda. Nam cùm omnis cogitatio ipsius esset, vt aliquando sibi ipsi viueret, nunquam aut dignitates, aut officia vlla suscipere voluit, quæ ipsum à proposito immutare possent. Et propterea cùm Rex vltrò sibi Thesaurarij interdum Vicecancellarij officium offerret, pertinaciter recusauit, quamuis plerique ex necessarijs ipsum ad id hortarentur, ne aut pusillanimis, aut ingratus Regi videretur. Nonnulli etiam parum Reipub. affectum esse dicebant, quod ea negotia pro publica salute non susciperet, quæ neminem alium, aut castius, aut vtilius administraturũ intelligerent. Renuit etiam Pragensem Episcopatum, cùm illi esset cum Rege coronando, ea tamen conditione ipsum susceperturum se asseuerauit, vt Bohemi Romanæ Ecclesiæ vnirentur. Sed Bohemis renuentibus, ipse quoq; cõditionẽ oblatam spreuit, asseuerans satis sibi notam esse sirenam Pontificis, cùm quatuor & viginti annis apud Episcopum fuisset. Nullaq; ratione adduci potuit, vt alium quempiã Pontificatũ susciperet; ad hoc conteniisset vt Pragẽsem susciperet tnõ vt Episcopus fieret, sed vt Episcopatũ illum mortuũ susciaret, Romanæq; Ecclesiæ vniret, & conciliaret, fuit enim tãtæ religionis, vt pro amplitudine illius facilè posset & vitam impendere. Nemo diligentiùs omnes ritus & ceremonias Christianas seruauit, nemo sacerdotij dignitatem, ab omni sorde & ab omni inquinamento magis immunem tenuit, castitatem cum voto, tùm sacerdotio debitam, cibi & potus parcitate custodiuit. Nam etsi vsum bibendi aquam adolescens apud Zbigneum intermisit, tamen tàm modicè vinum & ceruisiam sumebat vt vix naturali necessitati sufficeret, tantum abest vt libidinem procuraret. Statura fuit inter mediocrẽ & procerã, corpore ac membris gracilibus, naso oblongo, & in inferiori parte incuruatiore, oculis viuacibus, sed intrusis paululumq; abactis. Lingua & sermone modicè blesõ, quod vicium studio & diligentia emendauerat, ingenium mite ac benignum habuit, mores compositos ac venustos, amicitias & iura hospitalitatis ambitiosissimè seruauit, & coluit. Rei domesticæ diligentissimam curã gessit, corporis ac valetudinis omnmò negligẽs, quippè quòd in ægritudinibus etiam familiari & consueto viuendi ordine contentus erat. Et nunquam popularem admirationem elegantia vestis aucupabatur, sed mediocribus pannis contentus erat, & necessitati non ostẽtationi seruiebat. Erat & in eo vera ratio liberalitatis, etsi vulgus qui prodi-

galitatem

galitatem ſequitur, nonnunquam parcum, quandoq; etiã auarum diceret. Sermonem adeò liberum habuit, vt inuiſus eſſet palàm, & ſine modo mores & ignauiam ſeculi noſtri carpebat. Plerumq; etiã ad particulares obtrectationes deſcẽdebat, preſertim cùm in graui & matura eſſet iam ætate. Is nunquam aut timore, aut aliqua alia ratione adduci potuit, vt aut publicè, aut priuatim ſileret, quæ proferenda cenſebat, aut proferret, quæ ſilenda iudicabat. In qua re eò liberioris erat animi, quò magis cupiebat aliquando, vel ob ipſam cauſam, quòd iuſta reticere non poſſet, à rerum publicarum cura amoueri. Studio eloquentiæ operam dare cepit apud Zbigneũ, & quidem ſine Rethore, adeò diligentia & labore ſuo inſigniter in ea profecit, vt facilè ſibi eſſet & eloqui, & ſcribere, quæcunq; vellet, & ornatè, & elegãter. Scripſit autem vitas Beati Staniſlai & virginis Kunegundæ, Hiſtoriãq; perpetuam Polonorũ ſtylo mundiſsimo & magnifico, cuius veſtigia poſtea nonnulli ſecuti, in ſcriptionibus ſuis abſtergere ceperunt, ac reücere barbariem ſermonis, quæ vſq; ad ea tempora in promiſcuo apud omnes erat. Tanta verò fuit illi ſciendi cura, vt & poſteris etiam ad ſciendum iter aperiret, quod vndecunq; poſſet, ſemper libros conquirebat, atq; emebat. Multos autẽ, rediẽs ex Italia, attulit, præſertim quos nũquã prius in Regno viſos ſciebat. Importarat itaq; Curtiũ, Iuſtinũ, Saluſtiũ, & Liuij quidquid in vſu eſt, Ciceronis etiã pleraq; volumina, multoſq; alios cùm veteres, tùm nouos aut Theologiæ aut Hiſtoriarũ authores. Sed cùm ætas eã mentẽ ipſius à rebus humanis omninò alienaſſet, obmiſsis reliquis tandẽ ſe totũ Theologiæ mancipauerat, in qua etiã iuuenis inſigniter profecerat. Studij ac vniuerſitatis Cracouiẽſis adeò amantiſsimus curator, vt omniũ illius officinarum loca, aut illuſtraret per ſe, aut illuſtrãda efficeret. Nam & ex ceruicibus maioris Collegij & Artiſtarũ Iudæorũ Synagogã, quæ vicina Collegio erat, demoliuit, & diuerſoria cum ſtudentibus permixta habentia colluuiẽ, ex qua frequentes ſeditiones cõſurgebant, depulit, ipſoſque, & eorum ſedes vſque ad extremam Sancti Marci plateam, dimouit, & aſsidua litigia ſtudentium & Iudæorum quietauit, ſpacia quæ Synagoga & Hoſpitalia Iudæorum ſatis ampla occupauerat, proprio ære coëmens Ciſtercienſi ordini in perpetuam Elemoſynam pro Collegio omnium Relligioſorum dicti Ordinis donauit, vt in loco ipſo, non iam antiquis ſpiritibus, ſed Deo vero ſacrificeretur. Nobile Collegium pro pauperibus ſtudentibus in loco qui Hieruſalem appellatur, Zbigneum Cardinalem & Epiſcopum Cracouienſem magnifico ſumptu coctili muro fabricare induxit. Cui morte Cardinalis ſecuta & dotem centum Marcarum in Oppido Bochnenſi, datis quatuor millibus florenorum ex auro Cardinalis coëmit, & igne conflagratum ſumptibus eiuſdem Cardinalis refecit, Ioannem de Melſztyn hæreditariam domum in platea fratrum vnire & inſcribere vniuerſitati. Collegium pauperum Artiſtarum in platea Iſtulæ fædum & anguſtum, coëmpta & à iure & onere ciuili libertata vicina domo, & in fabricam muralem cum poſtica parte redacta, amplũ & Magni-

& Magnificum reddidit. Collegium pauperum Canoniſtarum coëmpta area ampla apud Ioannem Golka de Miedrwiedz pro quadringentis florenis, & per Regiam munificentiam ad eius inſtantiam libertata, proprio ſumptu à fundamentis inijcians, proprioq;, vt ita dicam Marte, muro, & tecto coctili fabricauit, & Canonicæ facultati maximum robur, maximumque adiumentum adiecit.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,

DOMINO ZBIGNEO DE OLESNICA.

Miſeratione Diuina Tituli S. Priſcæ Sac: Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali & Epiſcopo Cracouienſi.

IOANNES LONGINVS CANONICVS

Cracouienſis viſione perfrui Remuneratoris æterni, & beata atquè immortali ſtola potiri.

STVDIORVM MEORVM labores REVERENDISSIME PATER ad Benedictæ Trinitatis laudem, excellentiam, & gloriam, fidei Orthodoxæ amplitudinem, & in patriæ noſtræ, tuumq; ornamentum ac decus conuerſurus, Annalium rerum Polonicarũ, cæterarumq; gentium Poloniæ vicinarum memoriam, res pace & bello geſtas, complecti & literis mandare ſuſcepi, ſopitis hominum cineribus, diuturnaq; concretis caligine, largiturus notionem & memoriam, ſinguliſq; lectoribus & auditoribus, eorum repreſentaturus actionem. Non ingenij fretus potentia, tenue enim illud & aridum extat, & ad lucubrandum opus prælens vt Heroüm illuſtria facta inſigneſq; victoriæ, extolli adornariq; poſſent, lãguidum & parũ ſufficiens, nec ſcribendi arte rudẽ veterum æquans narationem. Sed quia multa præclara, & ſuperiorum, & noſtrorum temporum acta ſcitu digna perpetua obliuione tegi doleam. Egregia enim extant, nonnullorum Polonorum Virorum illuſtrium geſta & memoratu digna, ſiue pacem, ſiue bellum ſpectes, vtrobiq; exemplorum caſibus oneroſa, in quibus & gladij fraterno aut cognato ſanguine, cæca regnandi cupiditate rubentes, itemq; factiones, ſeditiones, varia exilia, variæ publicarum rerum euerſiones, & optimatum atq; ciuium exterminia reperiuntur, alias clarius illuſtrari deposcentia, ſimulq; tuis iuſsionibus, & aſsiduis exhortationibus etiam poſt tua fata pariturus. Tu ſiquidem, mira charitate, qua ad extollendum res Patriæ flagrabas, Vnum id potiſsimum me effecturum, precibus iuxta ac imperijs impuliſti, ſimulq; materiam ſcribendi, condendiq; res, quæ in ætate tua contigerunt fideli narratione, & domeſtico præconio præbuiſti. Et quoniam non

)( )( )(

niam non vna eadem fuit, est, & erit, Historiam scriptoribus laboris & scribendi causa, cum alij vt gloriam honoremq; apud præsentes & posteros aucupentur, quale aliquid Tito Liuio euenisse scimus, Vir enim lacteo eloquentiæ fonte manans, ex vltimis Galliarum Hispaniarumq; finibus plures habuit admiratores, & Gaditanum quendã ex longinquissimis oris & ad videndum illum fama adduxerat. Mortuus verò omnium ore sententiaq; Latinorum laudatus. Cineres quoq; sui atq; ossa agentia Patauine, de origine & stirpe sua gloriante, propè Ædem S. Iustinæ in porta Palacij maioris, quo aliquid venerationis ossibus accederet, condita sunt. Alij, vt gratiam referant, ab ijs quorum virtutes laudant bellicas: Alij quod rebus magnis & arduis pace vel bello gestis affuêre & genus assumpsere laboris. Quod de Homero, Darete, Quinto Curtio, Plutarcho, aut oredi, aut præsumi potest. Me porrò nulla harum causarum, sed magnitudo rerum sub obscura caligine vetustatis iacentium, honestatis officium, non spes vilitatis, charitas quoq; patriæ, quæ omnium omnes charitates complecti solet, qui vt illam omni ornamento, quod ex me fieri possit, redundantem, atq; accumulatã, vel reddere, vel efficere, charitas proximi ex opere præsenti ædificanda ad opus prolixum & ingentis laboris suscipiendum pellexit. Antiquitatis enim & Historiæ, rerumq; domi foriſq; gestarum noticia, virtutis parens & vitæ magistra à sapientibus habita, non tenuiores humano generi, quàm Philosophia noscitur conferre profectus. Nam etsi Philosophia pro consequendis virtutibus hominem dirigat, & informet, ad clara tamen facinora aut aggredienda aut implenda, plus hæc virium quàm illa obtinet. Cum Philosophia tantum accendat & moueat, illa verò opus perfectum etiam efficiat, & in qua etiam singula quæ ad fortitudinem, ad modestiam, ad prudentiam, ad pietatem, & relligionem pertinent, velut in quodã speculo, & humanæ imbecillitatis exemplari, & contemplari possunt. Preterea summum decus, summamq; voluptatem claris iuxta & obscuris hominibus, non præceptis, non institutis, non disputationibus sed rebus gestis, & insignium Heroüm moribus ad capessendam virtutem & assequendam celeberrimam laudem, & ad comprehendendos augustos honores affert, clarissimorum quippè hominum gestis & maximarum rerum recordatione cõstat. Quæ sola res humanas, & presertim nobilia pectora ad immortalitatis gloriam vehementer accendit, dulce enim est, inter maiorum versari commertia, & veterum dicta factaque complecti memoria, atque operum præstantibus actionibus inhærere. Denique cum mortales omnes sciendi & intelligendi teneantur desiderio, quibus neminem aliter, nisi aut æuo diuturno, aut assidua rerum contemplatione aut experientia licuit potiri. Si qui ad Historiæ cognitionem, & ad perdiscendum illustrium Virorum, maximarumq; regionum & ciuitatum res gestas, artes, consilia, bella, fortunam, mentem appulerint, verticem sublimioris scientiæ, & intelligentiæ, sub breui ætatis & laboris compendio apprehendet. Ad res enim pulcherrimas noscendas per Historiæ seriem alieno labore partam perducimur, &

transactorum

transactorum seculorum longum ordinem, & pleraq; mortalium tàm priuata quàm publica opera sub breui temporis compendio intuemur, eoq; vno pacto vir iuuenis & viridis, senibus vnius ætatis cognitionem tenentibus poterit præstare, aut saltem æquari, velut in quem præclara rerum & optimarum artium eruditio, & vberima gestorum & antiquitatum noticia, non ex vnius capite, sed ex multorum abundantissimo fonte manet. Quod cùm ita sit, quis tàm expers humanitatis erit, qui se dare his studijs nollet? quæ adolescentiam ad maximam consequendam gloriam excitant, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersas salubri consilio temperant, & in vniuersum sola plurimum patriæ prosunt. Quum in illis res hominũ gestæ, fortunæ euentus insperati, naturæ opera insolita, & super his omnibus rationes temporum contineantur. Memoria etenim hominum, & quod transmittitur, per manus sensim elabitur, & vix vnius hominis æuum exuperat. Quod autem benè libris mandatum est, perpetuo manet, nec labefactari ita facile potest. Nec modo ea, quæ vel facta sunt, vel dicta adfert, sed & sermones notat, & cogitationes hominum effingit. Nec parua iactura censeri debet, quod res plurimas nostras, atq; facta Poloniæ cognitione dignissima pro magna parte latere nos contingit, quorũ noticia propter scriptorum defectum perijt: ea verò quæ habemus, aut angustè videmus per scripta aut vetustate obliterata, pleraq; apud alios, quàm apud nos diffusius annotata. Non mediocriter ad Rempublicam expedite gerendam, refert, scire vt clara prædecessorum facta videamus, nam vt bonorum gesta, dùm leguntur, rectè gradientibus, pieq; viuentibus prosunt ad ædificationem: ita damnabilia prauorum facinora eorumq; pænæ errantibus ad correctionẽ conducunt. Totis ideo viribus ad ea studia nobis incumbendum est ex quibus & ad ingenij exercitationem, & ad Reipub: legitimam ordinationem non mediocris accessura est vtilitas. Decet namq; virtutibus præditos viros, prudentium gesta, imo & stultorum sæpius ad memoriam reuocare, vt bonis exemplis discant, bonis operibus insistere, & ex malis valeant, perditionem euitare. Nisi enim precioſum à vili seperaueris, stulta concupiscentia temperare se non valens precipiti cursu demergeris in voraginem & denſitatem tenebrarum. Varia itaq; in Annalibus & virtutũ exempla reperiens, & facta reproba æquè considerans, illa sequi, hæc præterire disces. Terrebat autem me, cui quidem nec ars, nec natura dicendi peritiam contulit, onus grande & prolixum, quot in debiles artus, tot supremæ scientiæ, ornatissimis viris tranquille silentibus imponebatur: Terrebat immensæ difficillimæq; & arduæ rei moles, claua Herculis onerosior, in qua labori summo non vllum præmium, non gratia, sed corruptissimum iudicium, & sinistra interpretatio essent responsura. Sæpèq; ipse mecum inter secreta ocia tacitus reputabam, quam vastum & procellosum æquor exigua titubantis & fragilis ingenij cimba, consultonè an temerè essem sulcaturus, quantæque obtrectationi & inuidiæ caput apud modernã & posteram ætatem obiecturus. Non enim eos qui gesta in opere futuro perscribenda, aut me ne quic-

 quam

quam concinnè dictasse, aut non integre dictis facta exæquasse, neq; onus suscepti muneris impleuisse, actus quoq; aliquorum plus æquo extulisse, & profictis vera posuisse, quadam aut leuitate, aut maleuolentia, inuidiauè, calumniaturi sunt (vtinam falso ludar augurio) reor defuturos. Difficillimarum enim rerum vnum extat, & non elucubrati tantum ingenij, sed affluentissimi pariter & acutissimi, offensionem calumniamq; in contexenda Historia effugere, & omnibus gratum esse, ac apud summos & peritos viros expectationem, quam in primordio concitaueris, reliqua narratione impleuisse, iuxta ac per asperiora dumeta sine offensione incessus. Noui enim nostræ ætatis hominũ ingenia, quæ nil probant nisi Italicum nitorem, à quo longe mihi abesse videor. Reprehendunt vetustatem noui & inuidi, qui suo ditissi ingenio, cæteros obloquendo detrahendoq;, & suo instituto vtẽdo moribus impudenter lacessere contendunt. Nam etsi ingenio præditus, pariq; fretus scientia officium scribendi facilè me implere posse crederem, tam arduũ tamẽ opus aggredi sine aliquo magno & difficultatis & pauoris respectu non possem, propter liuorosam nonnullorum obtrectationẽ, & inuidiosam calumniam. Quoniam etsi singulæ nationes singularibus vt ingenijs, ita & vitijs abundent, Polonorum tamen genus ad inuidiam & obtrectationẽ plus quàm ad cætera, siue id successio à priscis tradita, siue situs & in clementia cœli, siue occulta syderũ vis, siueq; genus & fortunã suã cum aliorũ virtute exæquare æstuet, cẽsetur esse magis procliue, & ingenia Polonorũ ad inuidiæ facinus plusquã aliqua alia promiora existimãtur. Quo fit vt nõnulli Polonorum & omnium Slauorum Parentẽ Cham affirment, quod his Noë Patris femora irridens, etiam in suam posteritatem id facinus inuexerat. HANC quoq; vnam & præcipuã causam arbitror, quòd Polonia raros & pauciſsimos rerum suarum habuerit scriptores, vnoquoq; sub iniquã rerum extenuatione exhorrente scribendi officium, & subducente se obtrectationi & liuori: Alteram quòd paucis germinibus suis præclara & solitum atq; vulgarem modum excedentia, & hæc ipsa parum iusti precij habitura prouenerunt ingenia. Tertiam, quòd pauci trahuntur cupiditate sapiẽtiæ, doctrinæ, aut virtutis, sed potius honoris, lucri, aut voluptatis. Proinde ijs tantummodo vacant literis, quæ opes aut dignitates, aut quæstum aliquẽ pollicentur, eloquentiæ & scribendi artem pe pauci colunt, & hi tantũmodo soli, qui egregia quadam animi indole impulsi virtutem terrenis metiuntur præstantiorem, vt nihil mirandum sit cæterarum nationum gesta factaq; scriptorum ingenijs quàm maximè celebrata illustrataq; esse, Polonorum ex contrario defectu res amplas & magnificas ad obliuionem, obscuritatemq; recidisse, gestaq; & virtutes Regum, Principum, & Heroüm atq; Ducum facta fortia regionum & ciuitatum, fortunas, literarum lumine non patefacta, caliginem sempiternam contraxisse, & in æternas quasdam silentij tenebras scriptorum penuria præcipitatas esse. Quorum si gratiam meruissent præconijs, eorum celebrati apud posteros immortali fama clarescerent. Hæc itaq; inter alios me ratio pellexit ac commouit, vt cæteris studijs humanis

humanis neglectis, omnes curas, studia, labores, vigiliasque meas ad illustranda Heroüm nostrorum egregia facta, metu omni atque pudore abiecto, conferrem, & veteribus, alienisque insistere non contentus, proferrem in vlteriora pedem. Corpus nouum arido licet & ieiuno stylo conficerem Historiæ, qualiter Reges & Principes cæterique qui Rempub. administraturi sunt, virorum fortissimorum imagines, quas scriptores Annalium reliquerunt expressas, imitati, animos, mentes & operationes suas, hominum excellentium virtutibus & actionibus conforment. Singula autem rebus Polonicis vndecunq; coherentia & commixta, collecta vndique & connexa, quæ Annalibus Polonorum videbantur quomodolibet conducere, operæprecium visum est perscribere, & præsenti nostro connectere operi, Syrenæos cantus, obdurata aure transiturus, qui rerum gestarum neque odio, neq; inuidia, neq; assentatione, aut fauore, aut gratia vellem corumpere puritatem. In his præsertim quas mihi coram intueri contigit, ætatis siquidem superioris tempora aliorum adminiculis, quæ verò in nostrã incidere ætatem, Marte, vt aiunt, nostro, quasdam verò res, quibus vetustas fidem certam abrogauerat, aut illas literarum vnica fidissima custodia non perennauerat, ex fama, quæ sola durabat, scrupulosius sinceriusque, quàm poteram descripsi, & quæ per varias Ecclesias & Bibliothecas, & alia loca sparsa erant, curaui colligere, & collecta in præsens opus vtcunq; deducere. Plura verò quæ parum concinnè parumque verè inserta fuerant, allatura factis aut dictis pudorem, omisi. Res & facta veterum vt suis non fraudentur præconijs, de caligine in lucem extracturus, non pro magnitudine operis & virtutis præstantia, quæ aut eruditissimum scriptorem, aut magnum quendam Poëtam efflagitant, non pro ingenij fiducia, nec dicendi aut scribendi peritia, vel aucupando gloriam, sed pro imbecillitate mea, & omni in patriam gratitudine, & ne temporis mei ætatem mutam ac insciam relinquerem, ingenuè professus magnam vim ingenij, magnum dicendi nitorem, inesse scriptori Annalium oportere, qui inter tot Historiarum & casuum aceruos, & laudandi & vituperandi materiam modumq; teneat, & singula grauiter expediat, & peritis atque imperitis, prudentibus atq; insipientibus, disertis & indisertis placeat, gratumque se vniuersis ex æquo reddat. At certè inter difficillima censetur difficillimum, aliorum sensus, voluntates, & desideria verbis sufficienter describere. Ex omnibus enim literis, quæ ad humanitatis cõparata sunt studia, nullæ mihi splendidius relucere atq; excellere visæ sunt, quàm quæ rerum gestarum ordinem nobis commendat. Ex illis enim ad rectè viuendum imbuimur, & singulares fructus, ac egregiam quandam iucunditatem comparamus, studio imitationis accendimur, & à prauis in recta reuocamur. Cæterarũ siquidem gentium & Regnorum gesta commendatione laudeq; constat esse referta, ad quorum expressionem venustandam ingenua scriptorum certarunt ingenia: Polonorum verò pauca admodũ per tot ætatum spacia & stricte commemorata sunt. Pauciſsimique Principes & Reges, cæteriq; Polonorum Heroës suorum facinorum meruêre scriptores,

nonnullorũ vero fama cum ipſis ſepulta & extincta eſt. Itaque Polonorum res per contrarium Athenienſiũ rebus euaſere ſimiles, anguſtæ tenues, paruæ atq; obſoletæ, cùm forent multò maiores, quam ſcriptis feruntur, ſcriptorũ iniuria & ſegnitie ex claritate magnifica ad obſcuritatem & anguſtiam pertractæ, nec, vt decuit, pro iuſto atquè integro celebratæ, adeò, vt nec è Vincentio Cracouienſi Epiſcopo ſuæ ætatis ſcriptore egregio, potuerint præclaro ingenio extolli. Ita quæ plurima Regum, Principum, Pontificum, & cæterorum Poloniæ Heroüm celeberrima opera ſempiterna obliuione obruta ſunt ſcribentium penuria, & eorum ipſorum languido, arridoque, & parum culto ingenio à noſtra notione abducta, nec aliquid celebre illorum potuit manere ad poſteros. Et cum ope literarum fulta non fuerint, perinde ac vapor admodum paruus euanuerunt. Nulla enim tàm ingens, tàm clara, tamq; admirabilis res geſta eſt, quam non vetuſtas obſcuret & obliuio, niſi literarum ſplendor, & ſcribentium lumen acceſſerit, iacerentque ſepultæ, atque perpetua obliuione obrutæ Regum & Imperatorum, res geſtæ, quippè quæ raro ætatem hominum excedunt, ſi eos ſciptorum induſtria, immortalitati non dedicaret. Quoniam opera humana caduca ſunt & momentanea, ſcriptorum verò munimenta ſua durabilitate immotalitatis ordinem æmulantur. Accedit ad hæc anxietas amplior, quòd cùm cæterarum, librorum ſcriptores viuis & florentibus perſonis opera ſua, quo altior illis ineſſet autoritas dedicauerint, decreto & appobatione eorum, robur, defenſionem & ſtabilimentum acceptura: [Ego opus præſens meum Paternitatti Tuæ iam ex mortalium conuerſatione ſubtracto, & abſenti etiam corpore concreto & mortali exuto, dedico, tuo ſuffragio mortali orbandum tutella.] Idque eò libentiùs mea tenuitas aggredietur, quod ad me id in corpore mortali poſitus tua exhortatione, cuius authoritas apud me, etiam poſt fata magna eſt, impleta. Nam ſeculum noſtrum velut quoddam Sydus clariſsimum ſplendore morum, virtutum atque actionum tuarum dexteritate illuſtrabas, nec vlli alteri, quàm tibi vigilias ac labores, vires quoque qualeſcunque illæ mei ingenij ſint, dicandas cenſui, pro ſummaclementia, prudentia, iuſtitia, probitate, humanitate, & in patriam charitate, quam omnium iudicio magno ſplendore, magniſque ſermonibus in vita, & poſt cineres videmus te conſequutum, macte inſuper virtutis, non à me ſolùm, ſed ab vniuerſis noſtri Polonici generis hominibus perpetuo celebrandus æuo. Cuius & ego æternum tuorum laborum præconium literis ad perrennitatem mandabo. Vnde omnis ſpes atque defenſa in ſolo cœleſti præſidio, & in ſuperis, qui noſtræ regioni & Vrbibus præſident, ponenda mihi eſt, qua pietate Agni Cœleſtis, & Beatiſsimi Staniſlai Patroni & Prothomartyris Poloniæ Epiſcopi Cracouienſis, tuaq; interceſsione quem diuinitate propitia, & operum merito, exutum corpore concreto & mortali, in cœlicolarum numerum tranſlatum, & cum creatore ſuo, cumq; Angelis eius ac Beatis glorificaturũ hominũ ſpiritibus lætum agere & tranquillum æuum reor, obtentũ, nullas inuidiorũ & obtrectatorũ calumnias pertimeſcam, ſperans vos erroribus meis ego quæ velle ignoſcere humanitùs non

nitùs non potui in hoc opere euitare. Spero vos veniam apud Clementiſsimum Deum, ſimulque rectè ſcribendi iuſtam & fidelem occaſionem, atque mentem in diuinum honorem, patriumque decus, & amplitudinem proximorum inſtructionem & profectum redundantem, facilè impetraturos, ſimulque pudori meo probè conſulturos; qui opus proprium ac ſeueritatem cenſorum reformidans, vos in tutiſsimos patronos, cenſoreſque accepi. Enitar ſiquidem pro viribus, vtinam tantum inſit mihi roboris ac neruorum, ne res geſtas in maius deprimam; quàm efferam; & actus humanos plus iuſto celebrem vel ſugillem, aut ſi quid offenſum in veritatẽ geſtarum rerum ſuſpicabor, ad eam diligentiſsimè inclinabo, non longius amori quàm veritati, nec quantum ſcribendo valeam, ſed quantum res exiget progreſſurus. Ad quæ ſollicitum me etiam tua admonitio reddebat inſtructiorem, nemo vt dubitet, & me in facinorum relatione, malignitate, aut odio: in virtutum quoque commendatione, affectione vſum eſſe, & paſsione animi tantum his gratiam, cæteris ignominiam tribuiſſe. Succenſſere autem mihi nemo iuſtè poterit, ſi veritatem Hiſtoriæ ſequens aliquorum mores, actiones, & facinora detexero, cuius natura & conditio eſt ſecundas iuxta ac aduerſas res, virtuoſas perinde ac vitioſas actiones ſincerè perſcribere, & poſteris tranſmutare incitamenti & cautellæ ſpeculum & exemplar, mordacitatẽq; ſcriptorum meorũ non ex auſteritate mea, ſed ex vitio illorũ iudicet proceſſiſſe. Malignum ratus iudicẽ, qui vna aut altera virtute enarrata de vitijs ſubticeat. Etenim futurum ipſe vaticinor, quod Reges, Principes, & cæteri viri Heroïci præſenti noſtro operi, non ſecus quàm ſpeculo ac exemplo ad colendam virtutem, & ad præclara edenda facinora excitari poterint. Vt enim reperiri ſolent homines virtutibus præclari & inſignes, ita nonnulli ſunt vitioſi & deteſtabiles, qualem Catilinam & Clodium in Romana Republica exitiſſe legimus, pluribus vitijs in patriæ perniciem deprauatos. Qualeſque in noſtra Patria Boleſlai Krywouſty Ducis filios, & Zbigneum naturalem eiuſdem Krywouſty fratrem fuiſſe legimus, ſed nec defuturos eſſe aliquis ambiget ſenſatus. Si quis autem & Sacras, & Gentium Hiſtorias velit percurrere, reperiet profecto in omni ætate paucis bonis & virtute deditis mixtos fuiſſe peſsimos, & hos ipſos non ſolùm per opera, ſed per auitam, & paternam progeniem, nomen, genus, familiam, & fortunam, quo amplior eis gloriæ aut ignominiæ inurreretur nota, deſignatos. Reperiet inſuper pro conditione mortali viros optimos, rebus aduerſis oppreſſos, ſceleſtes verò ſæpenumero blandis fortunæ muneribus in ſublime actos fuiſſe. Quæ rerum conditio acerba nimis cenſeri poſsit; niſi animæ è corporibus excedentes, quod & plerique ſenſere gentiles, in perpetuas tranſmigrent ſedes, ſupplicia pro maleficijs, præmia pro virtutibus habituræ. Si quem verò diſertum, & pinguiorem Mineruam ac eruditam linguam fortitum, incultus ruſticanus, aut prolixior ſtylus huius operis, nulla ſuauitate aures mulcens, nec verborum declamatoria ſubtilitate frondeſcens, nec vernanti flore ſcintilans

tillans offendit, cogitet operationes donorum non apud vnum consistere, nec vni imbutas & applicatas esse, nec me tenuitatis arguant si in fragili vase meo lolium & steriles dominentur auenæ, longum & inconditum sermonẽ præsenti operi minimè competentem non proferem, præsertim cum scriptoribus illustribus & eruditis materiam scribendi magis videar præbuisse, quàm prærupisse, in qua maiori cum laude & dicendi copia poterunt versari, exquisitiorem pollitioremque illam suo ingenio, sua industria redditurj. Vt potè, qui celeritate ingenij, ex paucis norunt multa colligere. Vellem quidem ego esse breuiloquus. Sed rei gestæ longa series, si paucis deprompta fuerit, insipida est, nec aliquam legenti, nisi illam scrupulosa descriptione detexeris, illustraueris, depinxeris, præstat voluptatem. Succurrit quoque nonnullas res silentio absoluere, quàm transcurrere ieiuna & truncata descriptione. Sed nec quempiam puto adeò stolidum, & rerum ignarum, qui se aut cæteros, qui pro summis scriptoribus habiti sunt, credat singula eo pondere, ea dicendi facundia limasse, vt nullus illic interuenerit error aut labes, id enim soli reseruatum nouimus diuinitati. Nihil enim vetat credi posse, quòd tamen possibile est, siue sic, siue aliter accidere potuisse, sed & labi in multis humanæ fragilitatis est, in omnibus iuxta habere perfectionem diuinum est. Nam si Demosthenes fumus & eloquentissimus vir apud Græcos, interdum Ciceronis aures offendit: Si Homerus scribitur nonnunquam dormitare, & operi longo fas est obrepere somnũ. Si Ciceronem in Carmine eloquẽtia deseruit: quid putandum est mihi contingere, posse homini mediocri, & parum erudito è quẽ pedestri, & quotidiano calle curentem, fas non est cum priscis, sed tantummodo cum ætatis meæ scriptoribus conferri, neque magnorum virorum ingenijs, sed meis tantummodo viribus æstimari. Et quanquam opus præsens primarium sibi Oratorẽ depoſcat, & longè scriptorem alium quam qui ego esse poterim dicendi & scribendi peritum, ditius quoque ingenium, & sermonis suppellectilem magis, quàm quæ mihi conueniat locupletem sortitum, cui & amplior vbertas sermonis, & feracior contigit libertas ingenij, ne ieiunus sermo eximijs videatur derogasse præconijs. Ego tamen tarditatem meam, ea quæ ex alto dabitur, diligentia compensatum iri conabor, & quo minus possum ingenio, eò magis mihi & ignorantiæ meæ ignoſci posse confido. Verùm quemadmodum priscorum respectu, mutus mihi & elinguis videor, ita in modernorum non Balbus, satq; erit priscorum, ingenia, quæ exprimere siccum meum & aridum ingeniolum prohibet, colere saltem & mirari. Maior fateor extat operis huius amplitudo, quam vel ætate mea percenseri, vel ingenio hebeti possit comprehendi, eum virum exposcens, qui & in oratoria excellat, & multarum artium peritiam habeat, & cui acre, celerrimum, atque argutum ingenium cotigisset, Herculeo robori magis quàm meo conueniens. Si igitur minus ornatè atq; grauiter, quã vel rei assumptæ grauitas aut dignitas, vel legentium expectatio exigit, opus præsens impleuero, id imputetur partim inscitiæ meæ, partim rerum magnitudini,

gnitudini, quas pertracto tribuatur errori iusta venia, qui imperfectus perfectum non poteram texere opus. Non enim tantummodo nostra, sed & priscorũ ætas à me describenda, quæ plena est egregijs gestis, plena pulchrorum varietate factorum, plena & illustrium Virorum casibus, & multifariorum exemplorum sarcinis adeò grauida onerosaq;, vt rarus tanta dicẽdi facultate redundet, tàm nitido & perspicaci ingenio polleat, qui non aliquando patriæ nostræ seditiones, factiones varias, transmutationes & exterminia descripturus arescat & balbuciat. Si qua igitur in re lector offensus fuerit, veniam precor dare velit, vel ignorantiæ, vel verbositati, sit quæso pronior ad indulgentiam, quàm ad reprehensionem. Et hoc à me rogatus obseruet, vt quod minus benè, minus accuratè, aut legitimè scriptum animaduertet; benignè emendet. Ego enim ingenuè profiteor, & debilius me scripsisse, & hebetius dictitasse, quam rerum maiestas & pondus requirebat. Ex eo autem præcipuè veniam datum iri opinor infantiæ meæ, quod alijs doctis & eruditis viris silentibus, prior ad scribendum consurrrexi, malens aliquid parum culte, parumq; concinnè, quã nihil scripsisse. Quod si cætera displicebunt, affectio certe mea & pietas non poterunt in patriam culpari. Satis insuper mihi erit, si laudem non merui, contemptum apud proprios effugisse, & non dicendi peritis, & à literarum sapore ieiunis, satisfeciſſe. Quicquid enim ingenium meum præstare potuit in præsens opus ad patriæ ornamentum conieci. Neq; enim, quia multa dare non potui, manum ex toto à labore retrahere licitum putaui. Vnusquisque enim tantum patriæ debet, quantum ingenij sui vires valent exoluere: externus putandus, qui illam aliquo munere non extulerit, non adiuuerit. Exigebas autem Reuerendissime Pater iure tuo, à me illustrandæ patriæ causa vt res gestas superiores, & præsentes stylo meo literis mandarem, astruens non mediocrem me Reipublicæ nostræ allaturum profectum, si præsentibus vetera coniugerem, ex vtrisq; corpus perpetuæ Historiæ compacturus. Ego itaq;, & si cæteris Historiographis ingenio studio, & doctrina posthabendus sum, nec vlla ratione illis conferendus, iussione tamen tua & auctoritate fretus, opus arduum & ingens obedienter aggressus sum, singulis Poloniæ proceribus, satrapis, optimatibus, & Almanis summo solatio & vsui illud fore arbitratus. In quibus si quid inconcinnius offenderint scriptum imperiti ingenij arrogantiæ non imputent, sed primum charitati profundæ in patriam, deinde tuæ, cui recalcitrare nefas putaueram, iussioni, amori tuo in me, & officio respondurus. Vera autem potius quàm speciosa vetustissima nouis accumulans, vera de veris, aut proxima veris, quæ ad cautellam, memoriam, & gestorum noticiam expedire videantur exacturus. Cum conscriptorem omnia deceat veritati postponere. Nonnulla Historijs & Annalibus Polonorum parum concinnè, parumq; pudicè, & quæ fastidium exagitant inserta, fabularum ineptias redolentia perosus, Poëticis magis figmentis decora, quàm sinceræ

Historiarũ

Hiſtoriarum traditioni conſentanea præcidi repudiauiq́ue, ne vas purum & fidele, iuxta quoq́ue vetus prouerbium oleum ſimul & operam perditurus, infectum incruſtatumquè ex modico fermẽto iri contingat. Quoniam neq; vetuſtiori tempore, nec auorum autoritate ab euidenti figmento apud rerum & Hiſtoriarum peritos poterant licite defendi. Cætera verò etſi vera aut veris ſimilia putentur, non tamen ea ſic affirmare auſim, vt veri periculum mihi & in meum caput aſſumam, & editionis huius aſſertio ex fide liberetur mea, tùm quòd res vetuſtæ & abolitæ coniecturis illuſtrare, & opinionibus nequirent: tum quia nimia vetuſtate res ſcribendæ, obſcuratæ ſunt, & longioris æui ſpatio repelli ne an acceptari debeant dinoſci ad liquidum non poſſunt, tamen quod raræ, ſub ijſdem temporibus apud Polonos ac pænè nullæ fuerẽ literæ, vna omnium operum atq; euentuũ humanorum fides, induſtria, & ſi quæ in priuatis aut publicis fuerẽ monimentis, ea crebris, Polonis ea tempeſtate ferè omnes ædes & arces ſuas ex ligno fabricãtibus periere incendijs. Quæ verò diligentiori fuerunt in noſtram ætatẽ traducta cuſtodia, pauca fuerẽ, & hæc ipſa nodoſa & truncata, ex quibus per nos prorogari ad liquidum vetuſtatis memoria non poterit. Perdifficile ſiquidem & laborioſum nimis videtur Hiſtoriæ veritatem complecti ad ſolidum, quum res geſtas poſsibile non ſit vniuerſas ſcribentem vidiſſe, quas aliorum narratio, gratia aut odio acta peruertit ſæpenumero atque corrumpit, nec determinat ſed inuoluit. Omnium tamen difficultatum, nulla difficilior in rebus geſtis perſcribendis quam offenſionem, calumniam, & lapſum effugere, & omnibus, & ſatisfacere, & placere poſſe. Rerum preſertim & eorum qui eas geſſerunt conſiliorum ignarum, de quibus plus quàm difficile eſt propter euentus iudicare. Cùm etiam hi qui ſpectando adſunt aliter atq; aliter ſæpenumero, vt ferè vſu euenit referunt, ſed & verba rebus, res temporibus contemperare, & de ſingulis, quæ in diuerſis, & plurimum à ſe porrectis regionibus & ætatibus acciderunt, iuſto & modeſto primum, & tandem culto, atq; elaborato calamo exarare, & in opus deducere, eſt hominis ſolidas vires, & perſpicax ingenium, tenatiſsimamquè memoriam habentis, cuius ego, non modo qualificationem, conditionemq́ue, ſed nec ſimulachrum, vmbramq́ue profiteor me ſortitum. Si quis verò ob id me carpendum putet, quod non ſolùm Polonorum res geſtas perſcripſerim, ſed etiam Bohemorum, Hungarorum, Rutenorum, Prutenorum, Saxonum, Lituanorum, Romanorum inſuper Pontificum atquè Imperatorum, & Regum, à multis ignoratas attigerem, ſciat me conſultò & veritatis facibus impulſum id egiſſe. Quoniam & regiones ipſæ plurima aut fœdera, aut bella cum Polonis, tùm propter conformitatem linguæ, tùm propter vicinitatem regionum, propinquitatemq́ue habuêre, adeò vt pleriſq; temporibus vnius Principis regerentur imperio. Cum enim POLONICIS rebus plura cohæreant

externa,

externa, non indecorum viſum, ea in ſcribendo non arrogantia, neq; enim vires meas ignoro, ſed ne ignorentur etiam à noſtris attigiſſe. Vnde eam ob rem, cano iam capite, ad perdiſcendas literas Rutenas me ipſum appuleram, quatenus Hiſtoriæ noſtræ ſeries certior redderetur. Romanos quoq́ue Pontifices aut Reges, eorumq; exceſſus & tempora ob multos reſpectus inſeruimus, quod & venuſtet, perficiatq́ue opus, & ratio annorum Summorum Pontificum præſtet veritatè iucundius cumulatiuſq́ue legentibus. Diſcordia autem, ſcriptorum plerumq́ue lenitate & negligentia offenſus, ſequutus ſum in relationibus & rebus ambiguis, qua me vel ſimilitudo rerum, vel ſcribentium autoritas, vel opinio traxit vulgatior. Vt autem legentibus Annales hos rerum geſtarum, firmior credulitas, minorq; ſuſpicio occurrat, plures Epiſtolas & contractus præſenti operi inſerui, quo ex ipſa varietatè opus firmitatem contrahat, & ſtudioſos curioſoſq́ue rerum in lectura amæna diuerticula prouocet, afficiat, & inuitent, plus voluptatis, quàm moleſtiæ lectoribus quod ſpero allaturum. Opus deniq; præſens viris doctis & eruditis, ſcriptoribuſq; illuſtribus & ſignanter parenti meæ Almæ vniuerſitate Cracouienſi iuuandum, corrigendum & emendandũ permitto, pro ſingulari gratia habiturus, ſi quis errata mea præmiſſa aut minus prudẽter & inconcinnè ſcripta doctrinæ ſuæ ventilabra in frugem vlterioris ſementis verterit, tranſtulerit, adiuuerit, erexerit, & imperfectum inornatumq; ſua incude poliuerit ornaueritq;. Ad quod omnes viros doctos, induſtrios, diſertos, dicendiq; & rerum peritos exhortor & inuito. Quicquid enim à me indoctè inconcinnè, fictè, contumelioſè, prauè, inconditè, & incautè ſcriptum eſt, id pro non ſcripto & non dicto haberi velim, gratulaturus, ſi errata mea quis improbando correxerit. Neq; enim me ipſum adeò amaui, vt meo latente errore, alios errare velim. Neminem mortalium adeò peritum ratus exiſtere, per quem plenus, purus, & elucubratus, nullum vitium redolens, poſſet condi ſtylus. Veniam à ſingulis mihi datam depoſcens, ſi in hoc opere maiora viribus meis tentauerim, & ſermonem inconcinnum quandoq; nonnunquam abortiuum protulerim, ſciens & profitens iuxta ſententiam Senecæ, neminem eſſe tàm circumſpectum ac induſtrium cuius non diligentia aliquando ſibi ipſa excidat, neminem tàm maturum, cuius grauitas in aliquem lapſa caſum impingat; neminem tàm timidum offenſarum, qui non in illas dùm vitat, incidat. Atq; ſub hoc reſpectu illo ante omnia depulſo periculo, mea quoq; ſterilis mens, & parum argutus ſermo culpetur, implorato Spiritus Sancti ſuffragio confidentius ad initiandum opus deſtinatum accedo, ſperans clementiam Diuinam, hebetudinem & in perfectionem meam ſuppleturam.

Diuisio Operis istius in Libros Duodecim, & quid vno quoque libro continuatur.

PRIMVS. Sclauorum genus, & Polonorum ex his descendentiũ originem, & quæ apud illos sub gentilibus Principibus contigerunt.

SECVNDVS. Quo tempore Poloni à Dijs gentium, ad fidei Orthodoxæ leges conuersi sunt, & Regium consequuti Diadema.

TERTIVS. Quo ordine Polonicum Regnum instauratum sub Cazimiro Monacho, & collapsum sub Boleslao sit.

QVARTVS. Successionem Ducalẽ Wladislai & filij eius trophæa.

QVINTVS. Propter variam Principum pluralitatem scisuram.

SEXTVS. Ciuilium bellorum cladem refert.

SEPTIMVS. Sæuam Tartaricam vastationem, & Viri Beatissimi STANISLAI Canonizationem.

OCTAVVS. Diadematis Regij resumptionem à Premyslao maioris Poloniæ Duce innouatam.

NONVS Wladislai Loktek bella & Triumphos, & mutillationem enormem Regni Polonici à Bohemis & Cruciferis sub Cazimiro filio eius attentatam aperiet.

DECIMVS. & VNDECIMVS. Externorum Regum successionem.

DVODECIMVS. Euentus bellorum quæ populus Polonicus cũ Bohemis, Almanis, Turcis, pro fide & pro recuperanda patria, sub duobus Regibus Wladislao & Cazimiro, gessit, monstrabit.

HISTORIA POLONICA
IOANNIS DLVGOSCII
SEV LONGINI
CANONICI CRACOVIEN.
In Tres Tomos digesta.

TOMI PRIMI

LIBER PRIMVS.

Quomodo post diluuium generale circa ædificationem turris Babylon, vna lingua Hebream à creatione mundi vsque in illa tempora durantem, Deus Opt. Max. in Septuaginta & duas linguas diuiserit: Et qua ratione posterius Noe ob varietatem linguarum, tandemque dissidiorum sublatis tãdem rixis inter easdem partes mundi, nempe Asiam, Africam, & Europam, (quarũ etiã fines describuntur) impleuerit.

HOMINEM CONDITVM IN IPSA SVI CREatione & fabrica, in puritate, ac innocentia in primo nostro parente conditum Adam, quem alterum post se præsidem Deus, si tantum modo voci Plasmatoris potius quàm suasoris obedisset, facere disponebat, quem ad propriam formauerat imaginem ab Angelis paulò minus imminutum, nobilissimum inter creaturas, & creaturis ipsis dominaturum pro libito: infundens illi animam rationalem praua à bonis discreturam,

dùm primum contra præceptum Dominicum pomo ligni vetiti prægustato, à paradisi gaudijs in terram spinis & tribulis obsitam, eiectum est, in sudore vultus, & amaritudine doloris pane vesciturum. Deinde dùm se temporis successu fædis libidinibus coinquinasset depravasset q; , iniusta licentia iustam punitionem exigens, vagum & profugum in terra miseriæ oberrans aquis diluuij (octo tantummodo animabus ad substituendam fidei originem,& operum meritò reseruatis) diuinitas delictis prouocata humanis deleuisset. Tandē propitiante Deo, sedato κατακλυσμῳ vehementer germinans in similem prævaricationem, quam sibi Adam, & posteritati suæ in paradiso contexuerat, antiqui hostis suggerente versutia, casurum pari ceperat in Deum transgressione grassari, & communi deliberatione, communiq; sumptu & labore. Ducentesimo Primo Anno post diluuium Nemrod, Gigante Filio Thanan, autore & suasore inter Nubiam & Ægiptum negatam immortalitatem, vel potius Primorum parentum transgressio ne perditam, arte se recuperaturum, & breuissimū vitæ spatiū, quod Deus indulserat protelaturum se existimans, Turrim Babylon in sublime ædificandam, coctis latere, vice cæmenti, & arenæ interstrato, atq; interlito bitumine, quod ora illa passim è terra gignit, volens æquiparari altissimo, constituit. Cuius crassitudo fundamenti trecentorum passuum erat, vt opus erigendum, quod sensim artabatur solidius consisteret: quatenus altitudine eius & robore omni pauore remoto aduersus quoslibet casus tutum & securum de cætero consistere valeret, & tam vndarum allusionem, quam reliqua Dei contra se ferenda prohiberet & arceret edicta proprio arbitrio absq; subiectione, & qualibet lege victurum. Misericordem autem se Deus filijs Adæ, prout pollicitus fuerat, demonstrans, præsumptæ quidem temeritatis & superbiæ, scelus ædificantium, turrim irruptione diluuiali, ne vniuersa obduceret absumeretq; iuxta fœdus quod pepigerat punire distulit : ne tamen amplius serperent conatus improbi vni Hæbream, quam vniuersi sonare, & intelligere consueuerant linguam, & quæ sola tunc in vsu erat ab Adam vsq; in illa tempora deriuatam, in duas & septuaginta superbam mentem sermonemq; constructuentium confusurus, opusq; turris, quod aliquantulum creuerat exterminaturis, diuisit, Noe siquidem generatio in Chaldea & Damasci Syria, ac maiori Armenia siue Assyria in qua Niniue sita est, sedes suas atque habitacula posuerat. Cæteræ regiones Asiæ, Africæ, atq; Europæ nullæ hominum frequentatione aut populatione cultæ, feris, tantummodò & auibus plenè vastam solitudinem retinebant, donec primordia nostræ originis superbia confundente vnitatem simplicium linguarum diuisio separauit. Ex qua & in moribus, conuictibus, animis, gestibus, legibus, iudicijs, cæremonijs, ritibus, diuersitas, varietasq; sequuta est. Propter quam odijs magis, quàm linguis dissidentes, ad quærendas nouas sedes, populandasq; nouas terras discessêre. Et filijs quidē Sem in viginti duas linguas diuisis. Filijs verò Cham

in tres

in tres & triginta, Africam occupantibus. à filijs Iaphet decem & septem linguas sortitis, Europa vniuersa in hæreditatem sempiternam accepta est. A flumine autem Tanai, quem Poloni sua lingua Don vocant, Tartari Edil, Europa sumens principium, hinc Thyrreno, inde Septemtrionali & Gaditano Oceano terminatur. Ex Ripheis autem montibus Thanais origens, adeò præcipiti cursu ruit, vt cum vicina omnia Mæotis,& Bosphorus frequenter solidentur in glacies, solus ex confractuosis montibus euaporans nunquam Scythico algore indurescit, Africæ & Europæ alteram partem concludens, alteram inijcians, famosus limes. Fretum enim Gaditanum in finibus Celtiberiæ à Gadibus Herculeis nuncupationē sumēs alterum terminum præstat. Inde Oceanus septemtrionalis, qui versus septemtrionem aliquando Sarmaticum nominatur Mare, quod in littoribus suis Sarmatæ siue Poloni regiones & vrbes possideant. Ex quibus sunt illæ duæ magis insignes Lubik, quæ Polonicæ Bukowiec vocitatur, & Gdañsk à Polonis populatæ. Plurimas insulas in se tenens, Scandiam, Angliam, Scotiam, Hyberniam, & alias minores. Ab ijsdem Gadibus versus Meridiem Thyrrenum mare cum insulis quæ Thyrreni littore includuntur, videlicet Maiorica, Minorica, Enica, frumentaria, Corsica, Sardinia, Sicilia, Mitilenæ, Venetiæ, Cretha donec ad Mæothim paludem peruenitur. Bizantium insuper siue Constantinopolis Vrbs in Europa sita est. Hos itaq; omnes terminos, & vsq; ad Gadizam, quæ cum Pella includit Decapolim Septem Filij Iaphet, videlicet Gomer, Magog, Madai, Iauan, Tubal, Mosoch, & Thiras vel alias Thorias in cognominibus linguis & familijs suis possederunt, Porro tres filij Gomer. Primus Ascenar, à quo Sarmatæ seu Sauromatæ, quos Græci Reginos vocant, ex quibus processerunt Calabri, Siculi, Appuli, & Latini, qui Latium habitant. Secundus Riphat à quo Paphlagones, qui Paphlagonia contigua Gallatiæ in Italiam transuecti Eneti vocati sunt, à quibus VENETI Ligures & Aemilij processerunt. Tertius Thogor, à quo Phrigij, qui terram suam Phrigiam appellarunt. Quatuor Filij Iauan, quorum Primus Elisa, à quo Græci qui Eulides dicuntur. Secundus Tharsis, à quo Cilices, qui Ciliciam habitarunt, quorum Metropolis Tharsus. Tertius Cetim, à quo Cetisme Cyprij, & secundum hoc Cyprus Filius Iaphet non Filius Sem prouenit, quorum insula Cyprus dicitur. Quartus Dodanin, à quo Rhodij. quorum Rhodus ciuitas dicitur. De Gomer Filio Iaphet Gallatæ qui Latine Gallogræci dicuntur. Olim enim Senones Galli quandam partem Græciæ inuadentes à Gallis & Græcis Gallogræciam appellarunt. De Madai Mædi, à quibus Mædia nomen sumsit. De Iauan Iones, qui & Græci, à quibus Ionium mare, ex quibus Græci qui Troiam & fines eius habitarunt, processerunt. Qua destructa Priamus & Antenor Venetias nauigio peruenerunt : ex quibus Antenore mortuo, & Paduæ sepulto Priamus cum comitibus Germani-

 am occu.

am occupauit, & ab ipso, & Antenore Germano Germania fuit dicta, quæ nunc à Teutos, qui est Mercurius Teutonia vocatur. à Latinis autem Alemania dicitur, à Lemano fluuio. Quæ has continet Regiones, Lotharingiam, seu Brabantiam, Vestphaliam, Frisiam, Thuringiam, Saxoniam, Sueuiam, Bauariam, Franconiam. Et inde Gallias irrumpentes à fractione patriæ, & eorum ferocitate Francia fuit dicta, simili quoque nauigio ex Troia Britus aduenies, eam Prouinciam quæ nunc Anglia dicitur, à suo nomine Britanniam nominauit. A qua etiam olim Siluania, nunc citra mare minor Britannia vocatur. De Mosoch Filio Iaphet Cappadoces quorum Metropolis Masaca, quam Tiberius Cæsar à suo nomine Cæsaream appellauit, Tyras, à quo Traces, quasi Tyraces à nomine Patris sui terram à se populatam Tratiam vocauerunt. Sextus Filius Iaphet Thubal, à qua Hiberi, qui & Hispani processerunt, qui primo Cetubeles sunt vocati, quasi Cætus Tubal. Et attendentes stellam quæ ibi tarde occultatur post occasum, stellam Hesperum & patriam à stellæ nomine Hesperiam vocauerunt. Pagis autem & vicis circa fluuium, qui nunc Iberus dicitur constructis, qui prius Cetubeles ab Iberio tandem fluuio corrupto vocabulo Celtiberos se vocauerunt, & regionem à se possessam vocauerunt, quæ Oceano & Thyrreno Ibero, & Pireneis montibus terminatur, Celtiberiam appellarunt, quæ postea ab Hispano in ea dominante Hispaniæ denominationem accepit. Septimus Filius Iaphet Magog, à quo Scytæ, qui & Masagetæ appellantur Gotti, Sueui, Alani, Hunni. Hi sunt filij Iaphet, filij Noe, filij Lamech. Primus autem homo de genere Iaphet venit ad Europam Alanus nomine cum tribus filijs suis, quorum nomina sunt hæc. Isicon, Armenon, Negno. Isicon autem habuit quatuor filios, quorum nomina sunt hæc, Francus, Romanus, Momaurus, & Britto, a quo primum Britannia dicta & habita est. Secundus autem filius Alani, Armenon, habuit quinq; filios. Hi sunt. Sochus, Valgotus, Cebidus, Burgundus, Longobardus. Tertius autem filius Alani, scilicet, Negno habuit quatuor filios, quorum nomina sunt hæc, Vandalus, à quo Vandali dicti sunt, qui nunc Poloni dicuntur, qui etiam nomine suo fluuium, qui nunc Wissá, aliâs Vistula vulgariter nuncupatur. Vandalum censuit appellari. Secundus filius Negnonis, Targus. Tertius Saxo. Quartus Bogorus. Sic igitur ab Isicone primogenito Alani orti sunt Franci Romani, & cæteri Latini & Alemani. A secundo filio Alani orti sunt GOTI & Longobardi. A Negnone autē Tertio filio gentes diuersæ sunt per totam Europā, videlicet tota Russia vsq; ad orientē, Polonia maxima terrarū: Pomerania, Cassubia, Suecia, Sarnia, quæ nunc Saxonia dicitur, & Noruegia. A filio Negnonis Tertio qui Saxo vocabatur Bohemia & Morauia, Styria, Carinthia, Carniola, quæ nunc Dalmatia dicitur, Lisna, Croatia, Seruia, Pannonia, Bulgaria, Elisza. Itaque Negno omnium Sclauorum parens egressus de campo Sennar, transita

Chaldæa,

Chaldæa, Græciaq; circa Ponticū mare, & fluuiū Istrū, quē & Danubiū vocitamus, (qui Germanicis iugis ortus, montem qui Rauracus vocatur latè effusus, omnē Europā emetitur, sumpto ex cellis initio, quadraginta amnes ferè omnes nauigabiles in se recipiens, latū spaciū itinere terreno conficiens in Euxinū mare, quod vulgari vocabulo Pontus appellatur ab Euxino fluuio, qui in eū fluit, vt quibusdā placet denominatū, cùm antea vocaretur Axenū septē hostijs Pontū influit, quorum quatuor adeò grandia sunt, vt per Sexaginta millia passuum non misceantur æquori, suaueq; haustus amaritudine freti, natiuum & incorruptum saporem retinentes in tam protenso cursu non vincuntur) cum filijs cognationibus, & familijs suis consedit, & primum Pannoniam primam & veterem Slauorū sedem, parentem & Alumnam, quæ nunc Hungariæ, Longobardis Slauos inde pellentibus, Deinde Hunnis de ea contendentibus sortita est vocabulum. Inde Bulgariam, Dalmatiam, siue Messiam, Serbiam, Caruatiam, Bosnam, Rasciam, Carinthiam, & Illiricum, cæteroq; illarum orarum, & Adriatici Ionij Ægeiq; maris tractus & insulas succession Nepotū populauit Græcis, ab oriente & meridie Latinis & Italicis, Teutonicis ab occidente conterminans, in quo & felicitas generis Slauonici, quod tàm optimas terras sortiti sunt notari potest. Nullæ enim terræ orbis præter Indiam, quam hæ à Slauis primum possessæ, aurum, argentum, sal, ferrum, cuprum, & cætera metalla, quæ mortales prima ducunt, feracius noscuntur producere. Et equidem amplior in Deum præuaricatio, quàm illud ejciendum ob scelera decernens Hunnis, Turcis, & alijs nationibus, tàm diues & opulentum solum possidendum concessit, furoris sui magnitudinem in eo potissimum ostendens, quod & rabiem barbaricam in Slauos sæuire, & ex sedibus originalibus migrare permiserit. Maxima siquidem & grandia generi Slauonico propitiatio diuina contulerat, perpetua apud nationem ipsam mansura, si illius legitima atq; iusta scrupulosiori cura seruauisset, sed legē Dei multiplici enormitate excessuum præuaricantibus omnia erepta, atq; in alias gentes & nationes inuecta sunt. Prouinciarum autem quas Danubius à Barbarico ad mediterraneum mare secludit. Prima est Missia siue Messia, à messium prouentu vocata, vnde & eam veteres cereris horreum nuncupabant. Hæc à modernis Bulgaria appellatur, ab Euro Traciæ, à meridiæ Macedoniæ, ab occasu Histriæ iuncta.

EGRESSVS LECH ET CZECH FRATRES DE PANNONIIS VICINAS TERRAS PETVNT, CZECH BOHEMIAM FRATRE LECH CONCEDENTE apprehendit, & Pragam atq; Wielograd Ciuitates erigit.

PAnnoniorum Regnis propriorum & aduenarum habitatione coalescentibus, vrbibusq; nonnullis, & colonijs crebris in illis constructis, primum discordiarum & odiorum fomes, deinde apertarum guerarum &

cladium

cladium fragor inter Iaphet nepotes pro terminis terrarum, colonarum & Vrbium ſubortus ciuili & fraterno ſanguine, aliquoties prælijs commiſſis terram fædauit. In eam etenim ſummam numerumq; concreuerant, vt eis Regna, quæ poſſederant anguſta viderentur. Duo itaq; filij Iani Nepotis Iaphet, Lech & Czech, quibus Dalmatia, Serbia, Slauonia, Caruatia, & Boſna contigerant, & præſentium, & futurarum colliſionum, diſcrimen & pericula vitaturi pari & concordi voce & deliberatione, originario ſolo relicto, nouas ſedes quærendas populandaſq; decreuerunt, & cæteris quidem fratribus in Pannonijs remanentibus ipſi cum omnibus colonijs, familijs, & ſubſtantijs, quæ ditionis eorum erant, ex Slauonia, Serbia, Caruatia, Boſna, & ex Caſtro Pſari in altiſsima rupe (quam fluuius Gui Slauoniam, Caruatiam diſterminans aluit) ſito, cuius etiam hactenus non nulli aſpiciunt priſcam Magnificentiam, teſtante ruina, & eius vetuſtam nuncupationem villagium Pſari, ſub loco arcis ſitum in eadem die retinet, in quo Principum præfatorum Lech & Czech familiarior, peculiariorq; habitandi, & illic ſubditis iura reddendi eſſe vſus conſueuerat. Egreſſi vicinas & proximas terras verſus Occidentem (Sciebant enim Orientem cæteris nationibus refertum eſſe) petierunt. Oram autem quam Morauia, Egra, Albia, Multania alunt, perambulando glebam eius animaduertentes fæcundam, & aquis, paſcuiſq; irriguam, nil tamen præter vaſtam ſolitudinem habentem culti ſoli, Iunior natu Czech eam ſibi à Germano Lech natu maiori multifarijs precibus obtinuit in perpetuam, & hæreditariam ſortem, & poſſeſſionem relinqui. Cùm enim longo tempore in locis illis, & ſignanter in monte, qui lingua eorum Rzip vocabatur inter Albiam, Multaniam, & Egram poſitum, ſtatiua communia habuiſſent, ſoli fæcunditas & cælestis auræ temperies, valliumq; & montium crebri ſinus adeò alterum Principem, ſuaſq; colonias, & familias cæperat, deuinxeratque, vt cæteris neglectis & abdicatis hanc ſibi ſedem, & poſteritati ſufficere arbitraretur. Fratre autem altero Principe Lech precibus ſuis condeſcendente, duas ſedes ponit, duaſq; vrbes condit, Vnam ad Ripas Multanæ fluminis, quam Pragam ſui linguagij intitulauit vocabulo. Alteram ad fluentam fluuij Morauæ, & hanc Wielegrad nominauit, in colonias quoq; terra diſtributa plures vicos & rura conſtruxit, terraq; vniuerſa ab eo ſortita cognomine etiam in præſens Czeſka vocatur, licet latina lingua, quæ Slauonicum nomen proportionaliter ſonare non potuit, quod Slaui Deum eorum lingua Boh vocitant, eam Bohemiam appellant. Ea quoq; pars terræ, quam Moraua fluuius circumfluit, è nemoribus & ſiluis pleraſq; planicies virides & graminoſas mericas in ſe habentibus, aliam appellationem videlicet Morauia vſurpauerit, Bohemiæ longitudinem latitudinemq; parem aſſerunt habere, in coronæ rotunditatem formatam ſilua vniuerſam ambit, quam veteres Herciniam vocauere, à Græcis & Latinis ſcriptoribus

nomina-

nominata amnibus & ipſa irrigua inter quos Alba ſeu Laba ex montibus, qui Bohemiam Morauiamq; diſterminant, oriens mediam Prouinciam prolabitur, qui Poloniæ, ſiue Sarmatiæ Europæ, & Germaniæ limites fecit, Item Multana inſigniores cenſentur. Multana autem circa Metropolim Pragam decurrit. Medius Ponte lapideo quatuordecem fornices habente commiſſus, Brunnam verò fluuius Ruda interfluit.

LECH INGREDITVR IN POLONIAM, ET IN EA CONSEDIT, CVIVS NATVRA ET FAECVNDITAS RECENSETVR ET QVIBVS Regionibus ſit contermina.

LECH itaq; iuniori fratri valedicens, cum colonis, familijs, ſarciniſq; ſuis, & omni ſubſtantia ab eo digreſſus ſuperatis montibus & ſaltibus, qui nomine vetuſto Hercinij vocantur, Poloniam & Bohemiam ambientibus regionem latiſſimam ſiluis nemoribus, & boris vaſtam ſolitidinibus & deſertis, & quibuſdam perpetuis pænè ſeptam, pluribus fluminibus torrentibus, & aquis irriguam glebam quidem bonam habentem, ſed cuius fęcunditas niſi ſtercore aleretur, diuturno conſiſtere non poteſt, gelubus tamen & frigore rigentem extra ſeptimum & vltimum Clima ſitam reperiens in ea conſedit, eamq; ſibi & ſuæ poſteritati hæreditandam & poſſidendam primus cæpit, quippe animantia & germinantia omnino patientius & tolerabilius ad ſummum frigoris, quàm ad ſummum caloris accedunt. Quapropter Europæ Regio, quamuis hyemali conſtricta rigore, cultior tamen eſt & amplior ſitu & populis, quàm Africa ſolis ardore torrida, quia & natura ſui plus habet ſpatij, & cæli clementia, incolarumq; prouidentia, frigus à ſe per ignes & focos arcentium minus deſerta. Regio Polonica fæcunda frugibus, amæna fructibus, delicioſa piſcibus, ſapida lacticinijs, clamoſa venationibus, copioſa armentis & gregibus, dulcis mellibus, commoda equis, referta alitibus, diues ferro, & plumbo glorioſa, cera craſſa, butiro, eſto quod in pleriſq; locis, abſciſa magis quam ſeparata, culturæ reſpondet fæcunditas, nemoroſa Regio, & ideò diues pecorum, & abundans lactis, herbifera. In pleriſq; locis ægrum atq; ieiunum ſolum, & natura ſterile nemoroſum, tamen & arboribus varij generis conſitum, aut pro aluearijs apum, aut paſcendo pecore congruum, nec vſquequaquè ocioſum, vini & olei propter aquilonarem Regionem, indigens, cereuiſia pro vino vtimur, quæ ex cerere, tritico, hordeo, aut ſiligine fit: Ager in pleriſq; locis craſſus, in alijs verò arenoſus, ſilueſtris, incultus, & infæcundus. Salus verò adeò grauida, vt ſales in illa plus extrahunt, quàm decoquant. Rigida niuibus, & lubrica glacie, aura & ventorum flatibus, ſalubris. Terræ motus, quos aliæ Regiones frequenter vſque

in ruinam & internecionem ciuitatum, & vicorum, & sciſuram Alpium patiuntur, & alluuionum niſi perrarò, & quaſi prodigioſo tempore prorſus ignara. Frumenta cuiuslibet generis in annos plures & tempora, abſq; omni læſione conſeruanda; quæ apud vicinam & finitimam Regionem Pannonicam, ſi Anni vnius ſpatium exceſſerint, in muſcas euadunt & vermes, Habet & ſulphureos montes parum tamen færaces & aluminoſos, ſed Balnea naturalia non nouit. [Magiſtratus & officia publica apud Polonos non annua ſunt, ſed ad vitam durantia, quam quidem illorum obſeruantiam, neminem ſenſatum ſatis probare crediderim. Annuis enim vicibus, mutare Magiſtratus Præſidum & Officialium, ſalus communis eſt, & quaſi quidam Reipnbl. neruus.] In qua & Principis exiſtimatio, quò obedientius & venerabilius illi paretur, ſi mutari poteſt, terribilior efficitur: aut contemptibilior redditur, ſi ei mutationis facultas præripitur, videmus euidentiſſimè incluſam, dùm nec inſolens ob inſolentiam ſequeſtrandus diutius cum pernicie aliorum manere permittitur, & alius moderatior illi ſuccedens, parem deſtitutionem veretur. Ab Aquilone Polonia Septemtrionalis, pars eſt Slauoniæ, quæ habet ab oriente Ruſsiam, ab Auſtro Hungariam, à Subſolano Morauiam, & Bohemiam, ab occidente Datiam & Saxoniam collaterales. Terminatur autem Polonorum Regio ad Aquilonem à Sarmatis, qui & GETÆ vocantur in Daciam & Saxoniam, à Tracia autem per Hungariam, ſiue verius Pannoniam hinc deſcendendo per Carinthiam in Bauariam. Ad Auſtrum verò iuxta mare mediterraneũ. ab Epiro deriuando per Dalmatiam, Caruatiam; & Hiſtriam finibus maris Adriatici definitur, vbi VENETIA & Aquilegia ſequeſtrantur.

FLVMINA POLONIÆ PRIMARIA SEPTEM, QVORVM NOMINA ET FONTES ORIGINARII ATQVE HOSTIA SVBNECTVNTVR.

SEptem præcipuis fluminibus, quæ Amnes quandoque, loca à ſe rigata, & circa quæ defluunt, amæna efficiunt, nuncupamus, quæ regionem ipſam circumfluunt, partim ex montibus cadentia, partim ex occultis viſceribus terræ erumpentia, & in Oceanum pluribus alijs fluminibus in eadem Regione conſurgentibus aucta & inflata decurrunt, nomina lingua ſua Sclauonica dedit. Vni quidem Wiſſa, quem authores, & Hiſtoriographi antiqui Viſtulam dicunt, nonnulli verò Vandalum, à Vandalo filio Negnonis primogenito Alani filij Iaphet, filij Noæ, pleriq; à Polonorum Duciſſa Vanda, quæ ob victoriam de Germanis relatam Dijs ſe deuoluens, in illum ſe dedit præcipitem. A nationibus quoque Orientalibus Polonis vicinis, ab aquæ candore, alba aqua. Eſto quod idem fluuius ſit denominationem quadruplicem ſortitus, rectius tamen Wiſſa nominatur, quaſi pendens, fons enim eius propè Oppidum Skoczow

Skoczow, ſupra villam Wſtronie in terra Teſchineñ de ſupercilio montis, qui vulgo dicitur Skałka, ex ſummo Sarmaticorum Alpium cacumine, magno vndarum & fragoſo ſtrepitu excurrens, antequam in ſubiectum recidat ſolum, pendenti magis, quam currenti ſimilis exiſtimatur. Per Cracouiam ciuitatem ſingulare totius Poloniæ decus, medius iam aliquibus ſuſceptis fluminibus validior effectus decurrit, apud Polonos celeberrimus. Maioré enim Polonici Regni irrigat Regionem, qui & ipſe inter Polonicales amnes Principatum facile ſortitus, longius enim quàm cætera flumina terreſtræ conficiens ſpatium, ab occidente in Orientem aliquantulum progreſſus; tandem in Septemtrionem flectit iter frequentioribus etiam fluminibus, qui in illum defluunt, quorum aliqua magis vulgata annotabimus, auctus, in tria oſtia ſe ſcindens. Quorum primum apud Ciuitatem Gdañſk, alterum apud villam Tepht, quod Hab, id eſt magnus lacus vocatur, Tertium apud Oppidum Elbląg, quod Mogat vocatur, in Oceanum Sarmaticum grandis deuoluitur, albo fluore & hauſtu ſalubris. Piſces Salmones & Eſoces, qui raris tantummodo & nobilibus contingunt amnibus; gignit. Plurima autem flumina ab occidente Auſtro & Septemtrione excipiens à ſui nominis denominatione non declinat. Odra alter, quaſi ſpolians eo, quod præcipiti curſu ſito ſpolia nemoribus & campis ſolitus eſt inferre, qui & ipſe à ſcriptoribus Latinis Guttalus, inſcribitur, cuius fons iuxta Oppidum Odry, oſtijs quatuor infunditur in magnam paludem, quorum primum apud Villam Swinia, quod in Polonico vulgari ſignificat Scropha. Secundum apud villam Dziwno, quod in Polonico idiomate ſonat mirabile. Tertium apud villam Pijana, quod in Polonica lingua ſonat ſpuma. Quartum apud Oppidum Volgoſch Euoluens autem ſe de lacu ſtricto alueo in Oceanum propè Oppidum Strzalsmith illabitur oceano ſiue Sarmatico mari. Tertius Wartha, quod ſignificat ſcrutinium, non enim vno eodemq; alueo contentus, ſed in plures diuiſus, & diſtractus, locis vicinis quaſi quædam ſcrutinia per aquas diffuſas inducit, cuius fons in terra Cracouienſi in vico ignobili Kromolow, qui circa caſtrum Santok fluuio Notes mixtus, & ipſius vocabulum appellatione propria amiſſa ſortitus flumen Odram circa Oppidum Czorſztyn ingreditur. Quartus Dnieſtr. Cuius fons in Sarmaticis montibus propè Caſtrum Sobien in terra Præmiſlieñ, oſtium in mare maius infra nigrum & album Caſtrum. Quintus Bug, cuius fons in palude in ſuperiori parte Caſtri & Oppidi Oleſko in Villa Kolczow, oſtia in flumine Narew inferius Drohiczyn. Sextus Niemen, cuius fons ex ſiluis & paludibus Oppidi Kopielow longo ſpatio terrarum confecto inter duos alueos propè Caſtrum & Oppidum Pruſſiæ Ragneth ſcinditur, & priore ac vetuſto nomine deinceps amiſſo fluuius vnius aluei, verſus Liuoniam decurrens cognominatur. Roſſa, alter

ad Prussiam spectans Lilia appellatur. Tandem diuerso meatu, ambo propè Castrum Memel in lacum magnum ex Oceano deriuatum se infundunt, qui adeò recuruis & indirectis ac sinuosis circumagitur fluoribus, vt qui in eo nauigant, integro die nauigatione exacta, ignem à foco hesternæ diei ex propinquitate loci propter aluei circulationem frequenter sumant. Septimus Niepr, hic in latino Drinus siue Boristenes appellatur. Cuius fons ex finibus Moscouiæ ex siluis Wiaśnia, ostia in lacu propè Oppidum Daszow. Lacus verò vtroq; flumine inflatus Oceano se miscet. Minorum etiam flumina, quorum à præfatis septem fluminibus præcipuis absorbuntur nomina subnectam.

IN ISTVLAM PRIMVM FLVVIVM HÆC FLVMINA à MERIDIE INFLVVNT.

PRIMVS autem fluuius Poloniæ siue Lechiæ Wissa alijs augetur fluminibus, quorum etsi aliqui commixtione aliquorum aliorum fluminum nomen amittant, digni tamen visi sunt, qui huic operi insererentur. Primo Biała, qui propè fontem Vistulæ ex Sarmaticis montibus oriens ostia habet propè Oppidum Zebrace. Item Sola, cuius fons in Sarmaticis montibus, ostia propè Oppidum Oświęćim. Item Raba, Cuius fons in Sarmaticis montibus oriens, ostia habet circa Oppidum Vśćie. Item Skawa, cuius fons in Sarmaticis montibus, ostia circa Villam Smolice. Hunc aliqui scripserunt ex inundatione ingenti, quæ ante annos Ducentos contigerat, quod ego ridiculum reor ortum esse. Item Dunaiec niger & albus, cuius vtriusq; fons in alpibus altissimis Hungariæ, quorum niualis semper vertex, qui Tatri à vulgo appellantur, ostia habet circa Oppidum Opatowiec. Item Losośina, cuius fons propè Oppidum Timbarg, ostia in Dunaiec propè Oppidum Oczchow. Item Vschow, cuius fons propè villam Łąki, ostia è regione villæ Przemakow. Item Poproth, cuius fons ex monte Pannonico Thatri propè Kucowna, & Filka villas. Qui longo itinere in Hungaria confecto per Sarmaticos montes alueo deriuato Dunaicowi inter veterem & nouam Sandec miscetur. Item altera Biała, cuius fons in Sarmaticis montibus propè villam Giebultow, ostia in Dunaiec propè villam Biała. Item Wisłoka, cuius fons in Sarmaticis montibus, ostia circa villam Zdakow. Item Brzeznica, cuius fons propè Oppidum Wielopole, ostia in Wisłokam, circa villam Kanczyc. Item Wisłok, cuius fons in montibus Sarmaticis, ostia in flumine Shan circa villam Trincza. Item Mlecka, cuius fons in silua propè Oppidnm Brzozow, ostia circa villam Gniewnica. Item Shan, cuius fons in montibus Sarmaticis ex monte qui dicitur Beskid, & planicie Huska Połonina vocata. Item Rogoznik maior & minor, vterq; ex Alpibus quas vocamus Thatri ortus, vterq; se

in fluuium

in fluuium Dunaiec vna cum fluuio Lipitnica, qui apud montem Obidowa oritur circa villam Ludomierz exoneratur. Item Wiar, cuius fons ex montibus Sarmaticis in monte Tribuch, ostium in flumine Shan circa villam Orsko. Hæc autem flumina omnia ex parte meridionalis Plagæ, & in eadem orta in fluuium Wissa, aut per se, aut cum alijs fluminibus illabuntur.

PAVCIORES PLAGA ORIENTALIS NON CONTEMNENDOS TAMEN MITTIT.

PRimus Wiślica, cuius fons circa villam Strzoza, ostia circa villam Rybitwy. Item Gielcow, cuius fons circa villam Borzaćin, ostia in flumine Wieprz, circa villam Siestrzenitow. Item Bystrzyca, cuius fons circa villam Chrzanow, ostia in flumine Wieprz, circa villam Blinow. Item Por, cuius fons propè villam Zawieprzyce, ostia in flumine Wieprz, circa villam Nawoz. Item Wieprz in Belzensi terra, cuius fons ex lacu Wieprzowe Ieśioro, propè villam Rogozno & Rachanie, ostia circa Oppidum Stęzyca. Item Ropa, cuius fons circa Oppidum Biecz, ex montibus Sarmaticis, ostia inferius Oppidum Iasło in Wisłoka. Item Iaśiel, cuius fons ex montibus Sarmaticis, circa villam Licowno, ostia in Wisłoka propè Castrum Golesch. Item Lada, cuius fons ex monte propè villam Chrzanow, & ostia in flumine Thanew duobus milliaribus à Krzeszow in borra. Item Thanew ex paludibus propè villam Dzikow, & ostia in flumine Shan inter Kupki & Krzeszow. Item Brnew, cuius fons in villa Brnew, ostia in Shan in villa Brennica. Item Biała, cuius fons in villa Godźieszow, ostia in Brnew circa venationes Turobineń. Item Sanna, cuius fons ex merica propè villam Wierzchowiska, ostia circa Oppidum Zawichost. Item Zapoth, cuius fons ex lacu Kolpithe, ostia in Thanew circa villam Lukowa. Item Zołkiew, cuius fons in villa Zołkiew, ostia in Wieprz, circa Krasnystaw. Item Wuluca, cuius fons circa villam Cyzow, ostia in Wieprz inter villam Lethycow & Dworzyska. Item Wieprzec, cuius fons in villa Wieprzec, ostia in Wieprz, circa villam Nielisch. Item Chodel, cuius fons circa villam N. ostia eius circa villam Dobro. Item Thysmienica, cuius fons ex villa Gozdnica propè Parcow, ostia in Wieprz propè villam Gorka.

A SEPTEMTRIONE AVTEM FLVMINA IN WISLAM CADENTIA SVNT ISTA.

PRimus Narew, cuius fons ex paludibus propè Oppidum Słonim, ostia circa Nowydwor in Mazouia atras ostendens vndas Vistlæ mixtus per longum spatium natiuum non deponit colorem. Eo vel maximè memorabilis, quod venenata eum non sustinent, sed quamprimum

attigerint

attigerint aquas eius, ſinguli ſerpentes qui ſe lignorum ſtrugibus per multa ſpatia applicati abdiderunt, ſibilo edito quaſi fatalem ſibi effugiunt. Quæ res non exteros ſolùm, ſed & indigenas ſui in admiratione tenere ſolet. Item Piſz, cuius fons ex lacu circa villam & Caſtrum Piſz, oſtia in flumine Narew, circa Oppidum Nowygrod. Item Lidinia, cuius fons circa Oppidum Ciechanow, oſtia in Warka penes Nowemiaſto. Item Smider, cuius fons ex ſiluis Czyſz & Mieńſk, oſtia in villa Wlera è Regione Ciuitatis Warſouień. Item Orzic, cuius fons ex ſiluis & paludibus propè Oppidum Nidborg, oſtia in flumine Narew, circa villam Magnuſzewo inferius Koſan. Item Płona, cuius fons circa Oppidum Płonſko, oſtia in flumine Wlera, circa villam Santocino. Item Wkra, cuius fons circa Oppidum Dźialdow, oſtia in flumine Narew, ſupra villam Nowydwor. Item Strkwa, cuius fons circa Oppidum Bielſko, oſtia circa Ciuitatem Płocko. Item Oſſa diuidens Polonorum terras à Prutenorum, cuius fons ex lacu prope Oppidum Radzin, oſtia non longè ab Oppido, & Caſtro Grudźiądz. Gadibus Boleſlai Chabri Polonorum Primi Regis, quas per ferream columnam in illo locauerat inſignis. Item Drwanca, cuius fons in villa Drwanca, oſtia circa Złotoria. Item Biedrza, cuius fons in paludibus & ſiluis Oppidi Tykoćin, oſtia in Narew, circa Oppidum Goniadz. Item Omołow, cuius fons ex paludibus circa Caſtrum Scythno, oſtia circa Oppidum Oſtrołęka. Item Renia, ex ſiluis Sulow, oſtia in Narew, circa Oppidum Sieraczec. Item Liwna, cuius fons ex lacu Bieſkrzyc, oſtia inferius Oppidum Kwidźin. Et hic ſolus ex fluuijs Pruſsiæ Wiſſam ingreditur.

AB OCCIDENTE VERO FLVVIVS WISLA HIS IRRIGATVR FLVMINIBVS.

PRimo vtroq; Przemſcha albo & nigro, albi fons in borra Oppidi Ogrodzeniec, nigri in ſiluis Trzyſemik, propè villam Rokitno, oſtia vtriuſq; (albus enim miſcetur nigro) circa villam Kopćiowice, è Regione Oppidi Oświęćim. Item Smierdźiaca, cuius fons in ſiluis Zaleśie propè Tenczyn, oſtia propè villam Smierdźiaca. Item Rudawa, cuius fons in villa Gierzmanowice, oſtia in Cracouienſi Ciuitate. Item Prądnik, cuius fontes in villa Suloſowa, oſtia infra Ciuitatem Cracouienſem. Item Dłubnia, cuius fons circa villam Iangrod, oſtia circa villam & Monaſteria Mogiła. Item Strzeniawa, cuius fons in villa Wierzchowiſko, oſtia circa Oppidum Koſzycki. Duo autem ij fluuij Dłubnia & Strzeniawa, quod nullis amnibus in Polonia ſubpetit ſolis feruore, aut hyemali conſtrictione non diminuuntur in alueis, ſed æquo retinentes tenore vndas, ſoli de ſiccitate & frigoris immenſitate non queruntur, ſoli ſupernos

ſuper nos imbres, & cœleſtes pluuias non requirunt, ſed naturali fæcunditate, diuites in fonte, æſtus & prugine intemperiem non horreſcunt. Item Brześnica, cuius fons in villa Sandek terræ Sieuierień, oſtia in nigrum Przemſcha, circa villam Pogonia. Item Niedzica, cuius fons in villa Zandowice, oſtia circa villam ſeu locum Lawy, terras Cracouienſem & Sandomirień diuidens. Item Nida, cuius fons in villa Moſkorzow conſurgens, per aliquale ſpatium fluens, ſubteraneum agit gurgitem, & tandem in borra villæ Dzierzkow Præpoſituræ Cracouienſis emergit, oſtia ab vtraq; parte Oppidi & Caſtri Nouæ Ciuitatis Korczyn propè villam Grotniki. Hic in aliquot paucis tamen locis Gneſnenſem & Cracouień Diœceſes diuidit. Item Schodnia, cuius fontes in villa Młyny & Stolkow, oſtia in flumine Czarna, propè Oppidum Połaniec, Item Koprzywnica, cuius fons circa Oppidum Lagow, oſtia circa villas Skotniki, & Krczyn. Item Lukawa, cuius fons circa villam Bukowiany, oſtia circa Stupca. Item Krempa, cuius fons ex paludibus villæ Rzeſzow, oſtia circa Oppidum Soliec. Item Kamiona, cuius fons in ſilua Nogi propè villam Odrowaz, oſtia circa villam Pawłowice. Item Morawica, cuius fons ex ſiluis Cierpielow villæ Włoſczowice, oſtia in Nidam in parte dextra inter Zerniki & Brzegi. Item Bobrza, cuius fons ex monte Bobrzyca propè villam Zagnowſko, oſtia in Nidam in parte leua inter Zerniki & Brzegi, qui & ipſe in aliquibus locis inter Crac. & Gneſneń Diœceſ. habetur pro limite. Item Ilza, cuius fons in ſiluis villarum Bieſzkow & Bzdow, oſtia in flumine Chodza, propè villam Oſuchow. Item Chodza, cuius fons circa villam Pakoſław, oſtia propè villam Ianowice. Item Radomierza, qui inter Cracouień & Gneſn. Diœceſ. limitem facit, cuius fons ex ſiluis villæ Babnow, oſtia propè Oppidum Ryczywoł. Item Pilca, cuius fons propè Caſtrum Pilca, à quo Caſtrum ſub quo oritur & ciuitas, quam præterfluit denominatur, Terram Siradień & Sandomirień in aliquibus locis diſterminans, oſtia circa villam Oſtrow. Item Drzewica, cuius fons in ſiluis villæ Peruſa; oſtia in Pilca, circa villam Dzierzazna. Item Pileczyca, cuius fons ex villis Kraſſocyn & Ludinia, oſtia in Pilca, circa villam Czemiątki. Item Lućieża, cuius fons propè Oppidum Roſprza, circa villam Bliſzyn, oſtia in Pilca in villa Barkowice. Item Wolborza, cuius fons in ſiluis Oppidi Tuſzyn, oſtia in Pilca propè villam Zawady. Item Moſzenica, cuius fons circa villam Strozbo, oſtia in Wolborze inferius Oppidum Wolborz. Item Bzura, cuius fons in villa Lagiewniki, propè Oppidum Zgierz, oſtia propè Oppidum Wyſſogrod, circa villam Kamion. Item Rawa, cuius ortus ex ſilua villæ Leſczyny, oſtia in Bzura ſuper villam Kozłow. Item Ieśiora, cuius fons in villa Oſuchow, oſtia circa Oppidum Czyrſko. Item Zgowiathka, cuius fons ex lacubus villarum Kamieniec, Chelmo, & Orlic, oſtia circa ciuitatem Wladiſlauień. Item

Woia, cuius fons ex lacu & villa Gadz, ostia circa Oppidum & Castrum Swiećie. Item Wierzyſza, cuius fons ex lacubus villarum Koſczerzyno, & Garść, ostia circa Oppidum Gniew in parte ſuperiori. Item Mothſawa, cuius fons circa Castrum Grabino ex palude circa villam Gothlant, ostia circa Ciuitatem Gdañſk. Item Radunia, cuius fons ex lacu Grabia & palude, ostia ab altera parte ciuitatis Gdañſk. Item Brda fluuius Pomeraniæ, cuius fons ex lacu Kranſko, in cuius vtero exortus in alterum lacum amplum dictum Lutomie ingreditur, ex quo ſe euoluens ſubintrat lacum ampliſſimum Charzykowny, vbi quaſi victor ſe extrahens aliquali ſpatio terræ confecto proprio alueo decurrens in Wiſſam propè Oppidum Fordan terræ Cuiauiæ, exoneratur. Item Mthawa, cuius fons ex lacu Mthawſko. Exoneratur autem in Wiſſam, propè Oppidum Nowe. Item Kamiona alius à priore, cuius fons ex lacu Slochow, ostia circa villam Ozedzno, ſupra Monaſterium Koronow, quod veteri nomine appellabatur Czyſzkowa. Et hic terram maioris Poloniæ & Crac. à Pomerania diuidit, & in terra Pomeraniæ villa Sobkow in Wladawa ex lacu Leba egreditur fluuius Leba deriuationem nominis à lacu trahens, cuius ostia in mare circa villam Giethnow in bonis Epiſcopatus Vladiſlauieñ Eccleſiæ.

ODRA SECVNDVS POLONORVM FLVVIVS, QVI ETIAM GVTTALVS DICITVR INFRASCRIPTOS ACCIPIT FLVVIOS.

PRimo Olſcham, qui in Sarmaticis montibus habet fontem circa Oppidum Iablonkow, ostia circa Oppidum Oderberg. Item Oſſoblokam, cuius fons ex Sarmaticis Alpibus in ſiluis dictis Gnuk Manthel, ostia circa Oppidum Chrapkowice. Item Niſam, cuius fons circa Oppidum Warckow, & villam vartha, ostia circa Oppidum Surgoſth. Item Waldapew, cuius fons circa villam Czynkow, ostia circa Monaſterium Sanctimonialium Præmonſtrateñ Ordinis Czarnowaz. Item Olawa, cuius fons circa villam Wilkowa, circa Oppidum Grodkow, ostia circa Ciuitatem Wratiſlauieñ. Item Niſam alterum, à priori, cuius fons circa Oppidum Luben, ostia circa villam Wilkſchin. Item tertium Niſam, cuius fons propè Oppidum Szytauam, circa villam Schochow, ostia circa villam Schydla, quod à duobus ſuperioribus aliud eſt. Item Morawica, cuius fons propè Oppidum Olbrachcyce, ostia circa Niemiecka Oſtrowa Oppidum. Item Bobr, cuius fons propè Oppidum Herśberk ex montibus, ostia circa Oppidum Kroſna. Item Stobrawa, cuius fons in borris & ſiluis Oleśno Oppidi, ostia circa villam Kolno. Item Kłodnica, cuius fons circa Oppidum Gliwice decurrit, ostia circa Oppidum Koślie. Item Widawa, cuius fons in ſiluis villæ Stradomia, ostia propè ciuitatem Wratiſlauieñ, circa villam Banowice. Item Opauica, cuius fons circa Oppidum Brunthal, ostia circa villam Trębowica. Item Oſtrauica, cuius fons circa Oppidum Fridlant,

ostia circa

ostia circa Oppidũ Oſtraua Niemiecka. Itẽ Pſyna, cuius fons ex paludibus ſupra Oppidũ Bauorno, ostia circa villã Tworow. Item Obra qui in ſiluis ſuper maius Kormin habet ortũ in villa Obra, ostia circa villã Głushin. Itẽ Baricz, cuius fons ex ſilua Monaſterij Olobog, & Oppidi Oſtrzeſzon, ostia ſupra maiorem Głogouiã, circa villã Welikie, & hic diuidit Gneſneñ Diœceſim à Vratiſlauieñ. Item Kaczbach, cuius fons circa Oppidum Kofin, ostia ſuper Oppidũ Parthouice. Item Kwiſza, cuius fons circa Monaſteriũ Oblink, ostia circa Monaſterium Lubens. Item Pliſk, cuius fons ex paludibus propè Oppidum Droſchen, & circa Oppidum Suidnica, ostia circa villam Gałki. Item Sprowa, cuius fons ex Alpibus circa villam, ostia inter Monaſterium Nouæ cellæ & Francfordiam. Item Noteſz, cuius fons circa Oppidum Noteſz lacum ampliſsimum Gopło irrigat, & fluuio Wartha circa Santhok permixtus fluuium Odram, circa Oppidum Koſtrzyn ingreditur. Item Orlia, cuius fons ex ſiluis Oppidi Kozmin, propè villam Orlia, ostia in Barycz inter villas Bełkaczow, & Pakoſław. Item Ruda fluuius, cuius fons in villa Woſczyſka extorrente Srebrnik, & fluit circa villam Pałowice, & Oppida Zary & Rybniki ad Monaſterium Ruda, ostia in Odram circa Oppidum Koślie, ſuper villam Dźierzgowiec. Item Kocawa qui diuidit Epiſcopatum Cracouieñ. à Vratiſlauieñ. cuius ostia in Odram inferius Oppidum Koślie, ortus verò ante Oppidum Bitom extorrente Kliczborn, & inferius villam Sośnice, ingreditur fluuium Kłodnica, & commixti intrant Odram ante Koślie.

TERTIVS FLVVIVS POLONORVM WARTHA à QVO ET OPPIDVM WARTHA NOMEN accepit infraſcriptos in ſe amnes recipit.

PRimo Isdwartam, cuius fons circa villam Baranow, ostia in villa Waſzoſze. Item Widauam, cuius fons circa villam Kodrab, ostia in Grabia circa villam Podogorzyce. Item Niz, qui Lancitieñ terram & Siradieñ diſtinguit, cuius fons in ſiluis villarum Wiſkitno & Wiączanie, in lacu qui dicitur Smierdząca Woda, ostia circa Chełm villam Archiepiſcopalem, inferius duobus miliaribus Oppidi Vnieiow. Item Przoſna, cuius fons ex palude propè Oppidum Byczyna conſiſteñ, ostia circa villam Liſſow, propè Oppidum Pyzdry. Item Ruda, cuius fons circa Ciuitatem Wielun, ostia circa villam Moniatowice. Item Olobog, cuius fons in villa Logota, ostia in Przoſna, circa molendinum Radźieſzow. Item Grabia, cuius fons in ſiluis villæ Szczygwin, propè Oppidum Tuſzyn, ostia circa villam Piłrokonie. Item Nirzec, cuius fons in ſiluis villæ Czyſzymin Capituli Crac. ostia in loco qui Gorki appellatur in Nir, circa villam Capitularem Laſzkowice. Item Czybina,

cuius fons ex lacubus Pobiedźiſka Oppidi, oſtia in Ciuitate Poſnanień: poſt Eccleſiam Cathedralem. Item Glownia, cuius fons ex ſiluis villæ Iemielno, oſtia inferius villæ Zawady, propè Ciuitatem Poſnanienſem. Item Paklica, cuius fons ſupra villam Lubenow, oſtia circa Oppidum Miedzyrzec. Item Odra alius à priori, cuius fons ex ſiluis villæ Czerekwica, oſtia circa Oppidum Skwirzyna, hunc fluuium Odra fluuius exuberans aliquando irrigat per anteceſſum. Item Luthinia, cuius fons circa villam Ligota, oſtia inferius inter villas Lgow & Dambno. Item Wierzcyca, qui etiam dicitur Trzemeſſa, cuius fons è ſiluis villæ Borzanice, oſtia inferius villam Kathy. Item Goplinica, cuius fons ex lacu Gopło, oſtia circa villam Moryſſawa. Item Koprzywnica, cuius fons circa villam Dźiadowice, propè Thurek Oppidum, oſtia circa molendinum Pranducyn. Item Września, cuius fons ex fonte villæ Mnichow Præpoſiti Gneſneń, oſtia circa villam pieſtrzykow. Et hic fluuius Gneſneń Diœceſim & Poſnanień diuidit. Item Kwieczyſzewſka diuidens terras Maioris Poloniæ & Cuiauiæ, cuius fons ex monte propè villam Niewiſzaſtow, oſtia circa Noteſz verſus Oppidum Pakość. Item Biała, cuius fons ex ſiluis villæ Zbieſko, oſtia circa villam Kapaino. Item Wielina, cuius fons ex riuo villæ Iankow, plures lacus videlicet Rogowſkie, Skurſkie, Tonowſkie, & Lawicæ ingreditur, ex quibus ſe euoluens per medium Oppidorum & Monaſterium Wagrowiec, Ianow młyn maiorem Poloniam & Paluki diuidit, decurrens, oſtia infra Caſtrum & Oppidum Oborniki. Item Noteſz, cuius fons circa Oppidum Noteſz, lacum ampliſſimum Gopło irrigat, exindę ſe euoluens, defluit circa Oppidum Pakość & Labiſzyn, oſtia circa antiquum Caſtrum Santok. Item Groda, cuius fons ex lacubus Stetineń, oſtia in Noteſz in ſuperiori parte Oppidi Vśćie. Item Dobrzyca, cuius fons ex lacubus Nobliny, oſtia in Grudam circa Otoczyce. Item Krampnica, cuius fons ex lacubus Krampſka, oſtia in Gruda infra Pleczemin Brod. Item Drwa, cuius fons ex lacu magno Drawſko inter Draim & Falkemberg, oſtia in Noteſz inter Czarnkow & Lemberg.

QVARTVS FLVVIVS POLONORVM RVTHENORVMQVE REGIONVM DNIESTR, QVI IN LATINO VEL GRAECO TIRISANIS, IN TARTARICO Turło, alias Tiras appellatur.

IS diuidit Sarmatiam à DATIA, quam Beatus Auguſtinus antiquam vocat, quæ quondam fuit Regnum GOTORVM. Cuius fons propè Caſtrum Sobien ex monte Bieſzkid, ex loco qui appellatur Dąbrowica, propter ſingularem quercum illis ſtantem, ex cuius radicibus duo fluuij, quos prædiximus San & Dnieſtr in Polonicales terras. Tertius Tyſa, qui Tybiſrus in Pannoniam fertur, & circà album Caſtrũ exoneratur in Euxinum ma-

num mare. Notabilibus etiam fluuijs ex Valachica Regione, quæ & ipſa Polonorum Regno ſubiecta eſt, à Meridie, Orenteq; fluentibus fæcundatur primo fluuius Styrus. Cuius fons eſt in montibus Sarmaticis, propè villam Wiſſocka, oſtia circa Zydaczow Oppidum. Item Tyśmienica, cuius fons in montibus Sarmaticis, circa Pokućie, oſtia circa Oppidum Czeſtybieſy. Item Pruth, cuius fons eſt in montibus Sarmaticis, oſtia in Sereth inferius Oppidum Pokućie. Item Baſſa, cuius fons ex Lacu, circa villam Sczepanowice, oſtia in Pruth, circa villam Pieczora. Item Sereth, cuius fons ex palude propè Oleſko Caſtrum in villa Scharkow, oſtia in Danubiũ inferius Targouiſce. Item Zbrucz, cuius fons in palude vocata Kuśmin propè Oleſko, oſtia circa Ryczywoł Caſtrum. Item Smotricz, cuius fons in montibus Zbieraſkie ciuitatem ſitu & petra admirabilem Kamieniec ſuis vndis cingens, oſtia circa villam Vśćie dictam. Item Lippa, cuius fons ex paludibus Oleſko, propè villam Czeremoſna, oſtia inferius Halicz, circa villam Baranow. Item Szczykło, cuius fons ex mericis Dobrzeſſany, oſtia in Wrzeſzyca ex ſilua dicta Zelazne nogi, oſtia in Viśniam circa villam Lowczyce. Item Dreſſa, cuius fons circa Drochum Oppidũ, oſtia propè Zaſkitarg in Pruth, aliâs Philiſtinorum forum. Item Moldawa, cuius fons ex montibus Sarmaticis ex monte Kirbielia, oſtia in Sereth propè Romanowtarg. Item Socawa, cuius fons ex Alpibus Sarmaticis ex monte alto, qui vocatur Iueo ſupra villam Dźiekowie, oſtia in Pruth, circa villam Czarnowice. Item alius Sereth ex montibus Sereth, oſtia in Pruth in villa Valachia. Item Stripa, cuius fons ex palude & lacu circa villam Subowce verſus Kamieniec, oſtia circa villam Chmielowa. Item Błozwa, cuius fons ex palude Fulſztyn, circa villam Błozwie, oſtia circa villam Dolobow.

QVINTVS FLVVIVS REGIONVM POLONICALIVM ET RVTENICALIVM BVG.

FLuore fluens atro. Ruthenis omnibus abominabilis eſt. Nam ad fluenta eius à Polonis à Primo Rege eorum Magno Boleſlao vires eorum attritæ ſunt, & Vrbes eorum atq; Metropolis Kiow in eam vſq; diẽ oſtendens veſtigia cædis, conquaſſatæ, his rigatur fluminibus. Primus Mudchawiec, cuius fons ex ſiluis & palude Iaroieniſce, propè Oppidum Turow, oſtia circa Caſtrum & Oppidum Brześćie. Alter Beſz, cuius fons in borra villæ Przeworſk, oſtia circa villam Kłuſzow. Item Vczew, cuius fons ex ſiluis Grodek villæ Podchorzyce, oſtia in villa Grodek, vbi prius antiquitus Caſtrum Wołyn, à quo vniuerſa terra Wołynska appellatur erat, quæ nunc Chelmeń, & Luceń nominatur. Item Ratha, cuius fons in ſuperiori parte villæ Wierzchrata, oſtia propè villam Siedlec. Item Swinia, cuius fons circa villam Drzewna, oſtia in Ratham inferius

villæ Dworcze. Item Wolcznin, cuius fons ex paludibus villæ Gotuſzyn, oſtia prope villam Podzimierz. Item Polthew, cuius fons ex villa Zubrza, non longe poſt Leopolim, oſtia circa Oppidum Buſko. Item Nur, cuius fons ex ſiluis Oppidi Bielſko, oſtia circa villam Zaſkow. Item Liw, cuius fons ex ſiluis Oppidi Lukow, oſtia circa Mazouiæ Kamieniec. Item Koſtrzyn, cuius fons ex ſiluis Dabrowka, oſtia in Liw, circa villam Polibow. Item Błothnia, cuius fons ex paludibus quæ vocantur Baranowe błotho, oſtia circa Oppidum Sokalie. Item Drzewnia, cuius fons in palude circa villam Dworce, oſtia circa Oppidum Sokalie. Item Włodawa in palude villæ Soſnowice, propè Oppidum Chełm in terra Chełmeñ exortus terram præfatam Chełmenſem, à terra Brzeſteñ diſterminat, & frequenti influentia aquarum auctus fluuium Bug, propè villam Soſno illabitur.

SEXTVS FLVVIVS POLONICALIVM ET RVTENICALIVM REGIONVM NIEMEN.

QVi à Latinis Curuntius inſcribitur, Niemen varijs vt ſupra diximus incuruatus fluxibus hos accipit amnes. Primo Merecz, cuius fons circa villam Crudzewo, oſtia circa Oppidum Merecz. Item Vilia, cuius fons circa villam Kamieniec, oſtia circa Oppidum Kowno. Item Wiſſucz cuius fons circa Oppidum Mohilno, oſtia circa Curiam & villam Dubno. Item Swiatha ex Samogitia, cuius fons propè Vilkomiriam, & in villa Remygola, oſtia circa Mariewerder, & hic diuidit Lituaniam & Samogitiam. Item Niewieſza, cuius fons circa Oppidum Kieidany, oſtia infra Oppidũ Kowno, & circa villam Wilka. Item Wilna, cuius fons circa villam Lawarzyski, oſtia in villa circa Ciuitatem Wilno. Item Miedniki, cuius fons circa Oppidum Szocawa, oſtia in Niemen propè Kowno. Item Merecz, cuius fons propè villam Solecznik, oſtia in Niemen, iuxta Oppidum Merecz. Item Brześnia, cuius fons circa villam Swiatha, oſtia in Viliam propè Oppidum Niewieńczany. Item Kotra, cuius fons ex lacubus Gierſzany, oſtia circa villam Mieczniki.

SEPTIMVS FLVVIVS POLONICALIVM AC RVTHENICALIVM REGIONVM DNIEPR.

VOcatur à Latinis Dritius aliàs Boriſtenes, circa Kiow Vrbem Metropolim Ruſsiæ currens, hos autem fluuios habet cadentes in ſe, qui in Tartarico vocatur Krzeſze. Primo Przypiec, cuius fons non longe à Caſtro Lubomla in villa Olowno, oſtia inferius Caſtrum Czarnobole, circa villam Pochoſt. Item Styr, cuius fons in palude circa Oleſko in villa Ieſienow, oſtia in fluuio Przypiec non longe à Pinſko. Item maior Słucz, cuius

cuius fons circa villam Choiwicze, oſtia in fluuium Przypiec, inferius Oppidum Turow. Item minor Słucz, cuius fons circa Oppidum & Caſtrum Cośmin, oſtia in fluuium Przypiec circa Grodek. Item Cietrzew, cuius fons circa Caſtrum & Oppidum Cudnow, oſtia in fluuium Przypiec circa villam Mumickowice. Item Słuniew, cuius fons ex paludibus villæ Satyczow, oſtia in Styr inferius Lucko infra Ciuitatem. Item Roſz, cuius fons ex paludibus propè Oppidum Smolniany, oſtia circa Caſtrum & Oppidum Orſza in Dnieſtr. Item Iaśiodla, cuius fons circa Kopilow, oſtia in Przypiec infra Oppidum Pinſko. Item Brześnia, cuius fons ex paludibus & deſertis Ruſsiæ maioris propè Oppidũ Połocko, oſtia in Dniepr propè Oppidum appellatum Dobrogiſka. Is fluuius Brześnia Lituaniam à terris Ruſsiæ diuidit. Item Swiſſloc, cuius fons circa villam Poroſtow in ſuperiori parte, oſtia in Brześnia, circa Oppidum Boryſzow. Item Swinia, cuius fons ex lacu Włoſka, oſtia in mare propè Rigam. Item Połota, à quo Ciuitas & Regio Połoceñ appellatur, cuius fons propè Caſtrum Brzewa, oſtia in fluuium Dwina iuxta Caſtrum Połocko. Item Boh, cuius fons ex ſuperiori parte Oleſko ſiluæ, oſtia in Dniepr, circa Caſtrum & Oppidum Daſzow. Item Wiſzew, cuius fons in villa Nowośiedlce, oſtia inferius Caſtrum Rathno in Przypiec. Item Lutha, cuius fons circa villã Tremno, oſtia in Wiſzew non longe à Rathno. Item Berezyna, cuius fons circa Oppidum Vboro, oſtia circa Oppidum Strzeſno. Item Brzeznica fluuius terram Luceñ diſtinguens à Litwanis, & ille eſt verus limes Regni Poloniæ. Item Orſza. Item Bobr. Item Boryſtow. Item Orinia, cuius fons circa Oppidum Dambrowica, oſtia in fluuium Styr.

Quibus Ciuitatibus Viſtula cuius eſt ſingularis commendatio, Odraque Warta & Dnieſtr fluuij inſignes illuſtrantur.

FLuuius autem Wiſla qui mare Oceanum tribus oſtijs illabitur, & in Orientis partem parum flexus, quadraginta & amplius flumina in ſe recipiens, plures nobiles & inſignes quam alij fluuij nactus eſt vrbes. Licet enim Odra cuius aquæ occidentem petunt Ratiboriam, Bregam, Wratiſlauiam, & Francfordiam. Warta verò qui medius inter eos decurrit, Siradiam, Pizdry, Poſnaniam. Dniepr, Kiouiam, famoſas Vrbes habeant, Wiſla tamen inter Polonicos fluuios facile præcipuus amnis amplioribus nobilitatur locis, videlicet, Cracouienſi, Sandomirienſi, Varſchouienſi, Plocenſi, Wladiſlauienſi, Torunenſi, Culmenſi, Grudẽdzeñ, Sueceñ, Derſchouieñ, & Gdanenſi Vrbibus. Ligna quercina & taxina diuerſi generis pro igne & nauigijs picem, cineres, fraxinos, telam, ſimplicem, terpentinam, ceram, mel, plumbum, cuprum, ferrum, & frumentum, plureſque alias res quibus portus Anglicani, & Hollandenſes perſtrepunt, ex

Regionibus Polonorum mari Oceano alueo ſuo ſubminiſtrans. Meminiſſe hoc loco par eſt, quia tribus Pontificalibus Baſilicis Viſla fluuius inclytus ſit, cùm in quolibet,ex reſiduis amnibus vna tantummodo numeretur. Ea autem quæ de Viſla ſeu Viſtula, qui & Vandalus & de Odra, qui Guttalus fluminibus narauimus. Solino teſte defenduntur. Ita enim Germaniæ Principium deſcribere orſus inquit. Mons Seno ipſe ingens nec Riphæis minor colibus initium Germaniæ facit. Hunc ingenones tenent, à quibus primis poſt Scytas nomen Germanicum conſurgit. Diues virorum terra, frequens populis numeroſis & immanibus. Extenditur inter Hercinium Saltum & rupes Sarmatarum. Vbi incipit Danubius, vbi deſinit Rheno perfunditur. De internis eius partibus Albis, Guttalus, Viſtula amnes altiſſimi præcipitantur in Oceanum.

Niemen inter omnes fluuios pacificus.

NOtandum eſt autem, quòd omnes ferè amnes Polonici, videlicet Iſtula, Guttalus, Wartha, Bug, Dniepr, Dnieſtr, frangunt & ſubruunt ſuorum alueorum ripas,multaſq; arbores, cum magna parte ſoli, frequenter etiam & vicos abſorbent. Solus Niemen tàm profundum & inſtar Caldaris rotundum habet alueum, vt ſilenter decurrens, nec nemoribus, neq; campis nocens, ſuis contentus ripis, fluat. Omnia inſuper flumina Poloniæ prædicta & lacus moliuntur & inſulas,& nonnunquam veteribus alueis deſtitutis nouos alueos, nouaſq; inſulas, nouos inſuper lacus quaſi quadã alluuione efficiunt, plerumq; etiã in veteres reflectuntur. Dzwina amnis fluit ſecus Ciuitates Ruſſiæ Polocko & Witepſko. Item ab alia parte Witepſko fluit Withpa ſatis inſignis fluuius. Poſt Iſtulæ fluminis oſtiũ Cronis, Rubonis, Turuncij, Kerſinij,fluuiorũ oſtia in Oceanum.

DESCRIPTIO POLONIÆ
à QVATVOR PLAGIS, ET VNDE RVSSIA PELLIBVS DELICATIS DITISSIMA DICATVR.

VNIVERSAM itaq; Regionem quam Septẽ fluuij prædicti,& cæteri omnes qui in eos deriuantur, & delabuntur, ab eorum ortu vſque in pelagum Oceanum, Lech Lechitarum ſeu Polonorum parens & Princeps complexus eam ſui iuris fecit, & in illa per ſe & ſuos Nepotes frequentibus populis hæreditat, & propitia diuinitate hæreditabit. Ab Oriente nullis quidem niſi Græcis & mari Leonino, ad quas per ſiluas, & nemora ducentorum & amplius miliarium ſpatium, & plura flumina ipſi etiam Principali Conditori tunc ignota habent nomina pro ea tempeſtate eundum erat,vicinis. Quæ quidem Regio Orientalis ab vno

Nepotum

Nepotum Lech qui Ruſz vocabatur poſt plures ætates habita & populata Ruſſiæ nomen accipiens, in latiſſimas, ditiſſimaſq; Prouincias, regiones & Vrbes creuit, quas in Præſentiarum cernimus, vbi Sabellonum, Mardurum, & aliorum nobilium animalium pelles, quas vicinæ ſolitudines producant pro ſumma opulentia habentur. Quarum incolæ ipſarum pellium delicatarum portantes decora, licet tenuem & inopem habeant victum, ditiſſimè veſtiuntur. A meridie Alpes quæ Pannoniam perpetuis iugis diſterminant, & vſq; in mare Leoninum porriguntur, & in multa ſpatia porrectæ, magnam longitudinem & latitudinem conficiunt. Polonorum tamen Principum per longas ætates & ſucceſſiones regebantur & parebant imperio. Ad quod nonnullorum priſcorum ſcriptorum euidens poteſt teſtimonium adduci. Puteolanus enim Hiſtoricus, & veterum ſcriptorum geſtorum ſcrupuloſus indagator ſcribit. Quod Anno Marciani Imperatoris tertio,qui circa annum Incarnationis Domini Quadringenteſimum quinquageſimum octauum imperauit, ſurrexit in Polonia Princeps qui Bulgaris Meſianiſq; imperabat. Volens etiam in Hungaria dominari. Hunc Hungari varijs muneribus allectum, explorata illius diminuta potentia improlciſo aggreſſi cum tota militia peremerunt. Ab occidente Germaniam, quam à Polonorum Prouincijs Labia alias Alba fluuius interſecat, à Septemtrione mare Oceanum, Daciam, Sueciam, & Norueiam, ac vltima terrarum ipſis etiam incolis tunc inacceſſibilia freto ſuperato oſtendens.

Vnde dicuntur Lechitæ, Poloni, Vandali, Scythæ, & Germani, & de Ruſz opinio à quo Ruſſia.

QVamuis autem à Primo Principe & Conditore Lech, Regio eius Lechia, & gentes eius Lechitæ appellatæ ſunt, quia tamen in pleriſq; locis camporum planicies ad ſerendum aptæ, recenti cultorum diligentia & induſtria in breui tempore exciſione nemorum auctæ, & in ſimilem planiciem redactæ, ſpeciem naturalium quaſi camporum præbuerunt. Lechitæ, & hi præſertim, qui in Campeſtribus habitabant, & à cæteris cognatis & familijs, qui ſiluas inſiderant, & à vicinis gentibus in circum habitantibus Polianie, id eſt campeſtres tam frequenti vſu & appellatione vocati ſunt, vt veteri nomine abolito tàm gens, quàm Regio generali iam & vſitato vocabulo Polonia etiam à ſcriptoribus aliquibus nominetur. Vicinæ tamen nationes, & præſertim Ruthenorum quæ in ſuis Annalibus de ſtirpe Principis Lech ortas ſe eſſe gloriantur, Polonos & eorum Regiones Lechitas appellant, in hunc diem apud Slauos, quoq; Bulgaros, Caruatos, & Hunnos eadem adhuc manet appellatio, licet & in pleriſq; locis à nonnullis autoribus intitulentur & ſcribantur. Vandalitæ à fluuio

Vandalo,

Vandalo, qui idem quod Wiſla eſt, quod ipſius quoq; fluminis principalitatem ſignat. A veteribus autem ſcriptoribus & Hiſtoriographis, Sarmatia Europæa appellatur, & tàm Rutheni, quàm Poloni Sarmatæ nominantur. Idq; reor iuſtum & verum quod Polonis & Ruthenis indidit antiquitas vocabulum. Vnde & Alpes quibus conterminant quiq; Poloniã Ruſsiamué à Pannonijs diſterminant Sarmatici vbilibet ab autoribus inſcribũtur. Scytas pleriq;, nonnulli Germanos parum iuſto vocant cognomine, quod omnis ea Regio, quæ inter Thanaim & Albã Iſtulamq; eſt poſita Scythia nominatur à ſcriptoribus, quam cum proceſſu temporis Poloni & Rutheni populandam introiſſent. Scythæ & ipſi à nonnullis vocati ſunt, & quia Iſtula Scythiæ & Germaniæ tenens confinia in Polonorum meditullio decurrit, & à ſui fonte, ſiue ab ortu vſq; ad occaſum nulla gens alia quàm Polonica illum incolit & populatur, Poloni etiam Germani vocitantur. Aſſerere nonnulli eam rationem conantur. Ruſz non Lechonis Nepotem, ſed Germanum extitiſſe, & ſecum vnà atq; Czech Fratre tertio ex Caruatia egreſſum, ampliſsima Ruſſorum Regna, quorum Kiouia caput & Metropolis eſt, & Dnieſtr, Dniepr, Niemen, Pruth, Sſucz, Styr, Strucz, Smotrycz, Sereth ampliſsimis irrigantur amnibus, populaſſe, & terminos ſuos vltra Nouogrod, auro, & argento, pellibuſq; ditiſsimam, & notiſsimam, inter paludes & ſtagna ſitam Ruſsiæ Ciuitatem ad fines propriæ terræ dilataſſe. Scriptorum tamen varietas de origine Ruthenorum plus connubilat eorum originem quam declarat.

Ruthenorum Principem Romam & totam Italiam Quatuordecim Annis poſſidentem Theodoricus Gottorum Rex necauit, & Regnum Italiæ obtinuit.

AB eo quoq; Ruſſone primo Ruſsiæ Patre & populatore, Odonacer Ruthenus ſtirpem ducens, & progeniem cum Ruthenorum copijs ſub Anno Natiuitatis Chriſti Quingenteſimo Nono, ſub Leone Papa Primo, & Leone Primo Imperatore in Italiam aduenies capta Ticinio, ferro atq; igne deſtructa Oreltem captum, capite damnans, & Auguſtulum, qui imperium occupare præſumpſerat effugans Romam Vrbem, Victor cum ſuis ingreſſus, totius Italiæ Regnum nullo inquietante poſſedit, quod cùm per Annos Quatuordecem in ſumma pace & otio gubernaſſet, Theodoricus GOTORVM Rex per Bulgariam & Pannoniam in Italiam magna fatigatione pertingens, dùm non longe ab Aquilegia in paſcuis vberimis ſe, & copias ſuas reficeret. Odonacer cùm totius Italiæ viribus ipſum illic inuadens, à Theodorico & GOTIS contritus eſt, qui cum paucis fugiens Romam à populo ingredi vetitus Rauennam ſe recepit, quem triennali obſidione, in Rauenna maceratum

ceratum, & deditionem facere coactum, Theodoricus cæpit & necauit, & Regnum Italiæ a Ruthenis ereptum in ſe GOTOSque transtulit.

LACVS POLONIÆ PRÆSTANTIORES.

FLuuiorũ Polonicalium deſcriptione expedita, vtcunque pro qualitate laboris aſſumpti poterant à me, tàm vbi oriuntur & emergunt, quàm vbi exonerantur & decidunt: ad ſcribendum lacus famoſos, qui in Polonica Regione & Prouincijs ſibi ſubiectis conſiſtunt, animum inflexi, qui & ipſi vel flumina generant, vel ex fluminibus gignuntur, aut quod pleriſq; locis contingit per flumina fæcunditatem conſequuntur & incrementum. Eſto quod cernamus plures lacus abſq; incremento, aut ſorbere ingentia flumina, aut tanquam hoſpites iuxta ſuſcipere & emittere. Appellantur autem lacus aquarum grandes congeries, ex occultis terræ meatibus in vnum defluentes atque conſiſtentes lacum commoda mortalibus ſubminiſtrantes. Et quamuis nonnulli lacum à ſtagno plurimum aſſerant differre, & parum concinnè putent ſtagnum lacum, & lacum ſtagnum, quemadmodum dictiones ipſas pro vno & eodem ſignificato ſcriptorum ſolet committere autoritas, nuncupari, cùm lacus viuas in ſe vndas habeant, ſtagna limoſas, putres, olidas, ac tetrum odorem ſpirantes. Nos tamen, quoniam ita fert Polonorum atque Ruthenorum communis locutio, qui nulla diſtinctione facta vno vtuntur pro altero, lacum à ſtagno non ſequeſtrabimus. Non eſt autem mihi animus omnium Poloniæ Lacuum, & cæterarum orarum regno ſubiectarum Polonico, nominatim ſitus deſcribere, eſſet enim ingentis & difficilis opus laboris, quoniam cum Regio Polonica, & terræ ſibi ſubiectæ ſitum habeant baſſum, & Oceano Sarmatico pro maiori parte conformatum, frequentibus & pænè innumerabilibus lacubus referta eſt. Illuſtriores itaq; & magis famatos ſatis erit attigiſſe. Et quoniam Lacus Gopło adeò vniuerſali Polonorum conſenſu grandis & famoſus eſt, vt rem aliquam grandem Poloni ſignificaturi, ex Lacus prædicti magnitudine præ nomen Gopło definiunt. Huic & nos pro ſui merito, & pro nominis appellatione inter Lacus Polonicos Principatum tribuemus.

GOPLO in Prouincia Maioris Poloniæ Lacus ampliſsimus, & Polonis celleberrimus eſt, piſcium multitudine adeò fæcundus, vt in vicina quoq; capti in eo piſces, quadrigis delati, ſufficientiam vel potius abundantiam mortalibus ſubminiſtrent. Hic apud Oppidum fontis ſui nominis Noteſz ex fontibus ſcaturientibus exortus, iamq; illic vbi exoritur, continuo grandis & profundus tàm longo lateq; tractu diffuſus,

vt maris

vt maris ſpeciem viſentibus repræſentet. Nam medium miliare in latum quinq; in longum prætenditur, & demum circa Caſtrum Sarleñ non mediocrem de ſe emittit fluuium, qui Notetz appellatur, ex ſuo vtero profluentem, & generantur varia piſcium genera in illo guſtatu & ſpecie, quàm in alijs lacubus præſtantiora.

CZARTORIA, Lacus propè Caſtrum & Oppidum Nouæ Ciuitatis Korczyn, & ex fertilitate piſcium, & ex conditore ſuo Caſimiro Secundo Polonorum Rege inſignis. qui duorum fluuiorũ Iſtulæ & Nidæ alueis aliorſum per induſtriam deductis, lacum perpetuũ, & lacũ protenſum, qui ab vtroq; fluuio tàm vndis, quàm piſcibus fæcundantur, conſtituit.

SWIECIECHOW, Lacus propè villam Epiſcopalem Crac. Swieciechow, à quo & denominationem accipit conſiſtens fontes perennes in vtero ſuo ebulientes lacui ſuo perennitatem conferentes, habet. Eſto quod etiam nonnunquam ex Wiſſa flumine non longe decurrente irrigationem accipiat.

SLESINO, Lacus Oppido ſui nominis imminens ex monte Przewloki, ortus quatuor miliaria Polonica in longum, quartale miliaris in latitudinem conficit, & fluuium Goplenica ex ſe circa villam Gappa parturiens, fluuio Warthæ apud villam Morzyſław miſcetur.

POWIDZ, Ingens lacus Oppidum ſui nominis Powidz irrigans tria miliaria in longum, vnum miliare in latum conficit.

BDANIE, Lacus ſupra Oppidum Dolſko ingens plures lacus in ſe in quamlibet partem gignens.

LEDNICA, Lacus ampliſſimus Maioris Poloniæ, cuius initium ſupra villam Srzonek, plures lacus ex ſe minores emittens, duobus miliaribus à Pobiedźiſka Oppido ſitus. Inſulam non mediocrem habens in ſui corpore, in qua Gneſneñ Eccleſia Metropolitana, primum à veteribus memoratur magis quam ſcribitur fundata fuiſſe. Quod murorum ruinæ, & reliquiæ teſtantur, & proceſſu temporis propter difficultatem acceſſus Gneſnam translata. Duo miliaria & amplius in longum confieit.

BLANDNO, Lacus ampliſſimus Maioris Poloniæ, qui amplitudinem lacus Gopło aſſeritur ſuperare Oppido Zbaſzyn impendens, piſcibus vberrimus, quem fluuius Odra apud Oppidum Kośmin ortus à principio vſq; in finem irrigat, anguilas plures numero gignit.

NIEZAMYSL, magnus Lacus Maioris Poloniæ non longe à fluuio Wartha, qui & Oppido, à quo ſumit exordium dedit nomen, qui vſq; ad Oppidum Gluſzyna decurrit odioſus Cruciferis de Pruſſia, qui ad illius littora per Marſchalcum Poloniæ in villa Polwica profligati ſunt.

WONIESKA, magnus Lacus Maioris Poloniæ, cuius initium penes Oppidum Ośieczno, fines verò vſq; ad villam Kurza gora protenditur, & illic fluuio Odra miſcetur.

DOMINICE, Lacus ingens Maioris Poloniæ, cuius initium penes Op-

nes Oppidum Brenno, & apud Monaſterium Przement terminatur.

PCZOWO, Lacus Maioris Poloniæ magnus, qui & Oppido ad Ripes reſidenti nomen dedit.

LVBSTOWO, Maioris Poloniæ Lacus magnus, circa villam ſui nominis conſiſtens, quem fluuius Goplinica irrigat, & ad duo miliaria in longum protenſus, latitudine verò coarctatur.

TVLANVS, Lacus Maioris Poloniæ villæ ex ſe denominatæ nomen dedit, vnum miliare in longum conficiens circa Oppidum Pakość terminum ſumens, fluuio ex Oppido Gembice decurrente irrigatur.

IELEN, Lacus circa Ciuitatem Gneſam conſiſtens, magis Ciuitate Gneſneñ, quàm ſuo ſitu inſignis.

DRAWSKO, Lacus ingens Maioris Poloniæ continens in ambitu ſuo ſeptẽ miliaria Germanica, piſcibus fæcundus, à Drawa fluuio, qui illũ irrigat, cognomẽ ſortito, qui & arci inſigni ſibi impẽdẽti Drahim nomẽ dedit.

NOBLINY, Maioris Poloniæ Lacus propè Caſtrum proxime nominatum Drahim conſiſtens, tria miliaria in longũ, vnũ in latũ conficiens.

KRAMPSKO, Maioris Poloniæ Lacus, quatuor ſpatijs diuiſus propè Walcz conſiſtens, tria miliaria in longũ, quartale in latũ conficiens.

Lacus Terræ Lublinenſis.

IEDLINO, Lacus circa Ciuitatem Lublinenſem in borra conſiſtens, cui villa eiuſdem nominis à lacu ſortita nomen imminet, medium miliare in longum, & dimidium in latum conficiens.

CZARNE, Lacus terræ Lublineñ, alius ab alio, qui in terra Chelmeñ conſiſtit, ab Oppido Parczow duobus diſtat miliaribus, in partes omnes ſe equaliter porrigens, medium miliare in quamuis partem conficit.

RACZNO, Lacus terræ Lublineñ. propè villam Bolechowice ſitus, vnius quartalis miliaris continentem in omnes partes habens.

GLAMBOKIE, Lacus terræ Lublineñ. habens villam ſui nominis ſibi imminentem, æqualem proportionem de vno quartali miliaris habens in longum & latum.

VSTONOW, Lacus terræ Lublineñ. cui ſubiacet villa Stunow à lacu cogneminata, ac rotunditate ſua, ad quartale miliaris æquali tenore porrectus.

TRACZANO, Lacus terræ Lublineñ. in borra, propè eandem villam Lanczno conſiſtens Sphericum habens corpus, cuius longitudo & latitudo quartale miliaris non excedit.

ROSKOPACZOW, Lacus terræ Lublineñ. iuxta quem villa appellata Roſkopaczowſka Wola conſiſtit, miliare vnum habens in longitudinem, quartale in latitudinem, fluuium ex ſe ſui nominis emittens, qui ſe fluuio Tylmienica infundit.

DRZASTOW, Lacus terræ Lublineñ. propè villam Lanczna consistens, medium miliare habens in longitudinem quartale in latitudinem.

NADVB, Lacus terræ Lublineñ. positus non longè ab eadem villa Lanczna, medium miliare in longum, & quartale in latum conficit.

BIESZCZE, Lublineñ. terræ lacus, duobus miliaribus distans à Lanczna, quartale miliaris in longum, in latum dimidium conficit.

OSTWISZ, Lublineñ. terræ lacus non longè ab eadem villa Lanczno consistens, medium miliare in longum, quartale in latum conficit.

Lacus Terræ Cuiauiensis.

BIELSKO, Cuiauieñ. terræ lacus circa villam Bielsko, à quo & villæ deriuatum est nomen, singulares pisces, & qui raro in alijs reperiuntur lacubus Polonicis quos Sielany nominamus, sapidi saporis genus, medium miliare in longum conficiens.

BRDOW, Cuiauieñ. terræ lacus inter Kłodauam & Hizdbicam Oppida consistens, medium miliare in longum conficiens.

ORLIE, Cuiauieñ. terræ lacus Episcopi Wladislauieñ. amplitudine sua insignis, & fœcundus piscibus, fluuium Zgoniatka ex se emittens, miliare vnum in longum conficit.

TVR, Cuiauieñ. terræ lacus magnus, alius à priori non longè à Bidgostia Oppido situs, piscium, qui Kleszcze vocantur multitudine refertus, medium miliare in longum conficiens.

LVBOTYN, Cuiauieñ. terræ lacus eiusdem nominis villam irrigans, in fluuium verò Noteſz, amnem ex se cadentem emittens, medium miliare in longum conficit.

KRZEWIANTKA, Lacus magnus Cuiauieñ. terræ haud longè ab Oppido Regio Kowalie situs, medium miliare in longum conficiens.

LANCZNO, Cuiauieñ. terræ lacus Episcopi Wladislauieñ. Oppido Pakość imminens à fluuio Noteſz, dum iam lacum Goplo liquisset generatus, vnum miliare in longum conficiens, latitudine verò parum extensus.

PTVR, Cuiauieñ. terræ lacus, cui villa de lacu denominata imminet quartali miliaris in latum, & vnum miliare in longum conficiens, irrigatur flumine Noteſz.

SECVNDVS lacus Borzymowski eiusdē terræ ad vnū miliare extēsus.

Lacus Terræ Pomeraniæ.

LEBSKO, Lacus magnus terræ Pomeraniæ in villa & hæreditate Episcopi Wladislauieñ. Charbzouo à fluuio Leba, qui interfluit illum Lebsko appellatus, Pomeraniæ terram à Stolpeñ. disterminans.

VZDZICE, Lacus terræ Pomeraniæ amplissimus, continens ad longitudinem quinq; miliaria, qui incipit propè Castrum Kiszchow, & tendit

& tendit propè Castrum Tucholia.

OSIECZNO, Magnus lacus terræ Pomeraniæ propè Castrum Ośiek situs, vnum miliare in longum, medium in latum conficit, à quo Castrum Ośiek denominationem accepit.

STWORZONA GAC, Lacus ingens terræ Pomeraniæ, habens in longitudinem septem miliaria, in latitudinem quinque, situs non longè ab Oppidis Choinica, Tucholia, Słochow, & Bithom, ex cuius vtero Brda fluuius consurgit.

BORZYCHOWO, Lacus terræ Pomeraniæ propè Oppidum Starogard vnius medij miliaris in longitudinē, & quartale in latū conficiens.

BIALA, Lacus terræ Pomeraniæ propè Oppidum Tucholia consistens, vnius miliaris in longitudine, medij verò in latitudine, ex quo fluuius eiusdem nominis decurrens, fluuium Wierzyſza ingreditur.

KRAG, Lacus terræ Pomeraniæ in districtu Swieceñ propè Oppidū Tucholia, mediū miliare in longum, in latū verò quartale miliaris conficit.

SVCHVM, Lacus terræ Pomeraniæ in districtu Swieceñ, quartal. miliaris in longum, & latum ex æquo conficiens.

OSTROWICE, Lacus terræ Pomeraniæ in longum miliare vnum, quartale verò in latum conficiens.

DESZCZNO, Lacus terræ Pomeraniæ in districtu Swieceñ, ad quartale miliaris protensus.

PIASECZNO, Lacus terræ Pomeraniæ in districtu Swieceñ, ad quartale miliaris se protendens.

STEKLNO, Lacus terræ eiusdem propè villam Grodek, consistens vnum miliare cum medio in longum, medium miliare in latum conficit.

MVKSCHA, Lacus terræ Pomeraniæ propè Oppidum Tucholia situs, æqualem in longum & latum, ad quartale miliaris vnius porrectus.

KREMPSKO, Lacus terræ eiusdem inter Szlocow & Emeritin situs, tria miliaria in longum, quartale in latum porrectus.

LVKAMIE, Lacus terræ eiusdem propè Choinicam situatus, quinque miliaria in longum, vnum verò in latitudinem conficiens.

CHARZYKOWY, Magnus lacus terræ Pomeraniæ sex miliaria in longum, duo verò in latum conficiens, fluuius autem Brda ex ventre lacus Krampſko se euoluens primum lacum Lukamie ingreditur, & inde se extrahens, tertium lacum Charzykowy intrat, vbi victor effectus proprio alueo notabile spatium terræ conficiens in Wiſla tandem exoneratur.

Lacus Terræ Chelmensis.

SWITASCH, Magnus lacus in terra Chelmeñ. circa villam sui nominis situatus, quinq; miliaria in girum, duo in longum, vnum in latum conficiens, & optimos pisces producens Kleszcze.

SACKO, Magnus lacus terræ Chelmeñ. binominis, alio enim nomine ab incolis vocatur Lucomir, ſed propter villam cui eſt proximus Sacko nomine vulgari appellatur, fluuium ex ſe Lucomir ſui nominis emittens, medium miliaris in longum, medium in latum conficit.

THVR, Magnus lacus terræ Chelmeñ. in omnes æqualiter partes in longum, duo cum medio miliaria, in latum vnum miliare conficit, qui & villæ propè ſe conſiſtenti nomen ſui vocabuli Thur indidit. Rigatur à flumine Lucomir in eum, ex Sacko decurrente, qui inde egreſſus, & non nullos ignobiles lacus victor prætergreſſus, hæret in Przypiec flumine.

BIALA, Lacus ingens terræ Chelmeñ. in ſolitudine inter duas villas Radſztow, & Vethlie conſiſtens vnum miliare in longum, medium verò in latum conficit. Craſſos adeò piſces Kleſzcze producens, vt ex illorum adipe plura vaſa impleantur aruina. Aqua verò lacus eius in Menſibus Maio & Aprili corpora humana nigredine tingit & fuſcat, nec enim per aliam aquam nigredo poteſt dilui.

ORZECHOW, ORZECHOWIEC, & OSTROWIE, Lacus magni qui rigantur flumine Lucomir, qui ex his lacubus paululum progreſſus flumini Przypiec ſe miſcet.

MSZANE, Lacus terræ Chelmeñ. propè villam Zamorowice conſiſtens, quartale miliaris in longũ, & dimidiũ in latũ cõficit frequentiſsimos lapides, ſilices, habet in fundo, qui cũ piſcibus vnà extrahuntur in aridum.

POLMO, Lacus magnus terræ Chelmeñ. iuxta villam ſui nominis Polmo conſiſtens vnum miliare in longum, medium verò in latũ conficit.

PIASECZNO, Lacus terræ eiuſdem propè villam Luboczyn, conſiſtens miliare vnum in longum, & medium in latum conficiens, fluuium Krzemionka ex ſe emittens.

SMOW, Lacus terræ Chelmenſis à villa ſui nominis, iuxta quam conſiſtit appellatus, montibus vndiq́ue ſeptus, & in longum & in latum rotundus, eſt enim æqualiter porrectus.

KRZEMNO, Lacus eiuſdem terræ ſui nominis villæ imminens, rotunditatem præ ſe ferens, & æquales latitudinis & longitudinis, partes habens, rigatur à flumine Krzemionka, qui in illum ex lacu Piaſeczno defluens, exindè in fluuium Przypiec incidit.

LVKIE, magnus lacus terræ Chelmeñ. propè villam Dubiecko conſiſtens, quartali miliaris in latum, & in longum quo ad rotunditatem.

WELIKIE, Lacus terræ Chelmenſis, propè villam Polapy ſitus, quartale miliaris in lõgũ, & in latũ propter ſui rotũditatẽ æqualiter cõficit.

CZARNE, Lacus terræ Chelmenſis cui villa ſui nominis imminet, medium miliare in longum conficit, quartale in latum.

KINAGZ, Lacus terræ eiuſdem, cui villa ſui nominis imminet, medium miliare in longum, in latum quartale conficit.

OKVNIN, Lacus terræ eiuſdem, propè villam Oſtrow ſitus, quartale

quartale miliaris in longum conficiens, dimidium in latum.

PLOCICE, Lacus terræ Chelmenſis magnus, propè villam Wiethli conſiſtens, medium miliare in longum, quartale in latum conficit.

STRZYBORZ, Lacus magnus terræ eiuſdem, propè villam Sczodrochowſkie imminens, quem fluuius Przypiec irrigat, per dimidium illius decurrens, rotundus eſt, in omnes partes æqualiter porrectus.

WIECZNINO, Lacus terræ Chelmeñ. propè Oppida Chelmza, Kowale ſitus, vnum cum dimidio miliari longus, & medium latus.

Lacus Terræ Ruſsiæ.

NOBEL, Lacus magnus terræ Ruſsiæ in diſtrictu Pinſko conſiſtens, quem fluuius Przypiec irrigat, & fæcundum efficit in piſcibus.

OLBIASZ, Lacus magnus terræ Ruſsiæ in diſtrictu Pinſko conſiſtens, quem fluuius idem Przypiec vndis & piſcibus locupletat.

ORZECHOW, Lacus magnus terræ Ruſsiæ in diſtrictu Brzeſteñ. alius à priore, qui & ipſe à fluuio Brzna piſcibus fæcundo irrigatur.

Lacus Terræ Pruſsiæ.

DRVSZEN, Lacus magnus Pruſsiæ, propè Elbing ciuitatem, quatuor miliaria in longum, duo in latum protenſus.

SPERDENT, Lacus ingens terræ Pruſsiæ, circa Oppidum Liec, ſeptem miliaria in longum, medium in latum diffuſus.

HANVS BORG, Lacus terræ Pruſsiæ ab Oppido eiuſdem nominis, circa quod conſiſtit quatuor miliaria in longum, vnum verò in latum cum dimidio conficiens.

PARTECINO, Lacus Culmeñ. propè Caſtrum Brathian, ſitus tria miliaria in longum, & in latum duo protenſus.

MALDESZE, Lacus terræ Culmeñ. inter Radzin & Rogozno Oppida conſiſtens, vnum miliare in longum, quartale in latum conficit.

DAMBROWNO, Lacus terræ Pruſsiæ Oppidi ſui nominis muros ambiens, vnum miliare in longum, quartale in latum conficiens.

MELNO, Lacus terræ Pruſsiæ, propè Oppidum Gronfelde ſitus, vnum miliare in longum, quartale in latum protenſus.

LVBNO, Lacus terræ eiuſdem propè Oppidum præfatum Gronfelde, vnum miliare in longum, quartale verò in latum porrectus, vterque autem lacus prædictus, videlicet Melno & Lubno Crucigeris de Pruſsia, cæteriſq́; Almanis odioſus & execrabilis eſt, in eorum enim meditullio per Polonos & eorum Regem Wladiſlaum Secundũ magna cæde adfecti ſunt.

SCHEILANG, Lacus terræ Pruſsiæ, propè Oppidum Oſterrod conſiſtens, qui circa villam Schemberg exortus, quinque miliaria in longum, quartale verò in latum definitur.

GIESTRVTH, Lacus terræ Prussiæ à villa Ilsan, vsq; ad Oppidum Ilana protensus, quinq; in longũ miliaribus, vno verò in latum diffusus est.

STAWANTH, Lacus terræ Prussiæ propè Oppidum Kogez consistens, duo cum dimidio miliaria in longum conficit, quartuale verò in latum.

LYK, Lacus terræ Prussiæ, duo miliaria in longum, quartale verò in latum protensus est.

Lacus Terræ Pomeraniæ.

BERSTY, Lacus Lituaniæ, medium miliare in longum conficiens, fluuium ex se gignens, qui vocatur Kotfa, fœcundus piscibus, vt nullus eo in Lituania sit fœcundior, ibi venationes Regiæ bissontium & ceruorum, & Curia eiusdem nominis.

DVBICE, Lacus Lituaniæ, cui Oppidum à lacu denominatum imminet. Dubice, & quamuis quatuor videantur lacus, tamen vnam habent denominationem, quos etsi paludes quidem intersecant, vndæ tamen illorum simul mixtæ omnem altercationem dirimunt.

Notandum insuper est, quia lacus insignis triginta miliaribus super Oppidum Smolensko versus Nowogrod situs, ex eo oriuntur tres fluuij, de quibus in superioribus fecimus mentionem.

PRIMVS Dzwina, qui vadit in Rigam, versus Oceanum.

ALTER Wolga, qui creditur esse fluuius poricus, vadit super montem Tanais, & intrat mare Caspium, quem Scythæ Perotha appellant. Græci Pirethon. Poloni & Rutheni Wolgam appellant.

TERTIVS Dniepr, qui in Latino vel Græco vocatur Boryslenes, & intrat mare Ponticum circa Castrum Oczakow.

ITEM Dniestr fluuius in Latino vel Græco vocatur Tyrsanis, & diuidit Sarmatiam à DATIA, quam Beatus Augustinus antiquam vocat, quæ quondam fuit Regnum GOTORVM. Item montes Pannoniæ inferioris qui sunt circa Danubium, vocantur Sarmatici qui habent ortum à monte Carpete, & Metanaste, quam vocamus Valachiam, Et tali nomine vocantur omnes montes Germaniæ, vsque ad fluuium Rhenum propter earum ortum. Ex montibus autem istis Sarmaticis oriuntur tres alij fluuij notabiles & insignes, videlicet Istula aliâs Wissa, Guttalus aliter Odra, & Albia, siue iuxta antiquos Albis aliâs Albia. Item ex Sarmatia præfata egressæ sunt gentes hæ, quæ possederunt Scandiam, & nouam Daciam, quæ dedit ortum Teutonis, Vandalis, GOTIS, Longobardis, Rugis, & Lepidis, quos vocant aliqui Cymbros, quos hodie vocamus Pomeranos. Illa autem Sarmatia occidentalis, ortum habet à Sarmatia Orientali, quæ est infra mare Caspium, & habet ortum à Saruth, qui fuit quartus ante Abraham de Sem.

Lacus Terræ Dobrzinensis.

GORZNO, Lacus terræ Dobrzinensis, amplitudine & fœcunditate piscium insignis Episcopi Plocensis, à fluuio irrigatus.

MOKOWO, Lacus magnus terræ Dobrzinensis non longe ab Oppido Dobrzin situs.

SKAMPSKO, Lacus terræ Dobrzinensis, non longe ab Oppido Lipno consistens.

Lacus Terræ Belzensis.

BRZYMICE vel Krynice, Lacus terræ Belzeñ. medium miliare in longum, quartale in latum conficiens. In quo propter sui profunditatem difficilis est piscatura, singularem ab alijs lacubus habens naturam secretam; Nam certo tempore aliquando infra triennium, aliquando infra biennium magno edito mugitu à fluctibus intumescentibus concussus, in montem Petrosum sibi contiguum per cauernas occultas, & subterraneas ingreditur, & paucissimas vndas in alueo suo relinquens multitudinem piscium facile à piscatoribus concludendam & comprehendendam relinquit.

DESCRIPTIO MONTIVM POLONIÆ.

QVAMVIS autem Polonicum Regnum pauciores quàm cætera climata montes habeat, vt potè, quod in planicicbus & campestribus situm primariam sui nouinis & principalem ab alijs accepit denominationem, habet tamen quàm plures montes tàm saxeos, quàm terreos, quorum insigniores describemus. Pro sui autem fama & celebritate Caluariam proponemus omnibus, & Principem, vt est, aliorum constituemus. Cui Vauel subnectens, quoniam apud illum summam rerum consistere, & Regiam illi imponi concessum est.

CALVARIA Mons, est excelsus in terra Sandomirien. Oppido Opatow propinquus assiduo pænè rigens frigore, & frequentes niues, nebulas, & pluuias producens, scaturientes in plerisq; locis habens fontes, famosissima quondam, si veteri & vulgatæ assertioni standum est Cyclopum, quod ingentes acerui testantur lapidum ex arce, quam monti imposuerant ruinati, nunc verò virorum religiosorum sub Regula S. Benedicti militantium habitatio. Incertum à quo Cyclopum & quo tempore arx tanta tot parietum continens longitudines, & tàm grandes æuo suo moles sumptu tam magnifico extructa fuerit. cuius monstrosi ædificij monstrosam lapidum congeriem, atque ruinarum aceruos ingentes,

neque vepres, dumosaq; gramina, nec arbores frequentes potuerunt contegere. In arcis locum succedenti monasterio, à magno enim Boleslao Primo Polonorum Rege ex petra superædificato, in quo ligni Dominici magna mortalibus beneficia conferens, notabilis habetur portio, à Beato Emerico filio B. Stephani Hungariæ Regis monente per visum Angelo illic relicta. Ob quam rem locus ipse in celebri habetur reuerentia, & in assidua mortalium suis necessitatibus succurri per virtutem Sancti Crucis deposcentium frequentatione. Qua in re altitudinem diuinæ prouidentiæ, & eius dispensationis mira opera libet admirari, nam qui pro salute generis humani pati dignatus est in monte Caluariæ, is lignum in quo patiebatur pro salubritate & consolatione Polonorum, in monte eius appellationis voluit consistere. Accessit ad hæc admiratio amplior, nam cum Lituani ea tempestate gentiles & idolatræ clandestino in cursu Regnum Poloniæ irrupissent, & spoliato præfato monasterio etiam lignum vitæ Crucis in suam terram apportaturi rapuissent, sed priusquam Sandomirienſem Regionem egrederentur quadriga, in qua Sacratissimum lignum vehebatur substitut, nec ab equis aut bobus stupentibus barbaris moueri potuit. Ingens illic pestis exorta maxima strage tam homines, quã pecora absumebat. Quo malo Lituani perteriti consilio quoque Polonorum, quos captiuos ducebant vsi, lignum Dominicum in locum suum cum magnis muneribus detulere; & illico omnis pestifera vexatio ab eis non secus quàm quondam post interceptionem & restitutionem Archæ à Philistinis conquieuit.

WAWEL, Mons saxeus qui à Wissa fluuio cursu præcipiti alluitur, in quo & Basilica insignis Martyris famosissimi Beatissimi Stanislai, & prima ac præcipua arx Polonorum Cracouia, atque Regia sita est. Videntur etiam in diem hanc in monte ipso plures specus, aut cauernæ, seu antra latebrosa, in quibus draconem & belluam miræ magnitudinis habitasse, & incolas loci magnis incommodis affecisse, literis & fama vulgatum est.

CZESTOCHOWA, qui & clarus mons propter monasterium in eo situm, & Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis illic superædificatam meruit appellari, ad quam frequenti & annua deuotione fit concursus, propter eiusdem Beatæ Mariæ Virginis, quæ illic ostenditur imaginem, quæ vel à Beato Luca Euangelista, vel ad instar saltem imaginum quos pingebat æstimatur formata.

KONIVSZA, Qui & Equirea in latino appellatur Oppido nominato Proszowice, mons imminens Ecclesiam Parochialem superædificatam habens ab euentu raro & mirabili nomen sortitus est. Nam cum miles quidam Polonus genere nobilis de domo & familia Srzeniauitarum, Przybyllaus nomine illum nonnullo tempore constructa illic ædi, cum coniuge & liberis inhabitaret, in vna noctium equus rarę magnitudinis, quem miles ipse ad fæcundandum equarum partus vni Pannoniorum Satrapæ

triennio

triennio iam exacto vendiderat, ducens secum trequentem equarum a se ex Pannonia depulsarum gregem, quem noctibus tantummodo ne dies furtiuum deprehendisset ex Pannonijs discessum, notatus est conduxisse, aduenit, & vngula pedis domum & portas Heri quondam sui, ac blando hinnitu quatenus aperiretur pulsare cæpit. Cuius crebra in portam percussione & hinnitu sibi multipliciter noto, miles Polonus excitatus, & à somno expergefactus. Primum quidem verebatur hostiles insidias. Postea verò cum per diligentem explorationem omnia pacata esse agnouit, nouo hospiti portas aperuit, & secum vna maximum equarum, & pullorum subiugalium, ex quo breui locupletatus est; gregem accepit. Qui muneris sibi præstiti gratum se suo autori Deo ostendens Ecclesiam ex cocto latere monti imposuit, dotemque præstitit.

TYNIEC, Mons fluuio Wisłæ suspendens arcem conficiens, & cænobium religiosorum Fratrum Sancti Benedicti inter omnia Monasteria Regni Poloniæ primarium & insigne.

GOLESCH, Mons fluuio Wisłoka imminens, in quo arx eiusdem Monasterij de qua immediate egimus, Tynecensis.

LIWOCZ, Mõs lõgè ab Oppido Kolaczyce, & eidẽ Oppido imminẽs.

MRVKOW, Mons petrosus & altus Oppidum Zmigrod prospectans, arcis vetustæ monstrans vestigia.

CHECINY, Mons arcem habens cum Oppido sui nominis, ab eodem sibi impositum, Lazuri, & æris tàm ex se, quàm in circuitu ferax.

RABSTYN, Mons saxeus arce insignis & Oppido Ilkusz propinquus, habens in circuitu solum plumbi venis fæcundum.

PELCZYSKA, Mons vno miliari à Wisliceñ. distans Oppido, Ecclesiam superædificatam ex petra habens, & villæ Episcopali Cracouiensis sui nominis imminens.

BABA, Mons altissimus supra fluuium Sola, herbas multiferas germinans, & Oppido Zywiec imminens.

DZIEWKA, Mons, quem præfatus fluuius Sola alluit.

IAWORNIK, Mons in Oświęćimeñ. terra, in quem ferax syluestrium ferarum, hoc est Ceruorum, & Damarum fit concursus.

SKRZECZNO, Mons in Oświęćimeñ. terra, in quo alites omnium generum constat habere conuentum, à torrente Kośiorowa alluitur.

SADLNIK, Mons Oświęćimeñ. excelsus, ex quo torrens Kośiorowa erumpit.

SVCHA, Mons super fluuium Sola non longè ab Oppido Zywiec.

SOLA, Mons sal gignens, & Salsos gurgites emittens, à quo Polonico idiomate vocabulum sortitus est, Sal enim Poloni sua lingua Sol appellant, in terra Oświęćimeñ. situs.

ZARNOWKA, Mons in Oświęćimeñ. regione, qui torrenti subter se fluenti nomen dedit.

Ossobita,

OSSOBITA, Mons in Oświęćimeñ. terra torrentem sui nominis Ossobita generans.

WIELKA PVSZCZA, in terra præfata Oppido Kathy imminens.

WOLEK, Mons duos torrentes habens sub se & in vertice arcem fortem & munitam.

Montes Terræ Ruſsiæ.

KOBRYN, Mons altus in terra Ruſsiæ, quem fluuius Muchawiec ambit, Oppido sui nominis Kobryn imminens.

CHELM, Mons altus, à quo terra Chelmeñ. denominationem accepit, cui arx supra posita est.

KRZEMIENIEC, Mons altus in terra Podoliæ habens arcem fortem in sui vertice, totus saxeus, silices frequentes producens, à quibus monti nomẽ inditũ est. Poloni enim & Rutheni silicẽ Krzemieñ appellant.

HALICZ, Mons altus terræ Halicieñ. argilosus, qui à fluuio Dnieſtr alluitur, cui arx superimposita est, qui regioni & arci nomen dedit.

LISA GORA, Mons altus ciuitati Leopolieñ. imminens in terra Ruſsiæ, in quo arx magna & Regia quæ alta consueuit appellari, sita est.

POTHYLIC, Mons altus terræ Belzeñ, qui à fluuio Potylica alluitur, & Oppido sui nominis iñinet, in quo quõdã arx notabilis habebatur.

Mons Terræ Siradienſis.

CHELM, Mons terræ Siradieñ. alius à priori, totus saxeus villæ sui nominis superiacens, non longè ab Oppido Przedborz situs, tanta altitudine eminens, vt Sandomiria, Olsztyn, Miechow, Częstochowa, Piotrkow, Caluaria, & plura Oppida ex eo clara die spectantur. Ecclesiam habẽs à Comite de Skrzyn muratã, & septẽ fossis profundis videtur cinctus

Mons Maioris Poloniæ.

RZERZVCHOWA, Mons Maioris Poloniæ non longè à fluuio Wartha & Oppido, excelsum habens verticẽ vicinas prospicientẽ ciuitates.

TVRZA, Mons Maioris Poloniæ non lõgè ab Oppido Gromadno siluis & borris obsitus, statiuis quas illic Maioris Poloniæ exercitus habuit aliquot hebdomadis expectans importationem Coronarum, quas Romanorum & Hungarorum Sigismundus Rex pro Vitoldo Duce magno Lithuaniæ, & cõsorte sua Iuliana Regnũ Poloniæ lęsurus trãsmiserat, insignis.

ZYRKOW, Mons Maioris Poloniæ altus non longè ab Oppido Pyzdry situs, quem fluuius Lutnia præterfluit, ex quo Posnania & ceteræ ciuitates Maioris Poloniæ claro die spectantur.

GIEC, Mons magnus & latus ante Gnesnam & Posnaniam situs, vbi quondam Ducalis arx habebatur, hodie verò habetur Ecclesia.

Bielzkod

BIESZCZAD, Mons propè Castrum Sobieñ. terras Polonicales à Pannonicis disterminans. In illius enim vertice situs est lapis Ruthenicis inscriptus literis, & à Leone quondam duce Ruſsiæ locatus limites Regnorum Poloniæ & Hungariæ demonstrans ex hoc monte, & ad eius verticem hi fluuij insignes & memorabiles orti consurgunt, videlicet Dnieſtr, San, Styr & Cissa, & in subiectas regiones, videlicet Poloniam, Ruſsiam, & Pannoniã, diuerso itinere ex ipsa mõtis summitate decurrẽtes frangũtur.

NICKO, Mons terræ Ploceñ. propè Sarnow & Radzanow Oppida consistens, quem fluuius Wkra alluit, sub tempore guerarum munitus à Crucileris, sed à Mazouiæ militibus expugnatus, omnium Cruciferorum desiderato, aut capto præsidio.

Notandum quod montes Pannoniæ inferioris, qui sunt circa Danubium vocantur Sarmatici, qui habent ortum a monte Carpato in Methaneste, quem vocamus Valachiam.

LECH METROPOLIM GNEZNO FVNDAT, ET IN EA SEDEM SVAM DVCALEM PONIT, ET QVOS DEOS POloni adhuc idololatræ illis temporibus coluerunt.

ALIQVANTO autem tempore Lech Lechitarum Parens, vir sapientia, industria, fortuna, & vitæ integritate præstans, cum illi natura eam omnia excellentia contulisset, facile illius ætatis, illiusq; gentis Princeps Regionem nouam speculans & girans, sæpiusq; cum suis examinans & deliberans, quisnam locus pro sua habitatione, & pro fundanda Principatus sui sede esset aptior, Campestres planicies fœcunditate soli & clementia auræ præferens, quas plures vicini lacus suapte nati ambiebant, ex quorum quasi generali vtero perennes amnes prodeunt, piscium salubritate, & abundantia fertiles reperiens, statiua sua illic ponit, & tàm ipsius Principis Lech quàm omnium natu maiorum, qui sub eius consistebant imperio, decreto locus ipse designatur, & eligitur pro prima Regni sede Metropoli & Vrbe eiq, Lechiticum, seu Polonicum nomen Gnezno ab euentu impositum est, quod in vulgari sonat nidus. Ibi enim primum Princeps & Parens Polonorum Lech, statiua figens peregrinari desijt, & illic sibi & suis omnibus natu maioribus nidificandum, & sedem Ducalem figendum, ac manendũ esse decreuit, illicq; in altis ac proceris arboribus aquilas nidificasse comperit. Ibi veteri ritu Dijs patrijs sacrificio celebrato, quatenus Principi & suæ posteritati Regnum stabiliant. Velint sibi & genti suæ propitij, tàm operum, quàm bellorum, Duces ac bonorum Consiliorum autores forè pluribus iugulatis hostijs litauit. Cærealia etiam frumenta nouæ virginalisq; terræ, primum aratri dolabro violatæ inserta sunt, cum ante fuerit rastro intacta, nec vllis saucia vomeribus. Condita autem

noua vrbe

noua vrbe,& principalioribus familijs populata,arce insuper pro Principe suo, cuius imperium etiam loci præeminentia à cæteris secretum veneratione ampliore colatur, extructa, cætera omnis multitudo Principis Ordinatione in colonias distributa,in varia loca vberiorem glebam & situm habentia deducta est. Propter terrarum enim diffusionem cogebantur noui cultores late diffundi.

Quo autem Anno post confusionem Linguarum Princeps prædictus Lech ex Slauonia Caruatiaque excesserit, & quo Anno, quouè tempore primum terras Polonorum populare cæperit, parum apud autores constat. gessisse tamen Sarmatas cum finitimis & nonnullis alijs longè positis nationibus, vt cum Cæsaribus Romanis videlicet Valentiniano, Tiberio, & cæteris bella legimus, & dum se Sarmatæ per Prouincias Pannonias, Romanis tunc subiectas diffudissent, easq; vastarent Valentinianum Imperatorem aduersus eos bella parantem fluxu sanguinis apud Strigonium extinctum esse, Carolumque magnum cum Polonis bellasse, & Ducem eorum Lech superasse, Martinus Gallicus vt in sequentibus narrabimus autor est. Constat autem Polonos ab initio suæ originis idololatras extitisse, & pluralitatem Deorum & Dearum videlicet Iouem, Martem, Venerem, Plutonem, Diannam, & Cererem, cæterarum gentium & nationum errore lapsos credidisse coluisseque.

Appellabant autem IOVEM Iessem lingua sua; à quo velut Deorum summo, omnia temporalia bona, & omnes tàm aduersos, quàm felices successus sibi credebant præstari. Cui etiam præ cæteris Dijs amplior impendebatur honos, frequentioribusq; colebatur sacris.

MARTEM vocabant Liadam, quem Præsulem & Deum belli, Poetarum figmenta pronunciant Triumphos de hostibus, & animos feroces ab illo sibi precabantur conferri, asperima illum placantes cultura.

VENEREM nuncupabant Dzidzielia, quam nuptiarum Deam existimantes, prolis fæcunditatem, & filiorum atq; filiarum ab ea sibi deposcebant numerositatem donari.

PLVTONEM cognominabant Nija, quem inferorem & animarum dum corpora linquunt seruatorem & custodem opinabantur, postulant se adeò post mortem in meliores inferni sedes deduci. Quibus etiam delubrum primarium in Gnesneñ. ciuitate, ad quod ex omnibus locis fiebat congressus, fabricarunt.

DIANA quoq; quæ superstitione gentili fæmina & virgo existimabatur, à matronis & virginibus, serta simulacro suo ferebantur. Ceres à colonis, & agriculturam exercentibus frumentorum grana sacris certatim ingerentibus colebatur. Habebatur & apud illos pro Deo temperies, quam sua lingua appellabant Pogoda, quasi bonæ auræ largitor. Item Deus vitæ, quem vocabant Zywie. Et quia imperium Lechitarum in regione vastissima siluas & nemora continente fundari contigerat

tigerat, quibus Diana à veteribus inhabitare, & illorum habere imperium perspasum fuerat, fingebant nomen illorum lingua Dziewanna.

CERES autē mater & Dea frugū, quarum satis Regio indigebat, Marzanna vocata, apud illos in præcipuo cultu & veneratione habita fuit. His autem Dijs Deabusq; à Polonis delubra, simulachra, flamines, & sacrosancta instituta, luciq; in præcipuis ac frequentioribus locis venerationes & solennitates cum sacrificijs institutæ, ad quas mares & fæminæ cum paruulis conuenientes, Dijs suis victimas & hostias, de pecoribus & pecudibus, armentisq; nonnunquam de hominibus in prælio captis offerebant. Qui confusam ac popularem Deorum placandam multitudinem libaminibus credebant, in eorumq; honorem Ludi certis temporibus anni decreti & instaurati sunt, ad quos peragendos multitudo vtriusq; sexus ex vicis & colonijs in vrbes conuenire, pro diebus institutis iussa ludos huiusmodi impudicis, lasciuisq; decantationibus & gestibus nonnunquam plausu, & delicata fractura, cæterisq; venereis cantibus, plausibus, & actibus, Deos Deasq; præfatas receptis inuocando, obseruationibus celebrabant. Horum ludorum ritum, & nonnullas eorum reliquias Polonos quamuis ab annis quingentis Christianitatis cultum constat professos, vsq; in præsentia tempora annis singulis in Pentecostes diebus repetere, & veterū superstitionem gentilium annuali ludo qui idiomate eorum STADO, id est grex appellatur, quod greges hominum ad illum peragendum conueniant, & in cuneos seu greges diuisi homines tumidi & seditiosi, in voluptates, segnitiem, & commessationes proni, peragunt, meminisse.

De Polonorum natura & moribus.

POLONORVM Nobilitas gloriæ appetens, & in rapinas prona, periculorum & mortis contemptrix, promissi parum tenax, subditis & inferioribus grauis, lingua preceps, vltra facultatum modum expendere solita, Principi suo fida, aggerum sationi, & armentorum nutrimento dedita, in aduenas & hospites humana, & benigna, & hospitalitatis vltra cæteras gentes amatrix.

Plebs rusticana in ebrietatem, rixas, calumnias, cædes procliuis. Nec facilè aliam gentem reperies tot domesticis, homicidijs & cladibus contaminatam, nullius laboris aut oneris fugax, frigoris atque inediæ patiens, superstitionum & figmentorum sequax, in rapinas prona, hostilitatis sectatrix, & auida nouitatum, rapax, & alieni appetens in confouendis ædibus parū operosa, gasis vilibus contenta, audax, & temeraria; ingenio calida, & parū facilis, gestu & habitu decora, viribus præcellens, statura alta & procera, corpore valida, mēbris apta, colore albo & nigro permiscua, ferox, Cæli aura influentia, cruda, gelida, sydera, inclementes venti, longæ niues, diu rigantes. Aduenæ forenses, & peregrini homines, etiamsi in illis ingenium spectetur aut vita, raro

ad regendos,& non niſi procedente tempore,& ætatis ſucceſſione aſſumũtur ad Magiſtratus, & ſi quando id contigerit, raro tamen ſine inuidia. Vtinam Poloni virtuoſis Hiſpanorum vterentur ingenijs, qui nullum hominum genus, in quo virtus eluceſcit, faſtidiunt, conuerſiſq; ex ludæis & Saracenis Pontificia,& celſiores Magiſtratus, mandant,hac quoque benignitate Rempubl. ſuam florentiorẽ rectioremq; efficiunt.In hoc Bohemis diſſimiles, qui nefas ducunt, quoslibet Regni ſui Magiſtratus niſi in vna etiam per improbos, ignauos, continuare familia, polluendos,ſi in alteram transferantur: Prouidi aliquando in cæteris,in hac tamen re videntur mihi non parũ deſipere, qui velut diuinitati vim ponunt, & donorum eius gratiã obſeruare aut vſurpare contendũt, illud genti ingeniũ ea indoles, vt tenuẽ virtuti, tenuẽ doctrinæ, honorẽ tribuant, ad illos faſces dignitatũ & Magiſtratuũ officia deferãt, qui effuſiores omnibus opibus abundant, animum habentes contemptorem mortis, ad necemq; aliorum proniorem.

Ciuitates & Oppida apud Polonos, & ſub Regno Poloniæ conſiſtentia magis inſignia, magiſque memorabilia eſſe ea dignoſcuntur.

CRACOVIA, per Grachum Principem Polonorum apud Stennam ad vada fluminis Viſtulæ condita, & à Graco G litera mutata in C Cracouia appellata eſt. Illic enim Regum & Principum Poloniæ ortus, crepundia, ibi regenerationis in Chriſto aguntur eorum primordia. Illic totius eorum Genealogiæ cineres, magnificis vrnis & ſumptibus recondũtur: illic oportunitate & gratia loci præeminens omnium Polonorum facile arx & Metropolis, tàm Regis, quàm Pontificis honorificata ſedes, in tres diuiſa vrbes. Cracouiam mediam vocant, cui arx in colle petroſo,& æditiori à veteribus Wawel nuncupato imminet à Viſtula ablutus,ſaxo in pleriſq; locis abſciſo ſuperimpoſita, & in Coronæ modũ, muris, pallacijs, turribus, cæteriſq; propugnaculis munita, & in ea Regia ſita eſt ſedes, & S. Staniſlai Martyris & Pontificis Crac. ſacri corporis gleba, & baſilica,petra quadrata fabricata, oſsibus & corporibus,reliquijſq; veneranda, Sanctorum plurimorum, clauo inſuper Dominico, & Beati Ioannis Baptiſtæ mandibula. Item corpore S. Floriani Martyris dotata: Altera ad meridionalem plagam vrbs CASIMIRIA, à Caſimiro Secundo Polonorũ Rege, ſuum illi imponente nomen, fundata, eiuſdemq; B. Martyris Staniſlai nobilitata Martyrio, ædium religioſorum & ciuium feracior, infrequens enim extat ædificijs, templaq; ſuperiorem aliquem tenent locum. Tertia ciuitas FLORENTIA à B. Floriani, in ea, priusquam condideretur, ædificato templo, denominationẽ accepit, & ipſa ab eodẽ Caſimiro Secundo Polonorum Rege fundata. Crac. Vrbs, etſi pluribus præemineat commoditatibus, ea tamen vel ſola inſignis, quod ad omnes Regiones ſibi vicinas, videlicet Pannoniam, Bohemiam, Morauiam, Ruſsiam, Podoliam, Lituaniam,

Lituaniam, proportionaliter porrecta, à quibus merces variarum accepit materiarũ,& porrigit ſtudio generali. Item Coronationibus, corporibus, incunabulis, & ſepulturis Regum. Item Eccleſijs Collegiatis quatuor fit illuſtris,copiam petræ, lignorumq;, & cuiuslibet alterius materiæ ad erigẽdos muros, ad excitandũ neceſſaria opera, in propinquo habens. Viſtulã, præterea amnem nauigabilem oportunum ad importandum, quæ vſui forent, ſubter mænia Cracquieñ. & Caſimiriæ Vrbis in medio fluentem. Magnarum inſuper gentium haud longè fines abſunt, quarum commertium in eam maxime Vrbem mutui vſus contraxere.

GNEZNA, Polonorum altera Metropolis nomine magis quàm re, & veteri potius ſplendore, quàm nouo lumine inſignis, & niſi Prouincialis Eccleſia eam diffunderet, ignorata à pleriſq; foret. Omnium tamen Polonicalium Vrbium mater, à nido denominata, à Primoq; Principe Lechone fundata, quoniam ibi primum cum familijs & cognationibus conſtitit, & tam Regiam,quàm Vrbem erexit Nidus ex euentu appellata,eo vel ſolo parum felix, quod cum plures Vrbes Polonicales parturierit, ſe ipſam exinaniuit, lacubus ferax,& ſolo B. Martyris Adalberti corpore ex Pruſsia in maiorem Eccleſiam translato feliciſsima.

LEOPOLIS tertia etiam Poloniæ Metropolis & ſedes,quæ dignitas ad illam ſub Wladiſlao tertio Rege Poloniæ translata eſt, ex Haliceñ. Vrbe duobus arcibus, quæ illi ſupereminent inſignita, & plurimarum merciũ quæ per mare Nigrum inuectæ terreſtri itinere tranſmittuntur ad illam, ferax eſt. Amnis tamẽ nauigabilis, qui cõmoda Vrbiũ augere ſolet indiga

POSNANIA, Priſcorum Poloniæ Regum arx, ſedes, & Regia,atq; ſepultura. Pontificali honore prædita eſt,flumine Wartha irrigua, & religioſorum ædibus ampla.

WRATISLAVIA, à Mieczſlaw Polonorum Principe,ſub quo primum Poloni à Dijs gentium ad Chriſtianitatis iura conuerſi ſunt, condita, Cathedræ honore, & corporibus Beatorum Martyrum, ac Templis Sanctorum pulchro opere fabrefactis,fluuioq; Guttalo illam alluente celebris.

WLADISLAVIA ad fluenta Wiſlæ ſita, a Wladiſlao Monarcha Poloniæ Primi Regis Poloniæ filio,nomine ſuo illã vocitãte cõdita, qui pro illius incremẽto ſedẽ PontificalẽCruſuicieñ. in eã transtulit,nulla alia re,niſi Cathedra Pontificali memorabilis, quæ niſi eã oſtenderet à pluribus, illam ignorare potius cõtigeret,quàm ſcire, cũ in propatulo ſita ſit,nulla propugnacula,nulla mænia retinens,& cuilibet hoſti ad diripiẽdũ facile expoſita.

PLOCKO, Sede Epiſcopali & arce Vrbi confrontata, amne quoque Viſtula, qui illic inflatus alueum ſuum lateſpargit inſignis.

CHELM, Quæ ad differentiam nouæ Chelm, ad fluenta Viſlæ ſitæ Chelmza vocatur, honore,tantummodo Cathedræ Pontificalis nobilis.

KAMIEN, à lapide plures enim dum condebatur locus ille lapidũ habebat congeries, appellationem ſortita, lingua enim Polonica lapidem Kamien vocant, Pontificali excellentia nobilis.

LVBVSCH, Veteri magis denominatione, quàm præsenti significato celebris, quæ cum dignitate Pontificali tantummodo excelleret, communi verò habitatione rara & sterilis foret Pontificalis sedes in Zurschenuald Oppidum magis cultum, magisq; tutum translata est, priscum tamen retinens vocabulum non Furschenuald, sed Lubuceñ. appellatur.

PRZEMISLIA, à Præmislao fundata, Episcopali dignitate, & arce, & templo in arce ex petra quadrata erecto magis, quàm alia re fluuio insuper Shan subter illam decurrente insignis.

KAMIENIEC, Petram altam, spisam & abruptam in Coronæ modum vndiq; habet pro muris & mænijs, quam fluuius Smotricz non mediocris vndique cingit, & alluit, aliquantulum dum illam circumfluit stagnans Tàm raro & inusitato naturæ solius effigiata situ, vt conspectus eius singulos in admirationem commoueat præruptis vndiq; intercluſa, rupibus, non valle, nec fossa, quemadmodum aliæ Vrbes, sed profundis vallata præcipitijs, quæ intuentem horrore quodam inuoluunt aliarum rupiū n circuitu, vel quodam vallo communita, septoq; naturali abscondita, vt nemo prius Vrbem illic cogitet esse, quàm in ipsam fuerit ingressus. Vnus tantummodo ad illam accessus ex arce & à plaga meridionali, arduo tamen ascensu patet. Pontificali & ipsa eminentia, & arce vrbi superimpendente insignis, solo, melle, cæra, & pecore ferax.

KIOVIA, Ab vno Polonorum & gentium Principum Kig condita, & ab illius nominis proprietate vocabulum sortita, maxima quondam & famosa vrbs trecentis templis, quorum nonnulla ruinauit vetustas, honore insuper Cathedrali, & amne nobili & feraci Dniepr aliâs Boristene arce quoq; in colle, & quercinis roboribus constructa, propinquitate insuper maris memorabilis, adeò piscium ferax, vt vix similis alia.

WILNA, Honore Episcopali & arce æditiori insignis, duobus fluminibus Wilna, & Vilia illam à parte vtraq; ambientibus fæcunda.

MEDNIKI, Pontificali honore & arce æditiori insignis, fluuioque Medniki secus illam decurrente.

LVCKO multa salis fæcūditate nobilis, & vno fluuio pulcherrimo Styr vocato irrigua. Pontificatu & arce insignis à Wladimiro Principe condita.

CHELM, Tantummodo Pontificali honore & arce vulgata, adeò inculta & ignobilis, vt honor ille sibi ademptus, & in Rubieszow Oppidum cultius & magis habitatum transferri debeat.

SOCAWA, Honore Episcopali insignita mercibus insignita, quam fluuius eiusdem nominis præterfluit, & quidem hæ sunt Vrbes in Poloniæ Regno Pontificale habentes decus. Cæterę quos subnectemus, minus vulgatæ sunt, & Collegiatarum Ecclesiarum nomine alijs præstantiores.

SANDOMIRIA, Regionis magnæ Sendomirieñ. caput, quæ à fluuio Wissa alluitur celebritate, Indulgentiarumq; 2. Iunij maximo illic hominum concursu frequentatur memorabilis.

WISLICA, A Vislao Comite Heroe peruetusto Poloniæ nomen suum illi

suum illi imponente, sub gentilitate condita, & in meditullio amnis Nidæ sita, paluſtribus locis vndequaq; septa, in qua obstrepentes, & rem diuinā turbantes ranas, fama fert sacerdotem quendam loci pro sua sanctimonia silentium ranis iussisse, atq; ex eo negantur tempore, ranæ illic coaxare.

KIELCZE, A Gedeone Episcopo erecta.

OPATOW, Foro & merciū venalium importatione famata, famosior si magis opulentum amnem, quàm sit Lukawa eā præterfluens sortita fuisset.

SANDECZ, A Venceslao Polonorum & Bohemorum Rege, vtriusq; enim Regni tunc tenebat iura in æditiori loco ad confluentiam duorum fluminum, Dunaiec & Kamiona fundata.

SCARBIMIRIA, Solo fæcunda, & fluuio Nidzica irrigua.

TARNOW, Per Spicimirum Cracouieñ. Castellanum condita.

LANCITIA, Palude protensa, & vix permeabili, latus illius septemtrionale cingente nobilis.

KALISZ, Ciuitatum vetustissima, cuius nomen inter Polonicales ciuitates per Ptolomæum in sua Cosmographia descriptum tantummodo potest dinosci. Prosna flumine paluſtrem illi causante situm, alluitur.

WIELVN. A qua vniuersa Regio quæ prius Rudeñ. vocabatur, Wieluneñ. vocitari cæpta est, Collegio Rudeñ & ciuibus in eam translatis per Casimirum Secundum Regem Poloniæ ad riuos pulcherrimos è terra planè ebulientes, condita. (frequens.

KVRZELOW, Arenosū solū habēs & sterilē, habitatoribus quoq; in-

LOWICZ, à Iaroslao Boguria Gnesneñ. Archiepiscopo ad flumen Bzura condita, habitatoribus copiosa. (rabilis.

GLVSZYNO, Nulla alia re, quàm Canonicali Collegio memo-

NISZA, Propter fluuium Nisza penes illam decurrentem, huiusmodi nomen sortita est à Boleslao Victorioso dicto Krzywousty, Polonorum Duce & Monarcha condita.

OPOLE, Duabus pulcherimis arcibus optime insignis.

BRZEG, Oppidum, quod in littore fluminis Odræ conditum sit, vulgari Polonico Brzeg, quod littus sonat appellatum.

GLOGOVIA Maior, flumine Odra iam illic vndis inflato, & duobus castris venusta.

GLOGOVIA Minor, arce tantūmodo & fluuio Ossobogla clara.

LEGNICA, Arce, templo, & mænijs nobilis.

RATHIBOR, Arce ornata & flumine Odra irrigata.

ODMVCHOW, Arcem quidem habens superimpendentem sed fluminis indiga.

KRVSWICA, Vetus quondam Regia lacu amplissimo Gopło circumcincta, & seminibus frugifera.

POLTOWSK, Ecclesia Collegiata, & Clero in ea residente celebris, & pulcherima arce supereminente pisce, frumento, & cæterarum rerū venalium importatione opulenta, illic vini rarissimus vsus, nec vini cultura cognita.

ra cognita. Habet tamen quendam potum coctum Polonica Regio ex tritico humulo & aqua, qui vulgari Polonico Piwo, id est ceruisia appellatur, quanquam nihil melius ad ipsum corpus alendum, inhabitatores delicatos reddit, aduenas sui saporis mira delectatione vltra cæteras Regiones retinet, amne Narew irrigua.

Habet præterea Regnum poloniæ nonnulla Oppida. Esto quod neq; Pontificali, neq; Collegiatarum Ecclesiarum honore, fulgeant, insignia: Et in primis.

GDANSK, nedum apud Polonos, verùm apud cæteras gentes memorabile etsi non magnum Oppidũ, sed frequenti emporio celebre, quod multarum rerũ merces, in illud flumine Wista, quæ illic ostio vno ex tribus miscetur, æquori Oceano Sarmatico, magnarũ gentium fines contingens. Quarum commercia illic, terra, vndis, & pelago frequenti, & mutuo vsu ex varijs Regionibus trahuntur.

TORVN, Pulcherrimis ædificijs & tectis ex cocto latere irradiantibus, ideo memorabile, vt vix aliud sibi pulchritudine situ & resplendentia exæquari possit, & supra ripam, Wistulæ ponte ligneo magna arte & impensa superædificato positum.

ELBING, Ex vicinitate maris plurimas sortita commoditates, muris & turribus, satis insignis, verũ Fide sub tempore guerarum in Casimirum Tertium Regem Poloniæ, quam demonstrauit, Insignis. Referuntur insuper, & in Cosmographia Ptolomæi describuntur, & aliarum Polonicalium Vrbium sedes & nomina, videlicet Calisia, Sedibaba, Lutidanũ, Budoricum, Laucaristus, Sturgum, Limosalcum, Ascanalis, Rugium, Viritium, & Arsonium; in quibus neq; loca, neq; nomina, præter solum Calisch potuimus recognoscere, non solùm autem sub Imperio & Principatu Primi Polonorum Principis, & conditoris Lech, qui generis & feminis Polonici Princeps esse promeruit, sed & sub filiorum suorum & Nepotum, quorum quilibet in Principatum succedens, Auito & Paterno nomine Lech appellabatur, gubernatione & regimine Polonorum Prouincia per diuturna tempora, longasq; ætates & successiones secura potiebatur pace & tranquillitate. Bella rarò repellens, quippe quæ Alpibus aut freto septa, aliarum nationum quas à continente habebat, confrontatas, audiebat magis quàm sentiebat bella. Habet longo terrarũ mediante tractu villagia & vicinia, Sed neq; æquore aut terra, exterrarum Regionum more, gens Polonica frequentabat fora, aut transmarinarum, peregrinarumq; gentiũ mercibus, aut connubijs se miscebat, sed simplici alimento, quod natiuum producebat solum, & hirsuto humiliq; vestitu, domestica elaborato arte, contenta, omnium mollium & delicatorum expers, sitim vndis, esuriem frumento, carne, pisce, lacte, melle, & olere sedabat. Nullas habens tunc opes, quibus vicinas & finitimas sibi gentes, vel adduceret, vel ad sui incolatum & frequentationem alliceret. Legum autem humanarum rudis & ignara, Principum arbitrium pro legibus obseruabat. Et quidquid à Principe Sancitum, mandatum, vel decretum esset pronò deuotoq; animo exequebantur, cum contumaces & rebelles seuera animaduersione, nullo pœnitendi dato spatio plecterentur, propter quod imperium Principis pro legum norma habebatur, nihil temerè, nihil tumultuosè agi licebat, ad Regum arbitria digna atq; indigna, & quoq; extrema posita. Pendebant autem singuli pro Principe, statutis vicibus & diebus, labores, obsequia, deinde tributa, ac pro mensa & curia sua, frumentum, carnes domesticas, & siluestres, pisces, mel, & aliorum victualium necessaria iuxta Ducis arbitrium, siluestriumq; animalium, Mardurum, Castrorum, Ermeliorum, & vulpium, quibus Polonorum Regio pro ea tempestate ferax fuit, pelles sub certo numero pro tributo conferebant, huiusmodiq; laboribus, datijs, & rebus annua tributa reddebant, auri, argenti, æris, cæterorumq; metalorũ nullus apud eos vsus præter ferrum, quod vel hastis, vel aratro cæterisq; instrumentis competebat. Culmo tegentes tuguria, & nudo solo accumbentes, pecore & frumento diuites, litium discordiarum & iudiciorum ignari, omnium superfluorum apparatuum noscitabantur osores, propter quod nemo ad eos peregrinus aduentauit hospes, nemo pannos, nemo aromata, nemo vina, cæteraq; huiusmodi oblectamẽta ad luxũ pertinentia, quibus maximè humanus & ferox animus remittitur, aduehebat, scientes hæc apud gentem parco & grosso victu assuetã in contemptu magis, quàm in pretio haberi; tunc enim Polonia nihil lasciuum, nihil luxuriosum habere nouerat. Mutua autem fora non nisi cogente necessitate obibant, non quidem proprie aut forensia numismata, nullum enim tunc extabat, & si quid importabatur, refutabatur, sed vitæ rerum necessariarum cambio, cõmercio & permutatione vtebantur, & quibus magis quàm pecunijs res per illos aut dabantur, aut parabantur. Nullus itaq; tunc hostis, nullus liuor, nulla cum exteris gentibus bella, nulla fœderum raptura, nulla ciuium violatio, omnia pacata & tranquilla, omnia beata, & tuta adeò, vt ætas illa sub Principe Lech filijsq; suis & Nepotibus traducta, aurea potius quàm Lechitica possit vocitari, in qua etiam tenues transgressiones & minutæ castigabantur, ne ad grauiores ex facilitate fieret transita, in ipsisque initijs comprimebãtur delicta, ne fœda imitatio cæteros inuolueret. Erant autem tunc Poloniæ Reges & Principes magis quàm leges terribiles.

Duabus Rebus Polonorum Regio prodigiosa & miranda est.

QVAS Solinum cætera orbis mirabilia scrupulosius inuestigata describentem admiror tacuisse, & quæ aut immerito pro sui veritate vt naturæ præpotentis opera nihilo alijs inferiora, ijs quæ à Solino enumerãtur, possunt adiungi. Vna, quod in campis villæ Nochow propè Oppidum Srzem in Posnanien Diœcesi sitæ. Item in villa Kozielsko in distrietu Paluki, propè Oppidum Lekno vniuersi generis sponte, & sola arte naturæ absq; omni

abſq; omni humano adminiculo variarum formarum, & ijs ſimiles, quas humanus conuictus habet in vſu, ſub terra naſcuntur ollæ, teneræ quidem & molles dùm conſiſtunt in Natiuo Nido ſub gleba, ſed dùm fuerint extractæ & vento, aut ſole duratæ, ſatis firmæ, diuerſis formis & quantitatibus compoſitæ, non ſecus quam artificio figuli effigiatæ, & quarum, quod admirabilius reor, generatio, augmentatioque naturalis nunquam nota eſt, gleba etiam non dehiſcente decreuiſſe. Altera quod in ſiluis, campis, & borris Oppidi Potilicz, in terra & Regione Belzenſi & Chelmenſi Diœceſi, pinearum arborum ea eſt natura & conditio, vt ſi earum aliqua pars, vt pote, ramus, præciſa, vel decerpta fuerit, aut vniuerſa arbor ſucciſa, quod lignum ſub anima vegetatiua fuerat, in naturam Silicis poſt annos aliquot conuertitur & transformatur. & iuxta ac naturalis ſilex, ignem excuſſus producit, quantitatem & proportionem, in qua præciſum eſt, retinens, ſaxi verò & ſilicis qualitatẽ & naturam.

Polonorum varia à ſitu & locorum cognomina.

VIgente quã narrauimus inter Polonos parſimonia & modeſtia, & tranquillitate, adeò res eorum creuerunt in vniuerſum, vt & has oras, quas colendas acceperant habitabiles, cultaſq; efficerent, & nonnullas inſulas maritimas contingerent: Germania Colonis ſuis vſque ad Almaniam, quæ nunc Myſzna dicitur diffundendo, propter quod plerique ex illis qui deſertas & ſingulares Regiones ſubijſſent, varia cognomina ſunt ſortiti, videlicet Drzewianie à multitudine ſiluarum, in quibus primum ſedes ſuas poſuerunt notabiles Ciuitates, videlicet Bukowiec, quæ nunc Lubek, Ham, quæ Hamborg, Breme, Sleśnik, Czeſznina. Item KASZVBIANIE aplicatione rugarum in veſtimentis, quibus primũ veſtiri conſueuerant. Huba enim in Polonico ſeu Slauonico dicitur Ruga. Kaſz autem dicitur plica in modo Imperatiuo. Item Trawnianie ab abundantia graminum appellati. locus enim quem inſederant graminibus vberrimis erat refertus. Item POMORZANIE, eo quod maris ſeptemtrionalis oram maritimam incolebant, à quibus terra Pomeraniæ eſt denominata. Item SERBIANIE, à præfecto ſuo Serb extiterunt cognominati. Quamuis autem varijs his & alijs à ſitu locorum, vel nominibus præfectorum appellentur, Vnum tamen Lechiticum ſeu Polonicum ſinguli ſonant linguagium, licet Teutonicis & Saxonibus, qui eorum terras occuparunt mixti quædam verba confuſione idiomatum proferant, nunc ineptè & corruptè. Cæteri verò Poloni, qui ad reliquas oras populandas ſe conuerterant vniuerſali nomine non mutato, Poloni appellantur, licet inter eos ſit quædam per Regiones, quas incolunt, quæ à capitibus Vrbiũ, quæ in illis ſucceſsione temporum conſurgebant, deminationem acceperunt, diſcretio, omnes tamen tàm propinqui, quàm remotè poſiti tributa

conſtituta Principi Lech filijs ſuis & nepotibus, poſt illum nulla interpoſita renitentia & contradictione perſoluebant, ſingularibus etiam largitionibus & donis, ex bonis terræ, illos honorando. Inter autem filios & Nepotes Primi Principis & conditoris Polonorũ Lech, ex illo rebus humanis abſumpto, nulla contingebat diuiſione & diſſenſione interponi. Primus enim dum viueret, & communi omnium deliberatione maior natu in Solium & Principatum decedentis ſuccedebat. Quæ quidem conſtitutio ſolidam caſtamq; habũit obſeruationem executionemq;, donec vniuerſa Principis Lech per lineam rectam deſcendens conſumeretur progenies, in longas ſucceſsiones, ætates, & tempora deriuata, ſub quibus omnia memorabilia geſta & bella a Lechone & ſuis nepotibus illata, atq; repulſa, & res geſtæ quantumuis illuſtres memorabiles & magnificæ, caſuſq; eorum & ſucceſſus quibuſq; & quotannis apud Lechitas ſeu Polonos geſſere imperia, quibus quoq; fulsẽre virtutibus, & moribus, aut quibus vitijs abundarunt, & quæ in proprios & exteros ediderint facinora, temporis diuturnitate, & literarum penuria, nullis tùm apud Polonos extantibus ſcriptoribus & literis, in perpetuam obliuionem venere, ita vt illorum nomen obſcurum prorſuſsit & obſoletum, Principibus Polonorum illius æui, illiuſq; temporis munus id non tenentibus in proſpectu, nec quidquam penſi habentibus, vt eorum origo bella & opera in poſteriorem forent traducta nationem. Quæ rerum maligna negligentia etiam in eam diem apud Polonos manet. Cum multi Polonorum Principes tranſacti, Reges autem Heroes ſoleant rerum geſtarum & temporum ſuorum negotium alicui ſcriptorum mandare; ad quod Hebræorum, Medorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum, Gallorum, Germanorum, Hiſpanorum, cæterarumque gentium Reges, Duces & Cæſares nomen ſuum tranſmiſſuri, ad poſteros præcipuam & ſcrupuloſam curam leguntur impendiſſe, ſcriptoreſq; rerum ſuarum, & præcones altis & exquiſitis extuliſſe & celebraſſe honoribus. Non fortuna autem ignobilis, ſed plurimum vtilis & neceſſaria humano generi annales conſcribendi fuit, eſtq; ratio, vt videlicet ſequens ætas, ſequenſq; ſucceſsio, laudatos mores, actus & virtutes, quas imitetur bonorum Principum & heroũm, pro ſpeculo habeat, & ſe illis conformare contendat, de prauatoſq; Deo, & hominibus odioſos ſciens pro illis fugillationem, & execrationem ad ſe etiam poſt fata peruenturam, deuitet. Nulla ſiquidem aut bellica aut domeſtica virtus adeò excellens & inſignis fuit, vt eius memoria foret diuturna niſi poſteris ſcripturarum monimentis traderetur memoriæ. Sed & opus quodlibet ſiue heroicum ſiue virtuoſum infirmum cenſeretur atq; mancum, quod non fuerit illuſtratum à ſcriptoribus, qui ſoli certam illi ſedem conſtituunt, & res domi aut bello geſtas efficiunt celebriores.

Quomodò Poloni ſub duodecim Præfectis, ſine Rege, non diu & peſsimè ſteterunt ſub ſpecie libertatis.

STIRPE Lech Primi Parentis & Principis Polonorum radicitùs ſubla-
ta, primis Polonorum Proceribus, & nobilitate apud Gneſnam de Prin-
cipe ſurrogando deliberantibus, id omnibus pro ea tempeſtate optimum
viſum eſt, vt Principatus iugo ſolutis omnibus viribus libertatem ſectaren-
tur, & ad ſubeundum nouum iugum, cum antiquæ recordationis grauita-
te tenerentur, nulla ratione aſſentirent. Monarchiæ itaq; ſtatum abrogãt,
in quo pro libidine impunè agere omnia Reges & Tyrannos licenter vi-
derant, ad illam ex opulentia deuenientes inſolentiam, & per liuorem, &
vitiationem naturæ, vt ſuperbè populares ſuos faſtidirent optimis infenſi,
deterrimis amici eſſent, & quaslibet criminationes facile admitterent, iura
patriæ labefactarent, terminos eius occupari ſua negligentia permitterent,
fœminis vim inferrent, indemnatos pleroſq; , aut facultatibus, aut vita exu-
erent, conceſſa Venere non contenti, illicita ſe fœdarent: Atq; adeò omni-
bus in rebus voluntate pro ratione vterentur. Vniuerſis autem hanc ſen-
rentiam prona approbatione ſequutis, ne Reſpublica in longas terrarum
propagines deriuata, ſine rectoribus remaneret, leges patrias, & quas ru-
di illi, & agreſti ſeculo ſufficere arbitrabantur, inprimis condunt. Deinde
duodecem viros ex proceribus innocentis vitæ, & recentioris ſpiritus no-
bilitate & diuitijs præſtantes eligunt, illiſq; ſummam adminiſtrandæ Rei-
publicæ & omnium quæſtionum, iniuriarum, differentiarumq; deciſionem,
punitionemque committunt; quorum imperium aliorum ſurrogatione, ſi
fortè neceſsitas vel vtilitas poſtulaſſet, producebatur; qui etſi integritate
quàm potuerunt ampliore Regno commiſſo intendiſſent, puritatis tamen
& libertatis vſus inſolitus faſtidioſum & contemptibile tandem eorum Im-
perium reddidit; veteris enim diſciplinæ & rigoris Poloni obliti ex con-
ceſſa libertate inſoleſcebant, Imperiumq; duodecim rectorum, ſi quando
vſu aut neceſsitate cogente aliqua imperauiſſent, detrectabant, eorumque
ſententias & decreta improbabant, ſcientes contumaces & rebelles aliqua
animaduerſione non poſſe percelli, ipſi quoq; duo decim præfecti à vulgo
ingeminatione querellarum inſimulabantur, quod Republica poſthabita
priuatis tantummodo commodis & vtilitatibus cum legum promulgatarũ
præuaricatione inhiarent. Ex quo crebræ inter præfectos & communita-
tem contentiones, & odia exorta benè fundatam Rempublicam peſunda-
re cæperunt. Ea enim natura multitudinis perhibetur eſſe, quæ & freti.
Si enim aliquando fluctus ſuos impellentibus flatibus extulerit, non facile
ad priorem poteſt reduci tranquillitatem. Sanctum quippe nacti Regibus
& Principibus diuinitate propitia extinctis, Poloni conſilium imperiũ ſuo-
um libertate & legibus ſtabiliendum cenſebant, optimum factu rati, ſati-
us parere legibus quam Regibus, fuiſſetq; eorum Reſpublica felicibus in-
crementis proſperata, ſi partam libertatem pati & tueri potuiſſent. Paucis
ſiquidem exceptis cæteri inſolentes, arrogantes & rixoſi facti, ſiue id na-
tura gentis, ſiue moles dilatati imperij cauſabat, impunita tranſgreſsione,
& ſuapte illecti, ad quæq; illicita & noxia dilabebantur. Iam domeſticis &

ciuilibus

ciuilibus non contenti facinoribus etiam in vicinas & regiones ſuas factio-
nes diffundebant. Hinc quoq; effectum vt vicinæ gentes ab illis viola-
tæ, varijs duriſq; bellis eos affligerent, & in Regionibus Polonorum nul-
lo, hoſtile bellum repellente, graſſando illos pro libito vaſtarent. Quapro-
pter dulce libertatis nomen, ad ſalubrem Imperij ſtatum deſtinatum, abu-
tentibus illo Polonis grandem Reipublicæ attulit pernitiem & iacturam.
Imbecilliores deinde à potentioribus oppreſsi ſerum & tardum ex duode-
cim Rectoribus præſidium aſſequebantur. Tendendo enim quiſque Re-
ctorum ad ſuas ambitiones & conſilia, dederc documenta in adminiſ-
tranda Republica multorum Imperium non poſſe fieri vtile neq; diutur-
num, & pleriſq; virtuti incumbentibus in publica vehementiora priuatim
odia ſuſcitari conſueuerant, vt vnoquoq; partes primas ſibi vendicante, &
tàm in dicenda ſententia, quàm in cæteris id genus publicis rebus excelle-
re conante, ad ingentia odia, nec non ſeditiones, & cædes ventum eſt, ob
quas ad Monarchiam coacti ſunt recedere.

Quomodo res Ruthenorum creuerunt, & à quibus principaliores Ciuitates & Caſtra ædificata ſunt.

RVTHENORVM ſub idem tempus Principatus Polonis ciuili bel-
lo ſeſe collidentibus, & incrementum & ortum habuit, quorum Regio
apud Oram, quæ hactenus Podolia nuncupatur, adeò agro perhibetur fe-
rax, vt cum ſemel ſatæ fruges fuerint, recidentibus ſubinde ſeminibus, ſe-
getem nouantibus alteræ meſſes ſine ſatione proueniant. Erant apud illos
tres viri, eodem Patre & vtero geniti Kig, Sczyg, Korew, & quarta ſoror;
liberi tàm ingenio quàm virtutibus præſtantes, vt qui facile Principatum in
gente conſecuti, cæteros redegerunt in ſuas ditiones, à quibus cæteræ na-
tiones ſecundum Tribus & domos ſuas deriuati ſunt. Hi tribus caſtris in
Ruſsia erectis, ſua illis indiderunt nomina. Nam Kig Caſtrum ſuper fluui-
um Niepr à ſe conſtructum vocauit Kiow, Sczyk Sczykawica, & Korew
Korewica, gentilium & ipſi errorẽ conſequuti, ſtagna, lacus, fontes, aquas,
pro Dijs colebant. Erant & alij Ruthenorũ Duces, videlicet Radzyn vnus
in flumine San, & alter Wiathko, in flumine Olka conſidentes, quod de no-
minibus ſuis Regionibus & populis vocabula indiderunt, à Radzyn enim
Radzymierzanie, à Wiathko Wiatyczanie vocati ſunt, qui ad fluuium Bug
conſederunt. Dulebianie à Duce eorum Duleba vocabantur, qui nunc
Luczanie appellati ſunt. Habebant autem nationes Ruthenorum ex Po-
lonis deſcendentes in ducendis vxoribus, & contrahendis matrimonijs in-
ter ſorores germanas, & propinquas diſcretionem abſtinendo à concubi-
tu earum, propter quam honeſtatem ſortiebantur vitam longam. Dule-
bianie verò & hi qui proceſſerant ex Radzyn & Wiathko habitabant mo-
re ferarum in ſiluis, committentes omnem immundicitiam, pudoreq; ſolu-

 to, & ali-

to, & alienis & cognatis vxoribus rapientes miſcebantur. Abſumptis deinde Kig, Sczyg & Korew, filij eorum & Nepotes linea directa ſuccedentes, dominabantur apud Ruthenos annis multis. Donec ſucceſsio huiuſmodi ad duos fratres germanos videlicet Oſkald & Dir peruenit, quibus apud Kiouiam manentibus, nonnullæ Ruthenorum nationes quæ ex ingenti multiplicatione nouas ſedes ſibi quæſierant eorum Principatum perteſæ à Varahis tres duces acceperunt: quoniam ex proprijs neminem eligi propter paritatem placebat. Primus autem dictus eſt Rurek, qui in Nouogrod. Secundus Scyniew, qui in Białe ieźioro. Tertius Trubor, qui in Zborſk ſedes ſuas poſuerunt. His & cuilibet eorum à Ruthenis, & populis ſuæ ditioni ſubiectis, de quolibet capite humano pro tributo vnus aſpergillus albus reddebatur. Duobus autem Ducibus proceſſu téporis, videlicet Sciniew & Trubor nulla prole relicta mortuis, Rurek in eorum Principatum ſuccedens & moriens filium nomine Ihor reliquit, qui adoleſcentiam pertingens, Oſkaldum & Dir Kiouieñ Principes nihil hoſtilitatis ab eo ſuſpicatos in dolo occidit, & Principatus & terras eorũ occupauit. Sed neq; Duci Ihor Oſkaldi & Dir Ducum Kiouieñ. diu imposita fuit occiſio. Dum enim populos qui Drzewlanie vocabantur, Ruthenici generis Ducem proprium Miſkinã habentes, ad tributum fretus potentia cogeret, & prima ſolutione de qua inter eos conuenerant non contentus, ſecundam eodem anno exigeret. A Drzewlanis iniuriam non ferentibus nefariè occiſus interijt. Quj miſsis ad ſuam relictam Olhã nuntijs, quatenus Ducem eorum Miſkinam virum acciperet, & Principatus vniret, ſummopere ſuadebant, illa muliebri dolo vſa, primis & alteris nuntijs benigne acceptis & retentis, Drzewlanos cum Duce eorum Miſkina ad ſe venire, quaſi coniugium conſociatura iuber, quibus iuſſa implentibus legatis eorum quos domi retinebat, per varios cruciatus clandeſtinè primum enecatis in occurſum Drzewlanis procedit, & ad inſidias locaq; iniqua, in quibus fortem exercitum collocarat, ferè omnem eorum exercitũ ad quinq; millia virorum extendentem ſe, occiſo marito ſuo Ihor parẽtando, deleuit. Suſceperat autem Dux Ihor ex Olha conſorte ſua filium vnicũ nomine Suantoſlaum, qui annos viriles attingens vir bellicoſus & in armis ſtrenuus eſſe cæperat. Patris autem ſui Ihor occiſionem vlturus. Primam expeditionem in Drzewlanos egit, & graui cæde domitos ſub iugum mittit, tributumque imponit. Transfretans autem mater ſua Olha Conſtantinopolim apud Græcos à Patriarcha Conſtantinopolitano in fide Chriſtiana edocta, ſuperſtitione gentilium relicta, baptiſma accepit, barbaroque nomine mutato, pro Olha Helena appellatur. Benedixit autẽ illi Patriarcha Conſtãtinopolitanus dicens: Benedicta tu inter mulieres Ruthenorũ, & nomẽ tuũ in omnes generationes ſit glorioſũ, & benedictũ; Quæ à Cõſtantinopoli in Ruſsiã reuerſa. Suãtoſlao filio ſuo fidẽ Chriſti ſuſcipere, depoſito gentili errore perſuaſit, ſed ille monita materna contemnens & irridẽs nõ acquieuit, neq; ſpurcos gẽtiles ritus depoſuit.

Poloni

Poloni ſentientes Rempubl. libertate collabi elegerunt in Regem Grachum, cuius laudes recenſentur, & victoria de Gallis relata, & Bohemorum deditio eidem facta.

PRogredientibus in hunc modum Polonorum rebus, & ciuili diſcordia colliſioneq; & externa hoſtilitate, per tempora plura debilitatis & afflictis rurſus omnis nobilitas vulguſq; deſiderare vnum Principem Monarchamq; cæpit. Quamuis enim libertas experta dulceſceret, ſpecioſaq; & iucunda ac omnibus præferenda eſſet, ad retinendum tamen ſtatum Reipublicæ ſub pluribus rectoribus dilapſum, ne ſeruitutem ex hoſtibus experiri cogantur, libertatem abdicant, & ad regendos frequentes populos, latasq; terras ex re viſum eſt vnum Principem ac Rectorem aſſumere, illiq; parere, qui æquo iure potentes iuxta atque tenues retineant. Hinc vero exorta quæſtio, quis tantam molem ſubire, & gentem poſt libertatem, plurimum rebellionis, & duritiei habentem regere aptior eſſet, rem ad magnam vſque factionem perduxit, ſcrutinio, tandem diligenti habito ad virum quendam ad fluenta Wiſlæ, & regione ad montes Pannoniæ porrecta habitantem animoſum, ſtrenuũ, induſtrium & ſolertem nomine Grack ſiue Grachum, quod & ſpecimine ingenij cæteris præſtare, & cuius probitatem pluribus iam experimentis dedicerant clareſcere, vniuerſi ſua vota concordi deliberatione conuertunt, ac ipſum approbatione, & decreto cunctorum in Principem deligunt, & ſibi totius Regni gubernacula, & ſummam rerum demandant: ille diu cunctatus inijcientium ſibi faſces, & purpuram manibus repugnabat, apud ſe quoq; tacitus maxima perplexitate ſatisne inſanirent, quod quaſi delirũ maieſtatis ſimulachro delinirent, deliberabat, tandem ambiguitate diſcuſſa importunitati petentiũ non valens reſiſtere, Polonorum ſuſcepit Principatum, reſq; extunc publicas Polonicas, ea modeſtia & prouidentia adminiſtrare cæpit, vt non aliter quàm parens à Polonis coleretur, neq; enim priſcorum Principum more tyrannidem & ſuperbiam in Polonos exercuit, ſed pro ſubditorum vtilitate & quiete ſingula adminiſtrans, rudem & ferocem populum magis beneuolentia quàm imperio in fide continuit, nobiliti atq; plebi æque gratus. Hunc Grachum exiſtimant nonnulli Romanum de ſtirpe & familia Gracchorum genus duxiſſe, & ciuili ſeditione duobus Grachis Tiberio videlicet & Gaio Tribunitiam poteſtatẽ immoderatè pro lege agraria exercentibus, mota, Anno ab Vrbe condita Sexingenteſimo Secundo factione Principum, occiſis Roma relicta ad Polonos quæſitum ocia & latebras diuertiſſe; Et ſummã rerum apud Polonos ſortitum eſſe. Conſiderans autem Grachus plurima bella in id tempus, quaſi quadã conſpiratione contra Poloniam ebuliſſe, ad reſiſtendum quoq; ſingulis vires deeſſe, quædam pactis intercepit, quædam compoſitione extinxit, reliqua aggreſſus tanta felicitate, & ingenio geſsit, vt ex quolibet certamine glorioſus victor re-

 diret.

diret, Qua ex re, & militum tepidi ex superioribus congressibus infeliciter gestis, animi firmati sunt: & apud hostes fama eius dietim crebroscens, & contemptum ademit, & pauorem incussit. Cum itaq; Galli cæteris Prouincijs peragratis etiam Pannoniam contigissent, & eam varijs guerrarum turbinibus vexassent, in Poloniam ingressuris, Grachus Polonorum Princeps occurrit, & pugna commissa insignem & memorabilem victoriam de Gallis cùm robore veteranorum, & exercitatorum militum, tùm astu & arte militantium reportauit. Qui etsi suis charus esset, hoc tamen triumpho de Gallis relato, charior, honoratiorq; esse cæpit, maioriq; deuotione & promptitudine erat sibi, extunc à Polonis obtemperatum. Huius tanta fuit fama clara, & Nobilitas, vt Bohemia tota sibi deditionem fecerit, & eius omni vitæ tẽpore sub suo degebat regimine & Principatu. Habet tamẽ nonnullorũ existimatio, & assertio Grachũ Principẽ ante Incarnationẽ Christi Annis circiter Quadringentis regnare apud Polonorũ gentem cæpisse, & tàm industria quàm viribus celebre nomen sibi fecisse.

Grachus arcem & Ciuitatem Cracouiensem ædificat, & Draco ingẽs latitans sub arce incolis onerosus occiditur.

HOstibus in circuitu Grachus Polonorum Princeps bello & pactis submotis, satis prospera felicitate vsus ad promouendas ciuiles res, externis quietatis, diligentiæ suæ studia conuertit. Inprimis itaq; in edito colle qui ab incolis Wauel appellabatur, & quem Wissa vndis suis alluebat, latã & sparsam planiciem in summitate habente arcem Regiã construit; Deinde pro eius firmiore subsistentia, amplitudine & decore, vrbem haud procul ab arce ab eodem flumine Wissa fundat irrigatam, eiq́ue à suo nomine nuncupationem adoptans Grachouiam vocat. In huiusmodi quoq; arce & vrbe, tronum sui Regni collocat, illicq́; iura Polonis & Bohemis reddit ac illam Metropolim ac primariam sui Principatus designat, decernitq́; sedem, raro & naturali situ spem sibi de magnitudine futuræ Vrbis non ambiguam promittendo, nec eum opinio fefellit. Velocibus enim incremẽtis Gracho & bona vigente valetudine Vrbs Cracouien. multipliciter consurgere cæpit, & in eum statum ac fortunas attolli, vt à vicinis regionibus ac Vrbibus eius sorti & conditioni inuideretur. Vehementiori autẽ emulatione & liuore Gnesnen. ciuitas ei infesta esse cæpit, quod fasces primarias & præcipuè dignitatis specimen illi detraxerit, & prisceum suum obtenebrarit candorem. Inter tot tamen suorum primordiorum grata & fœcunda auspitia incommodo augebatur ingenti. Bellua enim insolitæ magnitudinis Draconis aut Olophagi speciem habens, in antro montis Wauel, super quo Castrum Grachus erexerat, cubile posuerat, quæ ad explẽdam suam esuriem, iumenta pecorum, aut armentorũ præbita corripiens deuorabat, sed nec humanis differebat corporibus, verum quoties illius ventrem non reperti aut non dati, pecoris diutius excruciasset; Rabies & fames

& fames toties sub clara luce diei ad mitigandum sui ventris in gluuiẽ horrenda, rictibus ora trahens, & cubili suo potenter emergens, & valida iumentorum, atque boum corpora, siue adiuncta carpento, siue subiugata aratro inuadebat, suffocabat, vorabat, in quosq; etiam homines sæuiens, nisi in totum refrigerent, aluum suã illorum horrenda cæde explebat, quem execranda ingluuies, & rabies adeò ciues Cracouiẽn. terruit, afflixitque, vt deserenda magis quàm de habitanda Vrbe, propter tàm infestum vastatorem cogitarent. Mandato autem & decreto Principis Grachi, qui Vrbis a se fundatæ, molestiam ægrè ferens, ciuium ordinauit tria singulis diebus iumentorum iactari corpora, quorum sacietate non hominibus solùm, verùm & cæteris animantibus præstabatur securitas, sed cùm hæc quoque onerosa magis Principi quàm ciuibus, qui post mortem suam vrbem desertam iri verebatur, conditio videretur, iactanda monstro corpora sulfure & cumate, parum igne contecta cera atque pice iussit corpora iumentorum impleri, & belluæ exponi, quæ cum naturali & solida auiditate deglutisset, ab igne torrente, & flaminis altius diffusis in interiora vrgentibus sensim colapsa & extincta est.

Grachus tradit Polonis Reges & moritur, cui pro tumulo ex sabulo montem fecêre altissimum.

OCCIDENTE BELLVA ET IMMANI MONSTRO Quod à quibusdam scriptoribus Olophagus intitulatur. Cracouiensis Vrbs periculo grandi præter spem exuta tentorij sui longius cæpit dilatare funiculum, & facile inter Polonicales Vrbes vendicare Principatum Sed & ipse Grachus Princeps, ob deletam sua arte & ingenio belluam, parens & liberator patriæ apellatus, apud populos & externos insignis & inclytus habebatur. Tunc primum leges promulgat: iudices constituit, decreta condit, mandata edicit, quibus rudem illam ætatem credidit posse regulari, quibus Poloni in posterum vti sunt, Prouincia autem pace & quiete, ciues opibus aucti. Quicquid autem ab illo conditum, sancitumq; fuit, id per multas successiones, & ætates pro iustissima lege, & perinde, ac si quodam diuino Oraculo promulgatum fuisset, apud Polonos custodiebatur. Cùm præter insitam legibus & ab ipso conditis naturalem iustitiam, etiam legislatoris charitas & existimatio illis singularem cultum, reuerentiam, pariter atq; metum adijciebat. Siluit autem in diebus eius Polonorũ Regio annis multis, finitimis omnibus, aut eius prudentia & festiuitate tritis, aut bello perdomitis, quapropter sub Principatu suo, & in antiquis Oppidis colonijsq; noua consurgebant tecta, & in vastis nemoribus nouæ erigebantur coloniæ. Pluribus itaque annis Grachus Princeps Polonorum Rempublicam feliciter & prouidè administrans in senecta vbere plenus dierum hominem exuens, fatis est interceptus. Ad cuius exequias honestandas, primũ Polonorũ proceres, cæterumq; vulgus promiscuũ accurrit,

& iuxta

& iuxta morem illius temporis, cadauer suum in monte Lassotino, qui Gracouiensi Vrbi confrontatus est, iusto honore & comploratione sepeliuit. Bustum autem eius quo esset durabile & perpetuum, & nulla illius edax posset abolere obliterareq; apud posteros vetustas fabulo monti in quo conditus est, arte & ingenio superiecto duo filij eius à patre dùm adhuc viueret speciali mandato edocti, ad tantam produxerunt altitudinem, vt collis ipse omnibus vicinis sit æditior & sublimior humano cacumine, elaboratoq; opere & tanti viri sarcophagum arte excisum Polonorum pro traducenda nominis sui ad posteros memoria, & tribuenda illi immortalitate etiam in hoc tempus fauorem ostendit. Quæ etiam sepulchri editioris formatio, Romanum eum fuisse conuincit, vt ea fabrica conditorem Vrbis Romulum sepulchrum in collis modum ex petra congestum habente pro viribus exprimeret.

Post mortem Grachi Lubussa filia eius Rustico Przemysl sibi in coniugem accepto Regnauit in Bohemia.

BOhemorum gens, apud quam Grachus pro sua industria & virtute etiam Principatum memoratur gessisse Lubussam vnam ex tribus filiabus, quas Bohemis reliquerat, in Dominam & Principem assumit, quæ fastidium populi iniquo animo imperium muliebre ferentis, se datura rusticanum quendam hominem ruri & agriculturæ vacantem boues & aratrum relinquere coactum Przemysl nomine, in coniugium & Regnum accersijt. Cuius successio & posteritas in plures filios & Nepotes deriuata vsq; ad tempora Ioannis Cæci Luceburgen. Bohemis imperauit in Vislao Rege apud Olomuniec occiso extincta: licet septennio integro regimine Przemislai. Lubussa vxore fatis intercepta, fœminæ Valastæ virgine, Duce, Amasonum more, & ingenium sortita cladibus aliquot viros, & eorum exercitus sternentis perturbasset, dolo tamen magis & astu Præmislai debellatæ & confractæ, quàm viribus.

Lechus Grachi filius necato Gracho fratre in Principem assumitur, tandem delecto facinore priuatus Dominio misere obijt.

EXpletis diebus luctus, quibus vniuersi de Primoribus Polonorum super morte Grachi iusta funeri persoluendo erant occupati, ad surrogandũ in Thronum Grachi alium Principem curas intendunt. Reliquerat autem Grachus duos mares, Grachum & Lechonem, & Tertiam filiam Vandã, in spem successionis genitos, hosq, moriens proceribus Polonorum commendarat, enixis precibus rogans, vt beneficiorum suorum memores prolem suam dignam Principatu iudicarent, vnumq; ex filijs sua in sede constituerent. Minor itaq; natu Lech, maiorem fratrem natu Grachum sibi in Princi-

in Principatu successione cùm ratione Primogenituræ ætatis magis maturæ, tùm ratione beneuolentiæ, & præstantiæ virtutum ac morum, quibus Germanum anteibat, metuens anteferri, & se contemptum iri temporum oportunitate seruata, fratrem maiorem natu clandestinè obtruncauit, & lacerum cadauer pressum fabulo abscondit. Et ne ob fratricidij crimen excluderetur à Regno, fratrem mentitur venationi operam dantem, & audacius quàm sat erat in belluas grassantẽ occisum. Relationi quoq; vt facilior daretur credulitas, fictas lachrymas admiscet, in hunc modum Polonorum, proceribus circumuentis & delusis, Rex ab eis constituitur, & inprimis illi decernitur Principatus, quem cum annis pluribus tenuisset, non minori illum omnes Poloni, quàm parentem coluerunt, fide, obedientia, & deuotione perpetrati fratricidij scelere, primum secretis rumoribus miscente, post verò certa indagine illustrato patefactoq; omnibus inuisus esse cepit, tantumq; odium Procerum Poloniæ in eum ob impium scelus, & immeritam fratris necem conflatum est, vt illum à sede Principatus dejcerent, & perpetui exilij pœna in detestationem & terrorem facinoris per eum admissi mulctarent. Non mediocri ob eam rem commendatione digni, quod fratricidij ambitionis reatũ exquisitissimo expiauerunt animo & remedio, nec passi sunt tàm atrocis piaculi autorem sibi diutius imperare. Alijs placet Lech præfatum, neq; exilio, neq; alia pœna perpetrato fratricidio punitum fuisse, sed diuinitatem omnium iniuriarum, vltricẽ prolis fœcunditatem illi & subditorum charitatem ac beneuolentiã ademisse. Quapropter tàm conscius in fratrem necis, quam Polonorum iustis odijs vexatus, mœrore & anxietate contabuit, & nullo memorando edito actu è vita inglorius detestandus excesit. Vtcunq; tamen sit certum est illum nullo superstite relicto diem obijsse.

Lechoni succesit Vanda soror, quæ spreto Rithogari Almani connubio post partam de ipso victoriam in Wissam Dijs se immolandam submersit, & in Mogilam sepulta est, Inde Vandali dicuntur Poloni.

VTroq; Grachi filio absq; liberis ex humanis absumpto rebus, Principatus Polonorum gubernacula vnicæ filiæ Grachi, quæ Vanda, quod hamus in latino sonat, nominabatur; Polonorum vniuersali consensu delata sunt. Tantus enim amor Grachi omnium Polonorum pectoribus insederat, tantum probitas eius, in amplianda defendendaq; patria, & virtus recenti memoria virescebat. Accedebat fermè tantus decor, & omnium lineamentorum tàm venusta speciositas, vt animos intuentium in se affectioneq; solo aspectu conuerteret, natura doti suæ munera prodiga largitate in eam effundente. Vnde & ab ipsa formæ pulchritudine id nomen nacta erat, cum splendore speciei suæ singulos quasi hamo in sui amorem admirationemq; raperet, venusto vultu, aspectu decoro, eloquens verbis

atq; omni pulchritudine compoſita, auditoribus dulce præbebat alloquiũ. Spes autem omnium Procerum, Poloniæ mentes haud dubia tenebat Principem aliquem prudentia & diuitijs inſignem, quò amplior Poloniæ Regionibus amicorum vicinorum peruenirет acceſsio, Vandæ Virgini, quæ vtq; in diem illam quoslibet Procos repudiauerat ſe aſſociaturos. Cùm veriſimile eſſet plures illam quàm ante formæ excellentia, & Dominiorum magnitudine illectos ambituros eſſe. Sed hæc Regni Paterni ſolium fortita alto magnoq; ingenio, & animo omnium eam precantium, præſertim iuriſui ſe factam videns, repudiabat connubia, & tàm ſalubriter, tàm prouidè, & iuſtè ſingulas Reipublicæ Dominij ſui regebat gubernabatq; partes, vt ſingulis eius factiuitas & induſtria cæderet in ſtuporem mirantibus cunctis, & id quadam aſſertione vſurpantibus, talem ac tantum virilem animum in ſexu muliebri inſediſſe. Dùm & ſapientes maturiq; viri ſententias illius magno euehерent præconio, & hoſtiles animi in eius aſpectu & præſentia ſuccumberent: Itaq; cùm ſub regimine & auſpicijs Vandæ, Polonorum res atque opes florentes eſſent, & Almanorum ea tempeſtate princeps Rithogarus & genere & potentia illuſtris, & Regno Polonorum vicinus, celebrem famam Vandæ Virginis, quæ per ora multarum Regionum ſonabat, audiens & ſperans, tàm illius forma, quàm Regno Polonorum potiri. Procos mittit ſolennes Vandæ nuptias ſub belli denunciatione petituros, ſed cùm à Vanda quæ celibem vitam ſe cuſtodituram deuouerat, aliquoties promiſſionibus, & precibus ne quicquam præſumptis vacui redijſſent; Rithogarus Princeps Almanorum intelligens Virginem Vandam precibus, & oblationibus ampliſsimis frangi, & ad tædas coniugales pellici non poſſe, dolens quoq; ſe contemptum, & repudiatum eſſe collecto ingẽti exercitu Poloniam intrat, quod precibus non poterat, armis confecturus. Nil autem Vanda Polonorum Regina rumore belli territa, ſed copijs Polonorum in vnum celerrimo edicto coactis exercitui Almanico occurrit, copiamq; facit decertandi, ſubſtitit pauliſper Rithogari animoſitas, & precibus iterandis per colloquium prius melius, quàm armis vtendum ratus, aliquot expuratis ſuis ad Vandam Virginem armis dimicare paratam tranſmiſsis. Torum expetit, diuitias ſuas enumerat, potentiam oſtendit, minas ſubnectit, exiſtimans fæmineum animum vtcumq; vel precibus, vel minis frangi, aut emoliri poſſe. Oratum, inquiunt, ad te Regina Vanda nomine Principis noſtri Rithogari venimus, quatenus te toro illius coniungere patiaris, ſponſum habitura viridem, opibus & potentia pollentem, ampliſsima tibi largiturum dotis munera, ſi tuum aſſenſum ſuo non negaueris coniugio, ſin minus, armis te ad id impulſurum minatur; Illa medius fidius conſtantis & virilis animi fæmina. Adeòne (reſpondit Legatis) tenuis ſortis & coniugij indigna veſtro Principi mulier viſa ſum, vt Regni mei celebritate & potentia depoſita, grauis quoq; iniuriæ, quàm Regno meo iniuſtè intulit, infertq; oblita, me illi ſubiectam iri cum Regno conſentirem, decuſq; Regni contunderem. Proinde renunciate Duci veſtro, & ſuum & cuiuslibet

alterius

alterius connubium me peroſam eſſe, Sanctiùs quoq; Dominam me quam Dominantis coniugem apellari, bellum mihi indixit, bellum paret, turpe putet ſtante acie, & Virum & Principem, omniſſo marte, de Venere tranſigere, armiſque neglectis coniugalia tractare. Quo reſponſo edito ſigna canere, & ſuos armis correptis in actem deſcendere hoſtilem iubet, & ſuperbam denunciationem ſibi à legatis ingeſtam victricibus armis humiliari. Verùm dùm Almanorum Milites præcipui vultum Vandæ Polonorum Reginæ diligentibus contemplati fuiſſent. Volentes experiri eorum quæ apud eos fama de ſingulari eius pulchritudine vulgauerat veritatem, omnium ſubito corda, tàm eorum qui viderant, quàm cæterorum, qui à referentibus audiebant, mollita, & in quandam tabem ſoluta ſunt, vt omnes concorditer certamen futurum, quod & pro cauſa iniuſta, & cum exercitu potentiori ſciebãt gerendum, aperta publicaq; denunciatione detractarent, afferentes ſe ſacrilegium horreſcere non prælium, Nec velle pro cauſa noxia & impia notorium ſubire diſcrimen. Sic à loco certaminis diuertunt, in Caſtraq; reuerſi nulla poterant ad decernendum, aut caſtigatione, aut perſuaſione, armis reſumptis induci. Vehementer itaq; mentis afflictione deiectioneque Princeps conſternatus Almanorum Rithogarus, quod omnia ſecus quàm ſperauerat euenerãt, ne ad Penates redire cogeretur inglorius, à victis quoq; ludibriorum pati cogeretur opprobria, qui illum ſolo muliebri aſpectu commutatũ & deuinctũ diceret fati diẽ præoccupare ſtatuit. Conuocatiſq; militibus ait: Quoniam inquit, à vobis deſertus omni morte amarius iniuriam hanc reputo, & qui bellum vltro inferebam, ſine bello ſuperor. Vanda enim mari, Vanda aëri, Vanda terræ imperans Deorum immortalium voluntate vos effecit pauidos, & imbelles, corda quoq; veſtra ſolus eius aſpectus infaſcinat, & in veſtrum meumq; dedecus perpetuum conuertit. Ego tamen ô Proceres, & commilitones mei pro vobis ſolennem hoſtiam me ipſum inferis deuoueo, hanc tamen vobis à Dijs, quos peto, quoſq; deſidero, imprecor ſortem, vt tàm veſtra, quàm veſtrorum filiorum & filiarum progenies, pro expiando ſcelere in me admiſſo ſub fæmineo conſeneſcat imperio. Sic fatus gladio, quem acumine contra ſe verſo gerebat corpore inermi incumbens vita ſe priuauit. Vanda autem cum primoribus Almanorum fœdere celebrato, & miro maximoque bello vnius voluntaria extinctione confecto exercitum incolumem cum Triumphali pompa Cracouiam reducens, cum magna reuerentia & ſolennitate recepta, pro tàm magnifica & inſigni victoria, pro tàm felicibus ſucceſsibus, quibus in omni vita ſua ſupra cæteros mortales abundabat. primum Dijs ſuis ad omnia puluinaria per triginta dies ſupplicationem pro re benè geſta decreuit, qua ritè expleta, ſeipſam ſpontaneam victimam Dijs offerendam ſtatuit, errore illius ſeculi lapſa, quo tale gratum Dijs arduũque & Heroicũ facinus putabatur, ſimulq; ne actionum eius vniformis ſplendor & felicitas aliquo caſu aduerſo eſſet obſcurata. Proceribus itaq; conuocatis Polonorum victimis prius cæſis, & ſacrificio more patrio rite peracto, in quo &

 gratiæ de

gratiæ de præstitis donis exoluebãtur,& imponebatur precatio,vt libi partes meliores concederentur apud inferas sedes,de Ponte in amnem Villam saliens vndis fluuij præfati Villæ se donauit. Quibus præfocata mortem subijt, ac supra fluuium Dlubnia vno à Cracouia miliari in cãpo sepulta est, res apud posteros plus admirationis habitura, quam fidei, sepulchro quoq; idem honos qui paterno seruatus. Terrena enim mole collis in altum erectus, bustum suum illic in hanc diem testatur,à quo & loco nomen est Mogila inditum. Quod munus supremum tàm Gracho,quàm Vandæ pro merito nemo à Polonis datum ambigit. Tali enim vtrumque perpetuitate celebrandum decreuerunt, fluuius insuper Visla cognomen à Vanda Regina Vandalus sortitus, gentesq; Polonicæ ab illo à plerisq; scriptoribus & gentibus Vandalitæ nuncupantur, licet vetus fluminis nomen non sit abolitum, quod Albulæ qui nunc Tyberis dicitur Romam præterfluenti, à Tyberio in eo submerso, legimus contigisse.

Przemyslao Minislaus, & Minislao Mnatha

succesit in Regnum Bohèmiæ, Mnathæ Vnislaus & Wratislaus, Vnislao Grzymislaus, qui patruum Wratislaum Regnum ambigentem occidit.

PRzemyslai Principatu per mortem apud Bohemos finito, duobus filijs suis immaturo funere absumptis, Tertius morienti seni Præmislao succedit Minislaus nomine, segnis & in omnia tardus ac piger, mollis quoque, & lasciuiarum sectator,Minislao Mnatha succesit. Quo excedente è viuis duo filij sui Vnislaus & Wratislaus succesêre, quorum alter videlicet Vnislaus apud Pragen. alter Wratislaus apud Zathocen. patre ordinante, dominatum sortiti; Ex Vnislao natus est Grzymislaus,qui & Nieklam dictus, vir pauidus & ignauus. Cuius ignauiam patruus suus Wratislaus, animo metiens, & vniuersam Bohemiam ditioni suæ subijcere destinans, in Nepotem (iam enim Pater obierat) mouet arma, & plura aduersus eum feliciter gerens, in extremum Nepotis & gentis, quæ illi parebat, lactantibus etiam non parsurus excidium, grassabatur, & pugna acerrima in campo, cui Tusco nomẽ est, commissa, vincit Nieklam Patruum suum Wratislaum, qui in locum suum Sderico corpore,sibi per quam simili,sed animo & fortitudine dispari constituto,vniuersas copias in belli discrimen adducit. Ambobus autem Ducibus videlicet Wratislao & Sderico,in huiusmodi conflictu cadentibus Nieklam summa rerum potitus est. Inuentusq; Wratislai filius impuber, Principi Nieklam traditus est, qui misertus patruelis sanguinis & ætatis, educandum illum Duringo Patri pueris amicissimo tradidit, qui cæca cupidine cæptus, tanquam gratiam Grzymislai initurus, caput puero, piscationi operam danti aufert, atque illud ad Nieklam defert, asserens se puero enecato solium suum firmauisse: verum Nieklam impiũ scelus perosus, obiurgato carnifice, quòd illum neq; amici memoria, neq; innocentis pupilli miseratio à tcelere reuocauit. Duringũ in patibulũ egit,

Mortua Vanda sine hærede Poloni libertatem resumunt, & duodecim creant Præfectos qui diu durant.

PRincipatus iugo ex morte Vandæ Poloni soluti, ad firmandum libertatis statum omnium aspirabat intentio. Hic enim est omnium hominũ instinctus & affectus, vt præsentibus, & recentibus, in quibus versamur, ea quæ non attigimus, vel deseruimus, credamus potiora. Abrogato itaque vnius Regimine & Principatu, Duodecem Præfectos iuxta numerum Prouinciarum, quæ tunc Regno Polonorum subiacebant, creant, eosq; vulgari vocabulo Woiewodas, id est, Exercituum Ductores apellant, quibus regimen Prouinciarum & bellorum administrandorum curã committunt, vt pro defendenda patria, tutandaq; ab hostili inuasione, diligenter excubias facerent, & quoties id exigeret necessitas, delectus agerent, & vocarent quoslibet ad arma, copiasq; in hostes ducerent, & disciplina quoslibet contumaces, & rebelles coercerent. Pace autem reddita iura populis subiectis darent; Quæ consuetudo illo tempore cæpta, & per multas successiones traducta, etiam in hanc diem apud Polonos manet, & vetusti prisciq; temporis speciem præfert. Nam quilibet Ducatus & Prouincia Woiewodam seu Palatinũ salariatũ ex publico habet, qui & maiores causas suæ Prouinciæ cum aliquibus alijs magistratibus illi pro consilio iunctis, iuxta iura Polonorum municipalia constituto tempore iudiciorum decidit. Exercitum suæ Prouinciæ cum aliquibus alijs magistratibus ad bella producendum lustrat, gubernat,& producit. Bannitis & proscriptis dummodo iuri parere se astringant, saluum conductum largitur. Item ministeriales publicos creandi, cætusq; & conuentiones particulares suæ Prouinciæ celebrandi, pondera & mensuras instituendi,cæteraſque quibus regulatur & gubernatur Prouincia,sibi & non alteri est attributa facultas. Vnde & maiores natu, & qui meliora sortiti sunt ingenia ad regendum, hunc Magistratum exquiruntur,cùm ex illis salus & pernicies Reipublicæ dependet: Fũguntur pænè eadem autoritate sub Regibus & Principibus, quibus stante libertate & imperio Regum, & Principum abrogato, fungebantur. Regebantur autẽ Polonorum Prouinciæ per huiusmodi Duodecim Woiewodas & Præfectos annis multis, vnoquoq; Woiewodarum prædictorum enixius pro administranda iustitia, pro defendenda patria, & libertate operam nauante,ne grauior,duriorq; Polonorũ offensio,desideriũ creandi Principẽ animos intenderet, & statum libertatis, quo res eorum priuatæ, & publicæ vehementer inflоruerunt, pessundarent.

Grassantibus per Poloniam Pannonis & Morauis dùm non possent Palatini resistere, Przemyslaus miles astu & imperio superauit, & publico edicto eligitur in Principem.

Stante florenteque Republica Polonorum sub Duodecim Palatinorum seu Præsidum gubernatione annis multis, rursus dùm Poloni more ingenij humani gubernationem Palatinorum pertæsi, desiderio noui Principis tenerentur, credêtes se sub eius regimine magis feliciter victuros, temporis oportunitate ad explendum grauidum iam & maturum desiderium, sunt adducti: Duplex enim & vteriq; in grandi & frequêti numero, ex Pannonijs primùm, deinde ex Morauia, quibus cæteræ nationes præbuerunt auxilia, in Polonorum Regiones concitatus hostis copias ducebat, Polonos sui iuris adempta libertate facturus. Quibus etsi Polonorum turmæ sub ductu & auspicijs suorum Palatinorum occurissent, & prælio conserto pro viribus dimicassent, leuam tamen & aduersam fortunam experti, & cladem aliquoties ab hostibus perpessi, ne de summa rerum periclitarentur, cæpit illos anxietas & formido horrere, dum hostes quotidie palantes per agros prædas agerent, & libera licentia vagarentur. Omnibus itaq; Reipubl. Polonorũ exercitibus deletis, hostibus dietim grassantibus, exiltimãtibus amissam, vir vnus restituit, retinuitq; hanc Rempubl. Erat ea tempestate vir quidã impiger Przemysl nomine, inter Polonos industriæ disciplinæq; militaris, aliquãto quàm prosorte in qua erat expertior, ingenio itaq; atq; industria, quàm prolapiæ genere maior, iustitiæ opinione insignis, apud vulgares propterea celebris, & vir multiplici præstãtia clarus, quæ res certiori spe Polonos, quàm quæ oculis subijci potest, impleuerat, cui ad naturalem indolem frequens præliorum, in quibus militauerat, accesserat exercitatio. Is cùm apud hostes omnia negligentius agi explorasset, ad consilium magis dolosum, quàm audax animum adiecit, & secum tacitus circumspiciens, diuq; agitans, quanam arte hostilis superaretur potentia, quam languidis suis viribus videbatur frangi non posse, solerti rem insolitam animo excogitat, & vani terroris, vanæq; ad pugnam simulationis, instruit apparatum. Simulachra siquidem galearum in crebra multitudine, in collibus, Castris hostilibus confrontatis, Primo manè sole oriente ordinauit suspendi. Quarum reuerberatio solis facta radijs, adeò hostilem exterruit exercitum, vt vniuersi armis certatim vtcunq; comprehensis, nulla lege, nullo ordine seruato, illuc, vbi micantes galeas viderant, præcipiti cursu concurrerent, nouam victoriam de Polonis relaturi. Verùm dùm ad loca, in quibus ab illis simulachra galearum conspecta erant, peruenissent, & nullas illic Polonorum acies, sed nec prius visas galeas reperissent, (repente enim illas exercitum hostilem Pannoniorum & Morauorum armari videns, vt auerteret illos ab ea, quam cæperant, opinione, Przemysl subduci mandauerat) comperissent diffugisse Polonos qui apparuerant rati, solutioribus ordinibus in statiua reuertuntur. Przemysi verò occasionẽ bene gerendæ pugnæ quã quæsiuerat, se videns magis simultate & arte, quàm veris viribus consecutum. Polonorũ milites, qui se illi iunxerant, animat, hortaturq; ad pugnam, certam illis spondens, si & ipsi quoq; deuouerint ad vincendum animos, victoriam. Atq; ita illis acerimum ad Triumphum

conceptum

conceptum infundens, vt ea aggredi auderent, quod non ausuros eos hostes verisimiliter videantur, à tergo & lateribus somno stratos, & corpora curantes, prima vigilia hostes aggressus fortissimè, & audacissimè alienatis à memoria periculi Polonorum sensibus, & hostium tela intrepidè excipientibus, obtruncat; & plurimis occisis, cæteris verò omnibus metu nimio perterritis fugientibus, hostiles copias cum paucis prosternit, & deuincit, Castraque hostium fugientium pluribus rebus & spolijs referta capit, prædamque illic repertam militibus concedit. Facile autem hostium fugientium multitudo poterat deleri atque capi, sed Przemysl patriam liberasse, & hostem vicisse contentus, fugientes insequi vetuit. Tantus verò ob defensam liberatamq; patriam erga Przemislaũ amor esse cepit, vt tàm militari, quàm vulgari fauore dignus imperio acclamaretur, mox in Polonorum Monarcham & Principem vniuersorum suffragijs & consensu creatur. Ab eo autem tempore prisco nomine abrogato Leszko apellatus est, quod significat vafer & dolosus: eó, quòd astu & vafricie à calliditate magis, quàm armis & robore hostilem, & aliquoties victorem exercitum superauit, siue (quod verum magis reor) ne quid illi ad conditionem autoritatemq; Principatus deesset, nomen vetus & commune Principum Poloniæ ei impositum est, quod à Lechone primo cæteri Principes ex eo descendẽtes apellatione diminutiua, quæ singulis ferè gentibus in vsu est, vocabantur Leszkones, non Lechones. Quod quidem nomen in generationibus Principum Poloniæ in tempora nostra traductum perseuerat.

Mortuo Przemyslao multis Principatum ambientibus Poloni decernunt cursum equorum ad columnam erectam, vt qui prius eam attigerit Rex sit. Leszek clam vncos in terram per quam erat currendum, recondit, & ita dùm ipse equi sui pedes ferreis soleis munisset, & aliorum læsi claudiq; essent, primus accurrit, & Rex acclamatur; sed dum alter quidam iuuenis, quod pedes spatium cursus circumiens, secundus ad columnam accurrerat, Rex Leszko priore ob dolũ occiso apellatur.

Leszkonis seu Przemyslai Principatu annis aliquot continuato, & felicibus successibus finito (nemo enim in diebus suis ausus fuit in Regiones Polonorum bello publico, principante eo inuadere, Pannonijs & Moranis magna clade perdomitis) nouum inter Polonos de surrogando Principe subortum est dissidium, noua & varia post mortẽ suam generata sunt Principatus studia. Præfatus enim Przemyslaus seu Leszek, nullam suæ posteritatis in virili, aut fæmineo sexu, reliquerat progeniẽ, propter quod illo mortuo ad occupandum Principatum plurimorum animi varijs respectibus incitati aspirabant. Alium enim instigabat genus, alium diuitiæ, alium factiuitas, alium industria, alium consanguineorum crebra suppellex, alium maiorum claræ imagines. Hinc quoq; effectum est, vt postquam Comitiorum dies ad eligendum nouum Principem aduenissent, varia quoq; am-

bientium

bientium Principatum apparerent, tàm ſtudia, quàm ingenia, quem vnusquiſq; ad ſe iuxta vires rapere conabatur. Pluribus itaq; diebus ſuper nouo eligendo Principe, nec quicquam conſumptis intendebatur amplius, quàm remittebatur potentium illum ambitio, nec finis monſtroſæ electionis ſuffragijs, eligentium in plures diuiſis aljs alium ordinare cupientibus ſperabatur, nec tamen fædum eligentium diſturbium, qui in apertas & publicas contentiones, atq; ſchiſmata, emulatione eligentium, crebro etiam ſtrage, & interitu multorum propterea ſubſequuto, veritum eſt prodijſſe, ne in vniuerſæ Reipublicæ vergeret atq; ſerperet periculum & diſcrimen. Poſt longas diſcordias ad ſedandum exortum diſturbium, hæc via omnium conſenſu aperta captaq; eſt, vt certo tempore, ad id conſtituto ſeruaretur columna, quam omnes Principatum Polonorum ambigentes equis diſtinctis, & varias maculas, ſeu colores in corporibus habentibus, velociore quàm poſſent curſu à præfiniendo peterent, & quicunq; ex currentibus primus columnam attigiſſet, is Polonorum Regimen & Principatum conditione cuiuslibet ceſſante, perniciori curſu ſortiretur. Ad aſſequendum itaq; Rectorem per hanc viam, in qua cuiuslibet fraudis & doli nullatenus poſſe interponi credebant, maturum, vtilem, & idoneum Rectorem campeſtris planicies propè Ciuitatem Cracouien. verſus fluuiũ Prandnik ſitus, & proſpectum habens vniformem; placidum, & virentem eligitur, columna figitur, ſpatia curſorum certis ſignis & terminis præfiniuntur, ſingula impedimentorum obſtacula remouentur, ſenes, & grandeui proceres, puri, & ſinceri, ad inſpiciendum, iudicandumq; currentium merita eliguntur, nobile brauium, Principatum videlicet Regni Polonorum victori, & athletæ collaturi. Verum vt eſt ingenium humanum nullis cautelis circumſeptibile, facile via capta eſt, per quam ſtudijs humanis repertum decretum dolus ſuperueniens vincit, vir enim quidam ingeniorum & aſtutiarum plenus, qui inter eos qui petebant per curſum Polonorum Principatum ardentior, ambitioſiorque habebatur Leſzek nomine omne campeſtre ſpatium, quo ad columnam currendum erat, nocte intempeſta ſine arbitrio, ne à quoquam prodi, vel vulgare facinus poſſet ferreis exigonis cautè replet, & ſternit viridi ſabulo, ne poſſet notari ſuperiecto, vna tantummodo laterali ſemita. Per quam ſi currendum credidit, ſine exigonorum labe & ſtramento relicta, & certis tantummodo ſignis ſibi notis diſcreta, quo facto non ſine ingenti gaudio Comitiorum diem, Principatum, nihil dubitans ad ſe peruenturum, operiebatur. Interim autem artificioſum ingenium caſus prodidit: Duo ſiquidem adoleſcentes fortis tenuis, & obſcuræ ad loeum paleſtræ delectandi animi gratia eggreſſi, ludicro fœdere inter ſe paciſcuntur pedeſtri curſu & itinere, columnam locatam ſi petituros, & præmio poſito, vt victus victorem ſemper Regem & nominet, & ſalutet. Verùm deſtinatum pactum implere in ipſo mox primordiali curſu exigonis ferreis plantas lædentibus prohiberi ſubſiſtunt, ac vniuerſam illam planiciem ſimilibus ferreis ſtratam reperiunt, nihil tum de his quæ caſuali

caſuali deprehenſione inuenerant, vulgandum rati, rem omnẽ ſilentio prætermittunt. Cumq; Comitiorum dies aduenisſet, & plures tàm viri, quàm adoleſcentes, in diſcoloribus equis fortunam experturi, aduenisſent, ad paleſtræ locum per eos, quibus huiuſce rei cura mandata erat, deducuntur; vniuerſa nobilitate & plebe Polonorum ad tam grande & rarum ſpectaculum, in frequenti numero exitum nouæ rei ſpectatura conuenιente, conſtitutus, Idibus Octobris currendi dies, ex omni parte ſpectaculum præbuit. Stratus arena campus, extructũ primoribus & proceribus Regni ſoliũ, populiq; vndiq; ad ſpectandũ conuenerãt, ora, mentes, oculos, in currẽtes cõuerterãt, quibus multiplex vt fit metus, fauor, miſericordia, & ſtudium iuxta affectionẽ qualitatis inerãt. Cũq; omniũ Regnũ petentiũ ex pari incitatus eſſet curſus, vniuerſorũ equi leſurã exigonorũ, quos nullatenus vitare poterant, paſsi. Primùm cæſpitant ſubſiſtuntq;, & ad extremũ cõcidũt, ſeſſoreſq; ſuos vehementius illos vrgentes deijciunt, remorantur aut ſternunt, ſolus Leſzko exigonorum dololus iactator, qui & vngulas equi ſui babatorũ ferramentis vndequaq; accuratius ſæpiuerat, vt etiam exigonorum, ſi in aliquod euentu inciderat feſeliſſet diſcrimen, ſemita non infecta grandiens. Primus & ſolus, non ſine Comitum & ſpectantium ſtupore & admiratione, ad columnã eques prior peruenit, & columnam, velut victor & athleta, aprehendit, ſed neq; alter ex duobus adoleſcentibus, quos pridem ludibrij pacto concurriſſe narrauimus, qui pauciora ab exigonis vulnera contraxerant, iamq; ſanitati redditus erat, paleſtram illam negligendam duxit, quinimo equeſtri itinere ad currendũ dato, expreſſoq; tempore mox & ille itinere arena conſito, rapidoq; curſu ad ſtatuam ſecundus peruenit. Quamuis autem Leſzek primus in equo maculoſo iuxta conditionem ad columnam peruenisſet, & Rex Princepſq; ab omnibus conſalutatus eſt, mox tamen per competitores ſuos de euidenti incuſatur fraude, cauſamq; dicere coram ludicibus ad inſpiciendum conſtitutis currentium merita, eſt compulſus. Producuntur autem in euidentiã patratæ fraudis, omnes equi ſui quatuor vngulæ ferro vndiq; circumuolutæ, illoq; euidenti documento, ſtrator iactatorq; exigonorum, & publici inſtituti vafer temerator eſſe conuincitur, omniumq; iudicio, concordi ſententia, ambitus reus, & doli artifex damnatur. Damnationis autem in illum prolato decreto à competitoribus ſuis, quos feſellerat, & cæteris, qui illius exquiſito iraſcebantur facinori, membratim laceratus, ac diſcerptus eſt, & fraudis ſuæ pœnam meritam pendens, atroci ſupplicio, dedit. Concordi autem vniuerſorũ inſtinctu & acclamatione, adoleſcens ille, qui pedeſtri curſu ſtatuam iocabundus contigerat, dignus Principatu iudicatus, in thronũ Regiũ extollitur, & ſublimatur, & ſibi quamuis ſortis, vt prædiximus, obſcurioris, ſingulorũ conſenſu defertur Principatus, decernentibus cunctis ſincere illũ iuxta edictũ legis Principatum meruiſſe. Ne quid autem ad Principandã perſonam nouam deficeret, vetuſto nomine abrogato Leſzek vocatus eſt, crebro enim id nomẽ apud Polonos tunc temporis habebatur, vt etiam quos in Princi-

patus dignitatem assumerent, illos quasi quodam haractere insignirent, sic pro vno eodemq; tempore, & Sacrosanctus Regiæ Maiestatis Magistratus, fraudulentò ambitiosoque homini cum sua pernicie negatus est, & humili simpliciq; viro, cum summa eius laude colatus, verificatumq; tunc est veridicæ scripturæ Eulogium, multi confederunt in Throno, sed insuspicabilis portabit Diadema.

Quomodo Leszek partis de hostibus multis victorijs diu & pacificè multis virtutibus decoratus regnauit.

OBscuram autem sortem conditionemq; suam in fastiguum Regale mirabili prouidentia diuinitatis euectam, tantis Leszek heroicis extulit operibus, tot virtuosis illustrauit actionibus, vt non in Rusticano Tugurio natus, sed à Regalibus Thronis parentibusque ingenuis ortus crederetur. Animus illi liberalis, vastus & impiger, audaciaq; ferox, qui non solùm vicinorum hostium dominia sua inuadentium impetus represserit; sed etiam Pannonijs, Morauis, Bohemis, Teutonicis, alijsque in circuitu nationibus bella vltrò intulerit, in quibus gerendis, solercia & felicitate vsus, nonnullos hostium magnis prælijs fuderit, cæteros terris & fortunis mulctauerit. Si quando verò extraneus hostis deerat, ne militum corpora longa quietè hebetata langueſcerent, curias indicebat, ludos hastarum, & simulachra pugnarum, cæterosq; actus militares instaurabat, victoribus, & athletis præmia proponebat, & ea cum magna animi alacritate, inter vincentes partiebatur. Quæ quidem actuum militarium & luctarum continua instauratio, & charitatem illi apud vincentes milites magnoperè conciliauit, & milites ad gerenda bella, continua armorum exercitatione atque vsu, effecit constantes atq; pronos. Tanta insuper liberalitate, & in domesticos, & in aduenas resplenduit, vt sæpè maluerit ex largitione egere, quàm pertenacitatem ex abundantia diteſcere. Nullum bene meritũ renumeratione negligens aut petenti, aut egenti patrocinium, seu suffragium recusans, vt non Rex, sed omnium indigentium saluberrimus prouisor putaretur. Parco autem & castigato victu contentus; maximus ebrietatis & crapulæ olor habebatur: Mensam deniq; suam admiranda prouidentia, parsimoniaque venustauerat, vt omnibus quidem vescentibus dapes sufficerent, ingurgitationis verò occasio procul abesset. Exigua hæc quidem, & minus admiranda in Principe viderentur, nisi & hisomnibus vnum specimen virtutis, cætera supergrediens adiecisset, eam enim animi continentiã modestiãque, quàm dum priuatus esset, à virtutenè mutuatam, an à natura datam, incertum est, ad Regalem fortunam pertulerit, eiusque vsum in omni tempore vitæ suæ seruaret, sæpè quidem in actibus publicis, quoties illum chlamide Regia vestiri aliqua necessitas impulisset, toties pannos hirsutos & vestes ignobiles in quibus susceperit Regnum, super verticem suum in eminentiori loco iussit extendi, volens vt habitus ille originariæ sortis sibi

reuocaret repretentaretque memoriam, & ipsum vitæ necisque dominum insoleſcere non sineret. Cuiuslibet pompæ, arrogantiæ, & iniuriæ sibi transgressione indicta, ab initio Principatus, vsq; ad vitæ exitum, humanus & clemens erat. Tenuitatem generis originarij, neq; vnquã inficiatus est, quin etiam in decus tulit, atq; in facinus pulcherrimum, quod in eam Principatus amplitudinem, ex sorte humili euehi, & ascendere illi contigisset.

Leszek ante obitum filium Leszkonem III. reliquit hæredem se non inferiorem, qui tandem vnicum legitimum reliquit filium Pompilium Regni successorem & naturales viginti, quibus sub ditione eius relictis, certas in vita sua terras inter eos diuisit.

IVsto & modesto regimine, dùm apud Polonos annis multis Leszek Secundus victoriosè & feliciter imperasset, longæuo senio confectus, ad maturam ætatem perueniens, vita excesit. Nonnulli asserunt, hunc Leszkonem in prælio cum Cæsare Carolo Magno inito victum & occisum esse: Ita enim reperi Martinum Gallicum de eo scripsisse. Anno 805. Imperator Carolus misit Carolum filium suum in Poloniam, qui de populatis omnibus, Ducem terræ illius Leszkonem occidit, indeq; reuersus ad Patrẽ cum in silua Woszego, venatui studentem inuenit; Ex quo quidem constat Polonos, & tunc, & antea bella cum Imperatoribus & Regibus finitimis gessisse, sed quo tempore, quoue ordine aut fortuna, quibusue Ducibus propter literarum & scriptorum, quibus tunc Poloni velut gentiles caruere penuriam, parum constat. Itaq; siue naturali, siue violenta morte Leszko decedens, vnicum filium sui nominis, Leszkonem Tertium Polonis pro hærede reliquit; Qui ob Patris præstantes actus & merita, in solium Paternũ dignus iudicatus est succedere. Nihilo autẽ paternis actibus, quibus peroptimè fuerat institutus, inferiorem se gerens, celebris fama virtutibus & gloria apud suos & exteros habebatur, vt Patris virtutem, & merita transcendisse magis, quàm æquasse videretur. Plurima hic cum finitimis bella gerens, nomen & gloriam gentis suæ, & suum plurimis heroicis nobilitauit operibus; quasdam verò Polonorum Regni Prouincias sua prudentia, & bellica virtute vacillantes, & res nouas cupientes in fide continuit, motusq; earum compresit. Quasdam etiã denuo expugnatas suo adiecit imperio. Crebris autẽ vicibus à Pannonijs tunc per Græcos & Italos bello lacesitis, magnis precibus & largitionibus ad administranda bella inuitatus, Legiones Italorum & Græcorum frequentibus victorijs fudit, gentemq; Pannoniorum qui & ipsi Slaui sunt, ne Græcis aut Italis tributaria fieret, tàm suo, quàm exercitus sui robore, atque arte militari, qua pollebat, defendit. Ex legitima autem vxore vnum duntaxat filium, nomen Pompilius imponens, progenuit, quem in spem futuræ suæ successionis, adhibitis Magistris & curatoribus, dignis moribus, & virtuosis institutis, curauit educari. Ex pluribus autem pellicibus viginti filios omnes mares susceperit,

videlicet Casimirum, Boleslaum, Wladislaum, Wratislaum, Ottonem, Baruinum, Przybyslaum, Præmislaum, Iaxam, Semiamum, Semouitũ, Semomislaum, Bogdalum, Spicigneuum, Spicimirum, Sbigneum, Sobeslaum, Visimirum, Crespimirum, & Vislaum. Veritus autem Leszek, ne eo ex humanis rebus absumpto, super dominijs & Principalibus suis contentiones & bella sanguinisq; profluia inter filios consurgerent, filium legitimũ Pompilium Monarcham, & Regni Polonorum Dominum constituit, cæteros verò suos fratres naturales suæ subiecit obedientiæ & seruituti, & iureiurãdo constrinxit, & obligauit mandans, vt sibi in omnibus pareant, & illius Tribunal atq; superioritatem recognoscant. Partitur autem inter viginti filios prædictos omnem maritimam, & Sclauorum, & Rugianorum, Polonorum, Obotritorum, Varienſium, & Cassubitarum oram, versus Missnã, & Vestfaliam, & Oceanum mare se prætendentem, & omnes Regiones Poloniæ inter flumina Albiam & Halebam sitas, & cuilibet congruã assignat portionem. Qui in illis plurimo tempore Principatum gerentes, plures vrbes, Castra, municipia, atq; Castella ex suo nomine condiderunt, quas etsi natio Teutonica successione temporum occupasset, occupatq; inpræsens, vetus tamen nomen Vrbium, Castrorum, & locorum, quamuis in Almanicum transformata sint, manet in hanc diem apellatio, videlicet Bukow, Dobyn, Brema, Mykielburg, Luneburg, Aldemburg, Raczesburg, Sigerburg, Plunen, Slesnik, Ilow, Zwerin, Malechow, Rostog, Kuczyn, Werle, &c. Occupatæ autem sunt terræ & Regiones Sclauorũ præfatæ vnâ cũ Castris & Ciuitatibus, per Saxones, Vestfalos, Olandros, Frisones, cæteroſq; Teutonicæ linguæ populos, & successiuè Principes, Proceres, Optimates, Nobiles, præfatarum Regionum ab Almanis exterminati & eiecti sunt. Ad extremum Nicolaus Princeps Slauorum cum duobus filijs, Przybyslao & Warczyslao, Ab Henrico Leone Duce Saxonum deleti sunt, in vicis tamen & rure Slaui Rusticani generis habitant in hunc diem, nec aliam linguam nisi Polonicam seu Slauonicam, licet corruptam, & in pluribus mutatam propter commixtionem & ciuitatem aliarum linguarum, & variationem idiomatum sonat.

De Castris per viginti filios ædificatis, vnde clarè apparet, quam ampla olim fuerat Polonorum Regio, quæ nunc à Germanis possidetur.

MEntio de filijs naturalibus Leszkonis facta me admonet, ne illorũ Principatus & dominia, Vrbesq; ab illis conditas & populatas, obruam silentio, quatenus Polonorum posteritas intelligat, quantum sit Polonorũ Regionibus per Almanicam nationem detractum, cum omnes illas oras, atque Prouincias Almani possideant, Itaque Boleslao primogenito naturali Leszkonis Baruino, & Bogdalo Pomerania inferior, Casimiro & Wladislao Cassubia. Iaxæ & Semiano Serbia; Wratislao Rama; Przybyslao, Czeslao Czeszemiro & Ottoni Dituonia, quæ nunc Ollacia nuncupatur: Præmislao Semouito & Semomislao Zgorzelica, quæ nunc Teutonico nomine Brandeburg apellatur, alijs verò residuis fratribus, quædam sortes in huiuscemodi Prouincijs consistentes, adiectis quibusdam desertis siluarum & nemorum, fuêre consignatæ. Condidit autem Wislaus Castrũ Miedzyborze, quod nunc Meidburg dicitur, Sobeslaus Castrum Dalen, quod Dalemberg dicitur, Visimirus Castrum & Ciuitatem in ripa maris Septemtrionalis Visimiriam ex nomine suo, quæ in hanc etiam diem Visimiria nuncupatur. A cæteris hæc Castra noscuntur erecta, Castrum Bremen in confinijs Vestfalorum & Frisonũ situm, quia põdus hostile exciperat. Brzemie enim in Slauonico, Pondus denotat. Item Castrum Luna, quod nunc Lumburg dicitur, in petra enim altissima, quam vndiq; latitudines planitiesq; camporum ambiunt situm, nomen Castro indidit. Slaui enim, splendorem Lunæ nocturno tempore interlucentem, lunam vocant, A cuius similitudine ripæ & campestri planitie lucentem, Castrumq; in ea fundatũ Lunam vocarunt. Item Castrum & Ciuitatem Bukowiec, quam Almani Lubek apellant, licet per Slauos in circuitu commorantes prisco intitulatur vocabulo. Item Ratibor. Item Castrum Swerin. Item Castrum Lubow, quod quia à quodam Miklone conditum est, Teutonici illud Mikielburg apellant, & Principes, qui in eo dominantur, Mikielburgenses apellant, à camporum verò spatiosa latitudine in latere Magnopolieñ. ex duobus integris, licet in duplici idiomate, Latino videlicet & Slauonico compositum vocitatur. Item Castrum Gilow à crassitudine terræ. Itẽ Castrũ Rostoki, à dissolutione inundationeq; aquarum. Item Castrum Verla, à crudelitate. Item Zwahouo, à vocando. Item Castrũ Ostrow, à loco insulæ, in quo stat erectũ. Itẽ Teszyn, Marlewo, Bobel, Trzebieszewo, &c. pluraq; alia Castra, municipia, Vrbes, & Castella, quæ à filijs viginti Leszkonis, filijsq; eorum, & Nepotibus, circa Sarmaticum Oceanum, & Septẽtrionale mare, paludibusque, insulis, & desertis fretum illud ambientibus sunt constructa & erecta, quæ frequenti numero gentium, propter maritimas opes, & lucra incoluntur & inhabitantur; nouarumq; Vrbium in oris illis varia construxerint structura, & habitatio numerosa. Illa enim Septẽtrionalis plaga, quantò minus solari ardore exuritur, niuali gelidoq; magis frigescit frigore, tantò salubrior corporibus hominum, & ad producendum humanos fœtus & gramina aptior existit.

Pompilius Leszkonis filius, mortuo Patre in Regem coronatur, & Fratres obedientes confirmat in statuis, sedem Regiam Gnesnam, tandem Crusuiciam per eum ædificatam transfert, vbi gaudens quietè nullo edito memorabili opere relicto vnico filio obijt.

ORdinationi Leszkonis Tertij in singulis quæ de filijs viuens confecerat, paritum est: Legitimus enim filius suus Pompilius, tàm Fratrum, quàm vni-

quam vniuerſorum Poloniæ Procerum approbatione vnanimi & conſenſu Patre fatis abſumpto, in Regem & Monarcham Poloniæ ſuſceptus, & ſurrogatus. Vniuerſis viginti fratribus ex concubinis ſuſceptis, præſtantibus ſibi iuxta iusiurandum, & Patris decretum debitam obedientiam, & feudalem ſubiectionem. Firmato itaq; Pompilius ſolio viginti fratres ad procurandas, quás illis Pater Leſzko donauit, Prouincias dimiſit, quas tunc iuxta vniuſcuiuſq; attributam induſtriam cæperunt adminiſtrare. Pompilius itaque ſiue Popiel ſuſcepto Polonorum Regno, montana, ſub quibus Vrbs Cracouienſis fundata conſiſtit, perteſus, in Campeſtribus & planiciebus delectari cepit. Vnde & ſedem Regni ſui à Cracouieñ. arce vrbeq; transferens, in quibus prædeceſſores ſuos nouerat habitaſſe ad Originariã priſcorum Principum Poloniæ, Gneſnam videlicet, redijt. Sed cum huius quoq; inhabitatio ſibi ingeſiſſet faſtidium, volens Principatus ſui in poſteros relinquere monumenta, in Campeſtribus longum proſpectũ habentibus, nouam arcem, nouamq; vrbem, iuxta lacus & paludes condidit, eamque Cruſuiciam nominauit, in illam ſuam continuam manſionem tranſtulit, principalem eam ſedẽ Regni ſui conſtituens. Ob quam rem Vrbs noua mercatorum & colonorũ facile numero impleta, inter Poloniæ Vrbes, pro ea tempeſtate famoſa, & inſignis habebatur: Quoties autem aduerſitate hoſtili, aut vicinorum bellis Popiel ſe oppoſuit, aut Poloniæ Principatus ab hoſtibus inuaſus fuiſſet, toties fratres ſui perſonis proprijs & omnibus copijs illũ contra quoslibet hoſtes adiuuabant, non prius redeuntes ad propria, donec aut hoſtes fuſi, aut exorti motus conditione honeſta cõpoſiti fuiſſent. Nullum autem opus inſigne aut heroicũ prædictum Popiel ſcimus edidiſſe, neq; auita, aut paterna in adminiſtrãdo Regno, in propagandis eius finibus, in ædendiſq; militaribus actibus in eo reluxit propago, ſed parta tantummodo gubernare contentus de coniuge legitima vnico filio ſuſcepto, quem ſuo nomine Pompilium apellauit, nondum ad ſenectã perueniens, in marcida & torpenti ætate morbo correptus vita deceſsit. Cætera in illo venerabiliora videbantur, illud quoque criminoſius, & enorme, ſiue natura infudiſſet, ſiue venturi mali omen foret, quod in omni ſacramento atque execratione murium, deuorationem ſucceſſu temporum diuino iudicio permittente, lequutam ſibi deprecabatur euenturam. Latino idiomate vocatus eſt Cinereus, Almanico Oſſeirch, circa Annũ Dominicæ Incarnationis Octingenteſimũ, apud Polonos creditur imperaſſe, & Monarchiã Polonorũ Monarcha ipſe per Annos plures rexiſſe.

Quomodo venientes fratres ad Pompilium, illoq; mortuo inuento filium ipſius Pompilium acceperunt in Principem, & curarunt recte omnia adminiſtrari.

LAnguore Pompilij Principis Viginti fratres eius, audito, qui ad maris Septemtrionalis oram, & in Pomerania inferiori, Caſſubiaq; Principatum tenebant, de dominijs ſuarum habitationũ egreſsi, propero curſu Cruſuiciam ad viſitandum Fratrem Popiel languentem conueniunt, poſtridie iam animam exhalaſſe reperiunt. Super cuius morte non mediocri dolore conſternati, plures fletus fundunt, corpus eius, iuxta morem illius tẽporis, honeſto loco condunt, & honore debito funeralibus ſuis iuſta peragunt. Ea autem in omnium pectore ad fratris filium, quem vnũ Pompilius ſuperſtitẽ reliquerat, reperta eſt charitatis affectio atq; fides, vt quamuis potuiſſent probantibus proceribus & primoribus Poloniæ, propter imbecillem Nepotis ætatem Regni Poloniæ nanciſci curatorum nomine adminiſtrationem, omni tamen ambitione circumſcripta Nepoti Pompilio, quamuis immaturo & paruulo regimen relinquere, quam illud in aliqua parte contingere maluerunt. Vnde & tunc adoloſcentia Nepotis in dies longiores minimè expectata, ipſum in Regem & Monarcham Poloniæ extulerunt, ac illi quemadmodũ à Patre Sacramento conſtricti erant, fidelitatis obedientiæq; homagiũ præſtiterunt. Accedebant autẽ aliqui ex eis, quibus onus illud cæteri mandauerant, & per certa interualla maiorum quæſtionum & cauſarum, quæ ad Pompilium referebantur, audientiam faciendo, deciſiones, & ædicta in Curia Nepotis donec adoleſceret, benigna longanimitate morabãtur: rati ſe Põpilio Nepoti ex tã benigno aſsiduoq; negotio ſeu officio in illius tenera ætate impẽſo, quouſq; in virũ euaderet, chariores fore.

De moribus Pompilij deteſtandis, & quomodo vxor eius per blanditias viro effæminato, ſuſcipit omnem Reipublicæ curam duobus filijs procreatis.

SVb diligenti & accurata Patruorum ſollicitudine, minor Pompilius annos adoleſcentiæ prætergreſſus ſuo iuri, & poteſtati, à patruis relictus, ab auitis mox cepit degenerare moribus, his rebus tantummodo intẽtus, quæ parum commercij habere videbantur cum virtute, in omnia quoq; praua, & ſceleſta procliuis, turpis & flagitioſiſsimus habebatur. Nulla in eo nobilis indoles, nullus actus viro heroico & Principe dignus, nullum virtutis ſpecimen, nullus honeſtatis amor, ſomno aut ventri, aut crapulæ deditus. Non Baronum ſuorum intendebat conſilijs, ſed laſciuiam petulantiamque ſectatus, in apparandis conuiuijs, in trahendis ebrietatibus, in ducẽdis plauſibus, & choreis occupatus. Poſthabita omni virtutis cura, ſerta tractabat non arma, fæminarum cætibus, & conuerſatione implicitus, virorũ & præſertim maturorum & prudentium conſortia, quaſi quandam peſtem & perniciem fugebat. Propter quod vicinorum hoſtium ſuorum furor priorum Principum ſtrenuitate ſolertiaq; compreſſus, mox reuixit, Pompilij Principis ſcelere & puſilanimitate accenſus. Crebris itaq; bellis diuinitate permittente laceſsitus, muliebri illa, pauentiq; animo adminiſtrabat: Ad conſuetas & radicatas voluptates ſemper reflexus, vnde & ſæpè contigebat, hoſtes, quamuis minoribus potentijs fretos, commiſſo prælio euadere ſuperiores;

periores; Ipſe enim Pompilius tardius omnia, quæ ferro adminiſtranda erant, prouidens, primus in fugã proſiliens, cæteros magno diſcrimine mortis vel captiuitatis, aut fugæ ignominia inuoluebat. Si quæ autem bella felicius ſub Principatu ſuo geſta ſunt, non ſuis, ſed ſuorum priſcorum ingenijs prouenerunt, quoniam ad repellenda bella gerendaq; certamina Baronũ deliberationi, & conſilio nunquam illum, velut quandam infelicitatis ſentinam, placebat acciri. Non ſolùm autem deſpectui, ſed ludibrio apud ſuos & exteros patuit; Qui cum deformes & hos quidem attritos & raros in Cæſariæ haberet capillos, turpis propter id, ſed turpior propter laxatos in omne facinus mores haberetur Chwoſtek à ſuis pro vituperij nota (quod ſignificat vilem, attritum, & deformem ſcopam) cognomen accepit, bello ſegnis & timidus, in quolibet verò opere cunctator, aduerſus denicq; corruptelas pecuniarum parũ purus. Procatur autem illi & deſponſatur ex Principibus Almaniæ vicinis Polonico Regno coniunx, generis nobilitate præſtans, & formæ elegantia rara, fæminas plures ſuæ ætatis ſupergreſſa, in omne tamen facinus, & præſertim in ambitionem & auaritiam muliebri ingenio prona. Ea ſpe & reſpectu à patruis & Proceribus Poloniæ illi coniuncta, vt viri actus, deteſtandoſq; mores, in meliora verteret. Verùm illa blãditijs ſuis muliebribus, calliditatibuſq; illectũ, captumq; illaqueauit adeò, vt apud illam magis, quàm apud Regem totius Regni adminiſtrandi conſiſteret poteſtas. Singulaq; per legem decernenda non ſecus rata habebãtur, ac illa Reginæ conſenſus & autoritas probauiſſet. Duo denicq; pignora ambo mares ex illa ſuſcipiuntur. Procedente tempore prolis fæcunditas ampliorem illi ſtruxit, & apud Regem, & apud Primates Regni veneration is gradum, ſtatumq; eius, & ex venereo amore mariti, & ex productione filiorum credebant perpetuum. Ex quibus omnibus Regina magis magiſque inſoleſcens conditionis ſuæ oblita, totius Regni adminiſtrationem & regimen ad ſe vnam iure hebetato & effæminato traduxit. Regiumque animum ſuapte tetrum & languidum Proceribus, ne quicquam potiora ſuadentibus, ad deteriora quæque propenſiori ſtudio inclinauit. Filijs autem Regijs nomina indita ſunt Auita. Vni quidem Lech, alteri nomen parentis Pompilius.

Quomodo caſtigatum à patruis Pompilium, vxor ægrè ferens meritum, vt eos veneno necaret miris perſuaſionibus hortatur.

VIdentes autem & ab experto cognoſcentes Patrui ſecundi Pompilij ſuum Nepotem in quæq; praua declinaſſe, & tàm ſuis, quàm exteris magno deſpectui & ludibrio eſſe, ſæpius illum priuatim & publicè accedunt, ſæpius per Auitos & patrios cineres obſecrant, admonent, & deprecantur: quatenus ſuam & eorum progeniẽ non pollueret, & indignis moribus ſcurilibuſq; abuſibus non contaminaret euidẽti demonſtratione, pluribus argumentis

gumentis & exemplis illi declarantes, non diuinitatem ſolùm, ſed nec ſubditos fæda ſua iudicia, & petulantia opera quoquomodo repreſſuros, ſæpius & illi Regni minantur exterminium, ſæpius ſuum & ſuorum tàm ſuffragiorum, quàm conſiliorum hactenus illi præſtitorum allegant diſceſſum. Verum Pompilio Secundo ad malignitatem naturali conditione inſitam, altera labes, conſors videlicet, quàm ex Principibus Almanorum duxerat, impietas acceſſerat, quæ Pompilij ſecundi ſuapte ægrum, & ad omnia nefanda pronum animum, ad quæq; deteriora inclinabat. Propellens ſi quidem maritum ſuum, tàm primoribus, quàm inferioribus, tàm diuitibus, quàm pannoſis exoſum & inuiſum eſſe, verita ne proceres Regni eius malignos mores, & muliebres actus perteſi ad eius proſcriptionem, eiectionem, aut perniciem procederent, & in locum eius aliquem de Patruis ſuis, Principibus videlicet ad oras ſeptemtrionales habitantibus ſurrogarẽt. Stirpis quoq; ſuæ duos mares, quos ex Popiel ſuſceperat, in exilium ire cõtingeret, nocte & interdiu animum viri mulieribus blandicijs demulcet, lenit, flectit, in necemq; patruorum allicit, mollit, & inclinat. Non eſt inquit tibi, ſed neq; proli tuæ, quæ tibi ſucceſſura eſt, patruis ſuperſtitibus, ſecura vita, non eſt tranquilla Regni, quod habes, ſed momentanea prorſus & periculoſa poſſeſsio. Quotquot enim patruos habes, tot tuorum pignorũ inſidioſos hoſtes. Diſertos tecum miſcent, & familiares ſermones, crebris te coarguunt monitis, magnam auiſamentorum congruunt ſuppellectilẽ, maximam vim præſidiorum pollicentur: Omnia hæc callido vafroq; animo agunt, vt tibi laqueum ſtruant, vt te ſubditis tuis magis reddant, contemptum & exoſum non patruorum ſolum, ſed parentum ſe erga te opera egiſſe gloriantur. Altam viciſſitudinis compenſationem, crebra ſermonũ vlurpatione exigunt, ſæpè te non Regem, non Primorẽ Principem, ſed ſui figmenti vocant mancipium ſuorum conſiliorum nituntur te regere diſciplinis non quo melior exercitatiorque, ſed quo contemptibilior euadas, auitas virtutes, mores, & actus, aſsidua relatione obiectant. Bella te cogunt, aut repellere, aut inferre quo te celeriùs extinguant: Vniuerſæ quoque eorum ad hoc ſuadent, ad hoc lucubrant, ad id vigilant artes & ingenia, vt te, & prolem tuam exterminent, tibiq; in Regno ſuccedant. In tua itaq; manu ſitum eſt, Princeps ne, an aliorum ſeruus? inclytus, an ignominioſus? felix, an miſer cenſeri & eſſe malis? Si itaq; ſapis, ſi aliqua prudẽtia viges, ſi tuum, tuorumq; cupis ſtabilem eſſe ſtatum, expergiſcere aliquando, & hunc, quo hactenus es vſus, excute torporem, & priuſquam patruorum tuorum in te roborentur machinationes, priuſquam te ſuis fraudulentis caſibus includant, vitam illorum, ſi ferro, parum tutum, & conueniens cenſes, ſaltem potione toxicata extingue: Cuius rei me fidam habebis cõoperatricem, & miniſtram. Dij te penates, patrij quoque, & tàm paterna, quàm auita imago in Regni ſolium te vocat, ſed & plebs omnis nobilitas, omnis cætus creat, vocatq; Regem. Patrui tantummodò obſtant, nec felicem glorioſumq; Regem ſinunt, quibus ſublatis omnia tibi non dubites

pro voto ceſſura. His alijſq; perſuadẽdo, increpãdoq; modis virũ, ad facinꝰ inſtigat, ſuo artificioſo ſeductũ alloquio, & muliebribus verbis illaqueatũ.

Pompilius ſimulata graui infirmitate patruos ſuos ad ſe conuocat, celebratiſq; exequijs filios eis commendat.

His vocibus pluribuſq; ſimilibus ſermonibus, Viri animum expugnatum ad innocentem patruorum ſuorum næcem nefanda fæmina pelliciens, oportunum tempus & modum, quo deſtinata animo mãdet celeri effectui, & ingenti ſollicitudine obſeruat. Ea itaq; huiuſcemodi muliebri calliditate dirigente, Pompilius ſecundus in grauem morbum ſe ſimulans incidiſſe, in grabatum ſe velut languidus & moribundus imponit, Patruos crebris nuncijs & literis obſecrans, vt ad illum celerrimè non cunctentur, antequã illum languor non conficiat accedere, ſuprema quædam mandata ab ipſo percepturi. Quibus ex more prono & deuoto animo conuenientibus, ſic apud eos, Popiel audiente Regina, & Primoribus Procerũ diſſeruit. Deorum inquit, beneficio proximam mortem mihi imminere, & languore, quo me correptũ cernitis, edoctus, nõ amplius fas eſt poſſe me aura vitali frui. Vos chariſsimos Patruos meos dignum exiſtimaui accerſere, vt antequam vita mea exui me contingat, de ſucceſſore Regni veſtro celeberrimo conſilio, cui parere conſueui aliquid conſtituam, vt quemadmodũ veſtro Regnaui munere, ſic & veſtro perenni & immortali viuam beneficio per ſucceſsionem filiorum. Magis enim me ſuperſtitem, quàm extinctum: magis viuentem quàm mortuum exiſtimare potero, ſi vobiſcum meas celebrauero exequias, & veſtra in me ſtudia palpitante adhuc anima viuens proſpexero, quæ mortuo ſtudio & lege humanitatis affinitatiſq; eſtis impenſuri, fatis enim vocantibus diſſoluor, nec fas eſt mihi vobiſcum diutius commorari. Præſtate itaq; viuo, quod morienti eſſetis præſtituri, impietatis enim cenſeretur facinus, id viuenti abnuere amico, quod etiam non conſueuit hoſtis exanimato negare. Simulat inde lachrimas, & gemitus cum ſuſpirijs arte compoſitis, execranda potius vafricia, quàm verò dolore cõpreſſos, & velut occupatos luctu oppreſſos lachrimis, præpeditus ſingultibus, aggrauatus languore dicendi ordinem non tenet. Ad hæc tam dulcia, & mellea ſuauitate delinita verba, pectoribus omnium grandi mærore perculſis. Vniuerſa Regia domus altis cepit concrepare ſingultibus, audiens hinc veras, hinc fictas lamentationum voces, inde ſuſpiria, aut horribiles vlulatus, alibi percuſsiones pectorum, aut compoſiones palmarũ, lacerant crinem virgines, matronæ vultum, habitum Pannoſæ: Augebat autem omnium lamenta Reginæ ſimulatricis, & plus quàm punica fraude ementitus eiulatus, quæ nunc virum, nunc mariti Patruos, nunc ſingulos Procerum luctuosè amplexa ſuſpirioſis fletibus tenet & emulcet, & ſuo cõploratu ſimulato, Patruis & Proceribus veras lachrimas excutit pro marito. Tantus omniũ mentes occupat mæror, vt etiam fama prodente omniũ

aſſer tio-

aſſertione, fallo licet vulgatum fuerit ſimulachra quædam ærea, & ſtatuas in Regia poſitas ad tantarum lamentationum mugitum, ſudorem in lachrimarum morẽ largiùs, quàm in animatis conueniebat profudiſſe: plurimi ad nutum Pompilij Regis ſumptu liberali & magnifico funebrales apparatus inchoantur, conſummanturq; viuentis hominis, quod monſtro par videri poteſt, exequiæ. In quibus tanto quiuis ex Patruis Pompilij Regis & Primoribus Poloniæ, ſtudium officiumq; ſuum extulit, quanto à ſpectatore Rege, & omnium officia ſcrupuloſè notante, ſtrictiori fauoris & benuolentiæ gradu anhelabat commendari, Superſticioſis itaque exequijs more & ritu gẽtilitatis illius temporis expeditis, omnes qui aderant, delicato excipiuntur conuiuio, & ſinguli epularum protelata adminiſtratione opipare tractantur: Quos à refectione digreſſuros, etiam mærore leuatos, Pompilius Rex ad præſentiam ſuam præcipit adduci, ſimulans ſe ex eorum iucũda præſentia, & dulciſsima allocutione imminentem fati horam leuius tolleraturum. Conſpiciens autem Reginam fallacibus indulgere lachrimis, his eam ſolatur verbis. Quid inquit, chariſsima coniunx mæſta mades fletibus? quid luctuoſis oppreſſam te quæris acerbitatibus? viduitatẽ ne times? At certe his, quos pro tua orphanitate tutanda relinquo curatores, ſuperſtitibus, viduitatis incommoda te ingreſſuram non ſperes, ſed incolumibus illis, viuum, quamuis tuũ reputa parentem. Singulos enim tàm Patruos meos ſtricta mihi affinitate iunctos, quàm Baronum meorum præcipuos, quos moriturus deſero obteſtatos, deprecatoſq; eſſe volo, vt in te, natoſq; noſtris cõmunibus, mei viuat vigeatq; nominis recordatio, vtpotè, qui te, filioſq; meos reliquias corporis mei, & dimidiũ animæ meæ illis pro hærede relinquã. Aſſurgunt Patrui, aſſurgit & Baronũ venerandus ſtatus, & pro ſe quiſq; operam ſuam, iuxta eorum poſſe, erga conſortem & filios Pompilij, ſe proviribus nauaturum promittit, mortemq; aut perniciem ſibi accidere prius imprecatur, & deuouet, quàm Reginæ & filiorum ſalutem quoquomodo negligeret. Simplici enim & recto corde, quod vnuſquiſq; ſentiebat, certatim depromebat, ad demonſtrandum ſuæ deuotionis & charitatis in Regem & Reginam affectum. Neq; credere aut perpendere poterant, quod ſimulatæ tàm Regis, quàm Reginæ fuerant lachrimæ, & gemitus arte compoſiti, nec vllo dolore expreſsi. Adijciunt Patrui & Duces, Procereſq; Poloniæ, quo maius fletus flebiles reſcindant, Regis & Reginæ ſiccent lachrimas, quas in veritate, & non in dolo opinabantur effuſas, ſe filiorum Regiorum nondum Epheborum ætatem ſupergreſſorum, Leſzkonis videlicet & Pompilij, tàm ſtudioſam tamq; accuratam curam Pompilio Rege abſumpto geſturos, ac propriorum, vt alios parentes filij Regij non deſiderent, illumq; honorem & cultum, fidem, & deuotionem, quam ipſi Patri exhibere conſueuerãt, in eius filios ſuperſtites translaturos. Ex his gaudere ſe Pompilius ſimulat gaudio ingenti, & obortis fictis lachrimis, quas fraudis & dolis magnitudo excutiebat, vniuerſis in genere gratias egit, ſingulos deinde proprio nomine compellans, amplexibus & falſis oſculis de-

 liniens,

liniens, cunctos obsecrat, vt verbis suis dando virtutem in promissa fide permanerent. Ad horam autē, qua prope moriturus erat Regiam coniugem, duosque in successionem Poloniæ à se genitos filios illis lachrimis madentibus commendat.

Patrui veneno à Pompilio necantur.

INter hos sermones in spatium decliuis Olympi solare approximabat iubar,& Pompilius singulis suis dolositatibus ad fallendum Patruos,& primos Procerum,arte coniugis compositis,iam perfunctus erat. Patrui quoque & Proceres singulis, quæ penes moriturum mortuumuè Principē rite expediri solebant, peractis, dissolutionis tempus,iuxta denunciatam diuini oraculi certificationem credebant imminere. Tùm Pompilius Patruis & Proceribus suis quasi valedicturus nectar sibi iubet surrogare per ministros, extremum fœdus potione illius & osculo cum Patruis & Proceribus percussurus (erat autem aureum poculum ingenio subtili cælatura & arte elaboratum, cui infusus liquor,quamuis tenuis & exiguus in altum spumabat, vt cratere vix dimidio,liquor vaporali accensu in summum euadebat, qui oris flatu dissolutus ad veram quantitatem successiuè, vt in bullientibus igne subducto cernimus, redibat) tali itaq; vase lethifer potus infusus. Primum Pompilio Regi porigitur,vt à Rege prægustatus,à cæteris velut purus & salubris haberetur. Verùm Rex ad singulos proceres prægustationē fallacem, & simulatam faciens, virtute flatus spumarum densitatem, quæ medium crateris occupabat, nil de substantia,ne dum contingens,sed nec libans consumebat; reliquum verò potionis dimidium, in qua validū conditum erat virus, absumere quisque ex Patruis & Proceribus iuncto Regi prius osculo iubebatur. Huiusmodi pestifera potione impletos somnū sibi ex eorum suaui & assidua colloquutione obrepere fingens, re autem vera, ne in suo conspectu aliquem illorum extingui contigisset, excedere decubili iubet. Veneni autem vigore præcordia, artusq; virorum næci inuitè addictorum occupante, subitò in quandam amentiam, furoremq; versi, à pleriſq; ebrij, ab alijs deliri, & insani putabantur. Tandem virus sedē animæ pertingens, singulos pestifero nectare ebrios, antequam noctis succederet conticinium, multis affectos cruciatibus peremit,patens quoque ruptura,etiam in cadaueribus præmortuis,prorumpens venefica illos infectione interijsse,euidentissima demonstratione vulgauit. Tunc quoque primum ab vniuersis notatum,& compertum est Pompilium Regem fallaci & virulenta potione inebriasse Patruos, & sub iniquissimæ suæ mortis dolore illorum detestabilem sibi, detestabilem patriæ, detestabilem suo vniuerso generi mortem maturasse,& magis vxoris persuasionibus,& acclamationibus,magis suis ambitionibus, quàm diuinis naturalibusq; & humanis factis parere voluisse. Cupiditate siquidem terrarum, quas Patrui possederant, illectus & coniugis suæ, alterius quodammodo Iesabel in Achab, & ipse

versus instinctionibus, consiliorumq; assiduitate inescatus,de iustis possessionibus, Patrijsq; sedibus,Patruos Germanos eiecturus, omni communione sanguinis neglecta, omni pudore pòsthabito, iniuriarum vltorem vili pendens Deum, neq; credens illum iustum & innocentem sanguinem vindicaturum, aut sanguini Germanorum Patruorum pœna celeri & condigna nunquam parentaturum: Nec prius à pessimis cœptis resilijt,donec ea spiritu maligno instigante peregit.

Quomodo Pompilius negauit Patruorū corpora sepeliri, vnde mures eum cum vxore & liberis suis in Kruszuica deuorauerunt.

SYderibus Patriæ indigna miserabiliq; occidentibus morte, mœror tacitus & suspirium,crebra ingeminatio mentes omnium hominum occupauit. Pauore siquidem Tyranni constricti ac veriti,ne quid in eos,qui mortes nœcatorum publicè deplangerent, consuleretur grauiùs, patulos proferre non augebāt eiulatus. Solus Tyrannus cum consorte sua miris tripudijs hularescebat, conuicijs & calumnioſis coniurationibus in viros innoxios à se veneno sublatos vtebatur,asserēs illos ob hoc facinus in Regem Nepotem & amicū excogitatū, cælesti verbere miraculosè percussos interisse. Dum nœcem Nepotis & Regis, de qua in hesternis gratulabantur funeralibus, vniuersi diuina vltione exceperint, impietatemque quam sub relligionis & officij prætextu fictis & simulatis lachrimis deflendo excessum Regis monstrabant, repentino suo interitu detexisse. Germinato autem nœcis, & criminationis scelere in Patruos Procereſque non contentus,peccata peccatis congeminans,aliud æquè fœdum adijcit: Prohibet edictione seueriſsima, extinctorum cadauera à quoquam contegi, aut sepeliri,neganſq; amicis & Patruis sepulturam,quibus ademerat vitā; Qui secus agerent pœna capitali plecterentur. Primus ille autor tàm sœui exempli,occupaturus insignem crudelitatis titulum, non sine infamia illius seculi emersit. Iacebant itaq; mortuorum cadauera tabe defluentia,& vniuersis inspicientibus cōmiserationis & horroris ingerebant terrorem. Tyrannus interim Pompilius Lamia crudelior, atroces singulorū facinorū impetus ædidit, & totus scortorum impudicorum gremijs se infudit, non aliter libitis, quàm licitis vtens, existimans se de cætero beatam & felicem vitam Patruis & Proceribus decedentibus,absq; vlla reprehēsione in sertis chorreis, balneis, vnguentibus, odoribus, somno, crapula, & ebrietate,luxuq; traducturum. Sed non est ingenio humano,aut robore cōprehensibilis manus Dei, vt quantum velit,vltionem non inferat delinquenti. Vltor si quidem & omnium iniuriarum vindex Deus, scelus illud,quod Pompilius suis nitebatur inficiari dolositatibus,graui mulctauit supplicio. Dū enim spurcissimus omnium Popiel auget scelera, celebrat conuiuia, madet mero &

vnguentis, diſſoluitur crapula & luxu, & vt alter Sardanapalus omnis laſciuiæ genere fædatur & inſanit, repẽtina diuinitatis obruitur vltione. De cadaueribus ſiquidem Patruorum & Procerum, quæ Tyrannus abijci iuſſerat inhumata, inſolitæ quantitatis murium multitudo ebuliens, ſedentẽ in cõuiuio, & voluptati dantem operam Pompilium non ſine aliorum ſtupore, in vnum duntaxat Tyrannum Pompilium, & ſuam conſortem, duoſq; filios Pompilium & Leſzkonem cæpit, continuatis & rabidis morſibus infeſtare deſæuireque. Quos etſi militũ ſeruorumq; ſedula cura abigeret, recẽteſq; ſuccederent fatigatis: Vincebat tamen perſeuerans muriũ, & noctu & interdiu, nullo ſpatio ad quietem conceſſo, multitudo omnium ſuffragijs aut defatigatis, aut ſe ab eius tutela ſubducentibus, cùm & in defenſores rabies ſæpius murium verteretur, noua remedia præparantur, extruuntur frequentes & ardentes foci, & in medio eorum Pompilius cum vxore & filijs conſiſtit, ſi forte incendijs mures arcerentur, ſed & ignes quantumcunque flammantes, muribus peruij nullũ præſtabãt Pompilio auxilium. Sic ad aliud elemẽtum reuerſus, in late patentia ſtagna deportatur per naues Pompilius cum cõſorte & liberis, & turri locatur lignea, vndis vndiq; ambita, ſed nihilo plus vndæ tulerunt remedij, quàm ignes. Singulos enim gurgites, in quos ſe Popiel contulerat, mures natando varijs itineribus illum perſequebantur, conſequutiq; nauem aſsiduis corroſionibus infeſtabant: Milites autem & nautæ, ne ſimul naui à muribus perforata aquarũ ſuffocatione interirent, ipſo etiam Pompilio mandante, in littus nauem reducunt. Cui è naui egredienti, noua murium caterua occurrit, & cum his qui illum in ſtagna conſequuti fuerant, ſimul coniuncta Tyrannum vehementius infeſtãt. His itaq; & alijs pluribus remedijs, ne quicquam proficientibus, virtutem diuinam vniuerſi agnoſcentes, ab eo diffugiunt. Qui videns ſe ab omnibus deſertum, in turrim Caſtri Cruſuicieñ. excellentiorem cum coniuge, & duobus filijs conſcendit, vbi à ſuperabũdanti murium multitudine, à quibus ſine interuallo oppugnabantur, duo primùm filij ſui, eo & infelici matre inſpectante, nullamq; ferre valentem opem, deinde crudeliſsima coniunx, & ipſe ad extremum Tyrannus Popiel adeò lacerati & corroſi, & cum ſingulis partibus artubuſq; deuorati ſunt, vt neq; alicuius oſsis vel nerui veſtigiũ relinquerint. In hunc modũ ſceleſtus & impius Popiel cum ſuggeſtrice iniqua, altera Ieſabel & filijs, vltione diuina deletus, & inſolito nouoq; genere mortis conſumptus, manibus necatorum Patruorum & Procerũ iuſtas pænas dedit. Cuius interitu cognito, oſſa & reliquiæ peremptorũ ab eo Primorum & Procerum, quæ nondũ tabefacta erant, à Cruſuicienſi pia multitudine collecta, vnius ſarcophagi tumulo condita atq; ſepulta ſunt. Hic autem inſolitus vltionis diuinæ, & rarus caſus Popiel Tyranno & Principi Poloniæ accidens, à pluribus ſcriptoribus & Hiſtoriographis, pro ſingulari monſtro & miraculo eorum libris inſertus reperitur. Morbo ſimili, & ferè eadem peſte Arnolfus Francorum Rex & Romanorum Imperator Auguſtus ex concubina magni Caroli filius ſcribitur interijſſe, non murium quidem,

quidem, vt hic noſter Pompilius, ſed pediculorum vndiq; ſcaturientiũ infeſtatione conſumptus. Qui, omnibus nocte & interdiu non ceſſando, corroſis oſsibus neruiſque relictis vſq; ad præcordia penetrarint. In hunc modum Pompilius Polonorũ Rex cum Regina conſorte & pignoribus diuina vltione deletus, & aliquanto grauius præcipitatus (vnde per iacturam & ſanguinem Patruorum & Procerum innocentum ſe aſcenſurum, & filios ſuos euecturum crediderat) quam Phaeton è curru ſolis. Intuere quæſo quilibet mortalis & diligenti ſtudio conſidera, & oculos tuæ mentis in Arnolphum Imperatorem & Pompilium Regem conijce: Quorum alter nulla medicorum ope à pediculis liberari, alter nulla militum reſiſtentia à muriũ corroſione defendi poterat; qui tàm dolore, quàm faſtidio torti morte abominabili & miſeranda interierant. A quorũ corporibus pediculi tàm paruuli, & mures inermes nequiuere auelli, quos neq; opes immenſæ, neq; theſauri, neq; Diademata, neq; ſceptra, neq; purpuræ à pediculis & muribus tutari potuerant. Et his duobus, ſi cætera deeſſent, humanæ infelicitatis argumentis certiſsimis, tuos actus, tuoſq; exitus metire, pediculis Arnolphi, muribus Pompilij, terrefactus. Faſtu poſito Deum omnipotentẽ omnibus virtutibus cordis & corporis cole: Maiores æquo animo tolera: pares iugi dilectione promeritis honora: minoribus per charitatem indulgẽdo compatere, & in lege altiſsimi die ac nocte meditare.

Conuentus pro electione noui Principis fit in Cruſuica, indeq; omnes nulla re conſtituta diſcedunt, ob idque inteſtina oriuntur bella.

MOrſu murium Tyranno Popiel conſumpto, & filijs eius vnâ deletis, & iuſto Dei iudicio extinctis, Proceres Nobileſq; Polonorum vniuerſi ad prouidendum de futuro Rege & Principe generalem Conuentũ apud Cruſuiciam indicunt, velut in Vrbe, quæ pro ea tempeſtate prima & famoſior habebatur, & in qua hactenus nihil præter famam durat, vix vici retinẽs nomen, & magnarum quondam opum tenue veſtigium, nec Regiam quis vel modernus illic ſedem fuiſſe credat, ſed nec Regiũ buſtũ. Ita ſunt turpi omnia, aut vetuſtate diſſoluta, aut deflagrata incendio, ſupernæ diuinitatis prudentiſsimo prouidente conſilio, & in horrorem ſceleris à Pompilio patrati, quatenus locus ipſe fæcundum licet fundũ habens ſolitudinis potius, quàm frequentionis repreſentaret formam, initiato & pluribus diebus cõtinuato ſuper electione futuri Regis, & Principis Poloniæ tractatu. Variæ diſſenſiones, contentioneſq; ſubortæ ſunt, & inter eligentes ſciſmata, nonnullis priuata ambitione & ſuffragijs cognatorũ, Principatum molientibus ſibi vlurpare. Cæteris verò contraria oppoſitione reluctãtibus, indignum iudicantibus aliquem indigenam, in Principem ſurrogari: Filios autẽ interfectorum à Popiel Patruorum, & Poloniæ Principum, ex pluribus reſpectibus vniuerſis Proceribus & nobilibus aſſumi non placuit, tamen quod

à pellicibus

à pellicibus eorum protendebatur origo, tùm quod ſtirps, & cognatio Popilij cunctis fuerat execrabilis & inuiſa, tùm quòd metus & reſpectus apud nonnullos ſuberat, ne aliquis occiſorum filius à Popiel in Principatũ euectus Patris & Patruorũ nęcem, retorta in Proceres & Nobiles Poloniæ culpæ cauſa, vltum iri contenderet. Votis itaq; eligentium in diuerſas partes diuiſis, infenſis animis ex Cruſuica diſceſſum eſt, nullo ordine pro adminiſtrãda Republica procurato. Interea per circuitũ vicinæ nationes infeſto agminæ Poloniam ingreſſæ, pro libitu eam, nullo reſiſtente, ſpolijs & rapinis affligebant, & nonnullos eius diſtrictus & oras, iuri & proprietati ſuæ vſurpabant. Procerum inſuper & Nobilium Poloniæ deterior erat conditio, qui mutuis in ſe graſſantes odijs, continuis ſe cladibus & depopulationibus conſumebant: Propter quod Polonia aliquanto tempore proprijs & externis bellis deferuęſcens, magnæ patuit ruinæ & calamitati gaudientibus, & in ſingulari exultantibus, per circuitum nationibus tripudio, quod Polonico Regno plurimorum bellorum inteſtinorum, ſtridoribus ſeipſum collidenti crediderunt exterminium prouenturum.

Conuentus alter pro electione Principis indicitur, & quomodo Piaſt Ciuis Cruſuicien. Vir bonæ vitæ habuit duos hoſpites miraculosè.

POloniæ Oram dùm vidiſſent Primi Proceres ex diſſenſione domeſtica, magis quàm hoſtili bello vexatam & attritam, ſecundum apud Cruſuiciam indicunt pro eligendo Principe Conuentum, ad quem dùm vniuerſus Procerum & popularium cętus de Principe ordinando conueniſſet, ſedatis inueteratis odijs & ſimultatibus, (ſedari enim illas & componi extrema calamitas Regno imminens compellebat) modeſtos concordeſq; cæperunt habere de ſurrogando Principe tractatus. Erat autem in Vrbe Cruſuicienſi vir quidam nomine Piaſt ab eo, quod ſtaturæ quidem depreſſæ, ſed robuſtæ atq; craſſæ eſſet, nomẽ huiuſmodi ſortitus, Poloni enim ſuo vulgari eam partem rotæ, quæ in axæ voluitur truncam & craſſam Piaſtam apellant: Vir ſimplex & rectus naturali iuſtitia, cæteriſq; gradibus virtutum inſignis, ſed ob inopiam agellũ exiguo colens aratro. Cui vt pleriſq; tenuitas cauſa probitatis erat, habebat paribus virtutibus & moribus vxorem, quæ Rzepica vocabatur, & vnicum filium ex ea ſuſceptum, nondum aliquo nomine apellatum, ambo agrorũ cultui intenti, cunctaq; humo gignente victum quæſiuerunt. Admiranda, & per omnium ora celebrata charitate indigentibus aduenis, Peregrinis miſerabilibus perſonis, & quibuſcunq; alijs eorum opem implorantibus, cùm tamen gentiles ipſi & Ethnici eſſent, erogabãt, vt ad eorum tuguria maior, quàm ad Regiam ſtipem mendicantiũ frequentia conueniret. Contigit autem viuente impio Rege Pompilio à muribus corroſo, duos peregrinos & hoſpites, nunquam antea cognitos, neq; viſos, in Cruſuiciã in habitu venerando & humano aduenisſe, & Primum apud

mum apud Regiam ſuſceptionem, ſimul & refectionem expetijſſe, qui cum à ianua Regia prohibiti & excluſi eſſent, in domum communem & hoſpitalem Piaſt ſe conferunt, & tàm à Piaſt, quàm à conſorte ſua Rzepica hilari vultu excipiuntur, & affectu ingẽti pertrahũtur. Coxerat enim Piaſt vrnam melis, porcumq; ſaginatum nutriuerat, vtrũq; hoc pro parando cõuiuio, excipiendiſq; vicinis hoſpitibus, dùm, more gentili, tondendi filij vnici Cæſariem, aduenisſet dies, in quo & puero imponebatur nomen, reſeruabat. Verùm duorum illorum hoſpitum, plurimum lætatus aduentu, ad conuiuium deſtinatum peregrinorum, conſumendum decernit, porcoq; occiſo, dapes conditioni ſuæ congruentes præparat, menſam ponit, & hoſpitibus accumbere iuſsis, cunctos apponit cibos, liquoremque medonis magna ſedulitate, vnâ cum conſorte ſua Rzepica ſubminiſtrant, multiplici ingeminatione precum, vtrumq; hoſpitem deprecantur & obſecrant, ne pauperes & tenues dapes ſuas faſtidiant, ne pronam ſuam in omnia eorum beneplacita voluntatem contemptum iri ſinant, ſed affectum eius, ſi appoſitus cibus & potus vilis ſit, referant in acceptum. Hoſpitibus autem iuſta gratitudine refectionem illis præſtitam commendantibus, diuinitatemq; operum omnium bonorum præmiatricem pro ſe retributurã aſſerentibus, liquor medonis nunciatus eſt ſuapte ſponte accreſcere & fluere, atq; in abundantiã prodire. Monentibus autem & iubẽtibus hoſpitibus, commodantur à vicinis vacua vaſa in frequenti numero & quantitate. Liquorq; medonis exuberans, tamdiu ſingulis infunditur, quouſq; vaſorũ defecit acceſsio, & porco inſuper occiſo, ea carnium multiplicatio ſequuta eſt, vt illam vix decem lintres explere valerent. Geminatum innouatumq; miraculum per Heliam primum apud Sareptam Sydoniorum Vrbem, deinde per Elizeum apud Samariam crederes præſtitum, niſi in Prophetarum locum hi duo, vel Angeli, vel Martyres ſucceſsiſſent. Pro qua re hoſpitũ munere & largitate ſibi præſtita, Piaſt ditior factus, ſingula hoſpitum illorũ ſuorum agit arbitrio: Vnde pro futuro, quod celebraturus erat, pro tonſione filij ſui conuiuio, non ſolùm ciues & vicinos, ſed & ipſum Principẽ Põpilium, hoſpitibus ſic iubentibus inuitat, quem magnifico cũ omnibus cõciuibus, Deo ſingula augente, procurat prandio, in quo filius Piaſt duorum hoſpitum tonditur miniſterio, nomenq; ei ab eiſdem duobus hoſpitibus imponitur Semouitus, qui ex ea die peracto diſparuerũt officio. Angeli à nõnullis creditiſunt, à quibuſdam Ioannes & Paulus Martyres, quorũ feſtum 6. Calend. Iulij agitur, forte enim huiuſmodi nominibus quærenti Piaſt, qui vocarentur, & qui eſſent, ſe inſinuauerant. Gratiſsimum itaq; ſummo Deo & ſublimis præmij hoſpitalitatis officium eſſe, vel hinc vnuſquiſq; aduertat, quod etiam gentilibus, huiuſmodi opus, Deus ipſe non dedignatus eſt tàm liberali compenſare præmio, vt & Angelos hoſpitio exciperent, tãtamq; ſuæ poſteritatis fæcunditatem, & generis ſui celebritatem, & excellentiam apprehenderent, vt ex eorum lumbis Reges & Principes Poloniæ prodirent agnitione vnius veri Dei & ſucceſsione, & ſeptingentis amplius annis

us annis, exorta in tempus præsens multiplici florida, auctaque ingerminatione perseueraret.

Inter felicissimos Piast ipse reputandus, qui hospitalitatis conditione naturamq; licet gentilis sortitus fuerat ob illius officium & meritum, medonis liquorem ab Angelis non secus, quàm mulier vidua ad Helizei Prophetæ iussionem, oleum auctum, donec vasa commodata deficerent, infusum vidit, & ad instar Abrahæ Patriarchæ Angelos hospitio suscepit. Cuius stirps munere diuino in Ducibus Poloniæ, qui Silesiam, Mazouiã, Hasiamq; inhabitant in hodiernum diem, ex illo tempore perseuerat, quamuis amplitudinem & fulgorẽ Regiæ dignitatis, quam etiam illis superaddiderat altissimus eorum, & subditorum irritatus impietate & iniustitia amiserint. Actum autem id scribunt Polonorum Historiographi Anno gratiæ Noningentesimo Quarto, quo tempore præfuit Ecclesiæ Catholicæ Agapitus Papa Secundus, qui sedit Annis Octo, & diebus Sex.

Piasto denunciatur per illos duos peregrinos futura de eo electio, & sic in Principem cum magno gaudio omnium eligitur, & Regni solium diu reluctans, accipere cogitur.

CVm itaq; Polonorum Proceres & vniuersa nobilitas pro electione futuri Principis Crusuiciæ dies plures in casu consumpsissent, nec satis inter Primores conueniret (ambientium enim Principatum, electione difficile patiebantur importuna suffragia) contigit eidem multitudini, quæ ad electionem conuenerat victualiũ necessaria deesse. Quo defectu cum singuli angerentur, & discessionem electione imperfecta pararent, duo hospites illi qui in tempore superiori filium Piast totonderant, medonisq; augmentum & carnium effecerant, Domum Piast non sine sua, & vxoris suæ ingenti iucunditate introeunt, eidemq; denunciant futurũ eum esse oportere Polonorum Regem, & in Polonia annis multis regnaturum per filiorum & nepotum successionem, qua denunciatione ille perterritus hospitum suorum relicitur consolatione, qui illi Principatum felicibus successibus augendum declarabant diuina voluntate, cui resisti non potest obuenturum, Proceribus itaq; & Nobilibus Poloniæ, non tàm fame esurieq;, quàm sitilaborantibus. Piast hospitum suorum instructione, & iussu vasculũ medonis, quo se ille tantum cum domesticis aleret, peregrinorumq; necessitati subueniret, exponit. Cùmq; omnis illa cohors & congregatio pro tàm necessaria refectione, in domum suam concurreret, omnibus tamen extenuis, & exiguo vasculo initiatus medo, liquore illius diuina virtute & hospitũ aduentu aucto, non solùm pro necessitate, sed etiam pro facietate cæpit sufficere. Vbi autem tanti prodigij, primum vulgata, deinde deprehensa est certitudo, ad eligendum virum tàm Sanctum in Regem omnium corda, & intentiones quasi quadam religione commotæ, inspirantur. Vnusq; Piast miraculi prodigio declaratus, ex omnibus dignus visus est, ad quem Regnum de-

gnum deferrent, incredibileq; erat, quãtus ardor huiusmodi dignitatis ad Piast deferendæ, Procerum & totius Nobilitatis corda peruaserat. Altero itaq; die illo crescente in solitum atrium conueniunt, atq; vniuersi concorditer Piast Regem denunciant & eligunt, atq; in gasam suã in magna multitudine aduenientes iuxta denũciationem, qui ei pridie Angelico ministerio reuelata fuerat, ipsum iam virum ætatis mediæ & virilis in Regnum vocant vero ritu & assumunt. Verùm quo promptius eligendum instabant, ipse electus resistebat perseuerantius. Postremo reluctantẽ circumfusi omnes precibus deuincunt, vt magis coactus quàm voluntarius Principatum susciperet (eo quidem maiori cum sua & totius suæ posteritatis laude, quod ad fastigium huius dignitatis, non ambitione populari, sed spectabili morũ moderatione diuino instinctu credatur, euectus) & Regem salutant; Regemq; sibi & vniuersæ genti, ac Regni Polonorum constituunt & ordinant. Nihil pensi habentes, quod vir in tugurio rusticano genitus, & nulla nobilitate insignitus, sortis etiam tenuissimæ fuerit, vtpote agrariam, & mellicidiorum exercens artem. Ex vili autem in quo degebat tugurio per Polonorum Proceres in Ducalem aulam deducendus, sandalia ex suberino robore elaborata secum attulit, asseruariq; in Regia mandat. Posteris suis videnda exhibendaq;, quatenus intelligerent superbireq; & insolescere desinerent omnes, Polonorum Regnum accepturi, quod originarius eorum Parens ex humili fortuna fastigium Regium conscenderit, felix nimium iudicandus, ex quo tot pullularunt excellẽtissimæ plantæ: tot illustres Principes emanarunt: tot animæ cãditatæ prodierant: tanta prodierit Regum videlicet & Principum Poloniæ numerosa propago, etiam ad nostra tempora florescens.

Piast omnia pacifica & domi & foris reddẽs sedem ex Crusuica Gnesnam transfert, cui Nepotes Pompilij tributa pendere negant, & multas in Polonos faciunt incursiones.

RElitissetautem Piast omnibus conatibus electioni de se factæ, illamq; quadam infamia ad se delatam credidisset, nisi diuino hospitum suorum miraculo de illa certior factus fuisset. Itaq; quãuis stupens & trepidus consentit electioni, plurimum mirabundus, quæ sibi sors nec speranti, sed nec cogitare audenti contigerit. Quapropter generis sui propago tantò euasit sublimior, quantò stirps credebatur fuisse depressior. In administrãdo autem & regendo Polonorum Regno, adeò illi diuina pietas (quàm extunc licet suo gentili ritu feruentissima & magis præcipua, quàm tunc, quando priuatus viueret, operum misericordiæ curam colere adnixus est) vt admiranda cunctis & celebris eius haberetur industria, cui singuli Proceres & vniuersa Nobilitas Polonorum, videntes specimen singularis sapientiæ, & quæ magis collata infusaq; diuinitus, quàm naturali dote concessa videbatur, in eo lucere promptam obedientiam & subiectionem in omnibus quæ-

cunq; decreuerat, aut imperauerat exhibendo, parebant. Quieuit & ſub eius Regimine ſingulorum hoſtium Poloniam inuadentiũ furia, prædonũ & furum rabies contabuit, dùm & hoſtes mira æquitate modeſtiaq; compeſceret, & latrones animaduerſione debita puniret. Quo effectũ eſt, vt Reſpublica ſub iniquo & doloſo Rege Pompilio, & tandem poſt corroſionem ſuam, & ſtirpis ſuæ ex Baronum & Nobilium inteſtina cõmotione & guerra plurimum languida & depreſſa maximum reaſſumeret robur. Patrato per Pompilium ſuum immediatum prædeceſſorem in Patruos & Proceres ſuos ſceleri plurimum infeſtus, Regiam in Gneſnam ex Cruſuicia Originarium ſuum & vetuſtum locum transtulit. Indignum iudicans illic Polonorum Metropolim conſiſtere, & iura gentibus reddi, vbi tàm atrox facinus, quod etiam loci inſpectione renouabatur, admiſſum extitiſſet. Et quãuis ſub Præfati Piaſt regimine & Principatu omnibus florerent ſucceſsibus, id tamen vnum magno diſcrimine Poloniam diuturno tẽpore inuoluit, quod filij & Nepotes Principum circamarinorum Pomeraniæ, Caſſubitarũ aliarumue quarum ſuperius mentionem fecimus orarum, quorum parentes veneno à Pompilio fuerunt extincti, & parentum morte, & ſuo contẽptu, alteriuſq; de humili ſorte ſurrogatione in Regem grandi furore cõmoti tributarium, & feudale iugum, cui hactenus erant ſubiecti, amaritudine iramenti, ferocius indignitate electionis permoti, obijcerent, pro infeſtis quoque hoſtibus magis, quàm pro feudalibus Principibus habiti in Polonorũ gentem regionemq; frequentibus debachationibus ſæuiebant. Dolebant liquidem Parentes ſuos toxica fraude peremptos, ſed vltio diuinitùs immiſſa dolorẽ attenuabat. Verùm amplior cruciatus vniuſcuiuſq; ſubibat præcordia, quod Ruſticanæ ſortis hominem omnibus his præteritis videbantur præpoſuiſſe, & in Principatus locũ, quolibet eorum neglecto ſuffectũ. Principes verò & vniuerſi proceres ac Satrapæ Poloniæ neq; indignũ ducebant Piaſt parere faſcibus, & illius adorare tribunalia, quẽ obſcuræ ſortis hominem nouerant, relligione ad id non minus, quàm virtute inductũ. Ineratque ſingulorum pectoribus non tenuis admiratio, quod quem primum manus aratro apponẽtem, boues iungentem, & in exigua gleba arãtem, ex aluearijs quoque apum quæſtum exigentem in vili tugurio degentẽ animaduerterant, eundem in Regia iura reddentem, næcis & vitæ poteſtatem habentem, exercitus regentem, de hoſtibus Triumphos & ſpolia referentem, viderent.

Mira rerum Metamorphoſis opera Beatorum Remigij & Germani euenit.

ID ne cui ſcrupulũ ad diſſerendum pariat, & ſcripta noſtra præſentia præbeant occaſionem ad obtrectandum, duo exempla ſubnectam, vnũ quod legitur in vita Sancti Remigij. Qui cum eſſet Archiepiſcopus Remenſis, & ſollicitus valde, vt inclytum pecus ſuę fidei commiſſum ad aulas reduceret cæleſtes,

cæleſtes, & Diœceſim ſuam annis ſingulis per ſeipſum corrigendo deformitates & vitia, & Zizania euellendo viſitaret, hoſpitatus eſſet in domõ cuiuſdam conſanguineæ ſuæ, videns erubeſcere pro eo, quod vitrum non haberet ommiſsis omnibus facta oratione ante dolium vacuum, & ſigno crucis edito vinũ exibat. Inſuper aliud quod in vita S. Germani legitur: Qui cum in Britannia cum ſocijs & diſcipulis ſuis viris religioſis prædicaret, hyemis aſperitate vrgente Regis palatiũ intrat, petens hoſpitium à Rege, qui ei negauit. Cùm autem Subulcus Regis egrederetur è domo Regis ad ſuã portans portionem cibi ſui, miſericordia motus videns Germanũ & Monachos eius in niue algentes, rogatos adduxit in tugurium, occidens & parans eis vitulum, quem S. Germanus congregatis eius oſsibus ſuper pellẽ, ſuis precibus reparauit, tunc mane Palatium ingreditur, & conuocato populo arguens Regem de crimine, & oſtendens eum indignum gubernatorem Regni. Depoſuit eum à Regno, & illi cum virtuti Diuinæ perquã operabatur Sanctus, non poſſet reſiſtere, licet inuitus receſsit cum coniuge & liberis ſuis de Palatio. Sanctus autem Germanus dictum Subulcum Regẽ Britanniæ conſtituit propter hoſpitalitatem, & charitatem ſuam, & extunc Reges illi de Subulco ſublimati ſunt.

Piaſt moritur, cui filius ſuus Semouitus Vir optimus ſuccedit.

ANnis multis Polonorum Regno per Piaſt prudenter & feliciter gubernato, ſub quibus plura per Pompilium deformata ad euidentẽ inſtaurationem fuêre redacta. Piaſt ipſe ſenio longæuo confectus Centeſimo & Vigeſimo annò ætatis ſuæ rebus exuitur humanis, non ſine vniuerſæ Nobilitatis & populi grandi mærore & luctu, ſingulos enim pro cuiuslibet conditione & merito extollebat, & præmijs afficiebat, parentiſq; magis quam Regis ab omnibus colebatur loco. Poſt eius deceſſum fauore & volũtate, concordi totius Nobilitatis filius eius Semouitus in Ducem aſſumitur, & Thronus paternus illi decernitur gubernandus, viuente ſiquidem Patre in Principem militiæ creatus in adminiſtrandis bellis, cæteriſq; Regni obeundis expediẽdiſque negotijs pluribus probitatis ſignis emicuit. Frigoris enim inediæ, & caloris patiens cibum potumq; pro naturali menſura nõ pro voluntate ſumebat, vigilarum ſomni non diſterminans tempora, crebris vicibus inter cuſtodias, ſtationeſq; militum excubabat, ſoluſq; vniuerſa, vbi inſidiæ hoſtiles poni poſſent circumſpiciens, largitate in omnes munificus, & ſeueritate correptioneq; modeſtus. habitus ſuus nullam Pompã redolens, vix procerum & Nobilium habitui æquabatur, quibus virtutibus, adeò ſe militibus & Proceribus, cunctiſq; ſtatibus Polonorum inſinuauerat, vt pluſquã charo illũ ſinguli venerarentur affectu, morteq; Patris ſequuta, dignum omnes Principem acclamarent imperium, ad annum Saluatoris Noningenteſimum Primum adeptus eſt.

Semouitus multa bella feliciter gesit, tandem Gnesnæ moritur.

IN paternum solium Semouitus ascendens, prioribus virtutibus aliquid magis adijcere conabatur. Vniuersam igitur curã pro bene regenda Republica Principatus sui, pro restituendis finibus Regni occupatis, & nouis propagandis intendens. Creato primum Principe militiæ, etiam centuriones quinquagenarios, Decanos, Tribunos, Chiliarchos, Ordinum tàm equestrium quam pedestrium Ductores, præfectosq; constituit, hosq; antequam ad bella prodirent, certaminum simulachris & hastarum, pugnarũq; ludis exercitari, quo animosiores & cautiores in hostes existerẽt, disposuit: finitimis deinde Pãnonijs & Almanis Pruthenis, pro terminis Regni sui sub Popiel Principis ignauia occupatis, bella mouit, & aliquot certaminibus confligens, hostesq; magna strage confundens, magnæ virtutis Triumphũ referens celebratus, cunctisq; per circuitum nationibus in terrorem erat. Recuperatis autem assiduitate bellorum veteribus Polonorum finibus, in aliud bellũ mox conuersus, Principibus Pomeranis, Cassubitarũ, & transmarinis, quorũ Patres Pompiliana extinxerat per venenum sæuitia, guerrã pro denegato sibi & Patri feudo indixit, eamq; annis aliquot Principibus illis non robore aut militia exercitus, sed situ, & difficultate locorum fortiter resistentibus, continuauit: Verùm antequam duras & rebelles eorum ceruices domuisset immatura morte apud Gnesnam obijt diem, 32. annis in Principatu peractis.

Tres Duces Slauorum ad Arnolphum Imperatorem nuncios miserunt, petentes sibi Viros doctos in Sacra Scriptura transmitti.

ARnolpho Imperatore, qui Anno Natiuitatis Domini nostri Octingentesimo cæpit apud Romanos Regnare, tres Slauorum Duces, videlicet ROTISLAVS, SVENTOPELCVS, & KOCZIEL, missis ad Gregorium Imperatorem Michaëlem nuncijs, petierunt quatenus pro ipsis & eorum gentibus in fide Christiana erudiendis, doctos illos Viros transmitteret, Methodium & Ciryllum mittit, qui Duces & gentem Slauonicam tùm primum ad fidem conuertunt, scripturas de Græco in Slauonicum transferũt, Sacra in vulgari Slauonica peragenda instituũt lingua, Sedem Pontificalẽ apud Wielogrod ponunt. Accersiti posthæc Romam, & à Summo Pontifice arguti, quod rem diuinam Slauonica lingua agerent, respondent à scriptura omnem spiritum laudare Dominum debere. Disceptatione tandem in Sacro Senatu habita, licet non pauci apparuissent contradictores, obtentum tamen & decretum est, vt Sacra in lingua Slauonica iuxta atque Latina, Græca, & Hæbraica peragantur.

Lesco fi-

Lesco filius Semouiti in Principem Poloniæ eligitur.

SEmouito decedente eius mors magnis Poloniam inuoluit meroribus. Cùm enim Principem viderent sibi subtractum, cuius virtute & auspicijs magnas iam res gesserant, & maiores se acturos sperabant, cuius etiam largitione munifica, & Triumphorum relatione priuatim & publicè opibus armisq; ue, & equis aucti erant, vberioraq; victoriarum Trophæa, ampliotaq; præmia, & laceræ patriæ redintegrationem eius ductu, eiusq; solertia se adepturos non dubitabant, beneuolentiam Semouito præstitam, in filium eius Lesconem, quem vnicum reliquerat conuertunt. Qui etsi nondum debitæ ætatis statum attingeret, Procerum tamen & Nobilitatis communi assensu post Patris funebrias, summus per Polonos honos iuxta gentilitatis, & illius ætatis ritum est impensus. Leszko ipse in Principem assumptus, & certi Barones pro Curatoribus, donec adolesceret illi deputantur, sub quorum gubernatione bellorum contra Principes Pomeranorum, Cassubitarum, Slauorum & Cismarinorũ continuatio, intermissa clanguit. In virilem autem statum Lesco prouectus, Paternarum virtutum cepit esse immitator singulari prudentia, solertiaq; Rempub. dirigẽs iustitia & liberalitate ac probitate in omnes suos subditos clarescens. Militiæ tamẽ munera non æquè vt Pater coluit, partisq; & restauratis per Patrem nihil adiecit, & bellum contra Principes Slauorum, Cassubitarum, & Pomeranorum pænitus gerere intermisit, Anno Incarnationis Christi Noningentesimo Quinquagesimo Secundo, ad Regendam Monarchiam Polonicam assumptus.

Lesconi Zemomysl filius optimus nascitur & succedit.

PRocerum & Optimatum Poloniæ charitate magis quam suo merito, in annos plures Principatu Lesconis producto, nascitur illi filius, de cuius ortu plurimo exhilaratus gaudio nomen illi circa tonsuram Zemomysl imponit significatione nominis, quod sonat terram recogitans Terrarum Poloniæ, (in quarum futurum regimen genitus erat) sollicitam sibi curam demandans. Lescone itaq; mortuo præfatus filius suus Zemomysl, perfectam in vita Patris nactus ætatem sibi succedit, naturali virium robore plurimum valens, non minori etiam virtutum ornatu fulgescens, enitebatur, si quidem pro viribus, & id præcipua vendicabat cura, vt tàm auitam, quàm paternam in omnibus actionibus exprimeret indolem, & virtutum fragrantiam, iuxta ac ille in Ciues & forenses effunderet. Et quamuis auitam felicitatem, audaciamq; in gerendis bellis non impleuit, cæteris tamen virtutibus suis nihilo fuit inferior, & quod illi bellica laude & armis, hoc ille to-

ga, & pru-

ga, & prudẽtiſsima in ſingulis rebus libratricè modeſtia creditus eſt patriæ præſtitiſſe facinora', Ioanne Papa X. impiè mortuo. Benedictus Quintus à Romanis eligitur contra Leonem, ſed à Cæſare Ottone deponitur, & in exilium ad Saxones miſſus, illic conſeneſcens obijt.

Naſcitur filius Zemomiſlao cæcus Mieſzko nomine, qui per Septennium in cæcitate permanſit.

ANgebatur autem Princeps Zemomyſl dolore ingenti; quod Vxor ſua annis pluribus ſterilis manebat, credens ſtirpem ſuam extinctum iri Inſpectore tamen, & omnium virtutum remuneratore Deo, apud quem nullum opus ſine præmio præterit ſterilitatis opprobrio adempto, fæcunda & grauida eſſe cepit, ſed partus die adueniente, ſummum gaudium, quod de ortu nouæ prolis Zemomyſl credebat ſibi prouenturum, verti contigit in luctum. Enixa quidem eſt vxor Zemomyſl marem, ſed cæcum, quod vtriq; parenti ſingularem dolorem, & amaritudinem inferebat, ſterilitatis quoq; incommodum dedecore illo magis videbatur auctum, quàm præciſum. Stimulabat & amplior dolor, quod Regina illa, vnico filio cæco ædito parere deſinens, ſterilis vt ante permanſit. Natus quoq; filius in annos aliquot ſuccreſcens, nec aliqua viſus potentiæ ſigna præferens, Perpetuam caliginem oculorum prætendebatur habiturus. Pater autem pueri in virtutum operatione nihilo factus ſignior, ſed pluribus actionibus Deo placitis refulgẽs hoſpitalitatem, quam ceu hæreditariam à Proauis acceperat, ſummo ſtudio ſectabatur, omnium autẽ quos vnquam legi Polonorum Hiſtoriographorum Annales & literas, de cæcitate huius Mieſzkonis concordant, ſcribentes illum adhuc intra cellam materni vteris, cæcitatis contraxiſſe tenebras, cæcumq; effuſum integro ſeptennio ab ortu cæcitatis ærumnas toleraſſe aiunt. At Clementiſsimus Deus generi Polonico propitiationis gratiam, poſt tot quæ proceſſerũt ætates, impreſſurus; lumineq; Polonos iuxta ac cæteras illuſtraturus gentes fidei, cæcum Principem naſci, cæcitatisq; opprobria ſeptennio ferre occulto ſuo Iudicio permiſit. Vt ipſe Princeps caligine oculorũ percuſſus mente plus videret quam oculis, & cæcitatis tenebris à ſe per gratiam ſaluatoris depulſis carnalibus propenſius, & ipſe à ſe, & ab vniuerſa gente ſua Polonica infidelitatis, & idololatriæ ſordes & tenebras depelleret diuturno tempore concretas.

Cum poſt Septennium Mieſco tonderetur, & pater celebraret conuiuium mæſtus, aperti ſunt oculi illius, & vidit cum omnium lætitia. Ariolis illum magnum futurum pollicentibus, deinde eo adulto Zemomyſl moritur non ſine luctu omnium.

INſtante deniq; Septennio, in quo iuxta ritum Polonorum veterẽ & gentilẽ filius Principis debebat tonſurari, & nomen illi aptari, & imponi Zemomyſl

momyſl Princeps Proceres & Nobiles Poloniæ, Gneſnam ad ſolennitatem tonſurationis in filio ſuo quamuis cæco peragendam inuitat, dieq́ue conſtituta aduenientes, dùm de nomine puero apte imponendo quæreret. Mieſzkum illum & Patris & Procerum decreto apellari placuit, quod in vulgari Polonico ſonat turbatio, vel commotio, eó quòd conditione ſuæ cæcitatis & parentibus, & genti Polonicæ in ſuo exortu confuſionem intulit. & ipſo Zemomyſl decedente maiorem turbationem eſſet illaturus, verẽtibus Proceribus & Nobilibus Poloniæ, & id crebra ſermonum & tractatuũ ingeminatione vſurpantibus; quod à Patre ſuo Zemomyſl mortuo maior vel eadem turbatio, quæ poſt mortem Pompilij acciderat Poloniam eſſet inuaſura. Tonſurato itaq; Principis Zemomyſl filio ceperunt tàm ipſe quàm omnes Proceres epulari, quantibus tamen omnibus ſolus Princeps Zemomyſl filij tunc tonſurati cæcitatem animo & cogitatione dimetiens, altis ſuſpirijs pectus implebat, tacitis ſingultibus de tanta nati infelicitate, ſeipſum verberando, cui tanto dolore conſternato mirum in modum ſubitus Nuncius aduenit, denũcians filium Mieſzkonem in ipſa hora perfectam claritatem, & viſionem oculorum accepiſſe, ſed Patre Principe, & conuiuis omnibus dubitantibus magis quàm credẽtibus, mater pueri Principiſſa de epulantium triclinio exilijt, experimentum denunciatæ nouitatis palpatura. Quæ cubile, quo puer aſſeruabatur ingreſſa, videns in orbibus oculorum prioribus, nebulam diſſolutam & veram claritatem iſluxiſſe, aterrita præ gaudio decidit in terram, & à miniſtris ſubleuata reſumpto ſpiritu, rapto in vlnas puero, ad coniugis & conuiuarum defert conſpectum, ſciens niſi coram cernerent puerum accidenti miraculo nullatenus credituros. repletur ſummo gaudio Pater, replentur & conuiuæ, Pater tamen iubilato opprobrio vberius exultans, lachrimis faciem irrigat, quas lætitiæ immenſitas indices cordis excuſſerat. Puer quoque Mieczſlaw mirabundus exultans, ex nunc parentem, nunc conuiuarum intuitus, quos nũquam ante viderat, vultus, ſingulis illum certatim deoſculandus applaudit, extenduntur dies conuiuis, epularum quoq; præparatio intenditur, & magno ſtrepitu, mugitu atq; iubilo Regia concrepat vniuerſa. Parum quoque Zemomyſl ducens ſingulis Proceribus & Nobilibus inuitatis munera largiri, munificum ſe cunctis eo die & tempore plus ſolito oſtendens, quod diuinitate propitia deſijt eſſe, & infelix & orbus. Placet nonnullis Ducalẽ puerum Mieczlaum, quod ſignificaturum in gloriã apellatum fuiſſe, ſed & nomen Mieſzko per vocationis diuinationem, dum pueritiam ageret defluxiſſe. Quam opinionem, nos quoq; ex multiplici reſpectu probamus attẽdẽtes, quod Poloni Regum & Principũ ſuorũ nomina non in ko, ſed in ſlaw terminare ſoliti ſunt, lingua ſua formando Principum & Regum nomina, Wladyſlaw, Boleſlaw, Przemyſlaw, Staniſlaw, Swiętoſlaw. Puer Mieczſlaw cultiori poſt hæc prouidentibus parentibus cura habitus eſt, ac tàm miniſtrorum, quàm ſuppellectilium ad eius ingenuam educationem duplicatus nu-

catus numerus & ordo. Magnum enim illum futurum, tàm apud Patrem, & Proceres Nobileſq; Poloniæ, quàm apud vicinas nationes declarabat, naturalis cæcitatis vſque ad ſeptennium perpeſſæ, ſupernæ quoque illuminationis diuinitus attributæ portentum. Quo quidem Zemomyſl Princeps vehementius, quàm cæteri Paterno incenſus ardore ac promotus, Ariolos, auriſpices, diuinos, Phitoneſque ſæpius ſcrupuloſè conſultos inquirebat, quid filij ſui cæci nati caligo, & in ſeptennio diuinitus collata illuminatio portenderet. Omnium autem conſona reſponſione accipiebat Regionem Polonorum ſuperiorum Principum, prauis moribus & ignauia cæcutientem tenebreſcentemque, filij ſui virtute, & ſingulari prudentia fore & illuſtrandam & in ſublimè erigendam; quod etſi Pater diuinatoreſque implendum carnaliter intellexiſſent; veriori tamen ſpirituali intellectu approbatur fuiſſe impletum. Poſtquam Miecslaw ipſe ſuperſtitione idolorum, quam hæreditaria ſucceſsione coluerat, & quorum cultura per plures ſucceſsiones traducta, ſeptennario, qui vniuerſitati deſeruit, ſignificatur munere abiecta. Lucem verò luminis & fidei, vt in ſequentibus narrabimus apprehendit. Zemomyſl itaque Polonorum Monarcha, cum plures annos gratus Ciuibus, gratus Nobilibus, gratus forenſibus in Principatu exegiſſet, & Rempublicam ſtrenue ac prudenter gubernaſſet filio Miecſlao, iam maturam ætatem ſortito, Regnum derelinquens in ætate pænè eadem, qua Proauus ſuus Piaſt, licet in ritu ſacrilegio, complorante illum vniuerſa Polonia, mortuus eſt, & in Gneznenſi Caſtro Patribus ſuis gentilitatis more appoſitus. Anno ab ortu Chriſti Noningenteſimo Sexageſimo Quarto, annis octo in Regni Poloniæ gubernatione abſumptis.

Miecſlaus Parenti Zemomyſl ſuccedit, & quamuis ad libidinem pronus eſſet, tamen conſilio Catholicorum inducitur ad ſuſcipiendam fidem Chriſtianam, & promittit.

SEpultura Zemomyſl Principis iuſto honore confecta, Proceres & Nobiles vniuerſi Poloniæ, vnico filio eius Miecslaw, vltimo Paganorum Duci collatum dudum à Patre innouant Regnum, & ipſum Gneſnæ in Dominum & Monarcham Polonorum aſſumunt, ac quidem minus cunctanter, pro maiori ſpe ſuam Rempublicam per illum, vt diuinatores prodiderant, amplificandam credentes, & quamuis iuſto imperitauerit regimine, nonnullaque bella cum finitimis feliciter geſſerit, per annos tamen multos falſa augurum non implentur oracula, vt etiam quibuſdam à ſpe concepta excidiſſe videretur. In Venerem namq; more barbarico procliuis erat. Cuius licet caſtiſsima fuerit adoleſcentia, libidinoſa tamen & laſciuiens fuit ætas prouectior. Septem enim pellicibus, quas vxores nominabat, vtebatur. Non tamen ex

men ex aliqua illarum ſobolem & futurum ſuæ ſucceſsionis ſolatium ſuſceperat. Qui dum orbitatem ſuam crebris accuſaret ſermonibus, per nonnullos viros Catholicos ſpirituales atque ſeculares qui in Curia ſua obſeruabantur, & qui ex finitimis Regionibus curiam ſuam accedebant, per quos iam fidei ſplendor & Chriſti Redemptoris aduentus lucere in Polonia ceperat, ſenſim ſibi ſuggeſtum eſt, vt Sacrilegio idololatriæ cultu relicto, vnum verum Deum agnoſceret, & fidem Catholicam cum gente ſua prophanis ritibus dedita ſuſciperet, tunc enim & fæcunditatem ſibi prolis, & cuncta alia feliciter prouentura, & ipſum inter Principes Catholicos Slauonici generis atque linguæ in ſe & filijs ſuis celſiorem ſortiturum Thronum, & magnum & celebrem futurum, cui ſuggeſtioni benignas aures accomodanti, plurima per viros religioſos & Eremitas adiecta ſunt, quibus & idolorum, quæ hactenus colebat ſpurcicies, & cultoribus eorum generales, & perpetui præparati detegebantur cruciatus. Simul quoq; diuini conſilij ſuper redemptione noſtri generis, ſumma benignitas ſibi declarabatur. Propitiatione itaque agni cæleſtis, qui Polonorum gentem ſacrilegis ritibus hactenus ſpurcidam & fædam, cæteriſque Slauorum nationibus inuiſam & contemptam corripere, & ad ſui nominis agnitionem, inuocationem, & cultum voluit perducere inſpiratis, ſalutaribus conſilijs & monitis virorum Religioſorum & Eremitarum perſuaſus, flexus eſt Chriſtianum venerari dogma, & ſe per omnia eorum doctrinis acquieturum promiſit, & omnes Polonorum regiones à Dijs gentium ad veram Orthodoxam religionem, cæremoniaſq; eius adducturum ſe ſpopondit.

Sanctus Venceſlaus & Ludimilla à Fratre Boleſlao in Bohemia interficitur.

PRemyſlaus ſeu Nieklam Bohemicus Dux moriturus, Heſtinicum maiorem natu filium in Principatu inſtituens, Dipoldo altero filio Prouinciam Gurmenſem in ſortem dedit, Heſtinico Borzywoi ſucceſsit, qui & ipſe à Beato Metodio Morauorum Epiſcopo, cum Ludimilla coniuge ſua filia Comitis Samborij ad gratiam Baptiſmi perductus eſt, Borziwoi duos filios Spitigneum & Wratiſlaum reliquit. Primus Patri ſucceſsit, ſed moriens ſine liberis fratri Principatum reliquit. Coniunx Wratiſlai Drahomicia mulier audax; & in ſcelus prona duos vno partu geminos Venceſlaum & Boleſlaum effudit. Prior à Ludimilla enutritus, alter à matre, vterque mores alumnarum ſortiti, Venceſlaus Pius, manſuetus, religioſus, & in pauperes liberalis: Boleſlaus contra, ambitioſus, rapere, occidere, adulterari, & opprimere ſolitus. Ludimilla Patre excedente imperium Regni ſortita iuſſu Drahomiciæ ſtrangulata eſt, & inter Sanctas relata. Venceſlaus charitate populi propter Sanctos mo-

 res cele-

res celebris & admirandus habebatur, & odio frater Boleslaus inflammatus matre instigante conuiuium instruxit & Venceslaum fratrem inuitat, tùm post epulas ad Ecclesiam orationis gratia properantem in limine, Anno Christi Noningentesimo Trigesimo Octauo, & Anno Ottonis Primo obtruncat, qui & ipse clarissimis fulgens miraculis, Sanctorum ordines sortitus est. Mater Drohomicia pro scelere patrato apud Pragensem arcem hiatu terræ absorpta est. Boleslaus totius Bohemiæ Germano interfecto, cuius sibi longum putabat mortem expectare, Dominium adeptus. Indignam mortem B. Venceslai Otto Primus vlturus, Bolesiao Principi bellum indicit, longaque inter eos altercatio annis quatuordecim fuit.

FINIS LIBRI PRIMI.

IOANNIS DLVGOSCH SEV LONGINI CANONICI CRACOVIENSIS.

Historiæ Polonicæ,

LIBER SECVNDVS.

ANNO DOMINI 965. Monentibus autem Viris Catholicis & Religiosis, septem pellices, quarum carnali detinebatur amore à se abdicare iussus, ne mollicies muliebris eum in assuefacta detineret idololatria. Quarum cõtubernio remoto ad Principẽ Bohemiæ Boleslaum Sancti Venceslai interfectorem & Germanum, Procos mittit filiam suam Dąbrowkam pro vnica & legittima vxore sibi petituros. Verùm dum Bohemiæ Princeps responderet se Magnificum & insignem generum non abominaturũ, si illũ ritus gentiles abijcere, & fidei Sanctæ Catholicæ normam suscipere contigisset. Aliter enim filiam suam nulla ratione gentili, & idolorum cultori Principi aliquatenus desponsaturum esse. Eodem etiam responso Virgo Ducalis Dąbrowka Procis & Nuncijs, Miecslai Poloniæ Ducis illam de ineundo fœdere matrimonij interpellantibus vsa respõdit, non conuenire professioni suæ Christianæ, vt idololatræ nubat, vbi tamen Miecslaus Dux Poloniæ spurcitias idolorum abiecerit, & baptismatis lauacro renatus fuerit, non recusaturam se vt in eius transeat amplexus. Eo responso in Poloniam relato, cum frequenti Senatu Miecslaus Dux Poloniæ coacto, quid facto opus esset, consultaret, Satraparum suorum sententijs variantibus placuit rem in crastinum differri. Nocte verò sub sequenti propitiatio diuina erumnas longi erroris Polonorum miserata, Miecslao Polonorum Duci & plerisq; suis consiliarijs per quietem inspirat, & imperiosa iussione mandat conditionem oblatam, ne negligant felicitatem Regni ex fide suscepta ab eo tempore in omnes ætates habituros; Mouit hæc visio Ducem Poloniæ & Proceres, decretoq; concordi de assumenda Christianæ religionis puritate facto, cùm frequentes Nuncij in Bohemiam missi promitterent, coniuncta affinitate Principem suum non se solũ, sed & vniuersam Polonorum gentem de fidei articulis peroptimè instructam, vnda Baptismatis abluturum esse. Euidenti certificatione allegantibus affinitatem postulatam Dux Bohemiæ gratificat, & Nuncijs Ducis Poloniæ Miecslaw, filiam suam Dąbrowkam virginem Nobilem & honestam, cum dote & suppellectili locante & accipiente digna, tradit Præfato Duci Polonorũ desponsandam. Fuerunt autem plures numero Polonorũ Regni Proceres & Satrapæ, qui in suscipienda fide Christiana dissentientes grauiter aduersabantur,

sabantur,alij dicentes esse superstitiosam Christianorum sectam: alij obseruantias eius fore difficiles: alij non esse bonum postponere commoda paternarum traditionum,& nouæ sectæ,& hactenus insolitæ libera colla subiugare. Has tamen & plures alias oppositiones miseratione diuina, quæ dat salutem Regibus,ærumnas lõgi erroris Polonorũ miserata,facile dissoluit inspirando Polonis cõcordiam, & religionis Christianæ pietatem, ne illa abiecta à Bohemis, cæterisq; nationibus pro contemptibilibus haberentur. Procis autem Ducis Poloniæ Miecslai, pluribusq; Baronibus & Nobilibus de Bohemia Virginẽ Dambrowkam cum apparatu & sumptu magnifico, dotemq; & suppellectilem raram & insignem secum, vt par & dignum erat socero & genero ferentem,comitantibus ad Regiam Gnesnensem perducta. Vbi tàm à Duce Miecslao & suis Proceribus Poloniæ,quàm ab omnibus ordinibus sibi obuiam itum est,& ingressus suus Magnifico cultu & superbo exceptus est,pro qua honestanda insigniores matronæ & virgines Poloniæ varijs gemmis, auro argentoq; onustæ, cæterisq; insignibus Gnesnam iussu Principis conuenerant. Transactis autẽ pactis diebus,Dux Miecslaw de fidei Orthodoxæ articulis & ritu sufficienter per viros religiosos, & Anachoriticam vitam in religionibus suis ducentes, quos eã ob rem singulariter accersiuerat, instructus,tenebris vetusti erroris renunciat cum Principalioribus Baronibus & Nobilibus,Vrbiumq; Poloniæ Primoribus saluberrimam Orthodoxæ Religionis Catholicæ legem amplexurus, suæ de tenebris idololatriæ,in lumen fidei conuersionis primitias sacro fonte consecrat, Sacrum in Gnesna suscipit Baptisma, & deposita per regenerationis vndam vetustate peccati, in nouam animæ innocentiam, vitæque infantiam est renatus lauacro baptismatis sordes abluens, tàm facinorum, quàm idolorum, ex cæca & vetusta caligine idololatriæ, in agnitionẽ puritatem, atq; religionem fidei Orthodoxæ vocatus, lumenq; eiusdem fidei lumine rationis naturalis,qua etiam illum vigere altissimus concesserat, excedente, illustratus ex gratia Spiritus Sancti, ex aqua & spiritu renatus est, vetustoq; nomine Mieszko abrogato,velut barbaro,Miecslaus nominatur. Sed & Germana sua Virgo sacro charactere fidei insignita Catholica efficitur, eiq́ue nomen ADLEIDA aptatur. Eodem insuper die Sacramento Baptismi percepto, Dux Miecslaus aliud suscipit Sacramentum, & Virginem Dabrowkam ritu Catholico sibi desponsat,& nuptiæ fæliciss imæ corrogatis vicinis Principibus Gnesnæ pluribus diebus magnifico celebrantur apparatu, & singuli inuitati conuiuæ delicatis tractantur necessarijs, & multiplices ludi ac spectacula in honorem Principis,ac decus magna solennitate instaurantur. Quibus finitis Principes finitimi, Baroness q; & Nobiles Bohemiæ sumptuosis muneribus à Duce Miecslao honorati, in oras proprias reuersi, Ducis Poloniæ Miecslai munificentiam & opulentiã laxato sermone diuulgant. Ex eo deinde tẽpore vniuersa Polonorũ Regio, fidei Catholicæ iugum suscepit, studio quoq; Ducis Miecslai & consortis suæ Dambrowka feruentissimo Poloni miseratione diuina, lumine fidei

illustrati.

illustrati. Præsidente in Cathedra Petri Leone Octauo natione Romano qui eodem anno rebus humanis exemptus est,& cui in Vicarium Christi Stephanus Septimus natione Germanus per electionem conformem pietatis successit,secundum alios Ioannes XIV. natione Neruen. aliqui scribunt XII. Strictissimo posthæc Miecslai Polonorum Principis edicto,& omnium Baronum,& Nobilium Poloniæ consensu conformi,confringuntur idola, & falsorum Deorum simulachra, atque ædes flammis traduntur; Cultores verò illorum & singulorum, bonorum priuatione & capitis precisione mulctantur,non modo singulos ritus celebrationes atq; festa, quibus honos & suplicatio idolis impendebatur, sed & omnes incantatores, ariolos, augures, & phitones, Mieczslaus Dux Polonorum abrogauit, & erasit de terra, Ludos omnes publicè & priuatim in honorem Deorum gestus prohibuit. Non enim est Deus nolter vt Dij gentiũ, quos sæpè populus Polonicus ludis, plausibus, & gestis inhonestis, atq; sexcentis alijs generibus impietatis placatos credidit efficere. Felicissimus profecto & Deo amabilis Princeps, qui Primus Polonorum Regiones fidei Orthodoxæ & corpori Sanctæ Ecclesiæ per veritatis cognitionem & idolorum defertionẽ nutrisce rauit. Et quoniam ferè in omnibus Ciuitatibus, Oppidis & Vicis insignioribus Poloniæ simulachra Deorum & Dearum idola atq; luci habebantur, quæ lentius tardiusq; quàm iusio habebat, Miecislai Principis succidebantur confringebanturque; Septima dies Martij ad confringendumabolendumq; ea in vniuersis Polonorum Regionibus à Miecslao indicta est, qua adueniente quælibet Ciuitas, quæq; villa Deorum suorum simulachra confringere,& confracta in paludes lacus & stagna prosequente vtriusq; sexus populo demergere,saxisq; obruere, cultoribus Deorũ Dearumq; & ijs præsertim,quibus sacra eorum erant quæstui profusius ingemiscentibus, illachrimantibusq; non tamen quicquam metu præfectorũ Ducalium mutare audentibus, coacta est. Quæ quidem Deorum & Dearum idolorumq; confractio & immersio, tunc facta apud nonnullas Polonorũ villas, simulachris Dziewannæ & Marzannæ in longo ligno extollentibus, & in paludes in Dominica Quadragesimæ Lætare proijcientibus & demergentibus, repræsentatur renouatur in hunc diem,nec huius consuetudinis vetustissimo effectus vsq; modo apud Polonos defluxit.

ANNO Domini 966. Rudimenta fidei nuper susceptæ & iniciatæ, Miecslaus qui & Mieszko Polonorum Princeps post lacros susceptibaptismatis latices auctorus. apud cælestem Regem suorum cumulum meritorum, & fulgorem sui diffusurus Principatus insoliditatem perfecti roboris, volens perducere, & in omnibus, quibus Christiana religio veneraretur, & coleretur, cæteris Principibus nihil omninò inferior esse ad Sacrorũ locorum dotationem,ministrorumq; Dei institutionẽ,fideli & deuota consorte Ducissa Dambrowka suapte religiosum,& feruenti deuotione refertũ animum mariti & Principis sui instiganti, omnem curam & cogitationẽ suã

conuertit,

conuertit, & primum quidem in locis magis celebribus, Gnesnæ videlicet & Cracouiæ duas fundat Metropoles: Gnesnenſem videlicet in Titulũ & honorem Excellentiſsimi Dei, & eius genitricis Virginis Mariæ, à qua plenitudo totius ſalutis & gratiæ manauit: Cracouienſem verò ad inſtantiſsimas preces conſortis ſuæ Dambrowka, in Titulum Sancti Venceſlai noui eo tempore Martyris, cuius eadem Dabrowka Duciſſa Germana erat Neptis. Et quamuis in natione Slauonica primus Martyrio & ſanctitate inſigni refuliſſet. Gnesnenſi tamen ſuperiorem eſſe voluit, & apud illam decus Principale conſiſtere; Cracouienſi verò ſecundam. Itaque Eccleſia Cracouienſis præripuit Gnesnenſem, ne eſſet vna, Gnesnenſis verò præripuit Cracouienſem ne eſſet Prima. Pro quarum honore Metropolitico ſeptem alias Eccleſias, videlicet Posnanienſem, Smogorzouienſem, quæ nunc Wratiſlauienſis, Kruſuicienſis, quæ nunc Wladiſlauienſis, Plocenſis, Culmenſis, Lubecenſis, & Kamenecenſis. Quas ſeptem Eccleſias iure Metropolitico, Gnesnenſi & Cracouienſi Metropolibus, voluit eſſe ſubiectas. Duæ autem Suffraganeæ quas nominauimus, Smogorzouien. & Kruſuicien. propter locorum tranſmutationem etiam titulos ſuos variare coactæ ſunt. Smogorzouien. enim Primũ in Byczinã Oppidũ diſtrictus Brzegien. ſed propter vberiorem ſitum tandem in Wratiſlauiam translata eſt, & vltimi loci ſortita eſt appellationem: Kruſuicien. verò propter ſolicitudinẽ loci, in quo primum fundata erat Wladiſlauiam meruit transferri: Cæteræ Eccleſiæ Cathedrales, & loca & nomina originaria retinent in hunc diẽ. Fundauit præterea & alias Collegiatas plures Parochialeſq; Eccleſias, Monaſteria & loca religioſa, ſecundum quod Neophitorum populorum, tùm neceſsitati, tùm deuotioni videbat congruere, Smogorzouienſem ſeu Wratiſlauienſem Sancto Ioanni Baptiſtæ, Principatum poſt intemeratã Virginẽ inter omnes Sanctos retinentem: Posnanienſem Sanctis duobus præcipuis Apoſtolis Petro & Paulo: Kruſuicienſem ſeu Wladiſlauien. Sanctæ Mariæ Virgini: Plocenſem Sancto Sigiſmũdo Regi & Martyri: Culmenſem Sanctæ Cruci: Camenecenſem Sancto Ioanni Baptiſtæ: Lubecen. Sancto Ioanni Euangeliſtæ in titulos erexit, & in honorem eorum Baſilicas præfatas dedicari diſpoſuit, quod quidem ſui operis pium & laudabile in tundãdis & dotandis tot Eccleſijs Cathedralibus meritum, felicitatẽ ſuã ad æterna capeſſenda prouexit præmia, & tàm ſuo, quàm omniũ ſucceſſorũ ſuorũ Principum & Regũ Poloniæ exemplo, templa omnibus Sanctis laude maxima efferendis mandauit, & res perituras in non perituras coegit tranſire, mercedem & immarceſsibilem Theſaurum ſibi apud poſteros cumulaturus, teſtimonia ad id nulla exquirimus, cum operis effectus ſub hominum conſpectu aſsiduè relucens dicta præponderat. Quanta libet oppoſitione ſolennior opus ſuum apud Deum & homines illuſtret: Quapropter omniũ bonorum retributor multiplicauit Regni Polonici proſperos ſucceſſus, multiplicauit incrementa frugum, iuſticiæ, leges cumulauit, gloriam præſtitit virtutis, præmia poſt hæc æterna largiturus. Ordinatus eſt autem

in Gneſnenſi Eccleſia Primus Archiepiſcopus Vilibalinus: in Cracouien. verò primus Archiepiſcopus Prochorius: in Poſnanienſi primus Iordanus, in Wratiſlauienſi primus Gotfridus, in Wladiſlauienſi primus Lucidus, in Plocenſi primus Angelotus, in Culmenſi primus Octauianus, in Camenecenſi primus Iulianus, in Lubecenſi primus Iacintus. Egit eo Anno Dux Ruſsiæ Suatiſlaus in Kozaros, qui & ipſi Ruthenorum ſunt populi, expeditionem, & obtinuit eos bello, & cepit Caſtrum eorum Biatouica, & facti ſunt ei tributarij.

Egidius Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Poloniam à ſummo Pontifice Ioanne Tertio miſſus, ſingulos Epiſcopatus Poloniæ, videlicet biduas Metropoles, Gneſnenſem & Cracouien. Item Poſnanien. Wratiſlauien. Wladiſlauien. Plocenſem, Chelmenſem, Lubecenſem, & Kamionecenſem, Cathedrales Eccleſias confirmauit, & ſingulis Diœceſibus terminos poſuit & diſtinxit. De quo etſi ſingulæ Eccleſiæ eiuſdẽ Egidij Cardinalis & Legati priuilegia & literas habuiſſent, ſingularum tamen Eccleſiarum ſingulæ literæ, aut parũ ſolerti cura cuſtoditæ amiſſæ ſunt, aut frequentibus cùm tunc in Polonia non frequentes forent muri, periere incendijs.

ANNO Domini 967. Nouem Eccleſijs Cathedralibus à ſe fundatis, Miecſlaus Polonorum Dux dotes ſufficientes aſsignat, & tàm Pontificibus earum, quàm perſonalibus dignitatibus, & Canonicalibus, & Cathedralibus, & in alijs inſtitutis monaſterijs & Eccleſijs Parochialibus, omnem vniuerſæ Polonorum Regionis omnium frugum naſcentium deputauit decimationem, ſed & omnes Barones Proceres, Ciues & ruſticos, non ſolùm ad redditionem, ſed etiam ad ducturam campeſtralis decimæ ſubijciens, largitus eſt. Præterea Eccleſijs Cathedralibus collegiatis, conuentualibus, & Parochialibus, largas poſſeſsiones, fundos, reditus, & prædia largitus eſt, & precioſa clenodia, & vaſa diuerſi operis ex auro argentoq; fabricata. Veſtes quoque Sacras, & cætera ornamenta donauit, ſed neque his contentus, omnes Cathedrales Eccleſias à ſe fundatas, firmiſsimis licet humilibus & anguſtis muris, iuxta illius temporis qualificationem & morem, quadrata petra & tabulata perfecit, & ornamentis plurimis variatas lapidum iunctis commiſsionibuſq; ferri & plumbi communiuit. Ex omnibus tamen octo Eccleſijs præfatis deuotione & ſumptu ſuo fabricatis, vnã tantummodo Cruſuicienſem ſupereſſe videmus antiquitatem ſuæ fabricæ, ſaxo, artificio & muro atteſtantem. Septem enim cæteræ ſucceſſu temporum & Regum, Principum, Pontificumq; Poloniæ, deuotione & liberalitate accreſcentæ, demolitæ ſunt. Et in earum vicem inſignes & excellentes Eccleſiæ magnifico & ſumptuoſo opere, amplificato ſitu extructæ. Prouidebat & illuſtris religioſaq; fæmina Duciſſa Dabrowka, pro vice ſua ſingulis Eccleſijs à viro ſuo fundatis, vaſis, apparatibuſque ad cultum Eccleſiarum neceſſarijs, & vniuerſa quæ potuit habere in ſacrorum locorum vſum & ornamenta erogabat, adeò, vt eam cum marito ſuo Duce liberali-

tate, & largitione in Ecclesias & seruos Dei constat pio studio certauisse. Quorum vniuersa Poloniæ Baronitas, & nobilitas æmulata mores & vestigia in prædijs & villis suis ad cõstructionem & fundationem Ecclesiarum, dotationemque earum feruentius intendebat. Ex alto autem benignitas diuina in opera iam per Ducem Miecslaum & consortem suam Dambrowkam edita edendaue respiciens, prolis fœcunditatem illis concessit. Nam Ducissa Dabrowka concipiens filium pulcherrimũ peperit: Cui patre annuente, matre quoq; pluribus precibus instante, aui, auunculiq; materni in Sacro Baptismate nomen imponitur Boleslaus, quod significat plurimũ famosus, magnum illum & famosum futurũ hoc nomine portendens. Eodem Anno Boleslaus Bohemiæ Dux Sancti Venceslai occisor, & Poloniæ Ducis Miecslai gener moritur: Cui filius Boleslaus vir plurimũ modestus, & pius Germanus Ducissæ Dambrowka succedit, patrui magis emulatorem se gerens ad augendum cultum diuinum, fundando plurimas quoque Ecclesias animum intendit. Frater alter eius Stracislaus seculo relicto apud Ratisbonam Ciuitatem in Cœnobio Sancti Emerani Monachorum habitũ assumpsit. Soror altera Mlada sacris imbuta literis, & multa eruditione pollens Monasterio Sancti Georgij in arce Pragensi constructo, & Sacerdos illic facta cæteras Virgines suo exemplo ad profitendam virginitatem & religionem induxit.

ANNO Domini 968. Geisæ Pãnoniorũ & Hunnoiũ Princeps fama nobilissimæ Virginis Adleidis Ducissæ Polonorũ, & sororis Germanæ Miecslai ad se plurimorum relatione perlata, multiplici commendatione pulchritudinis, & virtutis eius dotes differentibus, mittit in Poloniam ad Ducem Miecslaum solennes Nuncios, Virginem præfatam Adleidam sibi petituros pro consorte, priore vxore fatis intercepta. Quorum petitione Dux Miecslaus audita, & in consilium Prælatorum & Baronum suorũ relata, quid agendum sit aliquanto consultat, & quamuis & ipsa Virgo Adleida torum gentilis Principis magnopere abnueret, & nonnulli ex consiliarijs huius modi affinitatem propter ritus disparitatem improbarent, disponente tamen cælesti prouidentia, quæ ex malis nouit optima diligere, flectit Dux Miecslaus animum suum, & sororem suam Adleidã, spem futuræ ductionis Principis Geisæ, & gentis Hunnorum ad fidem Catholicam sibi ingerens per eam figendam & conseruandam. Itaque Duce Miecslao Poloniæ de consilio consiliorum consentiente, contrahitur inter Poloniæ & Hungariæ Dominia & Principes, eorum affinitas & virgo Adleida Hungariã deducta, Duci Geisa copulatur. Quæ velut fœmina religiosissima, cepit magnæ deuotionis & sanctitatis specimen (quãuis inter sacrilegos & prophanæ fidei homines versaretur) sedula persuasione operibusq; religiosissimis, tàm virum suum Geisa Ducem, quàm Proceres & Nobiles suos ad fidei Sanctæ Catholicæ agnoscendum & amplectendũ lumen inuitare. Fouebat & ipsa Adleida Ducissa mulier benedicta viros religiosos & bo-

sos & bonos, quos secum ex Polonia susceptam semel fidem contagione nulla temeratura conduxerat. Itaque Ducissa Adleidis iussa legis diuinæ, & Euangelij saluberima monita sæpius Duci Geisæ & cõsiliarijs eius instillabat. Quorum assidua doctrina, & consortis suæ quotidianis precibus, & lachrimis peruictus, sordes idolorum, in quorum cultura in eam diẽ versabatur, abiecit, & cum Primoribus & Baronibus fidem sanctam suscipiens, dirigente prouidentissima coniuge Adleida Baptizatur, maioremq; Regni sui partem sacro Baptismatis fonte ablui procurat. Mirabili itaque miseratione altissimi Polonis per Bohemam Dambrowkam, Hunnis per Polonam Adleidam Catholica veritas eadem ætate, licet modicum distincto tempore resplenduit, sanctificatio quoq; per fœminas prouenit, non virorum solùm, sed duarum inclytarum nationum. Ecce quàm mirabilis imò inæstimabilis diuinæ miserationis respectus, vt duas terras, videlicet Poloniam & Hungariam conferendæ salutis æternæ causa duarũ obsequio mulierum, miseratione visitaret. Vna enim earum extitit occasio, imò causa Catholicæ fidei in Polonia seminandi mysteria, & diuini verbi semen salubriter peragendi: Altera verò earum fuit origo superstitionem idolorũ ex Hungaria penitus eradicandi, & religionis Christianæ principium cognoscendi, & sanctitatem vitæ cum deuotione assumendi. Quarum prima edidit Ducem Poloniæ strenuum, defensorem Boleslaum: Altera genuit Stephanum Regem Hungariæ, vitæ merito totius Hungariæ assiduum protectorem. Gratias igitur agant vtriusq; Regni incolæ immensæ Dei pietati, & in tripudium iubilationis & laudis, cum exultatione mentis & corporis indesinenter dicentes prorumpant: Benedictus es Domine DEVS noster, qui diuturni laboris nostri & erroris misertus oriens ex alto, & viã veritatis nobis aperiendi nostram dignatus es visitare & illuminare cecitatem, & inæstimabili precio redimere captiuitatem.

ANNO Domini 969. Feruenti solicitudine ad eradicandos eliminandosq; ritus Sacrilegos, & ad plantandam in singulis locis & angulis Regni Hungariæ fidem religionemq; Christianã, Geisæ Duci Hũgariæ vna cũ cõsorte sua felici Adleida intẽdenti, insolita & stupẽda Diuinæ bonitatis dignatio Geisam Ducẽ cõsolatur visione. Astitit enim illi adhuc quiescenti adolescens decoro & placido aspectu, & stertentem adhuc in auroræ ortu, vehementer exterruit eiq; dixit: Pax tibi Geisa Christiane Deo dilecte, annuntio tibi vota tua ad conspectum altissimi perlata esse, perq; eius aures benignè susceptа. De his quoque quæ pro religione Christiana meditaris ne sis sollicitus, ex lumbis siquidem tuis nascetur filius, cuius solerti prouidentia vniuersa ad cultum fidei necessaria procurabuntur. atq; verum, fidei ardore plenum, religione sanctitateque insignem, instructione sua in singulos dirigendum, plenitudine temporis veniente, non dubites voluntate diuina venturum, sed & ipse filius tuus primus inter Principes Hungarorũ Diademate ornaturus est tẽpora, & terreno Regno transacto, æternũ pro-

 labili &

labili & caduco cõmutaturus. Visione huiusmodi Dux Geisa supramodũ exhilaratus. Altera die consortem suam Adleidam Ducissam cõperit grauidam, quo signo credidit omnia sibi denunciata ex ordine infallibiliter prouentura. Similis quoq; sed magis illustris visio nobili fœminæ Adleidæ Ducissæ contigit, Dum enim partui esset vicinior, apparuit illi Vir Venerãdus, Leuitico habitu amictus, trementiq; & visione eius pauidæ, dixit: Cõfide filia, & depone timorem, certaq; esto, quia filium in breui es paritura, coronam primum terrenam. Deiñ. pro meritis immortalem adempturum, Cui nato impones nomen meum, quem cum timore attonita Ducissa inquireret: Quis es Domine, aut quo nomine vocaris? Ego sum inquit, Stephanus Prothomartyr, qui primus Martyrio stolã meam insigniui, meũ quoq; nomen ex tuo nascituro vtero iubeo imponi, quibus dictis disparuit. Ducissa quoque felix Adleidis visione præfata; Primum consorti suo Duci Geisæ, deinde viris timoratis & relligiosis nõ sine profluuio lachrimarũ patefecit, filium post menses nouem editum Stephanum nuncupat, licet aliqui Hungarorum Annales fingãt Geisam Ducem Hungariæ ex Sarolth, filia Gutæ Ducis Transiluani vxorem iam tunc fœcundam Stephanum filium de quo loquimur suscepisse, quo etiam tempore Stephanus Octauus natione Germanus Leoni immediatè succedens, Cathedram Petri iam rexerat triennio. Et qui eodem decedens Anno, Martinum Tertium natione Romanum habuit successorem.

MIECSLAVS Polonorũ Princeps, attẽdẽs quod virtutũ Dominus per potẽtiam clementiæ suæ superexaltanda gloria sui nominis, suæq; fidei sibi affectum & intelligentiam præstiterat, omnemq; opem & operã in ampliãda & propagandã fide Christiana, in nouis Polonorum plantis quàm efficacissimè poterat, impendebat, producens superna propitiante clementia gratissimos religionis Christianæ fructus, in vniuersa Polonorum Regione incremento & profectu eorum, qui crediderant relucente.

IOANNES Pontifex Romanus à Præfecto Vrbis captus, & aliquot dies in carcere custoditus, in exilium tandem, mittitur. Sed Otto Imperator iniuriam hanc, occisis culpatoribus Romanis, Summi Pontificis iniuriam vltus est ac violentiam. Sedit Annis Septem, diebus decem.

ANNVS Domini 970. Non contentus Dux Rusiæ Swatislaus Principatu paterno. Bulgaris vicinis suis infert bellum, & octuaginta eorũ Castris quæ ad Danubij fluenta sita sunt expugnatis, Bulgaros cogit ad tributum. Suiatoslao autem Duce Rusiæ in Bulgariam expeditionem innouante, gens Pieczeniegorum adueniens Castrum Kijow, in quo mater Suiatoslai Holcha alhâs Helena cum tribus filijs Suiatoslai Nepotibus, videlicet Iaropelko, Olcha, & Wladimiro residebat, vallat & impugnat. Fuissetq; tùm deditio Castri Kijow fame Olcham, & viros qui inerant cum ea præmente subsequuta, nisi nonnulli ex Ruthenis Pieczeniegos hostes fallẽdo, metum illis iniecissent, suggerendo Swiatoslaum Ducem cum victore exercitu

exercitu ex Bulgaria aduentare. Eo enim auisamento territi Pieczeniegij obsidione soluta, magna trepidatione discedunt, Sub quo tempore mater Swiatoslai Olcha moritur.

IOANNES Summus Pontifex, Imperatoris Ottonis fretus auxilio captiuitatem euadens Romam Victor ingreditur, & diuersæ factionis Principes grauiter mulctat. Ob remunerationem autem collati in se beneficij Ottonem, Ottonis Imperatoris filium Augustum apellauit.

ANNO Domini 971. Signum ignei coloris in cælo apparens, plurimorum mentes in admirationem & stuporem vertit, eaq; res velut noua & inusitata religionis loco apud Polonos habita est. Dissidiũ post mortem suam, SVATOSLAVS Rusiæ Dux inter filios suos pro Principatu Rusiæ se absumpto accidere veritus. Rusiæ Principatum inter filios diuidit, & IAROPELKVM quidem natu maiorem in Kijouieñ. Ducem præfecit. OLCHAM verò alium filium DRZEWLANIS, Tertium WLADIMIRVM Nouogrodeñ. Duces constituit; Magna execratione quamlibet constringens, vt forte sua contentus ab alterius occupatione se contineat.

ANNO Domini 972. Martino Papa Tertio, qui annis tribus, mensibus sex, diebus decem sedit, defuncto, Agapitus Secundus natione Romanus succedit. Cuius tẽporibus Otto Primus Dux Saxoniæ, qui per Germaniam tantummodo Berengario in Italia imperante, regebat, duram suorum Principum Germaniæ, videlicet Comitis Palatini, & Ducis Lotaringiæ, & Germani sui Tagmari, qui se illis iunxerat rebellionem & hostilem guerram perpessus, ex omnibus tamen Triumphans, & rigidam vltionem ex illis cepit. Frater etenim suus Tagmarus, Castro Heresburg cui se incluserat expugnato in Ecclesia ad quam fugerat, confossus interijt.

REVERTENTI Suatoslao Rusiæ Duci, à Græcorum terra, quã hostiliter inuaserat, & spolia Græcorum ferenti, Pieczeniezi hostes sui per nonnullos Ruthenos in Kijow auilati, cum singulis potentijs accurrunt, & Suatoslaum exercitumq; suum, tùm quod spolijs onustus esset, tùm quod in loco iniquo pugnaret, facile vincunt. Suatoslaus ipse pugnam restituere, & suorum turpem fugam sistere satagens in hostium manus viuus venit. Cuius caput Dux Pieczenigorũ Bura vocatus præcidens, testam capitis auro ornatam cyphum fecit, ex quo in signum deuicti hostis biberè solitus Triumphum suum quotidie innouabat.

ANNO Domini 973. Romanorum Otto Rex Primus & Dux Saxoniæ, quàm plurimos Saxonum cultibus idololatriæ deditos, aut fructifera suasione, aut potestatis suæ terrore, aut Episcoporum prædicatione fidei subiecit Christianæ, & vt fides religioq; Christiana firmius haberet stabilimentum in PARTENOPOLI, quæ ab Accolis MAIDEBVRG dicitur, Cathedram Metropoliticam instituit, certos sibi subijciens Episcopatus, qui Anno eodem mortuus Ottonem secundum habuit successorẽ filiũ

ſuum. Qui & ipſe paternam æmulabatur probitatẽ Eccleſiæ Romanæ deuotus & fidelis. In eadem autem Maideburgeñ. S.Mauricij Eccleſia Metropolitana, quam fundauerat ſepultus eſt, quæ Prouincialis eſt Almaniæ.

ANNO Domini 974. Frequentibus & varijs pietatis operibus, quæ nobilis & Beata fæmina Duciſſa Dambrowka conſors Miecſlai Ducis Poloniæ, pro cultu diuino in noua fidei plantatione deuotiſsimo ſtudio egerat, acturaq; ſe diſponebat, non contenta, ad Patriam ſuam Bohemiam oculos conuertit. Sciebat enim illam, quamuis religione Chriſtiana annis pluribus pollentem, honore tamen Pontificali inopem eſſe. Cruciabaturq; ſpiritu perpendens Poloniam poſteriorem quidem ordine in lucem fidei perductam, nouem Cathedralibus ſedibus in ipſis primitijs fore inclytam, Bohemiam verò fidei ſuſceptione priorem, ne vna quidẽ Cathedra ornatam eſſe, ſed ſub exterorum Pontificum, videlicet Mogutineñ. & Ratisponeñ. adminiſtratione hucuſq; delituiſſe: illi enim Diæceſano ſubiecta erat. Miſsis itaq; crebris Nuntijs & literis ad fratrem Boleſlaum Bohemiæ Ducem, qui ex Patre Boleſlao S. Venceſlai occiſore, Anno Domini 967. mortuo, Ducatum Bohemiæ, velut natu maior, & magnæ virtutis & religionis regendum ſuſceperat, illum & ſororem Germanã Mladã in continentiæ & virginitatis propoſito Domino famulantem rogat, quatenus tàm diuturnum non ſinat in ſua fronte & gentis Bohemiæ in fidẽ opprobrium, ſed illud tanto celerius meliori prouiſione ſummoueat & abſtergat: Sororis itaq; ſuæ Dambrowcæ crebris precibus & ſuaſionibus ſtimulatus, in arce Prageñ. Cathedrã Epiſcopalẽ in Eccleſia S. Viti per Auũ ſuũ B. Venceſlaũ muratã fundat, illamq; certis bonis temporalibus ditat. Ad quã Primus Epiſcopus Ditmarus Vir religioſus, & Monaſticã vitã ducens natione Saxo in Slauonica lingua aliquantulum eruditus, eadem Duciſſa Poloniæ dirigente promotus eſt: præſidente in Cathedra Petri Papa Agapito Secundo. Præſtiterat autem clementia Dei per preces Beati Venceſlai occiſoris & Germani, filijs filiabuſq; gratiam: Nam & filius ſuus Boleſlaus Pius propter virtutes vocabatur. Alter verò Straciquas ad cuius natale S. Venceſlaus à fratre occiſus Boleſlao inuitatus fuerat, Monaſterium S. Emeriani in Ciuitate Ratiſponeñ. Ordinis S. Benedicti ingreſſus, Monaſticam vitam degebat. Filia quoq; ſua ſenior Duciſſa Dambrowka conſors Miecſlai magnum incrementum fidei attulit, & claris fulſit virtutibus edens multa pietatis opera. Altera ſoror Mlada, Regulam S. Benedicti in Monaſterio S. Georgij Caſtri Prageñ. profeſſa, & poſt eiuſdem loci facta, Abbatiſſa, in bonis operibus vitam conſumauit. Comparatione autẽ iuſta facta, reperies Gneſnenſem, Cracouienſem, Wladiſlauienſem, cæterarumq; Polonicalium Eccleſiarum fundationem annis octo Pragenſem præceſiſſe, nec vnquam labefactatas, aut peſſundatas aliquo caſu, vel errore eſſe, ſed per gratiam Dei ab exordio vſq; ad præſentem ætatem, in fidei & Chriſtianæ reli-

anæ religionis virenti perſeuerantia & augmento floruiſſe.

HIEMS Anni huius grandis & oneroſa plurima niue grauida, & quæ omnia maria, ſtagna, lacus, & paludes inglaciauerat, à Calendis Nouembris, vſq; ad æquinoctium vernale durauit in magnam admirationem apud ſingulos verſa, quod ſine illius ætatis exemplo prouenerat.

ANNO Domini 975. Agapitus Papa Secundus Romanus, quum annis tribus, menſibus ſex, diebus decem ſediſſet, moritur, & in Eccleſia S. Petri tumulatur: Et ceſſauit Epiſcopatus diebus duodecem. Octauianus qui Ioannes Duodecimus cognominatus ei ſucceſsit, natione Romanus ex Patre Alberico, qui quidem Albericus alias Albertus filius Berengarij Italiæ Imperatoris, cùm potens in Vrbe foret, vocatis Nobilioribus Romanis induxit illos & iuramẽto conſtrinxit, vt mortuo Papa Agapito filium ſuum Octauianum promouerent. Quod & factum eſt ac ex Octauiano Ioannes XIII. apellatus, Cathedram Piſcatoris aſcendit: Otto cum magno exercitu Italiam ingreditur. Deteſtabilem inſaniã Ioannis XIII ſpurcitijs carnalibus vacantem damnat, Berengarium capit. & Cathenis in Almaniam ductum onerat, Alberto filio eius in Corſicã feſtino curſu fugato.

ANNVS Domini 976. Non poterat inter filios Suatoſlai Ruſsiæ Ducis inſtituta à Patre charitas & terrarum diuiſio eſſe diuturna, ſed occiſione Suatoſlai ſecuta, quaſi Prouinciæ & Regiones latiſsimæ Ruthenicæ à Patre relictæ anguſtæ illis forent, contentio inter illos de principandi maiori autoritate & præeminentia ſuboritur. Quam ſibi IAROPELCVS natu maior vendicare ſatagens Caſtrũ Waraſz, in qua Germanus ſuus Olcha conſiſtebat conquirens, Olcham interficit, & in Ducatum Drzewlianorum ſanguine fraterno dotatus ſuccedit. Formidans autẽ Wlodimirus natu minor Iaropelconis Tyrannidem ad ſe quoq; aliquando peruenturam, quaſi fraternam necem ulturus Caſtrum Kijow, & fratrem Iaropelcũ in illo circumuallat, venientem quoq; ad ſe in pace Iaropelcũ fratrem ſuaſu & conſilio ſui ſceleſti conſiliarij nomine Blut Palatini interficit, & omnes tres Principatus poſsidere cepit. Principatibus autem ſanguine fratrum Germanorum quæſitis non contentus, etiam vxorem Iaropelci Græcam genere ex Iaropelco grauidam accepit in vxorem, ex qua filium Suatopelcum nomine duos habentem Patres, Wladimirum & Iaropelcum accepit.

QVINTO Calend. Nouembris, igneæ acies viſæ ſunt in cælo per totam noctem in Poloniæ Prouincijs, res quoq; huiuſmodi monſtroſa, vti eſt inſueta, Polonis viſa, ne quod malum imminens genti & terris Polonorum portenderet, hoſtijs maioribus diuinitatem exorari placuit.

ANNO Domini 977. Dambrowka Duciſſa Poloniæ conſors Miecſlai Poloniæ Ducis fæmina religioſa, & deuota rebus abſumitur humanis: Hac in ætate prouecta caput non velabat, ſed ad inſtar virginum ſerto & coro-

to & corona inc. debat ornata. Cuius corpus in Eccleſiã Gneſnenſem relatum,ſepulturæ mandatum eſt,& funeri ſuo à Miecſlao Principe,& Proceribus Optimatibuſq; Poloniæ magnifico & liberali ſumptu iuſta perſoluta. Luxit autem illam Dux Miecſlaus Poloniæ maritus,& Boleſlaus filius planctu magno, ſed & omnes viri Eccleſiaſtici non ſecus, quàm piam matrem deſiderabant.

ANNO Domini 978. Firmato Principatus ſui ſolio, Wladimirus Dux Ruſsiæ ad religionẽ verſus in montibus Kijouienſ. Caſtro proximis, fana ſimulachra & idola locat,templaq; & delubra ædificat. Inter omnes tamen ſuæ prophanæ ſuperſtitionis Deos fulminis numen in præcipua apud illum cultura & veneratione habebantur, cui & plura templa inſtituit, & excellentiora. Nec ipſe Dux tantum,ſed & vniuerſus Ruthenorũ populus deteſtabiles ritus huiuſmodi ſecutus : Fulminis numẽ præſtantioribus immolationibus & holocauſtis venerabatur. Fabricauit autem Dux Wladimirus Deo ſuo principali fulmini corpus & ſimulachrum ex ligno caput ex argento, & nares ex auro, cæteriſq; Dijs lucos & ſimulachra conſtituit, & adducens filios ſuos & filias, ſacrificat Dijs,& coinquinat ſe & terrã Ruſsiæ idolis. Accepit autem Wladimirus plures vxores, ex quibus vna genera quatuor filios,Izaſlaum,Mśćiſlaum,Iaroſlaum, Wſzewolodum, & duas filias. Item ex Græca Suatopelcum : Item ex Bohemica Wiſſeſlaum : Item ex quarta Suatoſlaum & Mśćiſlaum : Item ex Bulgarica Boris & Chleb, reliquit plures concubinas, cæteras quoque virgines & vxores alienas parum pudicas & temperatas deuirginebat. Otto Coronam Imperij inſignem a Benedicto VII. Romæ accepit.

ANNO Domini 979. Scrupuloſiorem indaginẽ Miecſlaus Polonorũ Dux in his, qui nondum ſacri fontis Baptiſmate initiati fuerunt, Polonis oſtenſurus, ad plures vicos,Oppida & villagia perſonales facit aggreſſus, & tàm adultos, quàm infantes mares iuxta ac fœminas aquis regenerationis innouat,innouatoſq; & ablutos in fide firmat,& tàm pecuniæ, quàm veſtium largitione exhilaratos,& in fidei, & in ſui charitatẽ pellicit. Quod quidem ſui pij operis meritum in amplificanda fide Orthodoxa, & tunc & plures alias fideli & ſancto ingenio exhibitum, non ſolùm illi æterna attulit præmia, pia vt credulitate præſumi poteſt, ſed etiam Principatus & regiminis ſui recolendam memoriam apud præſentes & poſteros collaudandam effecit, ſed in cætera religionis Catholicæ opera conſumenda, atque explenda virtuoſos ſuos ſine intermiſsione dirigebat effectus, Catholicorum Regum & Principum ſatagens in ſingulis ſequi veſtigia,& eorũ æquare virtutem, ne religione eorum foret inferior, quorum erat charitate, & Principatuum amplitudine atq; Dominio nõ minor. Ipſius ſiquidẽ operis & inſtinctu Sacroſanctus mos in Proceres, militares, & quoslibet nobiles eo anno introductus eſt, prope ad noſtra vſq; tempora ſeruatus, vt præfati Proceres Polonorũ & milites diebus Dominicis audituri diuina, Eccleſiaſ-

Sacras

Sacras militari gladio ingrederẽtur accincti,& ad diuina Sacerdote canẽte Sequentia S. Euangelij ſecundum Matheum, vel alios Euangeliſtas è veſtigio omnes velut certamẽ inituri extendebant pro dimidietate è vagina gladios, quouſq; à ſcholaribus reſponderetur, Gloria tibi Domine, Viceuerſa in vaginas recondebant. Demonſtrantes eo tàm frequenti & quolibet die Dominico repetito actu,pro defenſione veritatis Euangelicæ ab eis cognitæ & profeſſæ intrepide & alacriter pugnaturos, & ſi oportet mortem etiam oppetituros. Quem Benedictũ morẽ vehemẽter doleo,neſcio quo ſeuo ſydere ex Poloniæ Regno abolitum eſſe, qui illorum ſingularem Zelum, atque fidem Orthodoxam declarabat.

ANNO Domini 980. Intelligens Miecſlaus Polonorũ Dux pleroſq; ſuæ gentis ſubditos, tàm Nobiles quàm aggreſtes, ſalacium & veterũ ſuorum Deorum teneri conſuetudine & ſacrilegio ritu, thura & libamina in domibus proprijs illis offerre & litare,varia quoque ſuperſtitione diſtentos alligatoſq; Baptiſmatis gratiam in eadem die neglexiſſe,miſsis in ſingulas Regiones & vicinitates, quæ pro ſubditis habebantur Regionum Præfectis & præconibus mandat vniuerſis ſtricto imperio,vt ad proximiorem & viciniorem Cathedralem Eccleſiã à ſe fundatam qualibet excuſatione circumſcripta ſinguli conueniant,& Chriſtianitatis,tàm nomine quàm Baptiſmatis inſignirẽtur vnctione,grãdibus in eos extremis vſurus pœnis. Bona quoque confiſcaturus ſi ſequi imperium ſuum detrectarent,& ſi ſub certo termino atq; die, in Cathedralium Eccleſiarum locis, vnda ſacri Baptiſmatis non fuerint renouati. Inflictam autem & infligendã pœnam Poloni vitaturi, certatim omnes ad ſuſcipiendum beneficium fontis perrumpunt, & ad Epiſcopalium Eccleſiarum loca conuenientia charactere Chriſtiano ſe inſigniunt. Ab Epiſcopis autem, aut à ſacerdotibus in articulis fidei, & in cæremonijs aut ritibus inſtructi, Dominicos dies, feſta quoque Chriſti, & ſuæ genitricis Mariæ atq; Apoſtolorum obſeruare & feſtiuare, & in diebus Mercurij Veneris atq; Saturni à carne abſtinere iuſsi ſunt. In hunc itaque modum Zelo & opera Ducis Miecſlai omnia Polonorum ſimulachra radicitus euulſa, & ignibus aut paludibus in perpetuam obliuionem tradita, ſtudijs quoq; vigilantiſsimis Miecſlai quæcunq; fuerunt per totam Poloniam portenta potius quàm ſimulachra eraſa, rituſq; profani & quælibet ſortes, auguria, diuinationes, phytones,omneſq; ſuperſtitionum veterum gentilicij errores è medio ſublati.

ANNO Domini 981. Primo Epiſcopo Pragenſe Dithmaro mortuo ; Adalbertus Bohemus natione & lingua de nobilibus parentibus ortus Pater eius Slawnik, mater eius Strzezisława, in Pragenſem Epiſcopum acclamatione cleri & populi electus eſt. Cuius etiam electionem Dæmones in obſeſſorum corporibus velut dignam & Sanctam ante pronunciauerant: Hic in Baptiſmo nomen Bohemicum Woićiech, quod ſignificat exercituũ

consolator acceperat; sed Episcopus Maideburgensis apud quem exegerat adolescẽtiam, eum Adalbertum difficultate expressionis originarij nominis motus cognominat. Extremum autem spiritum Dithmarus Episcopus Pragensis prædictus futurus pluribus verbis omnibus qui astabant, inter quos Adalbertus vnus Episcopus erat, causam & seriem damnationis suæ perpetuæ depromebat. Væ mihi, inquit, quod dissolutius vixi fructu temporis perdito; quam velem vixisse nunc, dum morior: Decepisti me fallax seculum, annosam mihi pollicendo ætatem, & ecce insperatè anima & corpore saucius necor, damnationis autem meæ facinus, & si per virtutem Passionis Christi venia dignum esset, ob scelus tamen Bohemici populi vltro in desiderijs & voluptatibus suis immersi, qui etiã vsq; nihil aliud operari nouit, nisi quod sathanæ digitus in eius corde tetro attramẽto conscripsit, iustissima Dei lege quoniam latrare iuxta ac canis expaui, damnor, itinere recto ad inferna igne inextinguibili arsurus, proficiscor: Sic agens, miseram animam iam tunc cruciatus gehennales ob negligentiam cernẽs expirauit. Quo terrore Adalbertus correptus, omnibus deliciosis cibis & vestibus abiectis noctu cilicio carnem amiciens, caput verò cinere aspergens, in alium hominem ex milite delicato mutatus, omnia quæ habebat in egenos, pupilos, & viduas erogauit.

ANNO Domini 982. Agapito Papa Secundo, qui sedit annis tribus mensibus sex, diebus decem, obeunte Ioannes natione Romanus ex Patre Alberico viro nobili, & pro ea tempestate in Vrbe potenti, intrusione & ordinatione Patris sui in Papã vt præmisimus assumptus est, Venator & Lubricus fertur fuisse; tantæq; in Deum præuaricationis, vt etiã in domo sua concubinas fouere non erubuerit. Duos autem Cardinales transgressiones suas Ottoni Romanorum Regi per scripta denunciantes, vt Ecclesiæ succurreret expetentes, graui & horrida pœna mulctauit. Ioannem quidẽ Cardinalem in vaso, alterum in manu mutilando. Quibus omnibus Otto Romanorum Rex motus, venit in Italiam cum valido Germanorum exercitu, & Ioannem Papatu cedere coegit, cum in Papatu annos octo, menses decem, dies decẽ exegisset, in cuius locum Leo Octauus Laicus communi populi voto, propter singulares eius virtutes, qui Ottonem Diademate coronauit, surrogatur.

Eodem insuper tempore Otto Imperator deuicto Berengario, qui sua Tyrannide cum filio Adalberto Italiam premebat, Adalmundam relictam Lotarij Imperatoris quam Berengarius tenebat, captiuã liberat, & sibi matrimonio cõpulat, nuptiasq; in Natalis Domini in Papia celebrat. Berengario deinde in gratiam recepto, & Marchia, Toruilia, Verona, Aquilegia exceptis, totam Italiam suæ gubernationi restituit.

Angelotus Placensis Episcopus natione Romanus, dùm Pontificatum Placensem annis XV. rexisset, pro conditione humana moritur, & in Placensi Ecclesia tumulatur, cui Martialis à Ioanne II. ordinatus, qui genere & ipse Romanus anno sequenti succedit.

Anno

ANNO Domini 985. Molestè ferentes Romani, hi præsertim qui Ioanni Duodecimo cognatione iuncti erant, affinem suum de summo Sacerdotio eiectum esse, & Leonem Octauum sibi successisse. Dùm Ioannem propter Notoria sua, scelera & turpitudinem vitæ restituere verentur, Benedictum Quintum viuente Leone in Papam assummunt. Qui cum mensibus duobus, & diebus quinque sedisset, venit Imperator Otto de Almania, & obsedit Romam, nec prius obsidionẽ soluit, donec Benedictus suæ potestati traditus est: Quem Otto mittit in Saxoniam in exilium. Ingressus autem Otto Imperator Romam, Leonem in suam sedem restituit, deformata recuperat, & nonnullos Romanos, nouas res molientes proscribit, filium suum quoq; Ottonem Secundum, tunc secum Romæ præsentem, per Papam Leonem procurauit Regẽ Romanorum benedici. Papa cataq; Ecclesia in Saxoniam reuersus, in Ciuitate Maideburg post plurima quæ Imperio Romano digna peregerat, Nonis Calendis Maij moritur, Anno Regni sui 37. Imperij Decimo. Cuius corpus in Basilica admirandæ magnitudinis in Maideburg, quã ipse viuens in honorẽ S. Mauricij opere sumptuoso fabricauerat, eo quo dignum erat Cæsareo cultu est humatũ, mortuus autem valde senex, vnico filio eiusdem nominis relicto.

Annis 36. in Regno Poloniæ trãsactis. Primus Wratislauien. Episcopus qui Smogorzouien. tunc intitulabatur, Gotfridus genere Romanus Pontificatu suo per annos 17. continuato moritur, & ibidẽ sepelitur, Cui Vrbanus Primus ad petitionem Boleslai Chrabri Ducis Poloniæ & Monarchæ, nobilis genere, natione Romanus, ad prouisionẽ Papæ XII. fuit substitutus.

ANNO Domini 984. Boleslaus Dux Miecslai Poloniæ Ducis filius, diebus luctus materni è vita excessus, qui vsq; in annum sextum tendebatur, expletis, Miecslao iubente Patre, coniugalia sacra suscepturus, & cum Pannonijs veterem innouaturus amicitiam, Iudith Virginem pulchritudine & forma insignem, ampliss imam insuper dotem auri & argenti secũ ferentem, filiam Geisæ Hungarorũ Ducis ex prima vxore desponsat, & nuptiæ apud Gnesnensem Ciuitatem in præsentia Prælatorum atq; Baronum, qui sub frequenti numero ex Polonis & Hungaris conuenerant, in splẽdido apparatu & ludorum instauratione celebrauit.

OTTO Secundus, Octuagesimus Secundus ab Augusto, Patre è vita excedente Regno successit, qui quũ prius sub Patris præsentia à Leone Papa VIII. fuisset in Romanorũ Regem designatus & coronatus, morte tamẽ Patris secuta ab omnibus qui aderant, denuò coronatur, & in Regni sede locatur, huic Pater viuens filiam Ioannis Græcorũ Imperatoris nomine Theophaniam desponsauerat, nuptiasq; Papiæ celebrauerat. Ex qua idẽ Otto Secundus filium insignem nomine suo, clarissimiq; sui sanguinis normam propemodum exprimentem, filiamq; Nactidam suscepit, & Imperij Romani strenue disponens regimen, Lotarium Regem Galliarum exuit possessione. Qui cum plura bella contra infideles gessisset, ad extremũ toto ferè

 exercitu

exercitu in Calabria amisso, ipse meritò B. Petri Apostoli, quem supplicitèr inuocabat seruatus. Romamq; reuersus, exactis in Imperio annis nouem, moritur, in Ecclesiaq; S. Petri sepelitur, cui filius Otto Tertius succedit, & à Gregorio V. cuius fuerat consanguineus Romæ coronatur.

ANNO Domini 985. Profanis religionibus Rusiæ Dux Wladimirus perfunctus ad arma animum intendit, Duciq; Poloniæ Miecslao bellũ primum mouet, quod vario marte gestum est: Nunc Polono, interdũ verò Rutheno triũphos retinẽte. Expugnauit autẽ Dux Wladimirus Castra Polonorũ, videlicet Przemysl, Czerwien, & alia expugnata occupat, præsidio militũ forti impositio, suæ & Ruthenorũ subiecit ditioni. Vadit deinde cõtra Radimnice, qui & ipsi ex Polonis descendũt, victisq; tributũ imponitur.

Summo Pontificatu Leo VIII. beneficio Ottonis Imperatoris resumpto, constituit, vt nullus sine consensu Imperatoris assumeretur in Papam. Dùm autem post assumptionem Papatus sedisset annum vnum, & menses quatuor, moritur. Cui Ioannes XIV, natione Naruiesi. succesit.

ANNO Domini 986. Prohorinius siue vt alijs placet Prohorius Primus Cracouiensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & fidei religionisque Christianæ in noua plantatione dilatator, ætate & senio confectus, moritur, & ibidem in Ecclesia Cracouiensi sepelitur: cui præsidebat annis vno & triginta, eique Proculsus succedit.

ANNO Domini 987. Exigentibus sceleribus humanis fames valida & generalis, frumentis ferè in vniuerso mundo male prouenientibus, secuta est, quæ in singulis Regionibus multos mortalium absumẽs, etiã in Polonos grassata, in pluribus ciuitatibus vicis & villis orbitatẽ induxit. Sollicitatus tunc Wladimirus Rusiæ Dux, Primũ à Machometistis, vt ritũ pseudo Machmet susciperet. Deinde à Latinis. Tertio à Iudæis, vt legẽ Hæbraicam, Postremò à Græcis, vt fidem Christianam assumeret. Nuntios quidem ritus præfatos sibi persuadentes, benignè tractatos, etiam remuneratos remisit: Cùm suis verò Ruthenis quænam fides acceptanda esset consultat, placuit autem ad omnes nationes rituum prædictorũ nuntios speculatum mitti, & cuiuslibet ritum explorari. Missi itaq; ad Bulgaros Latinos & Græcos Nuntij, singulorum ritus, vt iussi erant, speculantur & explorãt, & Machmeti quidẽ ritus plura habens in se fæda & turpia, illicò ab eis profanus & iniquissimus iudicatus est. Latinorum verò Cærimoniæ parũ illis religiosæ, & templa parum ornata videbantur. Cùm verò in Constantinopolim peruenissent Basilius & Constantinus Græcorum tunc Imperatores, intellecto eos speculandi gratia ritus suos illuc veniisse Cætu religiosorum vocato, magnam solennitatem instituunt, & in splendissimis ornamentis celebritatem Missæ per Patriarcham teneri disponunt, Ruthenorũq; Nuntios ad Ecclesiam introductos in loco eminentiori, ex quo omnes Cærimonias videre possent, locant, honoreq; mensæ exceptos splendidè tractant, & muneratos remittunt. Qui ad Ducem suum Wladimirum reuersi, de singulis ritibus, quos viderant differunt, sectamq; spurcissimam Machometi contemnendã prorsus, & repudiandã esse persuadent, & Græcorum sectã omnium præstantissimam contestantur, in Græcorũ Ecclesijs plura, & magis cultiora ornamenta, quàm in Latinis consistere. Tantã insuper in missa Græcorum cui intererant, testabantur se dulcedinem sensisse, vt pænè extra se rapti magis cælesti, quàm terrenæ solennitati se putauerint interfuisse. Ad ritum igitur Græcorum suscipiendum omnium Procerũ sententiæ inclinabant, persuadendoq; Wladimiro dicebant, si fides Græcorũ bona non esset, nõ Auia tua Olcha inter mulieres prudẽtissima illã accepisset. Assensit itaq; Wladimirus Procerum sententiæ, & Baptisma ritu Græcorũ accepit.

ANNO Domini 988. Aquarum inundatio frequens & diuturna fuit quam æstas feruida, & pluribus pernicioſa secuta est, propter quod fruges partim dispartitæ, partim diminutæ. Siccitas insuper Vernalis modum excedens acciderat, ob quam satio Vernalium frugum impedita, nix insuper nimia decidit, quàm imber assiduus sequebatur, adeò vt autumnalem sationem prohiberet, famemq; induceret.

ANNO Domini 989. Adalbertus Pragensis Episcopus populum Bohemicũ, cuius erat ipse vnicus Episcopus, enormibus sceleribus, quorum hæc erant præcipua, quod pluribus vxoribus contra legem Catholicã abutebantur: quod gentiles & sacrilegos ritus practicabant: quod subditos proprios, filios filiasq; Christi charactere insignitos, Iudæis in seruitutem vendebant: quod fora diebus Dominicis frequentabant: quod sepulturas in profanis eligebant locis: videns deditum esse, & omnem correctionẽ hactenus per eum adhibitã habere in contemptu. Virorũ timoratorũ visus consilio, sedem Episcopalem deserere, & habitum Monachicum assumere in animum inducit, quod vt facilius consequi posset, Straciquas S. Benedicti Monachum & Germanum Boleslai Ducis diligenti cura persuadet, & precatur, quatenus Episcopatum Pragensem suscipiat, facilius enim illũ plebis Bohemicæ abusus, & facinora, cum fratris Ducis Bohemiæ assistentia sanaturum. Cui Straciquas respondens, non licere sibi ait, quæ cõtempsisset mundana repetere, & terrenis omnibus mortuum ad honorẽ fastigiumq; culminis Pontificalis aspirare, subinferẽs se & honore Episcopali indignum, & Pastorali pondere sufficientem. Ad quem Vir Dei Prophetico spiritu fertur dixisse: Scio inquit frater Pontificalem sedem Pragensem quàm nunc iusto titulo, & vero ostio conscendere potuisses contemnentẽ te, & post iniqua via iniusto titulo te periturum esse, & successum malum habiturum; & quod nunc recusas in tuam perniciem post vehementer expetes. His dictis Bohemiam & sedem suam præ tedio plebis incorrigibilis relinquens, Romam petijt; Hierosolymam visa Roma petiturus: Verùm

Romæ continens conflio virorum religiosorum Monasterium S. Bonifacij ingressus, vitam Monasticam in vitæ arctitudine agere cepit, Fratre suo Vito Gaudentio in eodem Monasterio secum vna delitescente, pia suæ conuersationis, & vitæ studio, quasi Angelus Domini ab vniuersis reputatus, quoniam sub corporis mortalis habitu vitã Sanctissimam ducebat, & tàm proprijs quàm forensibus admirandus, religiosissimè viuens, verbo resplédens pariter & exemplo.

ANNO Domini 990. Iudith Ducissa consors Bolesłai Polonorum Regis, Annos quinq; sterilitatis perpessa opprobrium, tandem anno sexto fæcunda. Virilis sexus puerum effudit, de cuius natiuitate dùm & Auus Miecslaus, & parens Bolesłaus Polonorum Duces immẽso exultarent gaudio, solennem curiam constituto die Baptisteriorum inducunt, & infantulum apud Gnesnam sacro fonte abluunt, etiam auctum nomen Miécslaus imponũt, quod significat habiturus laudẽ. Cõgregata Wladimirus Ruśiæ Dux gentium suarum multitudine copiosa, Græcis bellum infert, & Castrũ insigne Græcorum Korszyn conquirens, vicinam ex eo sibi subiecit Regionem, cogitq; oram illam ad tributum. Mittit deinde Nuntios ad Basilium & Constantinum Græcorum Imperatores, petens sororem eorũ Annam coniugio copulari sibi, offerens se, potitum eius connubio extemplo de Castro Korszyn, quod conquisierat & regione quam subiecerat, excessurũ. Sed Basilius & Constantinus Græcorum Imperatores, respondent, non cõuenire sibi, & suæ honestati, cum Principe gentili & idolorum cultura poluto affinitatem trahere, & Germanam suam illius connubio sotiare. Si verò errore gentili deserto fidem Christianam profiteri vellet, non se eius petitionem abnituros. Wladimirus autem Ruśiæ Dux eiusdem Nuncijs remissis offert se prono animo fidem Christianam suscepturum, modo venirent personaliter, sororemq; Annam offerent, & ipsum Baptizarent. Aduersabatur autem soror Anna Imperatorum, huic affinitati, assumereq; illã multiplici renitentia dedignabatur, sed Basilius & Constantinus Fratres differendo, persuadendoque, quanta bona ex affinitate huiusmodi lequutura sint, & quod vniuersa Ruśia ex eius connubio fidem Christi sit susceptura, Animum sororis expugnant, peruincuntq; ad consensum. Veniunt itaq; Basilius & Constantinus cum sorore sua Anna in Korszyn, & illicò Wladimirum Ducem Ruśiæ oculorum cæcitas inuadit, fluctuareque vario mentis æstu cepit, an ritu suo gentili derelicto fidem Christianam & Baptisma Christi esset suscepturus. Anna autem soror Imperatorum & futura sua Coniunx docet, cæcitatem quæ illi acciderat suscepto Baptismate disparituram. Ab Episcopo itaq; Corsineñ. Baptizatus, illicò oculorũ caligine depulsa illuminatus: Nuptias cum Anna celebrat, & Ecclesiam in signum & memoriam, tàm suæ conuersionis, quàm Baptismatis & illuminationis ædificat, Castroque Korszyn Imperatoris derelicto & restituto, in Ruśiam cum noua sponsa plenus gaudio redit.

Anno

ANNO Domini 991. Ioannes XIV. natione Norueguen. succedens Leoni à Petro Præfecto Vrbis comprehẽsus in Castrũ Angeli primum detrusus, deinde in campaniam in exilium missus. Quo malo Otto Secundus, qui Patri in Imperio successerat ad se perlato, cum magno exercitu venit Romam, & Ioannem Papam exilij molestiam duobus annis sustinẽtem, restituit. Romanos verò captiuitatis suæ reos quosdam trucidauit, quosdã laqueo suspendit, aliquos in exiliũ in Saxoniam misit, vbi etiã à Ioanne Papa prædicto, vnctionem & benedictionem suscepit Imperialem. Cùm autẽ tàm Roma, quã Italia pacata regredi in Almaniã disponeret, audiens Ioannẽ Græcorum Imperatorẽ suæ consortis Teophaniæ Imperatricis genitorem defunctum, & alium in locum suum surrogatum, sibiq; de Calabria vxoris suæ hæreditate consuetum negare tributum, mittit Legationem: Responsum accepit Calabriã dono Theophanis Imperatricis, sed dotem & hæreditatem esse signũ S. Crucis in Imperio Constantinopolitanæ Vrbis hactenus seruatum, & filiabus Imperatorum pro dote dari solitum. Otto igitur Imperator ira ductus, non rationis maturitate, cum non satis iusto exercitu Calabriam petens, eam ferro & igne deuastat, & Beneuentum capiens ossa B. Bartholomæi inde asportauit, Græcas contẽptui habens diuitias, expoliat opibus ærarium: Contra Græci pro vita, pro patria, auro argentoq; Saracenos sibi pacisciuntur in auxilium, & maioribus copijs & insidijs collocatis pauciores cum Ottone pugnã conserunt, quos cũ deuicisset ab his qui in insidijs latuerunt, inuasus cum vniuerso exercitu suo, Romanis & Beneuentanis terga vertentibus obtritus atq; victus est. Et ne in manus hostiles veniret, omnibus tàm insignibus, quàm vestibus abiectis, inermis se vndis iniecit, fluctibusq; maris tota innatans nocte, mane à piscatoribus captus, occisi Imperatoris se fingebat armigerum. Piscatores autem illum & ex decore, & ex dispositione corporis, prout erat, Imperatorem suspicati: Græca de illo colloquebantur lingua. Existimantes autem illum non intelligere linguam astruentes eum non Armigerum, sed verum Imperatorem fore: Dilponebantq; eum in Græciam freto ductum Græcorum præsentare Imperatori, præmia ampla relaturi, qui periculum vitaturus, ea nautas arte circumuenit, fingit se apud Siciliam magnam abscondisse pecuniam, petit vt nauẽ ad terrã reducant, pecunia accepta felicius nauigaturi. Quibus cupiditate ilelctis rogata explentibus in littus perueniens, & Episcopũ probum in armis cæsum nomine cum nonnullis suis militibus offendens, & illorum suffragia inuocans, nautas 40. numero inuadit, & nulli parcens trucidat, diuinoq; S. Petri assiduo inuocando auxilia geminatum periculũ deuitauit. Primumq; ad Imperatricem Theophaniam peruenit, à qua cum hilaritate exceptus, Romamq; perductus, cũ ex labore & dolore sensim languescceret, Sexto Idus Decembr. Romæ moritur, cũ annis octo Imperasset, & in porticu S. Petri tumulatur, post cuius mortem filius eius Otto Tertius in Romanũ suffectus est Imperiũ. Et licet ob odiũ Imperatricis Theophaniæ, quæ fœminea & Græca leuitate Optimatibus Imperij de amisso in Ca-

labria

labria prælio, fugam & pauorem exprobrans; plures sibi hostes conciliauerat, nonnulli Henricum Ducem filium Germani Primi Ottonis in Imperium surrogare laborassent, Aui tamen & Patris beneficijs recensitis omniũ iniuriarum obliti Ottonẽ Tertiũ ab Henrico prædicto, sub cuius custodia & tutella tenebatur graui ære redemptum Imperio præficiunt. Qui illud singularis Ezonis Comitis, Palatini Rheni prudentia industriaque extunc administrare cepit.

ANNO Domini 992. Sacrilegos ritus, quibus prisc̃is tẽporibus Ruthenorũ gens dedita erat, Wladimirus Russiæ Dux eliminaturus. tertio ex quo Christi fide illuminatus erat anno, idola, lucos, arasq; & templa eorum confringit, incendit, & comminuit. Simulachrum verò fulminis, quod præcipua veneratione apud Ruthenos colebatur, ad caudam equi alligatum, spectante multitudine Ruthenorum per terram trahi, & in flumen Dniepr mergi gentibus Ruthenis ex vtroque sexu Deorum & simulachrorũ suorum fletu, & eiulatu ingenti confractionem prosequentibus, mãdauit. Promulgauit insuper Wladimirus Russiæ Dux edictum, vt omnes nationes & populi sibi subiecti relictis idolis Christi fide & Baptismatis charactere se insignirent, habituros eos pro hostibus, bonaq; eorum confiscaturus, qui detrectarẽt Sanctis suis parere iussionibus. Qua necessitate populus Ruthenorum constrictus ad Kijow cateruatim cõfluxit, & fidẽ Christi confessus in flumine Dnieprab Episcopo Corsinensi, & Præsbyteris ex Græcia adductis Baptizatur, & in fide ac cærimonijs eius eruditur. Audita autẽ est vox & eiulatus Draconis in aëre querentis se ex possessione Ruthenorum diuturna, non ab Apostolis aut Martyribus, sed ab vna fœmina eiectum esse. Ædificauit autem Wladimirus primam Ecclesiam in loco, quo prius idolis thura incendebãtur, & eam B. Basilio dicari ordinauit, sed & in alijs Regionibus Russiæ templa & Sacerdotes Dei multiplicat. Ædificat alteram Ecclesiam B. Mariæ Virgini in Kijow, & ornat eam vasis aureis & preciosa suppellectili, & tàm in ea, quàm in alijs Ecclesijs Russiæ à Duce Wladimiro & Baronibus Russiæ ædificatis, Corsineñ. Episcopus ministros & sacerdotes instituit, pro quorum sustentatione Wladimirus Dux prædia & censum largitus est, & primitias & decimas tàm Boiaris quàm aggrestibus mandat solui & offerri. Baptizauit & tunc Wladimirus Dux decem filios suos, videlicet Wiszeslaum, Izaslaum, Suatopelkum, Iaroslaum, Wseuoldũ, Suatoslaum, Mścislaum, Boris, Chleb, Stanislaum, &c. Pueros Ruthenorum applicat literis, artifices insuper ex Græcia adductos salariat, & plures Ecclesias ex muro & latere ædificat.

ANNO Domini 993. Bohemorum Principales & nobiles discessione sui Pontificis Prageñ. Adalberti, & absentia eius septẽnio integro continuata, plurimum angustati, & dolore amaritudineque vexati, Pontificali honore ab eis sublato in præcipitium multorum malorum ferebãtur, dietim, culpam omnem in Virum Dei Adalbertũ vertunt, quasi ipse omniũ, quæ illis

quæ illis cõtigerant, malorum fuerit suo discessu autor & patrator, propter quod in furiam rabiemq; versi, pœnas quas ab illo absente exigere non valebant, in fratres suos, genusq; illius & patriam vertunt. & sub vnius diei celebris tempore Oppidum Lubik in frequenti numero armisq; ingressi, primum quinq; fratres S. Adalberti Germanos, videlicet Sobobor, Spicimirum, Dobroslaum, Zauissam, & Krzessaw varijs cruciatibus extinguunt, nec fratres tantummodo viri S. necare contenti, sed & fratrum filios masculum vna cum fœmina insontem damnant: Aberat tunc forte à Bohemia, & à paterna domo Sextus S. Adalberti Germanus. In curia enim & obsequijs Boleslai Polonorũ Ducis filij Miecslai superioribus tẽporibus est pro illa tempestate versatus, trucidationem tyrannicã, quæ fratribus & domui suæ, vniuersæq; stirpi acciderat, longe à domo positus ignorabat. Hic quoque solus ex omni stirpe & familia Viri Dei remanserat superstes, prouidẽte Clementissimo Deo, ne prosapia tàm Nobilis de terra viuentium eradicaretur. Hunc cùm Boleslaus Dux Polonorum cædem fratrum suorum, & suam conditionem assiduis & lugubribus lachrymis deplorantem vidisset, magis enim diram in se Bohemorum truculentiã, quàm quæ in fratres edita fuerat, si in solum paternum rediret, verebatur futuram, benignè adolescẽtem consolatus, bono animo esse iussit, pollicitus se illi temporalium bonorum, quæ in Bohemia habuerat, possessionem hæreditariam sua munificẽtia resarciturum. Dat deinde promissis virtutẽ, & Porrio S. Adalberti Germano, multas possessiones, opes, & hæreditates in Polonico Regno largitur, ac illum suo dominio, & Polonorum militum Nobilitati interserit, adiungit, & implantat. Ex hoc autem vno surculo multiplex in Poloniæ Regno surexit propago, & in magnam & frequentem progenies Viri Dei familiam, quæ se de Rosis nominat, albam Rosam in campo rubeo deferens, & Porai pro clamoris signo habens, euasit successionibus secundis, vsque ad nostra tempora deriuata, fratribus & consanguineis Pontificis S. Adalberti vario mortis genere deletis, Bohemi deinde vniuersum populũ vtriusq; sexus Oppidi prædicti Lubik, septem videlicet animarũ millia carnificum more in ore gladij, nulli sexui, ætati, aut conditioni parcendo perimunt: Nec his contenti in tecta etiam innocua sæuiunt, & Oppidũ prædictum igne exurunt. Quod quidem tàm atrox facinus, neq; per Ducẽ Bohemiæ prohibitum extitit, neq; aliqua vltione punitum, vnde si cædis præfatæ, quàm scriptam apud Bohemorũ annales reperi, vera esset series (plura enim in hoc tempore transcribo quàm credo) satis gentis Bohemicæ pro ea tempestate miranda est feritas, quæ nec naturali quidem compassione etiam bestijs insita, à cæde tàm atroci in ætatem infirmam & domesticam facta poterat deterreri.

Strage autem tam in humana Moguntineñ. Archiepiscopus Metropolitanus Bohemorum ad se perlata, missis ad Summum Pontificem Nuntijs, in quanto periculo fidei religionisq; Catholicæ res in Bohemia versentur, declarat, obsecrans obtestansque, vt pro rescindendis abolendisque malis

patratis & patrandis, Suffraganeus ſuus Pragen. Epiſcopus, ad plebem Bohemicam remittatur. Sũmus autẽ Pontifex Gregorius, aliàs Ioannes fidei religionicq; Chriſtianæ conſulens, mandat B. Adalberto ad ſe accerſito, ad oues ſuas regreſſum. Declarat autem Vir Dei Apoſtolico, aperitque gentis Bohemicæ mores & qualitatem, aſſerens illam & ſortem & ceruicẽ habere duriſsimam, & cor indomabile; ſeq; in caſum illic rediturum, rogans vt ſibi licentia prædicandi fidem Chriſti & verbi gentibus Pruſſorum, quæ oram Septemtrionalẽ incolunt, tribuatur. Tum Apoſtolicus Dei, inquit, ſi te contempto monitis, inſtructionibuſq; tuis non paruerint, excuſo puluere pedum ſuorum linque illos, & genti Apoſtaticæ atq; perfidæ præ.entiam tuam ſubtrahe, nos enim extunc & à vinculo, quo Eccleſiæ Pragen. hactenus tenebaris te abſoluimus, & Pruthenis cæteriſq; nationibus fidem in Chriſtum prædicandi poteſtatem impartimur. Qua quidẽ poteſtate, ſibi tributa Sanctus Dei Vir ſupramodum exhilaratus, Vrbe & Monaſterio S. Alexij in quo degebat, relictis, Germanorum etiam cædem, dũmodo ſolus peruenire poſſet, non perteſus, Pragam reuertitur, ſperans Bohemos veteres ſuas ſuperſtitiones, & flagitia derelicturos. Vnde multifarijs remedijs plebem ſuam ſanaturus, alios obſecrat & mulcet blando ſuæ inſtinctionis alloquio, pleroſq; corripit, arguit & obiurgat, ſed omnes ſuos conatus & ſtudia præditum iri videns, & amariſsimè ingemiſcens, ſubſiſtendũ ne ſibi, an recedendũ deliberabat. Interim ſopore ex vigilijs & triſtitia oppreſſus, diuina voce audit ſe allocutũ: Tu, inquit, ſtertis, & ego iterũ vẽdor Iudæis: qua voce exterritus proſilijt, & in forũ progreſſus Chriſtianos vẽdi Iudæis vt vox cæleſtis denunciauerat reperiens, data pecunia venditoribus, & fidei ludibrium diſpulit, & his qui vendebantur præſtitit libertatem.

Annis ſeptem, Menſibus vndecim, diebus quindecim, Ioannes Papa XIV. in Pontificio Romano exactis moritur, & in Eccleſia S. Petri ſepelitur. Et ceſſauit Epiſcopatus diebus tredecim, Benedictum VI. natione Romanum habuit ſucceſſorem. Primus Wladiſlauien Epiſcopus, qui & Cruſuicien. antiquitus dicebatur, annis tribus & triginta exactis in Sede Cruſuicien. moritur, & in Eccleſia Parochiali in Dzwirczno, quam ipſe fundauerat, fabricauerat, & dotauerat ſepelitur. In cuius loeum eodem Anno Mauritius Primus ſurrogatur.

ANNO Domini 994. Prouidens Venerandus Præſul Adalbertus Pragen. plebem Bohemicam, ad quam Apoſtolico mandato curandã, regendamq; redierat ſuo recalcitrare imperio, & abominandis tranſgreſſionibus in Deum deditum eſſe, non ſperans ſe amplius in gente indomita frontis & rebellis quicquam profecturum. Praga iterum relicta, Romam regreſſus, à vinculo quo Pragen. Eccleſiæ tenebatur, obtinuit ſe per Benedictum Papam VI. abſolui, & ſibi ad prædicandũ barbaris nationibus, vltrà Poloniam ſituatis, licentiam prædicandi concedit. Qua obtenta cũ Gaudentio cæteriſq; religioſis Viris Hungariam ingreſſus, ad Ducem Geiſam

peruenit, in fide Catholica & cæremonijs eius, quam ipſe ante Annos aliquot ſuſcepiſſe eum audierat, ſuis monitis & prædicationibus inſtructurus. Cùm autem Duci Geiſæ & conſorti eius Adleidæ aduentus fuiſſet denunciatus, ſumma mox lætitia concepta ad laudes diuinas organa laxarunt: Hunc enim Virum ad ſe veniſſe, qui ſibi in viſione dudum fuerat præmonſtratus, intelligebant; Cum magna itaq; veneratione & deuotione ſuſceptus, filio Duci Geiſæ confirmationis characterem impendit, & Verbũ Dei Slauis & Hunnis tàm per ſe, quàm fratres ſuos, per vnum & amplius annũ melliflua ſermone prædicauit, plurimoſq; Slauorum & Hunnorum adhuc cultibus idolorum deditos conuertens, omnem Hungarorũ perambulauit Regionem, eos quidem qui crediderunt, erudiens, & paterna pietate confirmans, idololatras verò ab erroribus reducens & confirmans, ad cuius etiã exortationẽ Dux Geiſa cum filio ſuo Stephano, & conſorte ſua Adleida, plures Eccleſias fundant, erigunt, & inſtituunt: & Epiſcopalia illis bona largiuntur, ſed & ibi quoq; facta perſecutione ob manuum violentarum in perſonam ſuam inuectione, non maledicens, nec repugnans, ſed benedicens, Pannonia diſceſsit. Geiſa Pannoniorum Dux poſthæc infra dies paucos moritur, filium Stephanum relinquens ſucceſſorem.

ANNO Domini 995. Hungaria relicta Vir Dei Adalbertus Pragenſis Epiſcopus in Poloniam aduenit, & à Miecſlao Poloniæ Duce, eiuſdéq; filio Duce Boleſlao, omniq; populo & Clero cum magno iubilo & honore ſuſceptus, in Cracouienſi primum Vrbe, (ea enim ſibi ex Hungaria egredienti prima occurrebat) aliquanto tempore moratus eſt, & in ciuitatis prædictæ circulo, ſuæ prædicationis ſanctæ vulgari ſuo Bohemico, quod à Poloais potuit bene intelligi, aſsiduè exoluebat officiũ, fiebat autẽ ad illũ ex vicinioribus oris & diſtrictibus frequens cõcurſus. Multi enim in languoribus ægritudinibus, & neceſsitatibus ſuis ab illo ſuſcipiebant votiua ſolatia; vexati autem à Dæmonibus liberationem. Rapiebatur autem Vir Dei delectatione mirabili, videns vniuerſam Poloniam fidei Sanctæ puritate, miraq; deuotionis ardore candeſcere, in Eccleſijs nouem Cathedralibus, cæteriſq; ſacris locis nobilitatem eſſe: Pontifices verò & miniſtros Dei magno honore haberi, ſimulq; lachrymis obortis ſuſpirãs agebat. Poloni poſteriores Chriſtiani quam Bohemi, nouem Cathedris Pontificalibus quaſi veris octo beatitudinibus in baſi noua fide Catholica eradicatis, ſuas illuſtrauerunt Regiones, nomẽ venerantur, feruntq; Pontifices Dei magno honore haberi, & hos omnes exteros atq; peregrinos, omnemq; illis præſtant deuotam & ſinceram ſubiectionem. Bohemia vnam tantummodo habens Cathedram, me vnum ſui generis Pontificem ferre non potuit, ſed non ſine fidei Sanctæ ludibrio, ſuaq; infamia, mores Catholicos peroſa, me cũ vituperio & dedecore repulit, excluſit & deiecit. Tantam autem vir Dei Adalbertus ſua prædicatione, conuerſatione, vitæ merito & exemplo ſui memoriam apud Cracouien. reliquit Vrbem, vt poſt ſui glorioſi Martyrij cõſum-

mationem in eo loco, quo prædicationem ſuam peragere ſolebat, baſilicã in eius honorem conderent, quæ vſq; in diem hodiernam permanens, & ſollicitudinem viri Dei in verbo vitæ diſſeminando, & Polonorum erga illum teſtatur deuotionem. Digreſſus autem ex vna Polonorum Metropoli Cracouieñ. Cleri multitudine, & populi diſceſſum eius deplorante, & in longa ſpatia eum ſectante, in Alteram Polonorum Metropolim Gneſneñ. Ducis Miecſlai Poloniæ militibus illum, & Comites ſuos omnium neceſſariorum prouiſione tractantibus, viamq; monſtrantibus peruenit. Conſtitutus autem in itinere fermè in rure quolibet & villagio, ad quod illum venire contingebat, docebat Polonos tanta ſedulitate vt etiam conductores ſui longa mora perteſi, illum frequenter relinquerent. Cùm autem quodam die errore viæ lapſus ad villam quandam in Polonia Maiori peruenisſet, ruſticis ſuum & Comitum ſuorum Monachalem habitum, aut cucullatum, quem antea nunquam viderant, irridentibus & pro inſanis eos reputantibus repente in irriſores Dei vltio affuit, quæ illis vſum auditus & loquellæ ademit. Qui poſtea Gneſnam ad eum venientes, & ſcelus ſuum publicè confitentes, reſtitutionem vtriuſq; ſenſus, eius meritis & oratione receperunt. Contigit autem pro illo tẽpore Robertũ Gneſnenſem Archiepiſcopum mori, cuius locum B. Adalbertus maximis Ducis Miecſlai, & filij eius Boleſlai, totiuſq; Cleri & populi inſtantijs deuictus ſuſcepit. Vbi deſides gentis animos & parum deſpe futura ſollicitos, ſtimulare verbis & prædicatione ſuccendere, negligentiamq; eorũ excutere & abolere, cepit.

ANNO Domini 996. Benedictus VI. Papa Romanus, cum vno Anno, Menſibus ſex ſediſſet, à Curcio Nobili Romano captus, & in Caſtro Angeli ſtrangulatus eſt, cui Donus II. natione Romanus ſucceſsit. Sub cuius Pontificatu, duo Bulgarorum Duces, Petrus & Baianus moto Græcis bello, & aliquot relatis victorijs Cõſtantinopolitanam Ciuitatem adeò vexauerunt, vt eius potentia in pluribus fuerit diminuta & colapſa. A nonnullis autem ſcribitur præfatus Benedictus à Tito Romano Theodori filio fame extinctus: Cuius Tyrannis non inuenitur vindicata Dono tempore breui mortuo, & vno anno, Menſibus ſex ſedente.

Cracouienſis Eccleſiæ Secundus Archiepiſcopus Proculſus, cum annis decem ſediſſet, moritur, & in Cracouienſi Eccleſia ſepelitur: Cui Lampertus per Cleri & vicinarum Eccleſiarum Parochialium Rectorum electionem, conſenſu Ducis Poloniæ Miecſlai accedente, ſuffectus eſt in Metropolitanam ſedem.

Robertus Gneſnenſis Archiepiſcopus, dùm annos viginti & quinque ſediſſet, obijt, & in Gneſnenſi Eccleſia ſepelitur: Cui Adalbertus Pragenſis Epiſcopus genere Nobilis, de domo Rozarum ſuccedit.

Annum vnum, Menſes ſex, Donus Papa in Pontificio exigens Romæ moritur, & in Eccleſia S. Petri ſepelitur, ceſſauitq; Epiſcopatus aliquot diebus. Cui ſuccedit Bonifacius Romanorũ potentia intruſus, cuius nomen & patria

& patria ignota, ipſeq; ſede Petri indignus. Hic in Vrbe Romana pluribus moleſtatus & perculſus aduerſis, Eccleſia S. Petri ſpoliata notabilioribus clenodijs gemmiſq; Conſtantinopolim fugit, deinde Romam cum pecunia ingenti reuerſus, cùm in Pontificatu tenendo profecturũ ſe non ſperat, in tyrannidem verſus, Ioanni Diacono Cardinali oculos eruit, & ipſe tandem Cholera confectus, & Melancholia extinctus eſt, cum vno tantummodo menſe, & diebus duodecim ſediſſet. Quo mortuo Benedictus VII. Sutrieñ. Epiſcopus, ſanctitate & probitate inſignis Romanum Pontificatũ accepit, & pleroſq; Romanos rebus nouis & tyrannidi ſtudentes, fauóre & aſsiſtentia Ottonis Tertij captiuauit, & digna pæna coërcuit.

ANNO Domini 997. Æſtuans Vir Dei S. Adalbertus Gneſneñ Archiepiſcopus ignito & flagranti deſiderio, lauream Martyrij ſuſcipere, de qua accipienda, viſione ſibi mõſtrata certificatus erat: viderat enim chorum duplicem Beatarum animarum, cæleſti fulgore radiantiũ, ordine purpuratorum, videlicet & candidorum. Cumq; ſtupens quid eiuſmodi viſio portenderet ſecum tacitus quæreret, cæleſti illi voce nunciatum eſt Martyrum & Virginum duos Sacerrimos cætus iam beata immortalitate veſtitos, quos viderat ordines eſſe, & in vtroq; eum conſortium loco præmij ſui recepturum. Hac itaq; viſione vehemẽter inſtigatus, non ſine Ducis Miecſlai Poloniæ & filij eius Boleſlai Ducis moleſtia & dolore, Gneſneñ. ſedẽ deſeruit, & fratre ſuo Gaudentio pro ſe Archiepiſcopo Gneſneñ. ordinato, comitantibus illum Ducis Poloniæ Miecſlai triginta militibus & familiaribus verſus Pruthenorum Regionem, Polonorum Regioni confrontatam à flumine Oſſa, qui & ipſe in Wiſlam decidit, terraſq; Polonorum à Pruthenis diſterminat, vſq; ad mare ſeptemtrionale protenſus pergit. Fuit autẽ pro ea tempeſtate Pruthenorum gens ſæua & crudelis idololatra, & cultui dæmonũ, & tàm cæco patenti & caliginoſo dedita errori, vt ſolem, lunã, ſtellas, beſtias, aues, ignem, & cætera creata pro Dijs coleret, & quaſdã ſiluas, lacus, & aquas, quas neque piſcatu, venatu aut inciſione contigere licebat, ſacras putarent, ſpeciale habens idioma, à Latino tamen aliquantulũ deriuatum, & quod cum Lituanico habet concordantiam aliquam, eoſdẽq; pænè ritus Deos & ſacra eadem colentes, vnum & eundem ſacrorum Pontificẽ apud ciuitatem eorum pro Metropoli habitam Romoue vocatam, reſidẽtem à Roma intitulatam, venerabãtur, cuius iuſſa à ſingulis non obedienter impleri capitale erat, & qui Pontifex Kriuc, eorũ lingua apellatus eſt, vnius & moris & linguæ, cognationiſq; Prutheni & Lithuani Samogitæq; fuiſſe dinoſcuntur, & bellis ciuilibus in Italia per Cæſarem & Pompeiũ exortis, flagrantibus ciuilibus bellis Italiæ, veteribus ſedibus deſertis, in has, quas incolunt oras veniſſe, ſedeſq; ſuas in nemoribus & deſertis fluminibus, ſtagnis, & paludibus obſitis poſuiſſe, ad inſtar quoq; Romæ ciuitatem Principalem Romoue condidiſſe, & Summum ſacrorũ Antiſtitem illic locaſſe eos aſſerunt, & quamuis gentes ipſe in pronunciatione verborũ diffe-

runt, quemadmodum Poloni, Bohemi, Rutheni. Nihilominus in multis conuni-

conueniunt, non vnius tamen ſtirpis & linguæ fuiſſe æſtimantur; Sed Pruthenis alia fertur fuiſſe, quàm Lituanis & Samogitis origo. Dũ enim Pruſias Bythiniæ Rex, apud quem Annibal Pænorum Dux à populo Romano victus & fugatus exulauit, ſuaſu Annibalis temerè contra populum Romanum bellum ſuſcepiſſet, & publicam pugnã non reſpondentibus fibris dùm exta conſpicerent, inire eſſet auſus, (vbi etiam in hunc modum ab Annibale increparetur.) An tu, inquit, ô Pruſias Vitulinæ Carunculæ credere mauis, quàm Imperatori probato? conflictus ergo & ſuperatus Pruſſus cum Bithinijs gente ſua in Aquilonarem oram Romanos fugiens venit, & ex ſuo titulo Pruſiæ nomen fecit. Bithinij autem populi etiam in hanc diem manent veſtigia, quoniam nonnulli Prutheni priſcæ linguæ retinẽt vocabula & ab Æolicis, Doricis, Atticis, & Ionicis populis competenter intelliguntur. Conjuges his venales erant, ſeruilia etiam opera coactè agere, defunctorum cadauera cum armis, equis, & veſtibus, cæteriſq; rebus, quæ viuis cordi erant incendere ſoliti. In Pruthenorum itaq; Prouinciam Vir Dei Adalbertus ingreſſus, cepit per intepretẽ à Duce Polonorũ Miecſlao ad id ſibi ſingulariter præbitũ, Pruthenico populo Euangelizare Chriſtum, & illos à cultura dæmonũ auertere, docens ea quæ colerẽt, ſolem, lunam, ſtellas, beſtias, ignem, quem perpetuum vocabant, & ſiluas creaturas veri Dei eſſe, & in illis permiſsione diuina ſpiritus dæmonum conſiſtere, & cultores ſuos ludificare. His & alijs pluribus Vir Dei vſus ſermonibus, loca magis inhabitata colebat, continuò plantationi fidei & prædicationi Sanctæ inſiſtens, ſuperantem flumen Oſſa, & remitti ſibi naulum & ſocijs ob egeſtatem deprecanti, à remige grauem in caput ictum excepit & in glorificatione Domini, qui ſibi aliquid pro ſuo nomine pati tribuiſſet, inde ſoluit, oſtẽdens exemplũ, quia nihil terribile eſt vbi diligitur Deus, nihil graue & acerbum, per quod ab errore ad fidẽ reducitur proximus. Et licet videret Pruthenicum populum ad ea quæ annunciabat obſtinatũ difficulter domabilem eſſe, de Dei tamen pietate quæ ſibi prædicandi gentibus nomen ſuum donum conceſſerat, non deſperans, pluraſq; iniurias & opprobria perferens, adeo vt ſæpè domo & tectis excluſus, ſub dio frigore & pluuia laceſsitus, cogeretur hoſpitari, mira perſeuerantia patientiaque cæptum prædicationis officiũ diligentiſsimè proſequebatur. Prutheni autem moleſtè ferentes Deorum ſuorum contaminationem & vituperium, quorum cultum & ritum à maioribus ſuſceptum iniquo animo dolebant confutari & reſcindi, ſummo Sacrorum Antiſtite Kriue dicto, & alijs Sacerdotibus, idolorum Primores Pruthenorum animantibus in necem ſuã conſpirant. Cum itaq; Vir Dei vniuerſa ferè Pruſsia diſſeminando verbũ vitæ peragrata ad vicum in littore Oceani propè Oppidum, cui nomen hactenus Felſchaus ſitum peruenitſet, & in colle petroſo vico impendenti, die Veneris, quæ fuit Nona Calend. Maij ageret Miſſarum ſolennia, & ſuppli-

cibus precibus pro conuerſione Pruthenica pietatem diuinã obſecratione & ſacrificio imploraret, Prutheni conueniunt, & credentes illum incantationibus

tionibus in Deorum ſuorum pernicie, vi in ipſum inſiliunt, & pluribus quaſſatum ſciſumq; ictibus & ſæpius confoſſum, caput à corpore abſcindunt, & in quadam vicinã arbore, vt ampliori pateret contumeliæ, ſuſpendunt, quod per tres dies quibus habebatur oſtentui, diligenti ab aquila ſeruabatur tutabaturq; cuſtodia. Sic anima illa Sancta carnificis excruciata percuſsionibus, ad ſupernæ Maieſtatis Thronum, geminatam lauream percepturа, & ſempiterno æuo fruitura, Angelico obſequio comitata conſcendit, & Sanctus ipſe carnis vinculis abſolutus ad frugem tranſijt ſupernæ & immarceſsibilis voluptatis, corpus ſacrum, quod in plures partes ſciſſum, hoſpes Beati Viri in ſportam recollectũ ſeruauerat, Prutheni ne poſt mortem aliquibus per illud afficerẽtur incõmodis, ſub diligenti & ſecreta cuſtodia apud eundem, à quo mactabatur, Virum, abſcondunt, Comites verò B. Adalberti, videlicet Benedictum, Mathæum, Ioannem, Iſaac, Criſtinum, & Barnabam, iniurijs & plagis varijs affectos denunciantes eis mortem, ſi redire auderent, de Regione ſua ejjciunt & educunt. Habebant autem Prutheni barbari in ſuis ritibus & obſeruantijs hanc legem, vt mortuos ſuos igne cremarent, adiungendo funeri cremãdo magis ſplendidas veſtes, equos, arma, & quæcunq; meliora, exiſtimantes mortuũ ijs omnibus, quibuscum cremaretur, in vita altera vſurum, homicidium crudeli vltione damnando, reum atq; culpæ affinẽ capite expiabant, in hoſpites liberales & humani, ebrietati & bacho dediti, equino lacte, quod multipliciter inebriare conſueuit, vtebantur. Vini vſus apud illos tunc erat ignotus, adeò ebrietatis ſectatores, vt nullum ſe officium in amicum & hoſpitem credidерint contuliſſe, ſi ebrium illum non viderent, mulieres ac viri iuxta in ebrietatem prochues, vxorum nullus illis finitus numerus, ſed quot vnuſquiſque poterat emere, tot habebat, propter quod neq; in honore habebantur, ſed ancillarum & ſeruarum cogebantur explere officia, balneorũ quotidianus, tàm viris, quàm mulieribus vſus, quibus hesterнæ diei ebrietatem aſtruunt ex corporibus depelli, & vitã produci. Nemo mendicare permittitur affatim vnicuiq; eſurienti, in quãcunq; ſe domum contulerit, cibus miniſtratur.

Miecſlaus interim Polonorum Dux Prælatorum & Baronum Poloniæ ſedula admonitione & conſilio perſuaſus, vt ad Summum Pontificem Benedictum VII. nuncios mittat, & Coronam ſibi, & Polonorum Regionibus dari petat. Ea enim tunc opulentia frequentiaq; tàm hominum, quàm diuitiarum in Poloniæ Prouincijs & iuſtitia Ducis Miecſlai habebatur, vt digna Polonia viſa ſit, quæ ad numerum Catholicorum Regnorum accederet. Ad hanc autem tàm arduam rem obeundam expediendamque, Pontifex Cracouienſ. Lampertus Vir doctrina & eloquentia ſpectabilis, electus eſt: Qui cùm ad Summum Pontificem Benedictum Papam peruenitſet, & diſertè grauiterq; Ducis Miecſlai, & Polonorum mandata exponens, petijſſet, vt Duci Miecſlao & Poloniæ Regionibus pro maiori fidei S. Catholicæ per eos ſuſceptæ, quam mirum in modum per fundationem nouem Cathedralium Eccleſiarum, aliorumq; ſacrorum locorum deducebat germinaſſe

corrobo-

corroboratione, pro infidelium quoq; & Schismaticarum nationum Poloniæ vicinarum reductione & exterminio daret coronam, deducens Miecslaum Ducem Poloniæ verum Catholicum, religionisq; Christianæ feruentissimum Zelatorem, attestantibus id operibus existere, in armis actibusque militaribus strenuum & ingenuum, multarum gentium copia gloriosum. Cùm autem Summus Pontifex Benedictus VII. communicato Cardinalium consilio, Coronam Miecslao Polonorum Duci pro incremento & dilatatione fidei Catholicæ, & gloria gentis Polonorum se benignitate paterna daturum, Lamperto Cracouiensi Episcopo respondisset, Ducis Hungarorum Stephani Germani ex sorore Adleida Ducis Polonorum Miecslai Nepotis, qui eodem anno genitore Geisæ mortuo Hungariæ Ducatum regendum susceperat, Nuncius Austriacus Cænobij S. Benedicti Ordinis ad radicem montis ferrei Abbas, & post in Strigoniensē Archiepiscopū promotus, licet per anticipationem Strigonien. Archiepiscopus inscribatur in annalibus, Romam aduenit, & pro Duce suo Stephano Hungariæ coronam petere à Summo Pontifice cepit. Et licet Benedictus Papa dispositus fuerit, vtriq; Duci Hungarorum, videlicet & Polonorum dare coronam, intelligens largitionem coronæ pro vtroq; nulli esse præiudicialem, & magnū rebus fidei religionisq; Christianæ profectum posse adferre. Interim tamen fertur Benedictus Papa Angelica visione admonitus esse, quatenus promissum pro Duce Polonorum Miecslao Episcopo Cracouiensi Lamperto factum rescinderet, & Duci tantummodo Hungariæ Stephano, eiusq; nuncio Austriaco coronam conferret, subinferens Polonos magis sanguini, cædi, & venationibus quàm deuotioni, & misericordiæ operibus: magis oppressioni subditorum & rapinis, magis mendacio & dolis, quàm veritati deditos & intentos esse, maiorem illos agere belluarum & canum, quàm hominum curam, in effusionemq; sanguinis humani procliues, nondū dignos existere, quibus corona hactenus debeatur conferri. In proximo autem si erit Deus gentī illi placatus, miserebor, & coronam, quam nunc ei denego glorificabo exaltaboq; illam, extant enim in ea gente plura hominum millia in lege mea incendentium sine offensa, quorum meritò & supplicationē cæteris miserebor, sed neq; multorum bonorum operum in plurimarum erectione, dotationeq; Ecclesiarum, cæteroq; quibus ab ea veneror cultu, potero obliuisci. Huiusmodi itaq; visione Benedictus Papa permotus, coronam quam Duci Miecslao præparauerat, Duci Stephano Hungariæ tradendam Austriaco suo nuncio largitur. Lampertum autem Cracouien. Episcopum licet tristem & lugubrem in Poloniam remittens: bene sperare iussit, asserens non longo tempore decurso Ducem Polonosque, postquam sordes spurcitiasq; scelerum quibus hactenus displicuerant Deo, abiecerint, & exercitati virtutibus colendo iusticiam & æquitatem studuerint, Dei benignitatem, pro votis suis se largissimè consequuturos. Veritus autem Benedictus Apostolicus; ne occasione coro-

næ Duci Stephano Hungariæ datæ, Duci verò Poloniæ Miecslao negatæ, inter Auunculum & Nepotem Hungarorum & Polonorum Duces prædictos execranda bella, & guerrarum motus consurgerent, vocato vtroque Nuncio, hortatur, commonet, & mandat, vt pacem & charitatem affinitatis vicinitatisq; iure contractam indissolubilem obseruent, custodiant, & nullo respectu, aut occasione, labefactari permittant, per vtrum steterit, quo minus pax seruaretur, eum se anathematis censura censuraturum. Habet autem nonnullorum assertio, quòd summus Pontifex non Angelica visione permotus, sed ex certitudine, qua doctus erat, Miecslaum Poloniæ Ducem obijsse, coronam illi non dederit, quod & ego in Polonorum aliquibus Annalibus memini me legisse, sed apparitionem Angelicam ab Hungaris, quo coronæ missio eis à Benedicto Papa facta foret celebrior, confictam & somniatam esse, quam etiam in hanc diem parum iusta appellatione Sanctam vocant, cùm nullum metallum possit in se includere sanctitatem, nisi vsurpatam vel ementitam.

Vastatis eo Anno Dux Russiæ Caruatis, infertur illi à Polonis bellum, contra quos egressus ad fluuium Rubiessa eos offendit, cumq; fluuio impediente periculosam sibi vterq; exercitus dimicationem censeret. Vir altus & raræ fortitudinis de Castris Pieczyngorum egressus prouocabat Rutenos, vt alium darent ad pugnam, tribus annis, si vinceretur, vastationem suæ terræ perpessurum. Vnus itaq; ex Rutenis, qui domi remanserat, adductas id munus suscepit, quem pro deuicto vtroq; exercitu inspectante, eò, quod statura mediocris esset, Pieczyngus despexit. Inito tandem certamine vincit Rutenus Pieczyngum, & continuò exercitus Pieczyngorum fugit. Quem Ruthenus prosequutus multos occidit aut cæpit. Wladimirus illic Castrum Beressaw erexit, eò, quòd Vir qui vicerat ex Beressaw oriundus esset.

ANNO Domini 998. Septimo Idus Februarij Boleslaus Dux pius vocatus Germanus Ducissæ Dambrowcæ Poloniæ moritur, vnicum filium Boleslaum, alter enim Venceslaus immatura morte absumptus erat, reliquit, qui Patri in Ducatu Bohemiæ successit. Grauiter & molesto animo ferens Polonorum Dux Miecslaus Bohemiæ Ducatum post mortem Boleslai Pij Ducis auaritia Baronum distractum & vsurpatum iri Boleslao consanguineo suo solo nomine Principanti compatiens, congesto forti exercitu, habens in suo comitatu Boleslaum filium suum Poloniæ Ducem, Bohemiam ingreditur, & cæteris Ciuitatibus cum honore illum excipientibus, eiusq; ordinationibus & iussionibus parentibus, sola Praga portas claudit, Imperium eius abnuitura. Tùm Miecislaus illam aggressus expugnat, & in suam redigit ditionem, impositoq;, tàm Arci, quàm Ciuitati, præsidio, & ordinato rerum Bohemicarum statu, alacer, victor, & incolumis in Poloniam reuertitur.

Irruentibus eo Anno Pieczyngis in terram Russiæ, & eam vehementer cæde & igne vastantibus, Wladimirus Russiæ Dux cum suarum gentium co-

um copijs occurrit illis, & ingenti cæde vtrinq; edita, contritus est Wladimirus, & exercitus eius à Pieczyngis. Et cadentibus plurimis, affugit Wladimirus, prosequentibusq; illum Pieczyngis, ne in illorum manus viuus incideret, sub pontem, qui fugienti occurrerat, se abscondit. Cuius beneficio vsus hostes se insequentes fefellit, Pieczyngi autem spolijs & Czestris Rutenorum potiti, prædata Russiæ terra, in Regiones suas captiuos & pecora, cæteramq; prædam deducunt. Post quorum discessum, Wladimirus Russiæ Dux in signum suæ euasionis Ecclesiam transfigurationis in Kiow ædificat, & dotat. Eo quidem festo iuxta Græcorum ritum, clades illa & sua euasio contigerat. Duo viri ea tempestate insignes, vita & exemplo ac conuersatione (Swyrardus, qui ad fluuium Dunaiec prope Oppidum Czechow in Crac: Diœc: Heremita sub rupe, quam in hanc diem cernimus, habitabat) floruerũt, & in qua per annos plures Christo militauerat, & Benedictus, Anachoriticam vitam ambo ducentes, è Polonia egressi intrauerunt Pannonias, & in Cœnobio S. Benedicti ad radicem montis ferrei, sub Abbate Austerico militantes, Swyrardus & Zorardus confessoris decus asperitate vitæ promeruit, Benedictus sanguine fuso Laureola Martyrij coronatus.

ANNO Domini 999. Miecslaus Polonorum Dux cum Annos plures in Principatu egisset, & fidem Christianam cum Dambrowká consorte sua, filia Ducis Bohemiæ, primus in Polonia plantasset, multarumq; Ecclesiarum Cathedralium & Parochialium fundator, cæterorumq; piorum actuum deuotus patrator extiterat, religiosè & Catholicè perceptis ritu Christiano Sacramentis, mortuus, & in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi sepultus. Cuius funeri, tàm à filio suo illustri Boleslao, quàm à Prælatis & Baronibus eius decessum magnoperè deplangentibus, singula iusto debitoque honore persoluta sunt. Post expletas autem funebrias Boleslaus filius vnicus triginta habens annos duosq; cuius optima indoles in militaribus rebus iam dudum in multis & heroicis actibus resplenduerat, & qui in ea ætate viguisse tàm insigni modestia notatus est, vt iam appareret plura illum experimentis reseruasse, quàm tempore transacto præstitisse. Fauore Prælatorum & Baronorum Poloniæ, & miranda omnium vociferatione, acclamatione, & consensu in locum Patris sufficitur, & Principatus Regni Poloniæ, sibi gubernandus committitur. Erat enim corporis elegantia venustissimus, mentis industria prudentissimus, animi magnitudine fortissimus, ad disponendum negotia, tàm priuata, quàm publica discretissimus, eo nimirum pollens profectu, vt suam, populiq; sui gloriam, continuis diffunderet augeretq;, decoribus, in Ecclesias, & ministros Dei munificus, in milites beneficus, & in cæteros ordines liberalis. Quibus rebus tanta singulos deuinxerat charitate, vt vitæ illius, iuxta ac suæ, timerent. Curiam, denique suam, non solùm militum & Baronum præcipuorum, sed & libertorum, quos à seruitute dissoluerat, numero habebat stipatam & ornatam, tantaque refertam frequentia, vt à specie iusti exercitus parum differat.

Cuius fretus robore facile quosq; hostiles insultus reprimebat acri vir ingenio, consilio & virtute præclarus, iusionum suarum seueritatem liberalitate & blandicijs, quasi quodã validissimo temperamento condecorans, non ad fortunæ nutum, sed ad virtutis normam singula Reipublicæ administrans negotia, cui natura magnificam, præstantemq; personam cæteros mortales excedentem donauerat. Benignissimè fouens virtutes, vitia verò seueriſsimè vindicans. Erat autem Boleslao Duci Poloniæ præfato ingenium facilè ad omnia quæcunq; agere vellet accomodatum, & versatile, loco, personæ, & tempori congruens, qui didicerat omnis conuenientiæ rationem singularem, vt ad omne, quod siue pace, siue bello agendum emergeret, artibus optimè affectus, instructusq; censeretur, robore, sanitate, integritate sensuum, facundia, opibus, liberalitate, claritate gloriæ vigens, & cæteris idgenus ornamentis gloriæ auidus, & notam ignominiæ metuens. Morte autem Miecslai Polonorum Ducis in Regionibus, quæ sibi parebant vulgata, nouem omnes Ecclesiæ Cathedrales ab ipso fundatæ & dotatæ, certatim illi funebria, Pompa solenni peregerunt, agendasq; à se & suis successoribus Pontificibus ipsarum Ecclesiarum quotannis instituerunt, rectissimè quidem, vt mihi videtur, & dignè, vt pote Principi & Primario suo fundatori, à quo illis & cuilibet choro per liberalem dotationẽ perpetuo in hanc diem vigens, commendatus est spiritus.

Beato Viro Adalberto Gnesnẽ: Archiepiscopo, ad prædicandã fidem Christi in Prussiam profecto, Beatus Gaudentius, qui alio nomine Radzin vocabatur, frater germanus Beati Adalberti secundum carnem Gneznẽsem Cathedram à Beato Adalberto viuo suffectus suscepit, genere Bohemus, & nobilitate clarus, eisdem parentibus quibus Beatus Alalbertus, Slawniko & Strzelislawa ortus de domo Rozæ, & ea familia, quæ se Porai nuncupat, Rozam rubeam pro insigni deferens.

ANNO Domini 1000. Sentientes Pruteni glorioſum Christi Martyrẽ Adalbertũ Illustriſ: Principi Polonorũ Boleslao tàm in vita quàm morte charissimũ fuisse, & pro eius habẽdo corpore, & in Poloniam transferendo sollicitum esse, tanta enim ipse Princeps Boleslaus erga Sanctum Dei æstuabat affectione, vt nisi Pruteni corpus suum pacto aliquo vel pacis via redderent, decreuerat illos indicto bello grauius quo posit, donec suum sacrum corpus redderent, lacessere. Mittunt ad Boleslaum Principẽ Nuncios, qui superba legatione vsi hæc verba faciunt. Deum tuum Adalbertum quem interfecimus tibi cordi audimus esse. Pro quo habendo suo corpore sollicitum te esse, vt etiam nos armis impetere, & bellum nobis inferre coneris, armis quidem Dei tui corpus obtinere non poteris, ignotum tibi & pluribus inuio obrutum loco: Verum si illud habere desideras, argento opus est nõ ferro, dare tibi illud offerimus, si precium argenti, quod appenderit, te consenseris soluturum. Boleslaus autem Polonorum Princeps, & si molesto acerboq; animo legatorum arogantem denunciationem

audiret: ingentis tamen ſpiritus ſui feruore compreſſo, in tempus aliud factum Prutenicum caſtigandum reſeruans, modeſtius quam ferebat natura ſua, quo facilius in poſſeſsionem corporis Sancti peruenire poſſet, Legatis Pruthenorum pro tempore reſpondet, offerens ſe conditionem per eos oblatam impleturum. Ex pacto itaq; inter Boleſlaum poloniæ Ducem, & Nuncios Prutenorum inito, mittuntur per Boleſlaum Eccleſiaſtici & milites in Pruſsiam Viri, ſufficientemq; copiam argenti ex theſauro Ducis magna liberalitate præſtitam ſecum ferunt. Quo cùm peruenissent, & iurata pacta Primores Prutenorum, qui ad huiuſmodi rem expediendam conuenerant, corpus Sanctum miram ſpirantem odoris fragrantiam de loco abdito attuliſſent. Primùm an illud ſit per Polonos recognoſcitur, deinde ex vulneribus recentem teſtantibus cædem, alijſque euidentibus ſignis recognitum collocatur in ſtatera, & argentum per Ducem Boleſlaum miſſum appenditur apud Vrbem Romoue Pruthenorum Metropolim in tale leuitatis impendulum operante diuinitatecorpus illud Sacrum, quod dùm viueret Spiritus ſancti organum, habitaculumque cenſebatur verſum eſt, vt pænè nullum pondus habens argenti, exiguiſsimæ reſponderet articulo libræ. Omnibus autem tàm Polonis, quàm Prutenis magno ſtupore repletis, in laudem Maieſtatis diuinæ pro præſtito miraculo & beneficio Poloni ora reſoluunt, & cum omni honore deuotione neq; Eccleſiaſtici viri corpus Beati Adalberti de ſtatera leuãt,& in capſam pulcherimi operis pro hominum vſu & neceſsitate ſecum allatam recondunt, ac ferè vniuerſum argentum, quod pro appendendo Sacro corpore attulerant, in ſcrinio referunt, non ſine Prutenorum magno cruciatu, & qui theſauro viſo & allato ſe fruſtratos mentis anxietate, ingeminationes verborum præmebantur. Non audebant autem Pruteni concluſa pacta, quamuis aliquorum illis ſuaderet improbitas, retractare, ne & à ſuperna Maieſtate Dei, cuius mirandam potentiam in appendendo Sacro corpore experta, habuerant pœnam, & iuſto bello pró temeritatis pactis vltro oblatis per Boleſlaum Ducem, & gentem Polonorum vexatum eos iri contigeret. Accepto itaque Nuncij Polonorum in Pruſsia ſancto Dei corpore Adalberti, illud cum debita ſolennitate, reuerentia, atq; honore in Poloniam deferunt, plaudentibus & exultantibus populis Polonorum, & gregatim cum cæreis accenſis Sancto corpori occurentibus, per quorum poſſeſſiones rura atq; vicinia ferri illud contingebat. Dùm autem Boleſlaus Polonorum Dux cum denunciantibus Nuncijs in Pruſsiam miſsis cognouiſſet omnem ordinem & modum, qui in appendendo corpore Beati Martyris Adalberti diuino numine habitus eſt, & qualiter videlicet corpus Beatum modicum, imò pænè nullum cauſaſſet pondus in ſtatera, & quod Nuncij ſui iam illud intra fines Regni ſui cum omni ſecuritate detuliſſent, vehementi exhilaratus gaudio, in laudem Saluatoris, qui ſibi & Polonis tàm mirifica præſtitiſſet, beneficia, prorupit: deinde omnibus Pontificibus, Eccleſiaſticis quoq; & ſecularibus viris accerſitis, in grandi & numeroſa mul-

titudine

titudine omnium ſtatuum & Ordinum Sancto corpori obuiam proceſsit, & dùm illud offendiſſet proſternitur cum Clero populo & vniuerſo comitatu; deinde laudes concinendo, corde & ore excepit, & illud in Cœnobium Trzemeſzno ordinis Canonicorum Regularium Beati Auguſtini, quod Pater ſuus Mieeſlaus Polonorum Princeps in primordio adſumptæ fidei fundauerat, & mirifica largitate dotauerat, differens, illic collocauit: deinde modici temporis interuallo elapſo volens S. Adalberti corpus amplius honorare. Congregatis magis Pontificum Eccleſiaſticorumq; & ſecularium virorum multitudine, corpus ſacrum ex Trzemeſno in Gneſnam Ciuitatem ea tempeſtate florentem & populoſam cum magna ſolennitate & pompa 13. Calend. Nouembris deduxit, & in Eccleſia Metropolitana Gneſneñ. cuius Sanctus ipſe aliquanto tempore erat Archiepiſcopus, honore excellenti collocauit. Pluribus poſt diebus ſequentibus Gneſnæ in memoriam tanti beneficij feſtos dies egit, largiſsimas elemoſinas egenis diſtribuens, & vniuerſis pro neceſsitatibus ſuis illum interpellantibus munificum & gratioſum ſe demonſtrans. Corpore autem Sancti Dei Viri Adalberti Gneinam tranſlato frequenti & aſsidua cepit Vir Dei miraculorum operatione clareſcere, & in varijs languoribus ſupplicibus ſuis magnificus adiutor exiſtere, propter quæ non ſolùm ex Polonia, ſed ex remotiſsimis Germanorum, Pannoniorumq; finibus ad Tumbam corporis S. populorũ cateruatim eam adeuntium, ſanctitatiſq; ſolatia recipientium, cepit eſſe frequentia & concurſus miraculorum ab ipſo patratorum ſeriem huic operi non inſeruimus, cò quod in pluribus libris habentur, deſcripta. Multa prodigia is Annus habuit, & inprimis terræ motum apud Polonos, in Regione enim Polonorum Cometes 19. Calend. Ianuarij apparuit, qui cœlo aperto quaſi facula ardens & facem in longum protendens adeò ſplendore ſuo cunctos perterruit, vt non hi tantum qui in agris, ſed etiam qui in tectis erant; quaſi quodam fulmine ferirentur.

Mortuo Benedicto qui ſedit Annis octo, menſibus ſex, & ſecundum alios annis decem ceſſauit Epiſcopatus diebus quinq;, & apud Eccleſiam S. Petri ſepultus. Ioannes XV. qui & Papieñ. primus Epiſcopus ſuccedens, tenuit Cathedram menſibus octo, & in Caſtro Angeli per quatuor Menſes fame affligtus, mortuus, & in Vaticano ſepultus. Ioannem natione Romanum Virum eruditiſsimum, & qui nonnullos libros compoſuit, habuit ſucceſſorem, qui paruo tempore videlicet Menſibus quatuor ſuperuixit, & alium Ioannem habuit ſucceſſorem natione Romanum. Hunc creſcentius Fabricius Pater Bonifacij Septimi in tantum afflixit, vt ex Vrbe eggreſſus pro Imperatore Ottone ſecundo, vt Vrbem veniret, Nuncios miſit. Quod audientes Romani ipſum reuocant, & vſq; ad terram proſtrati, veniam petunt & obtinent, ſedit Annis decem, Menſibus decem, diebus ſex, & Romæ moritur.

Ioanne XV. Papa abſumpto Gregorius V. natione Saxo ad inſtantiam Ottonis tertij Imperatoris, cuius erat conſanguineus in Papam aſſumitur.

Hic ante Bruno dicebatur Vir venerabilis & ſpectatæ virtutis. Imperatore autem Ottone ab vrbe diſcedente, Placentinus intruditur à Creſcentio propter pecuniam,& Ioannes XVI vocatur. Ob quod Schyſma Imperator Romam reuerſus. Creſcentinum capite truncat, Ioannem verò AntiPapam exoculari, & in pluribus membris mutilari fecit, nihil eum iuuantibus Ducatibus ſuis,& reddita eſt pax Eccleſiæ. Et nota, quod iſte Gregorius cum Ottone III. Electores Imperij ordinauit, & inſtituit,qui deinceps permanſerunt vſq; nunc. Nec potuerant Franci,aut Itali illam ordinationem, non propter aliquam culpam Saxonum, ſed ad præcauendum pericula futurorum factam, retractare. Vnde verſus Moguntineñ, Treuereñ, Coloniеñ, quilibet Imperij ſit Cancellarius horum. Et Palatinus Dapifer. Dux portitor enſis,Marchio Præpoſitus Cameræ. Pincerna Bohemus. Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſæcula ſummum. Verùm vt quidam dicunt hac occaſione Aquila multas pennas amiſit, & in fine totaliter denudabitur.

ANNO Domini 1001. Miraculis ſingularibus & ſtupendis,quæ clementia Saluatoris per merita S. Adalberti Gneſneñ Archiepiſcopi operata eſt, & in plures oras longè lateq; diffundentibus Otto Tertius Imperator Romanorum æger, & ſuo inſtinctu & aliorum familiarium ſuorum auſamento permotus Sanctum Dei Adalbertum pro ſua liberatione cæpit ſolicitè inuocare, vouenſq; votum Domino, promiſit eius ſepulchrum perſonaliter adire,ſi illum contigeret priori reſtitui ſanitati, mirum in modum facto voto, ab ea, qua detinebatur infirmitate, ſenſit ſe perfectè ad inuocationem S. Adalberti liberatum. Voto itaq; ſuo ſatisfacturus ad corpus Sacrum digna Sancto munera oblaturus, in Poloniam verſus ſtipatus multitudine Principum & militum procedebat, ſimul, & vt votum ſuum perſolueret, & Ducis Boleſlai perſonam, quàm vniuerſorum fama magnis celebrabat laudibus, videret. Conſtabat quoq; illum non ſolum pro viſendo corpore Beati Adalberti Poloniam profectum fuiſſe,ſed etiam Boleſlai Ducis Polonorum fama pertractum. Cuius aduentum Boleſlaus Polonorum Dux plurimorum denunciatione præſentiens, ſingularum rerum, quibus tàm Magnificus hoſpes & eius exercitus excipi, procurariq; poſſet, inſtituit apparatum, & venienti Imperatori ad fines Poloniæ, eum cum omni excepit reuerentia & honore. In finibus autem ſuis exceptum omnibus neceſſarijs, tàm ipſum, quàm omnes ſuos milites abundè & liberaliter procurat, & per loca directiora vſq; ad Poſnaniam deducit. Et quoniam Otto Imperator in conditione voti ſui habebat ſeptem miliaribus ad corpus ſancti Adalberti pedeſtrè iter conficere, ex Poſnania (tanto enim ſpatio iter inter medium verſus Gneſnam protenditur) ire decreuit, quare ad noticiam Boleſlai perlata, quo omnem poſsibilem ſibi honorem Imperatori exhiberet, omne iter à Poſnania vſq; Gneſnam variorum pannorum coloribus per quod Imperator Otto tranſiturus erat conſterni diſpoſuit, vt ingradiendo Imperator cum militibus nullibi terram contingeret. Verùm etſi Im-

peratori Imperator huiuſmodi officio aliquantulum ſe non indigere, & magis ſibi oneri, quàm honori eſſe ſignificaſſet,Boleſlai tamen precibus deuictus, & ne deuotionem ſuam affectionemq; repudiatam iri quæri poſſet,voto illius acquieuit, & Boleſlao eum pedeſtri ſimul itinere cum ſuis militibus aſſociante Gneſnam peruenit, vbi ab Archiepiſcopo Gaudentio, cæteriſq; Epiſcopis, Prælatis, & Baronibus matroniſq; Nobilibus & virginibus,filiabuſq; earum, quas Dux Polonorum feſtinanter pro excipiendo Imperatore conuenire mandauerat, cum magna ſuſcipitur reuerentia, deuotione & honore, quos etiam Imperator ipſe pro ſua affabilitate benignè ſuſcipiebat, iamq; tunc varios apparatus & cultus diuerſorum ordinum,matronarumq; & fæminarum Nobilium, variam ex auro gemmiſq; & lapidibus, vnionibus precioſis, ſupellectilem ſuperbam, quibus in occurſum eius ornati, onuſtiq; deſcenderant, cepit animo & cogitatione non ſine quadam admiratione metiri, ſingulaſq; & verè Regias in Boleſlao Duce dudum apud ſe fama vulgata recognoſcere virtutes,quanta videlicet celeritate conficeret illa negotia,qua polleret induſtria,quem laborem accomodaret negotijs, quam fortitudinem periculis, & quale conſilium in prouidendo vniuerſis, rara inſuper & ſingularis dexteritas, & humanitas, quam de ſe tũc vulgatius, quàm alias monſtrauerat, faciebant illum tàm Cæſari,quàm ſuis omnibus chariorem. Tantos inſuper apparatus, tantam auri, gemmarum, purpuræ,& vnionum ſupellectilem, tot militum ordines & cateruas oſtendens, quantas, & quantam nunquam fuerat arbitratus, videns inſuper Boleſlai egregia & magnifica facinora, non iam auribus, ſed vultu, fronte, & oculis perſpecta, maiori admiratione ex conſpectu & præſentia magnis nominibus inimica, quàm ex fama,quoniam Princeps ſolertiſsimus atq; induſtrius ad faciendum quodcunq; niteretur, manu promptus & lingua eſſet excellens.

Imperator itaq; Romanorum Otto Tertius in Ciuitatem Gneſneñ perueniens Eccleſiam maiorem ingreſſus ad corpus S. Adalberti ſe proſternens, cum magna deuotione gratias Deo egit, & S. Adalberto de ſua ad bonam valetudinem reſtitutione. Ad ſepulchrum quoq; ſuum digna Imperatore munera in auro & argento obtulit, per dieſq; aliquot Gneſnæ deuotionem ſuam, quam ad Sanctum Dei habuit explendo permanſit. Curam autem Boleſlaus Dux ad hoc vnum verterat, intenderatq;, vt tàm Imperatorem Ottonem, quàm omnes qui cum illo venerant Optimates, Barones & milites, non ſolùm vberrima victualium omnium procuraret adminiſtratione, ſed inſuper excellentium donorum, cæterorumq; humanitatis officiorum honoraret largitione, proferebantur itaq; ſingulis diebus Imperatori & Baronibus ſuis noua munera diuerſis gradibus & miniſtrorũ Ordinibus variata,& hi quidem ferebant vaſa aurea, alij argentea,alij gemmas, alij monilia, cæteri aut equos inſignes,aut peregrinas nobileſq; pelles, aut argento auroq; oſtro & purpura ſuperbas veſtes. Imperator autem Otto apud quem nomen Boleſlai Ducis dudum fama vulgatum perceleberat,&

erat, & cuius rei experiendæ gratia Poloniam ingredi aliquanto tempore cupiebat, tot honoribus, tot donis, & officijs à Boleslao se victum, magis quàm tractatum apud se & suorum consocios secretorum querebatur, præsentiaq; Boleslai, quod rariusculè contingit maior apud illum habebatur quàm fama, propter quod Imperator & Optimates sui, de fortibus factis, & prudentia, industria, factiuitate, liberalitate, cæterisq; Imperatorijs actibus celebratum, oculos conuerterant. Videns insuper virtutes Boleslai diffusas, famaq; ampliores, naturalem quoq; prudentiam cum industria coniunctam, videns singularem prudentiam & ingenium ad res diuersissimas parandas & imperandas admiranda tàm factiuitate quàm prouidentia refertum, militum quoq; & populorum suorum numerosam frequentiam, & qui illi inæstimabili obedientia & amore parebant. Considerans insuper singulorum militum, & ministrorum ordinem vniformem in executione eorũ, quæ mandabantur per prouinciam teneri. Et cum indolem animi ingenijq; eius maiorem multò, quàm fama detulerat, raraq; inter Principes gerere virtutis specimen, deprehendisset, ad incrementa gloriæ suæ, decus diadematis Regij illi adijcere in animum inducit. Conuocatisque optimatibus, & Consiliarijs suis fertur stuporem animi sui super operibus Boleslai tàm insignibus ceptum, quàm diu celatum animo gestauerat publicasse. Nihil inquit fama quæ de Polonorum Principe Boleslao ad nos vsq; detulerat, mentita est, quinimo maiora subtraxerat, plurima sepelierat, quàm prodiderat, neq; ea quæ experimur, quæq; coram metimur & videmus ad liquidum produxerat singula operum suorum & virtutum præconia, tenaciter, inuidè & raucè diffundens. Multò enim minor erat, quàm in præsentia conspicio. Adeò eum prudentia, fortitudine, magnanimitate, iustitia, clementia, liberalitate, fide, integritate, cæterisq; animi Regij virtutibus experimur indies relucere, vt meritó sublimibus posteris clarissimum exemplar proponi possit. Turpe itaq;, imò scelus magnum & grande reor, si virtantus, & tàm nostræ personæ, quàm Imperij nostri amicissimus, sub sola Ducalis tituli modestia delitescat, & non potius in Regalis culminis euehatur fastigium, quem & superiorem non ignoramus inter Duces, & quem prudentia Regi parem facit. Hunc itaq; nos si & vobis id bonum vtileq; videtur pro Dei honore fideiq; Sanctæ exaltatione & incremento, & barbararum nationum, quæ Polonorum Regioni vicinæ sunt exterminio, Regio dignaremur honore, hunc in plenitudinem potestatis nostræ assumere, & sceptra Regalis excellentiæ illi deliberauimus conferre, vt tot immensis honoribus & donis, quibus & nos & vos dicetim ab eo obruimur, saltem hac vicissitudine, dùm hactenus alia non licet respondeamus. Vniuersis autem Principibus. Optimatibus & Baronibus imperialibus, deliberationem & decretum Imperatoris certatim approbantibus, laudantibus, & extollentibus, & miris laudibus sermonibusque in Boleslai Ducis commendationem orasoluentibus, constanterq; asserentibus omnium bonarum artium, omniumq; excellentium virtutum in Boleslao culmẽ

consedisse. Imperator Otto ex thalamo egressus, cum Duce Boleslao in Gnesnen Ecclesiam pergit, vtrumq; comitante frequentia militum, & vtriusq; sexus in multitudine infinita. Vbi dum peruentum esset, mandat Imperator Otto Gaudentio Gnesnen Archiepiscopo, cæterisq; Episcopis Poloniæ, Boleslaum in Regem Poloniæ sacro Chrismate inungi, & singula, quæ in Regum Coronationibus & Vnctionibus fieri solita sunt, cũ orationibus & obsecrationibus consuetis iusto ordine persolui. Quo expleto, in sellam eminentiorem, ex qua ab omni circumstanti turba videri posset, Imperator Otto Boleslaum perducit, & Diademate nobili, quod tunc in capite gestabat, ex vertice suo deposito, caput eius coronat & insignit, constituens & decernens eum, & quemlibet eius posterum, & successorem Polonorum Regem, & Imperij Romanorum socium & amicum, subijciens sibi, & Regno suo omnes Polonorum Regiones nationesq;, donans verò singulos Principatus, terras, & districtus per eum, & successores suos Reges Poloniæ sub barbarorum infidelibus, & schismaticis nationibus acquisitas, & in posterum munere & suffragio diuino acquirendas. Aquilam verò candidam sibi, & vniuerso Regno Poloniæ, pro perpetuo largitur insigni. Et quemadmodum Romanum Imperium similiter insigne in atro colore differens nationes omnes censuratas habet subiectas, ita & ipse eodem insigni, in rubeo campo, de cætero vsurus, subiectas sibi facere non desistat: singulas Slauorum & barbarorum nationes hortans, & monens illum, quatenus pro fidei S. Catholicæ augmento & dilatatione, barbarorum exterminio, quam maiorem posset nauet operam, subditos in æquitate & iusticia dirigat, Ecclesiæ Dei sua iura, suamq; honestatem, ministrisq; illius obseruet, & in fide, ac amicitia sua Imperiali perseueret, ampliora, Dei, & Imperij, beneficia, pro suis operibus & virtutibus, tempore succedẽte, in se aut filijs, & Nepotibus, ac successoribus suis propitio Deo accepturus. Et quo donatio ipsa diuturnior esset, priuilegio Imperiali auream bullam habente, roborat & communit, Reges Regnumq; Poloniæ singularibus priuilegijs, libertatibus & prærogatiuis eximens, libertans, & extollens, & à sua, suorumq; successorum Imperatorum, Romana obedientia & subiectione perpetuo remittens & absoluens. Boleslaus autem Rex Poloniæ nouellus, modesta oratione super his, quæ eum admonuerat, respondens, & de his, quæ sibi præstiterat, gratias ingentes agens, impleturum se omnia pro posse cum Dei assistentia repromisit. In hunc itaq; modum Polonorum Respublica in Regum iura redacta est, & Boleslaus Polonorum Princeps, super omnes, generis Slauonici atq; linguæ Duces magnificatus, ad cuius cumulatam omni ex parte felicitatem, cum nihil, preter Regium Diadema, deesse videretur, etiam illud sibi diuina prouidentia est largita, propter hoc, & plurima alia decora apud genus suum, & linguam, aurea & argentea statua, & arcu triumphali in æuum glorificatus, quòd primus apud Polonos Regijs insignijs ornatus fuerit. Dies quoq; illa apud Polonos habita est celeberrima, varijs apparatibus in magnificentiam, honorem, & præsen-

tiam duorum Regum, & conferentis,& accipientis, coronam insignis. Ludorum quoq; magnificentia, & spectaculo mirificus, in quo Boleslaum Regem prædictum, summus Deus ad culmen Regni Poloniæ euexit, & in quo præclaro initio salutarem & optabilem Polonis vniuersis Diadematis Principatum auspicatus est. Claritatem Regij nominis & decoris Boleslaus videns sibi,& suis Regionibus, atq; Polonorum populis,diuinitate propitia,in fauore Imperatorio accessisse,intellexit sermonem Benedicti Papæ Septimi ad patris sui Miecslai nuncium Lampertum Crac: Episcopum expressum in omnibus adimpletum fuisse, & magno exhilaratus gaudio tribus sequentibus diebus delicatissimum conuiuium pro Cæsare Ottone,& vniuersis Principibus, Prælatis, & Baronibus suis mirifico apparatu instruxit,in quo gloriam sui nobilissimi, generosiq; animi, & diuitiarum suarum magnitudinem monstrauit.In illo si quidem triduo omnium ante se Principum liberalitatem adeò supergressus est, vt Cæsaris, suorumq; Optimatum animos,effusione magis donorum, quàm largitione in cunctos deuicit, vt & præsenti ætati, ipsi præsertim Cæsari,& suis, quendam stuporem induceret: futuræ verò posteritati incredibilitatem relinqueret. Omni siquidem die illius tridui noua vasa aurea & argentea, gemmis,lapidibusq; preciosis nitentia conuiuantium mensis inferebantur, quæ statim epulatione,prima die exacta, in vnum aceruum congesta, Cæsari pro dono præsentabantur, quod & in secundà die, deinde in tertia fuit per noua,& ponderis,precijq; altioris, vasa repetita. Cæsare verò tam munificis honorato muneribus, ad Principes, Prælatos,Barones,& familiares Cæsareos processit, & iuxta cuiuslibet conditionem, ordinem, & gradum, vnicuiq; munera distribuit,beneficium in Coronatione motu proprio per Imperatorem præstitum,admiranda cuncta liberalitate, recompensans. Edebantur autem per singulos dies in Cæsaris honorem, hastarum, chorearum, plausuumque,& aliorum variorum generum,ludi, & vniuersa Regia, nocte & interdiu, Musicorum concentu,& ludorum instauratione,concertabat. Quibus officijs tantum sui amoris infudit Cæsarianis omnibus, vt plus videatur meruisse,quàm accepisse, minorq; Regni collata potestas, quàm profusa in omnes comitas & largitas existimaretur.

Cæsar Otto Tertius,vt erat Vir nobilis & Illustris ingenij, turpe sibi, & suis ratus, si pro tot iteratis beneficijs, quæ in se,& suos,Boleslaus Polonorum Rex effuderat,nouo beneuolentiæ genere,non responderet cum suis. Aliquãto tempore deliberans, cum Boleslao Rege affinitatem iungit,& filio Polonorum Regis,cui nomen erat Auitum Miecslaus, & qui erat patri vnicus, Neptem suam Rixam filiam primogenitam Esonis, aliâs Gottfridi Comitis, Palatini Rheni ex sorore sua germana Mechtilde susceptã Principis,pro ea tempestate in sanguinis nobilitate,prudentiæ claritate,excellentissimi,solenniter desponsat in vxorem, & ad illustrandam amplius famam nominis, & gloriam Regni Polonici, præfato Miecslao Duci charo & nepoti Boleslai Regis pignori,consociat, vt,qui iam Regium decus contra-

xerat,

xerat, claritate Imperialis sanguinis amplius longiusq; fulgeret, stipulationesq; & promissiones publicæ,inter Cæsarem & Regem,vice natorum contrahuntur, & literarum inscriptione instruuntur. Maximum enim id, prout erat, censebat sui Imperij stabilimentum, si affinitate huiusmodi Almanorum & Polonorũ Regiones conglutinasset. Nec his Cæsar contentus,donat Boleslao vnum clauum de cruce, perforatione corporis Dominici nobilitatum, & S. Mauritij lanceam, cum hac adiectione verborum. Hunc inquit,clauum, quo nil preciosius, nil charius, nil iucundius, gratius,in omnia mea supellectili me habuisse,sed nec habiturum esse rebar,tibi amicissimo meo affini pro vexilo triumphali dono, designans te,tàm excellenti munere omnium in circuitu hostium, & barbararum præcipuè nationum magnificum triumphatorem. Neq; enim ampliſsima dona tua mihi, & meis, trinuta auro & argento, in quo te video satis opulentum esse, sed quod omnes gatas terrenas superat, clauo Domini rependo. Lanceam insuper S. Mauritij Thebanæ legionis Principis addo, qua in bello contra barbaras nationes tuo Regno vicinas, tantummodo vti te volo, propitio Deo, & S. Mauritio patrocinante,barbaricam potentiam contriturum. Boleslaus autem Polonorum Rex de affinitate tàm splendida ac illustri, & de muneribus excellentibus, & raris gratiarum condignam actionem effundens, Cæsari Beati Adalberti brachium condonat, cum magna gratitudine, & deuotione à Cæsare susceptum,simulq; tale Cæsari edit responsum. Cùm, inquit,dietim experior personam meam, populumq; meum,deinde prolem meam tibi curæ esse, conglorificatione mea, & populi mei non contentus, etiam filium meum in generum adoptasti. Clauo insuper Dominico, & B. Mauritij lancea Regium solium meum, in quo à te euectus sum,Triumphalibus insignijs, velut firmissimo robore,sanxisti, enitar pro viribus, vt tanto à te nobilitatus decore,factis potiùs,quàm verbis respondeam,& pro te, tuoq; Imperio, bella,ad quæ me per te accersiri contiget,prono,fideliq; animo geram, ne à quoquam vinci possem,officio gratitudinis certaturus. Acta autem hæc est Primi Regis Polonorum Boleslai coronatio,& Regum super Polonorum Regiones Vnctio, præsidente in Cathedra Petri Ioanne Papa Sedecimo.

Coronatione Primi Regis Polonorum Boleslai Otto Imperator peracta, & affinitate per Neptem suam Rixam contracta, onustus auro, & argento, donisq; multiplicibus Gnesna egreditur, magna lætitia exultans, & intrinseca exhilaratione ouans, quòd in Principem tàm liberalem & munificum Coronationis & affinitatis officia contulisset, & ipsum suum, & Imperij amicum effecisset. Comitabatur autem Imperatorem ad propria redeuntem Boleslaus Polonorum Rex vsq; ad terminos Regni, in singulis locis suæ ditioni subiectis,Imperatorem, & exercitum eius splendidè procurans & pertractans. In finibus autem Regni sui, Imperatori gratijs peractis,fœdere perpetuæ amicitiæ percusso,& varijs pollicitationibus firmato, valedicens,in Poloniam reuertitur. Imperator quoque Otto in Almaniam

tuam diuertens, sospes, & incolumis in Maideburg (ibi enim erat sua familiarior mansio) peruenit, & illustrem Virginem Rixam Neptem suam Nuncijs Boleslai Regis Polonorum qui eum ex Polonia comitabantur, & Patri Virginis Eroni Comiti Palatino magni precij attulerũt per Boleslaum missa munera cum dote tradit Poloniam deducendam. Qui illam cum plerisq; Almaniæ militibus, per Imperatorem & Patrem Virginis Comitem Palatinum Eronem adiunctis, in Regiam ad Gnesnam offerunt Virginem doctam literis, moribus conspicuam non secus forma & genere, quàm fœminea præstantem grauitate, dotisq; representant munera, & aulicæ domus ornamenta, rogant auunculi Patris & parentum nomine, vt illam in solacium fidelitatis societatis, & thori Miecslaus Dux filius Regius assumat, & dulcedine pertractet, suauissimam habiturus consortem, modestã, tractabilem, & morigeram. Boleslaus autem Rex prudenter attendens fauore diuino & humano consensu se assecutum culmen Regni, & Diadematis solium, multisq; Principibus orbis dignitatis Regiæ excellentia, & multifarijs alijs donis se prælatum iudicio, miscendo clementiam, iusticiam dilexit, communiuitq; & stabiliuit suum Imperium, & statu magnifico lababatur Principatus.

Potentiam Boleslai Polonorum Regis latissimè se diffundentem Wladimirus Ruthenorum Dux perhorrescens, & veritus, ne quandoq; in se, & terrarum suarum periculum recideret, mittit ad Boleslaum Polonorum Regem nuncios insignes, petens secũ, & terris suis iungi fœdus. Boleslaus autem amicitiam Ruthenicã intelligens Reipublicæ plurimũ conuenire, fœdus Wladimiro Rusiæ Duci concessit, & sub æquis conditionibus illud iecum iure iurando firmauit. Ex quo vtraq; terra maxima quiete annis pluribus floruit, & quieuit.

ANNO Domini 1002. Excellentiam, qua Cæsareo fauore Boleslaus Polonorum Rex, & Dominia sua, in donatione Regij Diadematis Clauj Dominici & lanceę S. Mauritij fuerant illustrata & insignita, vicinarum Regionum, mox inuidiæ liuor excepit. Bohemorum tamen pectora labe illa, vltra cæteras nationes, abundantia, altior de Boleslai & Polonorum felicibus successibus cruciatus inuasit, qui permolestè ferebant sublimitatem Regij culminis, prius Regioni Polonicæ, quàm suæ Bohemicæ accessisse. Regebat pro eo tempore Bohemicum Principatum, Boleslaus Tertius, Sæuus etenim Boleslaus S. Venceslai Germanus & occisor, cuius filia Dambrowka fœmina nobilis & deuota Boleslaum Primum Regem Polonorum Miecslao, vt in superioribus narauimus, ediderat, duos filios, moriens, reliquit. Vnum Boleslaum qui annis pluribus Ducatum Bohemiæ modestè & clementer regens, Pij Boleslai adeptus est cognomen. Alterum Straciquas, in cuius Baptisterij conuiuio occisio S. Venceslai fuit secuta, & ex euentu tàm improbæ necis, nomen illi aptatum Straciquas, quod sonat perdens fermentum. Qui in Ratispona in Monasterio Sancti Emerani Ordinis Sancti Benedicti ordinem ingressus, paternum scelus Monachico habi-

tu ex-

tu expiabat. Quem etsi Beatus Adalbertus quodam tempore Pragæ offensum rogasset, vt ei in Cathedram Pragen succederet, feliciter eum, Germani fratris suffragio, impia enormiaq; Bohemorum scelera rescisurum. Et ille tunc abnuens, post tamen, quod & vir Sanctus Dei Adalbertus ei abnuenti, & ostio in ouile ingredi detrectanti futurum euenire prædixerat ambitione, quam aliàs detestari videbatur incensus, exulante B. Adalberto, Pragen: Ecclesiam sibi, per fratris sui Boleslai intercessionem, ab Imperatore Ottone Tertio dari obtinuit. Qui cùm de mandato Cæsareo per Moguntinen Archiepiscopum in Pragen Episcopum consecraretur, & in ipso consecrationis processu, iaceret in faciem de more prostratus, sacris de more induendus Pontificalibus, occulto Dei beneficio, in secundam, tertiam, & quartam generationem facinora vindicante, a Dæmone inuasus, tàm terribiliter & impetuosè vexatus est, quousq; cunctis, qui aderant, videntibus, stupentibusq;, vitam miserabiliter finiret. Boleslaus Pius & Secundus moriens, vnicum filium Boleslaum reliquit. Illum Bohemi multis verbis pelliciunt, vt Poloniam inuadat, & eam, aut aliquam partem sibi tributariam faciat, Clarius nomen, si Regni Poloniæ Dux ipse terras vastauerit, expugnaueritq;, apud Imperatorẽ, cæterosq; Principes habiturus. Nec deerant inter Bohemiæ Barones, qui, & præsertim Nobiles Vrschouien & ferè tota Rauitarum domus, viri callidi & vafri, & ea tempestate in Bohemia potentes, qui inter fratres, ex fratre & sorore genitos, discordiæ, & belli malum ea mente insererent, quatenus ipsi pondus generationis suæ, & fortunarum suarum suppellectilem, quod stante pace sperare non poterant, in guerra augerent. Prohorius siue Prohorinus Primus Posnanien: Episcopus cum annis viginti sex sedisset, moritur, & in Posnanien Ecclesia sepelitur. In cuius locum Timoteus in Posnanien Episcopum ordinatur, natione Romanus, nobilis genere, per Benedictum Papam VII. prouisus. Ex Polonia autem Otto Tertius reuersus, audiens Ioannem Papam XVII. à Crescentio Romano strangulatum, ipsum etiam Crescentium, assumpta Tyrannide, Romam oppressisse, & Italia inuasa, vniuersi Imperij occupationem facilem sibi in animo destinasse, insolentiam eius, iuxta, vt dignum erat, indignè ferens, constructo in honorem S. Adalberti Episcopi & Martyris Canonicorum Regularium Monasterio, Romam cum frequenti Optimatum suorum numero contendit, vbi vacillanti turbatæq; plurimum Romanæ Reipublicæ succurens Ecclesiæ S. Dei, simul & Imperij statum, in defesso labore, & cura ingenti, instaurat, & reparat, & Brunonem quidem Archicancellarium suum, qui Gregorius V. appellatus est in Sedem Apostolicam surrogat, virum, vita, moribus, & scientia, insignem & cognitum. Crescentium vero Romanæ Ciuitatis & Imperij inuasorem in validissima Imperatoris Adriani, quæ & Teodorici opinatur fuisse Tyranni fabrica, quam sibi in arcis modum muniuerat, se continentem, robore militum oppugnatum, & inde extractum super Tyberis pontem capite plectit, & tàm Vrbi, quàm Italiæ pacem reddit, habiturus pro tàm festino succursu perpetuam

laudem, si iuxta de vitijs, ac hostibus sibi triumphare contigisset. Cernens siquidem Crescentij, Tyranni à se deuicti, & damnati, miræ pulchritudinis vxorem, in eius execrabilem incidit amorem, quam nocte sequenti constuprans, ab eadem veneno inficitur, & augescente, grassantis per venas veneni, peste, non multò post grauissimo languore corripitur, & quinto Calend. Februarij rebus absumitur humanis, cùm annis 18. imperasset.

Hereberto autem Colonien Episcopo, cuius tota Imperialis curia parebat consilio, familiariùs eum obseruante, ibidem moritur. Et mox eodem Hereberto Episcopo ordinante, ac si viuus esset, purpura indutus, super equum, velut expeditionem acturus, arte extruitur, & in hunc modum, morte eius Romanis cælata, quorum nonnullos, occiso Crescentio, graviter sciebat infensos, cis Alpes in Sueuiam defertur, sepultis eius intestinis, in ciuitate Augusta, corpus in Aquisgranum delatum, in medio Ecclesiæ B. Mariæ honorificè ab eodem Hereberto Venerando Colonien Episcopo, cæterisq; Almaniæ Principibus, extitit tumulatũ, Et quoniam idem Otto Imperator nullos liberos reliquerat, Henricus Secundus Dux Bauariæ, octuagesimo quarto loco ab Augusto, in Romanum Imperium succedit, à Viligisto Moguntino Archiepiscopo coronatus, filius Henrici, fratris Primi Ottonis. Huius autem Ottonis Imperatoris Tertij tempore, Ecclesia Metropolitana Maideburgen ab Auo suo Ottone primo fundata & dotata est. Habuit Archiepiscopum nomine Vdonem, qui per Beatissimam Virginem mirabiliter promotus fuit. Sed post, propter detestabilem, & sordibus plenam vitam, per solius Dei Iudicium, quod in Ecclesia Maideburgen publicè & visibiliter actum est, sententialiter damnatus, & decollatus est. Cui adhuc viuenti, vt se corrigeret, Angelus illud ingeminabat. Vdo cessa à ludo, iam satis lusisti Vdo.

Pernicioso Dux Boleslaus Tertius Bohemiæ consilio seductus, guerram, causa non præcedente, aut de merito Regi Polonorum mouens, in terras Polonorum versus Klecko armatus descendens, cepit illas hostiliter vastare igne, populatione, & gladio, suæq; ditioni subijcere & tributo. Quare nouitate ad Boleslaum Regem perlata, magna percellitur admiratione, quód ab eo, quem fratrem ac amicum in suis opportunitatibus experiri crediderat, bello iniusto, prouocatione nulla intercedente, premeretur. Legatis ad illum transmissis, qui & per sanguinis, & pacis hactenus obseruata iura restitutionem ablatorum & deformatorum solutionẽ repeterent, & vt pacem seruaret, hortarentur. His Boleslaus Bohemiæ Dux auditis, respondit se iniurijs prioribus prouocatum bellum suscepisse, coactumq; & inuitum bellum, Polonis fines suos incursantibus, intulisse: non recusaturũ tamen se omnem possibilem æquitatem. Consentientibus itaq; Polonorũ Regis Boleslai Legatis, treuga interponitur & firmatur. Cuius conditione Boleslaus Polonorum Rex bellum suspensum aut finitum credens, animum ab expeditione auertit: verum Boleslaus Bohemorum Dux eodem consilij tenore, quo & prius, persuasus, maiori potentia coadunata, ruptis treu-

gis Po-

gis Poloniam ingreditur, illamq; fortiùs, quò potest, inuadit, suggerentibus sibi Bohemis, Boleslaum Regem Polonorum sibi suis viribus & copijs resistere nullatenus ausurum. Quibus verbis Princeps parum sensatus credens, bellum eò feruentius promouebat. Quo malo Boleslaus Polonorũ comperto, Leonino ruitu fremens, ex vniuerso Regno suo celeriùs, quò potest, conuocat fortissimos quosq; milites & bellatores, & contra Boleslaum Ducem Bohemiæ celeri cursu acies producit: verùm Bohemiæ Dux referentium sibi exploratorum denunciatione certior factus Boleslaum Polonorum Regem cum magno exercitu, & suo plurimum superiore aduentasse, vastatione Poloniæ omissa, in Bohemiam se recepit. Quem dùm Boleslaus Rex in locis, quæ vastauerat, non reperit, altiùs fremere cepit, quòd & ille subductus esset hostis, & calamitates, fletusque, illum, quàm maximè, eorum, qui à Bohemis bello vexati oppressiq; erant, commouerent, ingentiq; spiritu, calamitate suorum coram conspectu incensus, fertur Boleslaus Rex dixisse. Quando, inquit, nec sanguinis communio, neq; vis fœderum Boleslaum Ducem Bohemiæ à clade, meo Regno inferenda, potuerunt auertere, de cætero mihi vsque ad interemptionem prosequendus est: non prout iustus hostis, sed vt insidiator veneficus. Comperiens Boleslaus Chrobri Poloniæ Rex Imperatorem Illustrissimum Ottonem miserabili & indigna morte peremptum esse, cum omni Regno suo diebus pluribus, omni lætitia interdicta, in atra veste illum luxit, & obsequias illi apud Gnesnen Ecclesiam omni cultu sumptuosas & honorificas persoluit. Cui etiam anniuersarium vsq; ad diem mortis suæ quotannis solebat pia gratificatione accepti beneficij peragere.

ANNO Domini 1003. Dolorem anxietatemq; mentis, quam super Regni sui vastationem per Ducem Boleslaum Bohemiæ factam, Boleslaus Polonorum Rex conceperat, & hactenus ex bonis affectibus aeris veritus intemperiem, & cætera incommoda, milites ad suos penates remiserat, amplius tolerare & ferre non valens, expeditionem in Bohemiam vltum iri cupiens suas iniurias, indicit, magnasq; tàm Equestrium, quàm pedestrium ad id bellum felicius gerendum copias instaurat. Et cum exercitu potenti Bohemiam ingressus, singulas Bohemiæ Vrbes resistentes expugnat, cætera verò ignobilia oppida & colonias vastat & exurit, sperans Boleslaum Bohemiæ Ducem, sui Ducatus spoliatione, vastatione, & incensione morum, ad campestre posse elici certamen. Erat pro ea tempestate in Bohemia maior Vrsouicensium domus, quæ cæteris genere, familijs, possessionibus, fama, & valore præcellebat. Vrsouiceñ autem familia ideò appellabatur, quòd pro insigni Vrsum, virginem coronatam gestantem, deferebat. Huius autem familiæ maior & senior Baro Kochan vocatus, opibus & autoritate inter suos maior familiaris Boleslao Polonorum Regi erat, liberalitatemq; Regis in transacto tempore expertus, suisq; multiplicibus beneficijs obligatus, omnes de amicissimis & parentela sua ad fauendum copijs & actionibus Regis Boleslai inducit, quem, & cognatos fratres suos Rex

Boleslа-

Boleſlaus,indita liberalitate, plurimis, crebriſq; largitionibus ineſcatos, in ſuam fidei deuotionem & culturam magnoperè incendit, illorumq; fideli opera, & auiſamentis vſus, conficiendæ feliciter ſuæ expeditioni accommodatos ad res bene gerendas cooperatores habuit, ipſorum ductu & aſſiſtentia maximas Bohemorum Regioni inferens continuas cædes, & perniciem, vaſtationemq; calamitoſam, longè, lateq; Bohemicum eſt populatus agrum. Cùm itaq; Boleſlaus Polonorum Rex vniuerſam Bohemiam, preter Vrſouiceñ poſſeſsiones, quibus parci mandauit, cædibus, igne, & ſpolijs contriuiſſet, Boleſlaus verò Bohemiæ Dux eius potentiæ reſiſtere non valens, in Caſtro Wiſſograd ſe cum filio ſuo Iaromiro contineret, ad ipſam Bohemorum Metropolim Pragam, & Wiſſograd Caſtrum, Boleſlaus Rex copias ſui exercitus admouit: ipſamq; obſidione tingens, & aretibus, cæteriſq; propugnaculis quatiens, & biennio fame affligens, obtinuit magnificè & expugnauit,& militibus ſuis dedit in direptionem & prædam.Praga autem capta non multò poſt etiam Wiſſograd ſtrenuè conquaſſauit, in quo Ducem Bohemiæ Boleſlaum cum filio Iaromir, (alter enim filius Vdalricus ſeruitijs Cæſareis applicatus, abſens erat) reperiens captiuat, & vniuerſam Bohemiam in ſuam redigit obedientiam,& ditionem, Præfectoſq; tàm in Wiſſograd & Praga, quàm in cæteris municipijs ſuo nomine præficit, & ordinat, ſedemq; ſuam Ducalem Pragæ collocat, & vniuerſos & nobiles Bohemiæ, qui Pragen Ciuitatis & Caſtri Wiſſogradien, triumphali conquiſitione audita, ad ſe venerant, benignè excipit,tractat, & honorat,qui etiam nullo cogente fidelitatis & obedientiæ ſibi præſtabãt, iuramenta. Cuius liberaliſsimam largitionem pluribus & aſsiduis donatiombus expertí,deuoti,& fideles, in eius obedientia permanebant. Redacto Bohemiæ Ducatu Polonorum Rex Boleſlaus in ſuam ditionem & poteſtatem in ſingulis Ciuitatibus & Caſtris ſuæ ditionis & iuris Præfectos & Capitaneos, aut ex Polonis, aut ex Bohemis, quos ſciebat ſibi, & ſuæ parti magis eſſe pronos atq; fideles, ſtatuit, & locat, & omnibus bono ordine compoſitis, recedere in Regnum ſuum Poloniæ, reducereque victoriosum exercitum parabat. Detinebatur autem ſupplicibus precibus, & obſecrationibus Bohemorum,quatenus moram cum illis faceret magis diuturnam. Quod cum Rex Boleſlaus nullatenus ſe facturum reſponderet, cùm & Regnum ſuum Poloniæ præſentiam ſuam magnopere deſideraret, conſultum illi à Bohemis, & præſertim ab his, qui fideliores erant illi Vrſouiceñ, quatenus Boleſlaum Ducem Bohemiæ, & filium ſuum Iaromirum à ſe captos, occidi diſponeret: quoniam illis viuentibus Bohemiam ſciret ſibi quandoq; recalcitraturam, ſed & alterum filium Boleſlai Ducis Bohemiæ Vdalricum in obſequijs Imperatorijs Ottonis conſiſtentem, curaret extinguere, aut in ſuam redigere captiuitatem. Rex autem Polonorum Boleslaus etſi vera illos ſuggerere intelligebat, facinus tamen atrox in Ducem & fratrem committere exhorrebat. Stimulatus tandem Bohemico conſilio, Ducem Bohemiæ Boleslaum excæcari præcipit, & oculos ei eruendos mandauit,

dauit, ne quando vlla rerum conuerſione recurſus illi pateretur ad Principatum. Filium verò eius Iaromirum in cuſtodiam & captiuitatem Vrſouiceñſibus tradidit,eoq; patrato ſcelere,copioſo Polonorum militum Pragæ & in Wiſſograd relicto præſidio, Poloniam incolumis redijt: Verùm etſi Boleſlaus Bohemiæ Dux hoſtis ſuus fuerit, & Regnum ſuum prior hoſtili vexatione inuaſerit,fratri tamen Amitali,& propinqua cognatione iuncto, oculos euellere,& eum in viſu perpetuo orbum facere decreuit, niſi forte iuſtiores interceſsiſſent cauſæ nobis ignotæ,quibus glorioſiſsimus ille Rex Boleſlaus pertractus,facinus illud excæcationis admiſerit,quod non modo ab eo,ſed à genitore ſuo Duce Polonorum Miecſlao (Annales Bohemici atteſtantur,) licet id temporum ordini non videtur congruere,patratum. Duplex malum grande, perniciem mortalibus adferens, peſtis videlicet,& fames,inualuit, & Epidemiæ morbus non Polonorum tantùm Regiones, ſed vniuerſum ferè orbem tàm infeſto languore peruaſerat, vt ſepelientium tedio, viuum adhuc ſpiritum trahentes, obruerentur vnà ſimul cum mortuis & ſepeliendis.

ANNO Domini 1004. Parum autem viſum eſt Clariſsimò Principi Boleſlao Polonorum Regi Bohemiam habere tributariam & ſubiugalem, niſi illi etiam Morauiam adieciſſet. Quapropter habito ex Regni ſui terris delectu, cum militum ſuorum forti & expedita manu Morauiam ingreditur,& tàm Ciuitates, quàm Caſtra Morauiæ, quæ Principatum ſuum abnuebant,potenter inuadit, circumuallat, & expugnat. Erat ſiquidem Boleſlaus Polonorum Rex ea animi à natura inſiti fretus conſtantia, & magnanimitate, vt nihil ſibi aggrediendum præſu meret, à cuius ceptis temerè deſiſteret. Quapropter obſidionem ciuitatis, tàm in Bohemia,quàm in Morauia, non aliter ſoluit, niſi aut ſponte in ditionem ſuam, aut viribus obſeſſa ciuitas veniret. Qua quidē conſtantia & robore animi ſubſecutũ eſt, vt vniuerſa Morauia, aut ſponte, aut armis, aut ſuæ potentiæ viribus ſubacta, ſuo ſe ſubijceret Imperio & ditioni. In cuius Caſtris & ciuitatibus Principalioribus Præfectos ſuos ex Polonis & aliquibus fideliorib ſibi Morauis conſtituens, multo tempore Morauiam & Bohemiam tenuit feudalem. Singuli etenim introitus, cenſus,& reditus, ad Ducalem fiſcũ pertinentes, ex vtroque Principatu Bohemiæ, & Morauiæ,theſauro Regio in Poloniam annuis temporibus inferebantur.

Henrico per electionem ad Imperium aſſumpto, primum inſtitutum fuit, vt in futurum non per ſanguinis ſucceſsionem duceret Imperium, ſed Archiepiſcopi Moguntineñ, Colonieñ, Treuereñ. Item Dux Bohemiæ Comes Palatinus Rheni,Dux Saxoniæ,& Marchio Brandeburgeñ. haberent poteſtatem deligendi Imperatorem. Hic Henricus,Vir magnæ ſanctitatis, multa bella proſpere geſsit: Vt autem tàm Bohemiæ quàm Morauiæ poſſeſsio Boleſlao Polonorum Regi firma & diuturna eſſe poſset,& populi Regionum illarum,fluxæ & ambiguæ fidei, reſque nouare ſoliti in fide

continerentur, misit Boleslaus Polonorum Rex ad Henricum Imperatorem Primum, Consobrinum, & amicum suum, nuncios solennes, liberalissima & magnifica dona variorum munerum transmittens, per eosdem, qui inprimis sibi felices Boleslai Regis successus, quos in acquirendis duabus vicinis terris, videlicet Bohemia, & Morauia, & quas Regno suo Poloniæ subiecit: quantas, quotue expugnauerit ciuitates, & quanta spolia ex deuictis in Regnum suum Poloniæ retulerit, ex ordine patefaciunt, & declarant. Vltimò precantur & deposcunt, quatenus Vdalricum filium Boleslai Ducis Bohemiæ in curia sua Imperiali commorantem sibi tradat & remittat, stabilimentum maximi momenti terris Bohemiæ, & Morauiæ, per eum subactis, adiecturus. Cæsar autem Henricus, qui intenso & feruentissimo amore Boleslaum Poloniæ Regem, propter eius Heroica opera, & ingenuas virtutes, diligebat, cùm esset Bohemis plurimùm iratus, & infestus, Vdalricum Nuncijs Boleslai Polonorum Regis tradit. Qui per illos in Poloniam ad Boleslaum Poloniæ Regem deductus, & honestæ custodiæ traditus, per annos plures asseruabatur. Cuius captiuitate Bohemi & Moraui cognita, sincerius Boleslao Polonorum Regi parebãt, nec vnquam ausi sunt quicquam aduersi moliri, aut eius ditioni aduersari.

Gregorio V. qui sedit Annis duobus, Mensibus Sex, obeunte, cessauit Episcopatus diebus quindecim. Cui Ioannes Octodecimus, natione Græcus, in Pontificatum successit, & potiùs iuxta aliquarum Chronicarum assertionem intrusus est. Nec computatur inter Summos Pontifices, & nonnisi Mensibus decem sedit.

ANNO Domini 1005. Floruerunt ea tempestate in Poloniæ Regno Sex Viri religione & vita insignes, videlicet Benedictus, Mattheus, Ioannes, Isaac, Cristinus, & Barnabas. Boleslaus siquidem Poloniæ Rex Beati Romualdi celeberrimam famam audiens, misit ad illum, magna rogans instantia, quatenus sibi aliquos sui Cænobij fratres in Poloniam remitteret, Polonorum gentes primitias fidei, fauore Diuino, consecuturas, vitæ suæ exemplo atq; doctrina ædificaturos. Hanc quoque petitionem, Boleslai Regis Henricus Imperator præsentia personali, apud Virum Dei Romualdum, tunc in Pireneo agentẽ, promouebat. Romualdus autem nullis suorum id præcipere, autoritate suæ Prælationis, volens transeundi in Poloniam, aut in Monasterio subsistendi, in cuiuslibet arbitrio reliquit. Ignorabat siquidem in re huiusmodi beneplacitum Dei, propter quod voluntate fratrum illam relinquebat. Henrico tamen Imperatore obsecrante, roganteq;, duo tantummodo ex omnibus reperti sunt, qui se vltrò ad eundum in Poloniam promptos obtulerunt. Quorum vnus Ioannes, alter Benedictus vocabatur, quos ad se per nuncios suos perductos Boleslaus Poloniæ Rex, velut Dei Angelos, magna iocunditate excepit, atq; illis, & quatuor alijs, Isaac, Mattheo, Cristino, & Barnabæ genere Polonis, qui se illis coniunxerant, linguam Polonicam ab illis percepturis, locum, vbi nunc

nunc Cazimierz Oppidum in maiori Polonia situm est, tunc quidem siluis & nemoribus vndiq; obsitum, pro suo incolatu assignauit, & illic, pro numero habitationibus constructis, in abstinentia arctissima Anachoricam vitam ducentes, Rege illos sustentante, morabantur, & tàm vitæ Sanctimonia, quàm verbo Sanctæ doctrinæ magnum in Poloniæ Regno facientes profectum, opinione & re celebres habebantur: nulla illis fuit possessio, nulla habitaciuncula, largitione fidelium, nihil habentes, in communi, aut priuato alebantur. Vestis grossa & hispida, cibus vilis, & inconditus, qui duntaxat famem excluderent, per singulos dies orationibus deuotis & ieiunijs intenti erant, corpus non solùm macerabant inedia, sed insuper verbere mutuo, cæterisq; disciplinis coercebant, & spiritui seruire cogebant. Ad hos, non solùm viri Ecclesiastici, & seculares, vulgusq; promiscuum, accedebant, sed ipse excellentissimus omnium virorum Princeps Boleslaus Polonorum Rex illorum domicilia & heremitaria frequentabat, maximaque ex illorum conuersatione, vita, merito, & doctrina, ad Polonos ædificatio promanabat, supremus & largifluus remunerator Deus illorum volens præmiare labores, Martyrij palmam & lauream, quam quæsiuerant, illis donauit. Boleslaus siquidem Polonorum Rex deuotionis suæ morem tenens, cum comitatu Regio ad viros deuenit. Et aliquanto tempore in heremitarijs eorum pausans, expletis orationibus & obsecrationibus suis, discessurus, Viris Dei pro leuanda eorũ inopia & necessitate, massam notabilẽ auri, Comitatu suo spectante, & vidente, donauit, & obtulit. Quo etsi Viri Dei se aliquatenus non indigere denunciassent, Regemque, vt illam reciperet, & alijs applicaret vsibus, deprecarentur: Boleslaus tamen Rex, aurum semel Deo oblatum, humanis applicari vsibus, ineptum, & scelestum esse, respondens, auro relicto, commendans se, & Rempublicam Regni sui Poloniæ virorum Sanctorum orationibus, discedebat. Insolitã auri possessionem viri Sancti abhorrentes, vehementem concipiunt turbationem, & dolorem: turpe sibi odibileq; Deo existimantes, qui mundum, & omnia eius delectabilia in ætate virili reliquerant, cuiusq; concupiscentias in eam vsq; diem calcatas peruicerant, auri portione, in senio & tempore decrepito inquinari. Quo pacto, inquiunt, tanto suffarcinati auro, poterimus pauperem Christum sequi? & sub Eleemosynæ prætextu illius occupabimur vsu, nobis quoq; in damnationem, cæteris in pernicioſum scandalum & ruinam. Consultatione itaq; super his, quid factu expediens foret, habita, placuit tàm Benedicto qui senior Pater inter eos habebatur, quàm residuis fratribus, quàm celeriter, & nulla mora interposita, ad Regem Boleslaum Poloniæ illud referri, & sibi illud quamprimùm præsentari. Decreto itaq; cæterorum, Barnabæ, velut ætate & ordine iuniori, qui exteriores solitus erat tractare causas, onus illud imponunt. Qui, fratrum parendo iussioni, sumpta auri massa, cepit ad Regem properare aurum Polonorum Regi Boleslao redditurus. Eo autem nec dum medium itineris emenso, nocte exitum suum ab heremitico loco subsequenti, nonnulli ex

Polonis filij Belial ardore auri, quod per Regem fratribus illis oblatum vi-
derant capti, adscitis sibi alijs, in heremum clandestinæ sub intempestè no-
ctis tempore perueniunt, aurum per Regem præbitum recepturi. Rabie
itaq; furiosa exagitati, velut furentes habitacula seruorum Dei, ante medi-
am noctem, pridie Idus Nouembris irrumpunt, & massam auri, per Boleslā-
um Regem postridie oblatam, sibi dari, Viris Dei in cantu & Psalmodia oc-
cupatis, incunctanter præcipiunt, diram mortem, ni reddatur, vnicuiq; ex
seruis Dei, interminantur: nec verbis tantum, sed solicita, curiosaq; indagi-
ne omnes angulos & loca habitationum Seruorum Dei rimantur & per-
quirunt. His, cùm à seruis Dei responsum fidele, & verax, crebro editum
fuisset, auro eos non indigere, aurum Regi remisisse, eò maiori furia insa-
niaq; cõcitati, existimantes seruos Dei falsa responsione, & excusatione vti,
& aurum illud in sabulo abdidisse, in Viros Dei, iam non probris & contu-
melijs, sed ipsis verberibus, desæuiunt. Et vno quoq; comprehenso, & vario
ligamine constricto, illos abinuicem segregant, & per tormenta varia cui-
libet sigillatim, vario genere cruciatus adhibito, elicere se posse credunt
auri cælati confessionem. Tantam autem præstitit Dominus seruis suis pa-
tiendi constantiam atq; virtutem, vt omnes penè vno ore & conformi re-
sponsione profiterentur, aurum eis præstitum Regi integrum remisisse, neq;
illatis pœnis, aut inferendis, posse adduci, vt in offensam Dei scienter, men-
dacij reatu se polluerent. Testis, inquiunt, est nobis Deus, non eo respe-
ctu nos negare, vt aurum nobis, quo nunquam eguerimus, remaneat, sed
ideò, ne falsa, ac mendax confessio crudelitate mendacij reos nos efficiat.
Latrones verò impij in vnum illos existimantes, conspirasse rursum fortio-
ribus tormentis in Viros Dei tàm diu debachati sunt, quousque inter ipsos
cruciatus vario modo verberibus, & flammis torti, deficientes spiritus su-
os Christo redderent, cæteruis Angelicis, in aulas cælestes, & in trophæa
Martyrum, pro Christo passis, etiam ab æuo præparata, inferendos. Thesau-
rum post hæc accuratè perquirunt, & cuncta, quæ cellæ virorum Dei habe-
bant, euertunt. Sed postquam nullus labori & facinori responderet pro-
fectus, ad obtegendum tanti reatus crimen, vtq; humana præsumptio non
malignitate, sed causali flamine id gestum existimaret, habitationem San-
ctorum Dei incendere, & ipsa etiam cadauera pariter conati sunt conflā-
grare. Sed admoti ignes, perditis naturæ viribus, neq; cellis, neq; corpori-
bus aliquem poterant inferre contactum. Ita enim suppositos ignes pariē-
tum, quamuis lignea materies repellebat, iuxta, ac si silices durissimi habe-
rentur. Quo miraculo latrones exterriti in fugam se conuertunt.

Wolodimirus Russiæ Dux duodecem filios reliquit, quatuor, videlicet
Vissesłaum, Isaslaum, Suatopelkum, & Iaroslaum ex primavxore, & octo, vi-
delicet Wszewoldum, Suentoslaum, Mscislaum, Boryszum, Gleb, Stanislaum,
Poswisd, & Sudislaum, quos ex Anna sorore Germana Basilij, & Constanti-
ni, Imperatorum Græcorũ, Bulgara & Bohema, ac alijs, susceperat. Abundē
beatus & felix, dùm annis aliquot Russiæ terras, tàm Castris, quàm Oppid.s
& villis

& villis vehementer auxisset, veritus ne se obeunte inter filios dira certami-
na super Russiæ Principatibus consurgerent, filijs Regnum diuidit, & Vis-
sesłao quidem natu maiori dat Nouogrod, Isaslao Polocko, Suatopelko
Turow, Iaroslao Rostow, sed Vissesłao fatis rapto, Iaroslao Nouogrod,
Boryszum Rostow, Gleb Muromum, Suentoslao Drzewiany, Wseuoldo
Wolodimiriam, Mscislao Timutokany, cæteris verò filijs tribus natu mi-
noribus, videlicet Stanislao, Posuisd, & Sudislao, Kiouieñ & Berestow
Principatus, non, nisi morte sua, in eos deuoluendos reseruat. Verùm Ia-
roslaus, cui Rostow cesserat, vnus ex filijs molestè ferens, se á Kiouieñ Prin-
cipatu, quem ambiuerat, sequestratum esse, venit in dolo cum gentibus su-
is, & alijs precio conductis, contra Kiow., & creditus in pace venisse Ca-
strum Kiouieñ occupat, & thesauros paternos in suam redigit ditionem.
Quod Pater Wolodimirus acerbissimè ferẽs, copias ex omnibus Principa-
tibus, quos inter filios diuiserat, contrahit, cum Iaroslao filio pugnaturus.
Quo Iaroslaus comperto, mittit & conducit Pieczyngos, & Varahos Pa ri
resistentiam facturos Interim Wolodimirus Dux & Pater, propter filij Iaro-
slai rebellionem & hostilitatem, ex dolore proueniente, graui languore
correptus, filium Boryszum exercitui præficiens, contra Iaroslaum mittit.
Ipse morbo inualescente, paucis post in Castro Berestow moritur, & in Ki-
ow adductus in Ecclesia B. Virginis, quam ipse viuens ædificauerat, sub
marmureo lapide sepelitur. Confluxit autem ad honestandum funebria
tua Ruthenorum multitudo, quæ, in sepultura sua planctum magnum edēs
vociferabatur Patrem, se, & liberatorem patriæ, & fidei Christianæ in Rus-
sia plantatorem immaturè perdidisse. Ignari patrem suum, scilicet Ducem
Wolodimirum, hi duo filij, Boryszum, & Suatopelkus, è vita excessisse, certamē
cum Iaroslao & gente sua ineunt, & victus Iaroslaus cum Pieczyngis, & Va-
rahis adiutoribus suis, fugit. Suatopelkus verò occupat Kiouiam, & rapit
Principatum, altero fratre Boryszo, paternæ mortis luctui vacante. Et licet
Dux præfatus Boryszus in agmine militum, quatenus, Suatopelko fratre pul-
so, Principatum Kiouieñ ipse possideat, vrgeretur, militum tamen instan-
tias abnuens, respondit Suatopelkum fratrem, patre absumpto, patris se
cultorum loco, nec quicquam aduersi illi se vnquam moliturum. Verùm
Suatopelkus disparem gratiam fratri referens, subornat Nouogrodeñ viros
Belial, qui Borylz Ducem, in cubili suo orantem, lanceis transfodiunt, sed
& armigerum eius Gregorium, natione Hungarum, Dominum suum pro-
tegentem secum vnâ necant. Mittit deinde Suatopelkus ad alterum fratrē
Glebum in dolo, inuitans eum ad se, sed à fratre Iarollao nuper conflicto aui-
satus ad occisionem se vocari presso gradu subtritit, & magno eiulatu, &
patris mortem, & fratris necem plangit. Veniunt tandem alij Viri a Suato-
pelko missi, & Gleb Ducem, abscisso capite, interficiunt. Corpora autem
tam Boryszi, quàm Gleb, in Kiow deducta, in Ecclesia S. Basilij in vno
sepulchro tumulantur. Colit hos duos fratres Rutenica Ecclesia, Ruteni-
cusq; populus pro Martyribus & Sanctis, astruens illos nonnullis coruisca-

re miraculis. Suatopelkus verò Dux, parricidio duorum fratrum insignitus, in magnam erigitur superbiam, existimans se, & cæteros fratres facilè deleturum, & vniuersum Russiæ Principatum occupaturum. Principalium Virorum, qui Duces Borysz & Gleb occiderunt, hæc sunt nomina Puchsza, Halicz, Lowicz, & Lasko.

Martialis Plocensis Ecclesiæ Episcopus, cùm annis duobus & viginti in Ploceñ: Ecclesia sedisset, diem obijt. in Plocensi Ecclesia sepultus, Martinũ Primum, ad petitionem Boleslai Polonorũ Regis, per Benedictum VII. prouisum, habuit successorem, Virum cõspicuum nobilitate, natione Romanũ.

Celerrima denunciatione Sanctorum Dei Martyrum, Benedicti, Matthei, Ioannis, Isaac, & Crisstini occisione ad Boleslaum Regem Poloniæ, qui tunc in Regia Gnesnæ agebat, in Crastinum perlata, ea enim prouidentia, eoq; ordine Boleslaus Polonorum Rex Regnum suum stabiliuerat, ordinaueratq;, vt singuli casus, singulæq; contingentiæ, & nouitates propinquæ, & remotæ, ciuiles & forenses, ad eius, nocti non parcendo, perferrentur noticiam. Plurimum itaq; de Virorum Dei, quorum intercessione & merito, regnum suum dirigi feliciter, & prosperari credebat, de crudeli nece ingemiscens, mox cum omnibus militibus, & familiaribus suis equos, quàm ocius potest, conscendit, & peditum numero, ex rure vicino, in magna copia accersito, nemus, in quo Sancti Dei habebant domicilia, in gyrum, & ab omni parte corona circumdat, & constringit: intelligens latrones, post scelus in Sanctos Dei perpetratum, in nemore illo, quod tunc ad miliaria aliquot tendebatur, ad latitandum locum delegisse. Obsesso autem nemore, equites & pedites frequentes ad perscrutandum absconditos immittit, solicito studio, per seipsum interim, ne quocunq; modo elabi gerent, cautella adhibita, verùm etsi locus vastus, in longumq;, vt præmissimus, protensus, difficilem maleficorum comprehensionem pollicebatur, tantam tamen Rex curam pro eorum inuentione intenderat, vt scrutatores cuneis inseparabilibus iuncti in cedendo vno passu, nihil inscrutatum relinquerent, & facile ad eorum cubilia peruenirent. Tota siquidem nocte per fruteta nemoris, per latitudinem saltuum, per opaca Siluarum viam, qua euaderent, anxij inquirebant, quam tamen nullatenus valuerunt errabundis vestigijs reperire, sed neq; mucrones in necem Martyrum exutos, brachijs arefactis poterant recondere in vaginas. Locus autem in quo Sanctorum corpora iacebant, copioso lumine visus est splendescere, modulata quoq; Angelici cantus suauitas, tota nocte illa in testimonium Sanctitatis seruorum Dei non desijt resonare. Quibus comprehensis, neque enim facinoris conscij repugnare ausi, manus dare militibus coacti sunt. Boleslaus Rex mærorem super necem Sanctorum ingestum temperauit. Angebatur autem facinore inaudito. Quod si aliquo casu non vindicatum publica vltione transisset, indignationem diuinam, & obtrectationem humanam sibi, & Regno suo euenturam formidabat. Quali autem pœna illos mulctaret, non satis poterat prouidere. Hoc tandem postremò decreuit,

vt nequa-

vt nequaquam eos, sicut merebantur, varijs tormentis & cruciatibus extingueret, sed ferreis catenis vinctos, ad sepulchra Martyrum destinaret, vt illic vinculis constricti fame & inedia miserabiliter perirent, aut, si propitiæ diuinitati, & S. Martyribus aliter videretur, ipsi eos sua misericordia liberarent. Qui cùm ex præcepto Regis ad Sãctorum tumulum fuissent perducti, mox, ineffabili diuinitatis benignitate, nexibus vinculorum confractis, absoluti sunt. Sanctorum autem Dei corpora, quò amplior honos illis fieret, in Ecclesia Metropolitana Gnesneñ transferri, & omnia in vna tumba, ad id specialiter adornata, recondi disposuit. Residuus autem & Sextus Virorum Dei socius Barnabas, fratres, & socios suos audiens peremptos, inæstimabili mærore angustiabatur, fletibusq; multis infelicitatem lugebat, quòd cum Viris Dei societatem Martyrij non meruerat. Itaq; sortem increpans suam ad heremitarium suum plenus dolore remeabat. Quo cùm peruenisset, & fratres suos varijs affectos tormentis vidisset, tùm quidem ampliori grauabatur cruciabaturq; luctu, quòd se vnum relictum & desolatum, & illos palmam, laureolamq; videbat iam apprehendisse triumphantem. Domini tamen iudicio, & eius benignitati, se, & omnia committens aiebat. Absq; tuo siquidem nutu Domine, neq; aliquem cadere, neq; folium ex stipite in terram defluere certum habeo, quantò magis hanc occasionem fratrum meorum, à qua me, velut immeritum, sequestrari, sine tua voluntate nullatenus accidisse, persuasissimum mihi est: supplex tamen obsecro, vt me à tuo, & Sanctorum tuorum consortio non sequestres. Post hæc cella de nouo constructa, abstinentijs & orationibus intentus, vitam in operibus bonis finiens, iussu, & ordinatione Regis Boleslai, fratribus suis & socijs appositus est. Extant nunc Ecclesiæ in eodem loco quinq;, in cuiuslibet cella, & oratorio, in venerationem, & memoriam singulorum deuotione fidelium ædificatæ, quem quisq; Sanctorum locum pro Oratorio & cella in vita habuerat, protestantes.

Excedente è vita Ioanne XVIII. Quoniam tantummodo mensibus decem Ecclesiæ Romanæ præfuit Gulbertus natione Gallicus, & qui Siluester Secundus appellatus est, in Summum Pontificem promouetur.

Smogorzouiensis seu Wratislauiensis Ecclesiæ Episcopus Vrbanus vita eo anno excessit, & in villa Smogieszow, secundũ aliquos in villa Riczow, sepultus est. In cuius locum, Boleslao Rege petente, à Clero Wratislauiensi electus est Clemens Primus, Italus genere & nobilis, & à Benedicto Septimo confirmatur.

ANNO Domini 1006. Nepos ex sorore germana Adleida Miecslai olim Polonorum Ducis, & frater amitalis Boleslai Regis, Rex Stephanus in Hungaria Principatum tenebat, Vir miræ in Deum deuotionis & religionis, cuius quoq; sanctitas multis & euidẽtibus prodigijs atq; operibus erat illustrata, cùm ex consorte legitima Silla, Henrici Primi Imperatoris sororis germanæ, filium procreasset, Emericus illi nomen dedit. Quo ad virilem ætatem traducto, vxorem illi, ne successio sui sanguinis absumeretur, con-

tur, coniunxit, sed hic miro in Deum amore accensus, non audens patruus recalcitrare imperijs, vxorem quidem suscepit, sed cælibem, virgineamq; vitam, & corpus ab omni carnali & libidinosa corruptella purum seruare decreuit. Vnde vxorem suam pro sorore ducens,& nunquam illam attrectatione maritali cognoscens, non solùm in virginitate ipse permansit, sed consortem suam virginitatem custodire vsq; in diem mortis obtinuit,& meritò quisq; duo ingenua corpora, delitias, diuitiasq; mundanas, & etiam quæ prima mortales ducunt habentia, difficilimo relligionis genere, nihil à Martyrio distante cœlum stupeat, rapuisse. Vir igitur Dei Emericus ad priuignum & cognatum suum Boleslaum Poloniæ Regem, deserta Regia, solitus erat crebris vicibus frequentare, & plura tempora in Polonia abimere,vt à visione,communioneq; parentum,& vxoris, sequestratus, facilius suggestiones Diabolicas, & carnis stimulos extingueret, & deuotioni suæ operam daret. Boleslaus Polonorum Rex singulari Ducem Emericum Nepotem suum prosequebatur charitate, & amore, cùm non solùm nexus sanguinis, sed & ipsa virtutum clara probitas faciebat illum,tàm Regi, quàm suis militibus amabilem & gratiosum. Quodam itaq; tempore, Boleslao venationibus,in siluis circa Oppidum Kielce sitis,insiltente,& iecum Ducem Emericum in societate habente, contigit illis in iugum Alpium,quæ Caluariæ vocantur,& quibus Poloniæ Regnũ altiores non habet, ceruum insequentem venando, deuenire. Vbi ceruo omisso, ruinas veterum habitationum, quæ & diluuio vniuersali,& temporum antiquitate in Saxorum molem, qualem & hodie cernimus, defluxerant, cæperunt mirari, locum enim illum ferunt commodam habitationem, & arcem Gigantum sex Cyclopum,& virorum fortium fuisse, & illic incolatum aliquanto tempore tenuisse. Vir Dei itaq; Emericus spiritu diuino instinctus,& vtriliquorum habet credulitas & assertio, visione noctis præcedentis ductus, admonitione, loci singularitate & vetustate delectatus. Conuenientissimum locum illum,pro seruis Dei,solitariam vitam professis,astruit,& indignum, vt sine hominum incolatu debeat patens esse. Rogat deinde patruum & affinem suum Boleslaum Regem,quatenus pro Dei honore, & fidei sanctæ augmento,animarumq; remedio,& salute, Cœnobium illic Monachorum,& Monasterium erigat,& constituat, stabilius, feliciusq; Regnum, postquam illum à terreno solui contigeret in cælestibus pro eiulmodi sancto opere habiturus. Cùmq; ad id Boleslaus Polonorum Rex facilem & vltraneum liberali & Regio animo præbuisset consensum,Dux Emericus suã se petitione & desiderio videns potitum, in magnam exultationem erumpit, & primùm Deo, deinde Boleslao Regi gratias agens, mox crucem bifurcatam, portionem notabilem, Dominici ligni continentem, modico argento obductam, parenti suo Stephano Hungarorum Regi à Græcorum Cæsare ex Constantinopoli pro magno munere transmissam,quam Vir Dei in pectore ex patris largitione gestare consueuerat, exemit, illiq; loco (ita enim in visione monitus fertur fuisse) donat. Hoc inquit prelioliſsimum

lignum Saluatoris nostri cruore pollutum, & quo charius nihil habui, sed nec sum habiturus, huic loco dono propitia diuinitate, virtute sua, omnibus in necessitatibus pressuris, angustijs, & grauaminibus constitutis,plurima beneficia largiturum. Boleslaus itaq; Rex sponsioni suæ satisfaciẽs, anno eodem Monasterium S. Benedicti illic erexit,& Regali munificentia, dotem illi benignam & sufficientem consignauit,fratres Deo sub habitu & Regula S. Benedicti militaturos inducit. Ecclesiam quoq; sub honore & titulo S. Crucis ex fundamentis initians, Græcorũ more ex lapidibus construit,& consumat, locans & recondens lignum preciosissimum Dominicum,per B. Virum Emericum largitum in eadem Ecclesia. Cuius conditio & qualitas in hanc diem perdurans longæuam eius testatur annositatem.

Gaudentius qui & alio nomine Radzin nominabatur Germanus Beati Adalberti Archiepiscopi Gnesnensis,cùm annos Septem in vitæ Sanctimonia & Pontificatu Gnesneñ exegisset, apud Gnesnã moritur, & in Gnesneñ Ecclesia sepelitur,fertur hic moribundus in Gnesnensem ciuitatem ob multitudinem immanium scelerum, quibus se coinquinauerat, nec eo monente pœnitere voluerat, anathema protulisse,nec in cassum transijt, quod Vir Dei prædixerat, à Bretislao enim Bohemiæ Duce, & suo exercitu, vt in sequentibus narrabimus, Casimiro Poloniæ Rege in Almania exulante invasa, cladem ingentem pertulit, & nobilissima sua Clenodia opesq; plurimas, quibus ad inuidiam vsq; abundauerat, amisit. Huic Hippolytus genere Italus successit.

ANNO Domini 1007. Captiuitati calamitatiq́ue Vdalrici filij Boleslai Bohemiæ Ducis, quam aliquanto iam tempore in Polonia pertulerat Boleslaus Poloniæ Rex pia miseratione compatiens,tùm quod illi sanguine & affinitate propinqua iunctus esset, tùm quòd pluribus sponsioni, à fide deuotione atq; officio Boleslai Regis se nũquam discessurum lachrimis & sureiurando interpositus asseuerabat, captiuitatem soluit, & equis familiaribus,vestimentis, & plurima Regali supellectili exornatum vestitumq́ue in Bohemiam remittit. Qui ex carceribus Boleslai Regis beneficio in libertatem vindicatus,omniũ quæ Boleslao Regi spoponderat,& beneficij quod illi præstiterat oblitus, in Bohemiam reuersus,& præsidia quæ à Polonis tenebantur, extrudebat, & plerosq; Barones Regi Boleslao fidem temerare nolentes, & signanter Vrsouiceñ,quorum genus Boleslao Poloniæ Regi fidelis incera adhæsisse noscebat, peremit,bonorum oblatione mulctat & proscribit, adeoq; in Poloniæ Regem & suos sæuire cepit, vt lachrimas quas in conspectu Regis profuderat, gaudio viderentur proiecisse. Nec his contentus, suspectam habens fratris Germani Iaromiri societatem,nimio principandi flagrans desiderio, fratrem eundem Iaromirum captiuat,captumq; innocenter,& nullo intercedente excessu,aut meritò quo firma Ducatus in eum Bohemiæ solum recideret successio, vtroq; oculo excæcat & priuat. Crudelitatis suæ munimenta in fratrem Germanum & innoxium deprompta præsenti & futuræ ætati, non sine suo & suæ posteritatis dedecore relin-

quens. Fames, peſtis, luelq; miſerabilis non in Regno tantummodo Poloniæ, ſed penè per vniuerſum orbem fuit, quarum clades multos mortales abſumens, multas Vrbes & colonias deſertauit.

ANNO Domini 1008. Forti frequentiq; exercitu ex Ruthenis & Varahis Iaroſlaus Ruſsiæ Dux comparato; contra Suatopelkonem fratrem hoſtiliter procedit, duorum fratrum Germanorum, videlicet Gleb & Boryſz, indigna nece peremptorum, ab eo mortem vlturus. Cui cùm Ruthenis & Pieczynigis, Suentopelkus circa Caſtrum Lowce & fluuium Dniepr occurrit. Et flumine Dniepr vtrumq; exercitum diuidente, trimeſtri ſpatio ſtatiua illis, vno alterum propter mediantes vndas inuadere non audente, habita ſunt. Iaroſlaus autem flumine Dniepr cum omni ſuorum exercitu ſuperato, Suentopelkum, & exercitum eius inter duos lacus conſiſtentem, ſubitò & inſperatè inuadit. Exercitus autem Suentopelki hoſtium armatorum & expeditorum inermis ipſe aduentu perculſus, in lacus frigore hyemali congelatos ex tabernaculis diffugit. Vbi glacie fragili violata, plures numero ſorbentur ab vndis, reliqui à Iaroſlao & exercitu eius, aut trucidantur, aut captiuantur. Suentopelkus autem Dux vix manus hoſtiles euadens, repenti curſu in Poloniam affugit, & ad Boleſlaum Polonorum Regem ſe conferens, ſupplex ſibi contra fratrem ferri Iaroſlaum auxilia, plurima offerens, plurima pollicens, expetijt. Capit autem Iaroſlaus Dux Suentopelkonem, & exercitu eius conflicto, Caſtrum Kiow tradentibus ſe illi Kiouieñ, & ſedit in Principatu Kiouieñ habens annos 28.

Præcipuis bellatoribus & militibus ex Poloniæ Regno Boleſlaus Poloniæ Rex in grandem exercitum, coactis, perfectiſque, qui Ordines ducerent, & Millenarijs, Centurionibus, Quinquagenarijs & Decurionibus, cæteriſq; qui agminibus præeſſent, legitimè ordinatis. Setegio verò Cracæ Palatino Principe militiæ conſtituto, terram Ruſsiæ Suentopelkonem Ducem expulſum reſtituturus, potenti brachio ingreditur, plures factiones, prædas, ſpolia & iniurias, quibus Regnum Poloniæ Rutheni crebrius vexabant, vindicaturus. Agmen autem vniuerſi exercitus Boleſlai Regis in Præfectorum præcipua cura adeò inſtructum regulatumq; erat, vt inſtare & ſequi, & in ordines coire, & quicquid poſceret neceſsitas, agere promptum eſſet. Ruſsiam itaq; Boleſlaus Polonorum Rex ingreſſus, vniuerſas eorum ciuitates & Oppida ſine reſiſtentia aliqua capit, & conquirit. Neq; enim pro ea tempeſtate aliquæ ciuitates munitæ habebantur, raruſq; murorum vſus apud Ruthenos erat, ſed etſi ciuitates aliquæ principales frequentiã habebant domorum & ciuium, hæc tantum ſolo naturæ ſitu aut lignorum ſtruibus, pro muris & mænijs ædificatis erant debilitatæ & ſtabilitæ. Omnes itaq; Ciuitates Ruſsiæ Boleſlaus Poloniæ Rex comprehendens, & militibus tribuens in prædam, arces dimittebat inconquiſitas, videns illas proſui conquiſitione poſt modicum temporis ad ſe prouenturas, cuius apud eundem erat magna caritas & æſtimatio abſumptarum. Celerrimo igitur curſu Ruſsiam ſpolijs & incendijs, nullo reſiſtente conficiens ad Ruthenorum ter-

rum terram Wolineñ quæ Luceñ nunc appellatur, peruenit. Poſtquàm autem Ruſsiæ Duci Iaroſlao, qui tunc voluptati & ſolatijs deditus, hamo piſces in fluuio Dniepr, quorum fluuius ipſe magnam edit abundantiam, piſcaretur, aduentus Boleſlai Polonorum Regis citus & velox denunciatus fuiſſet, tunc quidem ſubito pauore perculſus, hamo quem manu geſtauerat in terram proiecto. Nil, inquit, hoc hamo hactenus opus eſt, neq; vt piſces comprehendamus, ſed qualiter hoſti occuramus curandum, ne hoſtis infeſti & potentis, effuſionem ſanguinis noſtri ſitientis, hamo inuoluamur. Congregatis itaq; multiplicibus ex Rutenis, Varahis, & Pieczynigis, copijs Boleſlao Polonorum Regi ad fluuium Bug occurrit, tranſitum illius ſi poſſet prohibiturus, ſin minus, decertaturus. Abſumptis itaq; ad Ripas fluminis Bug ab vtroq; exercitu diebus aliquot, fiebant inter exercitus cõcurſiones & certationes, mutuaq; præludia, tandem ad vniuerſæ dimicationis diſcrimen, primum glebis & improperijs acta re, ad diſceptationem ex paruo, (vt fit) momento excanduit, vt iam à multis per ſaxa, iacula, & ſudes res agi cepta ſedari nequiret. Erat Iaroſlao Ruſsiæ Duci ſuus alumnus nomine Budy plurimum charus, & omnium conſiliorum & negotiorũ Iaroſlai conſultor, moderator, & director, qui in altera ripa conſiſtens, multis improperijs Boleſlaum Polonorum Regem & ſuum exercitum irritabat, nunc meticuloſum, nunc craſſum Boleſlaum Poloniæ Regem appellans, aſtruens ſe illius craſſum ventrem, ſi in aciem prodire auderet confoſſurum. Quibus contumelijs Boleſlaus Poloniæ Rex prouocatus, contione aduocata militum prudenti vſus oratione, ne ſuam, & Regis ſui ignominiã æquo animo ferrent, ſed armis expeditis illicò in prælium prodeant, hortatur. Vniuerſo itaque exercitu velociſsimè armato, Boleſlaus Polonorum Rex Primus Bug flumen inſilijt, quo ſuperato Rutenos trepidantes, & ſuos in arma vocantes inuadit, mirificum hinc inde accenſum eſt certamen, adeò vt ad omnem fortunæ experientiam veniretur. Et quamuis aliquantis horis hinc inde fuiſſet pugnatum, ad vltimum tamen Iaroſlaus Dux Ruſsiæ cum vniuerſis ſuis copijs contritus, & profligatus eſt, & cum quatuor tantũ Comitibus in Kiouiam aufugit. Ingens cædes tunc à iuſta ira edita eſt, ſed & multi ex Rutenis, Pieczynigis, & Varahis capti, Caſtris etiam hoſtilibus magnæ opulentiæ Polonicus exercitus potitus eſt. Iaroſlaus Dux in Kiouia conſiſtens, ne à ſuis proderetur, in paludinoſa loca diuertit, futurum vt cerat ratus Boleſlaum Polonorum Regem ſe perſecuturum, & locum vbi eſſet obſeſſurum. Ab exploratoribus autem & fugitiuis, Boleſlaus Rex Iaroſlaum Ruſsiæ Ducem ex ipſa Principatus ſui arce Kiouia doctus diffugiſſe, tanto velociùs ad Kiouiam promouet exercitum, & aliquot ſtatiuis illic applicans vrbem ad vada flumnis famoſi Dniepr ſitam, ſitu & populo diffuſam & ampliſsimam, eaq; tempeſtate famoſam. Cuius magnitudinem opulentiamq;, etiam nunc ruinæ, & trecentarum vel amplius Eccleſiarum excellentes muri proteſtãtur, vndiq; cingit, & tàm terreſtri, quàm nauali loco eam obſidione coarctat, prouidens omni ſtudio & cautella, ne quid ad

illam posset importari, sciens tantæ multitudini, quæ illic erat inclusa, & quæ ex pluribus Rusiæ oris illuc defluxerat, consistere non posse, & alimenta propediem deesse. Impugnationem itaq; vrbis, tenuibus infestationibus ostendens magis quàm exequens, finalem eius conquisitionem in aliquantum tempus differebat, sperans se illam, vel sola fame absq; periculo & interitu militum consecuturum. Nec eum opinio fefellit, pluribus enim in vrbe obsessis, vel fame extinctis, vel inedia maceratis traditur Boleslao Polonorum Regi ciuitas, quam in splendore armorum equis & ensibus nudatis, cum expeditis militibus aliquot agminibus eum præcedentibus, & subsequentibus, ingressus in portam, per quam primùm intrabat, & quæ aurea ab incolis vocabatur forti brachio mucronem vibrans impegit, & illam in sui medio diuidens, & proscindens signum triumphale suæ captionis, aut victoriæ illic reliquit, & deiñ ad arcem Ducalem diuertens eam comprehendit, & vniuersam suppellectilem, & thesauros Ducales adeptus, militibus plura in solatium dedit, & Suentopelkonem Ducem Rusiæ in sedem Kiouieñ, à qua pulsus erat restituit. Præstantioribus autem militibus circa se Polonorum Rex relictis cæteram omnem multitudinem, iam enim hyems appropinquabat in hyberna distribuit. Suentopelkone Rusiæ Duce Polonorum militibus affatim prouidente, & de comitatu, & de vestitu. Cognoscens autem Iaroslaus Rusiæ Dux Polonorum exercitum ex Kiow in hyberna deductum esse, & Boleslaum Regem cum paucis in Kiow remansisse, congesto exercitu clandestinè versus Kiow transijt, Boleslaum Poloniæ Regem quacunq; arte aut ingenio occisurus. Boleslaus autem Rex denunciato sibi Iaroslai, & hostium aduentu correptis armis, equum illicò ascendit, militesq; se sequi, & in ordines ire iubet, ordinatoq; exercitu, & flumine Dniepr superato Iaroslaum & exercitum eius in altera parte fluminis agentem statiua inuadit, fitq; acerrima pugna, & vincitur Iaroslaus à Polonorum Rege, & omnis militia Iaroslai, aut tunc cecidit, aut in potestatem Boleslai Polonorum Regis viua venit, Iaroslaus autem paucis equis in Nouogrod fugiens peruenit, vbi ex nimio pauore & dolore consternatus, non audens consistere (Boleslaum enim Poloniæ Regem ad se expugnandum, illuc verebatur venturum,) vltra mare disponebat fugere, quem Nouogrodeñ non solùm retinent, sed pauentem ac dubium rebus suis & spe altiori reficiunt: Et vt nouus & recens exercitus contra Regem Polonorum instaurari possit, vt quilibet agrestis quatuor mardures, nobilis quinquaginta Marcas, Capitaneus decem marcas soluat, decreuerunt. Certatim itaque magna pecunia congesta, Varahos in sui solatium conducunt, Boleslao nouum bellum illaturi. Totus autem ille apparatus bellicus Iaroslai ex pauore recentis cladis in auras euanuit. Boleslaus deinde Rex Herculem illum fortissimum, qui in finibus Hesperiæ duas columnas fabricauerat, imitatus, tres & ipse in flumine Dniepr ex solido ferro columnas, quas in eam vsq; diem permanere asserunt, pro gadibus perpetuis locat in flumine Sula, & in occidente tres postea locauit Triumphales suas victo-

rias, &

rias, & terminos Polonorum apud posteros testaturus. Sedit autem Boleslaus Polonorum Rex in Kiow multo tempore, & parebant Rutenorum Nobiles, Proceres, & vniuersæ Rutenicæ gentis eius imperio atq; ditioni. Verum Suentopelkus Rusiæ Dux parum sensatus, Boleslai Regis diuturnam moram molestè ferens, aliquos Polonorum milites, in hybernis commorantes clam aut ipse interficit, aut interfici à suis disponit. Qua iniuria Boleslaus Poloniæ Rex iuste permotus, militibus suis, & vniuerso Polonorum exercitu ex hibernis reuocato, ciuitatem Kiouieñ Suentopelkone diffugiente dat militibus in prædam. Castra quoq; Rusiæ in suam redigens ditionem, rapinis non prius temperari iussit, donec omnes Rutenorum, Kiouiensiumq; fortunæ, felicitate diuturna cumulatæ per Polonos fugisset digestæ. Ex eo autem tempore Kiouia, & si per varios participes reparata sit, Vrbis quoq; Ducalis dignitatem obtineat, acceptæ autem tunc ruinæ posteris signa profert. Duas deinde sorores Suentopelkonis, & Iaroslai Ducum Rusiæ, videlicet Przecslauam, & Mśćislauam. Item Boiaros & Proceres Rusiæ magis insignes captiuat, & vinctos vt obsidũ loco essent, onustus Rutenorum spolijs, pluresq; Ordines captiuorum ex Rutenis secum ducens in Poloniam, pluribus Castris Rusiæ, forti militum Polonorum præsidio imposito, remeauit. Athanasium Rutenum qui se illi dolo insinuauerat, thesauris suis in fidelẽ thesaurariũ & seruitorẽ præficiens.

Siluester Papa Secundus, cum annis quatuor, mense vno, diebus decẽ sedisset, rebus eximitur humanis. Hic primum Floriacensis Cænobij in Aurelianensi Diœcesi Monachus fuit, sed relicto Monasterio Diabolo promittenti, si se illi totum traderet, quod pro voto omnia habiturus esset, homagium fecit. Cum Dæmone autem super suis desideratis frequenter colloquens, in tantum apud Hispalim ciuitatem Hispaniæ studendo profecit, vt maximus in doctrina habitus Ottonem Imperatorem, & Robertum Regem Franciæ, pluresq; alios haberet auditores. Ambitiones deinde suas dæmone prouehente, primùm in Remensem, postea in Rauenatensem, postremò in Romanum Pontificem promouetur. Dùm autẽ à Dæmone quærens, quanto tempore victurus esset, accepisset responsum: Quam diu non celebraret in Hyerusalem, tàm diu eum victurum esse. Supramodum gauisus est sperans se longè abesse à fine, sicut longè abfuit à peregrinationis in Hyerusalem, vltra mare, voluntate. Et cùm in Quadragesima in Basilica Sanctæ Crucis in Hyerusalem Romæ sacrificaret, ex strepitu Dæmonũ sensit sibi mortem adesse, & suspirans ingemuit. Et licet sceleratissimus esset, de misericordia tamen Dei non desperans, reuelando coram omnibus sceleris suum, membra omnia, quibus Deo seruierat, iussit præcidi, & truncum exanimem super bigam poni, & vbicumque illud iumenta perducerent, & sisterent, illic sepeliri, quod & factum est, sepultusq; est in Basilica Laterauensi. Et in signum, quod misericordiam Dei consequutus fuerit, sepulchrum eius, tàm ex tumultu ossium, quàm ex sudore præsagium est Papæ morituri. Cui Ioannes XIX. natione Tuscus successit.

ANNO Domini 1009. Ex Ruſsia Boleſlao Polonorum Rege, cum grauibus & inſignibus ſpolijs in Poloniam remeãte Iaroſlaus Ruſsiæ Dux, quem armis & virtute ſuperare deſperauerat, aſtu & dolis vincẽdum credebat. Notabili autem ex Rutenis, Polowcis, & Pieczynigis, & Varahis, cæteriſq; nationibus exercitu collecto egreſſum Boleſlai Regis cautiſsimè obſeruabat, ſuaq; & ſui exercitus egredientis, pedetentim & latenter inſequebatur veſtigia, in finibus terrarũ exercitu Boleſlai in diuerſas oras diſtracto, irruptionem facturus, arbitrabatur ſiquidem Polonos more conditionis humanæ, quòd & auro & argento, cæteriſq; ſpolijs quàm maximè dotati, & ſubſarcinati erant, ac coniuges, liberos, cæteraq; pignora longo tempore non viderant, celeri paſſu domos ſuas petituros, & Regem cum paucis relicturos, callido autem ſatis ſuo ingenio etiam euentus ad ſpem reſpondet. Boleſlaus autem Poloniæ Rex Iaroſlaum Ducem Rutenorum, qui ſub tanto tempore ignarus erat, quòd ſe in latibulis abſconderat, pro victo reputans ad fluuium Bug perueniens, exercitui vt ſua quiſq; loca peteret, licentiam dedit, iamq; ampliſsima pars ſui exercitus defluxerat, cum Iaroſlaus Rutenorum Princeps à ſpeculatoribus cum numeroſo & copioſo exercitu nunciatur adeſſe, illic enim Boleſlaum Regem conſequutus erat, docius à ſuis exploratoribus exercitum Boleſlai defluxiſſe, & defluxurum eſſe. Boleſlaus autem Rex, vt erat vir, animoſitatis & fortitudinis raræ, inſignis, nihil hoſtium aduentu perculſus, pleroſque milites, qui paruum receſſum confecerant reuocat, & cum hoſtibus quantacunq; potentia prædictis decernere ſtatuit, vrgebatur enim Rutenorum impetuoſa inuaſione, fugam autem turpem ſibi & exercitui ſuo magis quàm mortem execrabatur, intelligens Rutenos fuga ſua animatos, interiora Regni ſui penetraturos, & hoſtiliter in vniuerſos ſæuituros, ſed & per Rutenorum irruptionem, claritatem, & titulos ſuperiorum ſuarum victoriarum apud gentes & nationes ſubactas, & ſubijciendas amarius morte ducebat fruſtrari, & præberi illis occaſionem & audaciam contra ſuum Imperium calcitrandi, ſe & in eo loco à Iaroſlao Duce Ruſsiæ occupatum videbat, ex quo exercitus ſuus reſiduus non niſi victor recipi poſſet, prius tamen quam ad congreſſum cũ Ruteno veniret, alloquendos ſibi milites, & ad pugnam incendendos ratus, hæc apud illos facit verba. Probitatem veſtram, ô milites in pluribus bellis & periculis retroactis frequentius expertus, certamen cum hoſtibus, qui nobis multò plures numero ſunt, eſt ineundum. Cùm aliud agere honeſtas diſuadet, vos duco, verbis meis, nihil quidem veſtræ virtuti adiecturus, verùm ea quæ imminent, quæq; veriſimiliter contingere poſſunt commemoraturus, hoſtem enim cernitis, & ſuapte, & noſtris prouocatum armis infenſum diſſolutione defluxioneq; exercitus noſtri, qui neq; collegi, neq; reuocari abſq; euidenti noſtra clade, & periculo poteſt ceruicibus noſtris, & de victoria gloriabundum, imminentem. Itaq; ſi viuere honeſtè in libertate volumus, ſi penates noſtros, & coniuges, & liberos ſeruare, ſi partis victorijs gloriari, & ſubiectas nationes ſub iugo & tributo detinere; ſi

deinde

deinde Ruſsiam ipſam tributariam nobis facere, & opima ſpolia, atq; captiuorum mancipia, ex ea relata poſsidere libet, ferro armiſq; hoſtis, numero quidem magnus, ſed animo imbellis & ignauus ſummouendus eſt. & inanis ſpes reportandæ victoriæ, qua iam inflatus ſuperbit & tumet, veſtris detris eripienda. Quid enim proderit Bohemos viciſſe, illoſq; & Moranos ditionis noſtræ feciſſe, cæteraſq; nationes in circuitu debellatas humiliaſſe, ſi Rutenorum armis victi, & ab hoſte timido fugati, & pauore debellati, ſic ſingulis quæ virtute quæſiuimus exuamur? fines Regni noſtri propagatum, bellum Rutenis indiximus, niſi nunc hinc victores euadamus, amittimus propagatos. Ego in cæleſtium confiſus auxilio, ſpero me veſtra virtute die hodierna inſignem victoriam ex hac hoſtium multitudine relaturum, meiſq; ſuperioribus victorijs famoſum, & clariſsimum titulum huius victoriæ euentu adiecturum, ſpe optima plenus optimè vos ſperare iubeo. Quæſi non ſubeſſet, neceſsitas tamen, quæ maximum ac vltimum eſt telũ ſtimulare nos deberet. Quocunq; enim nos vertamus ô milites, ad extrema peruentum eſt, fugæ enim prædas nobis præſertim hoſtiles vehẽtibus, nulla facultas circumfuſis vndiq; hoſtium copijs, & nos impigrè obſeruantibus. Deditio verò hoſtibus, perpetuam vilitatem & turpitudinem nomini meo, atq; noſtro generi inureret. Auxiliarias verò ex Polonia prælolari copias, eorum eſſet, qui certaminis poſſent declinare diſcrimen. At noſtra paucitate hoſtes conſpecta perpeti in prælium armantur feruore. Dum itaq; virtute non poſſumus, neceſsitate ſuperiores euadamus; Cura igitur mortis & vitæ præſentis ſpe circumſcripta, vnuſquiſq; veſtrum ruat in hoſtem, iugulum hoſti perfracturus, magis quàm præbiturus. Paucorũ annorum acceſsio vnumquemq; veſtrum non moueat, cum etſi nunc ſeruati, poſt tamen nihilominus peſte, morbo, vel caſu aliquo ſumus morituri, hac cohortatione incenſi militum animi glorioſam mortem potius ſe ſubire malle, quam ex prælio pedem referre, magnis acclamationibus proteſtabantur. Quos vt alacres & plenos bonæ ſpei Boleſlaus Rex vidit, extemplo ſigna tolli iubens, ducit in hoſtem, & pugnam conſerit, equis & haſtis velociſsimo curſu concitatis, Ruteni vt inferri ſibi prælium contra ac erant rati viderant, plurima admiratione percelluntur, paucitatem in multitudinem circumferri, primos tamen impetus ſuſtinentes, magno & ipſi animo ex ſpe dudum concepta bellum gerunt. Verumtamen tempore procedente videntes Ruteni ſuorum numeroſitatem diminui, & Polonos ad extremum caſum paratos, maiorem quam pro numero cladem Boleſlao Rege vnumquemq; ex nomine cohortante edidiſſe ſpe priori extincta, cadentibus enim primis ad ſe quiſq; cædem non ambigebat peruenturam, pedem referunt. Quanta tamen poſſunt vi abundante multitudine reſiſtunt. Audatiores pugnatioreſq; Polonos faciebat neceſsitas, cùm nullam videbant niſi per ferrum tantis circumfuſi hoſtibus ſpem euadendi, verum Boleſlaus territos eos perpendens, ſuis ſi paululum adnittantur, victoriam denunciat, nec Regis atq; Ducis officio contentus cum militibus, qui eum

obſerua-

obseruabant, prælio se infundit, aciesque hostiles cedendo, ad extremum perforat, prosternit, & dissoluit, manus & copias exhibens prælio, & contra hostes fortiter pugnans, prouidentiam tamen boni Ducis non omittebat, sed vbicunq; consilio opus erat, accurens bellum, & bellantes adiuuabat. Et cùm mars magis, magisq; valesceret, nunc adhortatione, nunc stricto gladio, nunc feriendo, nunc saucijs recentes substituendo, dubium effecit, plus ne sapientis Imperatoris artibus, an fortis militis opera, pro consequenda victoria veteretur? fuitque celeriorem victoriam largitur, triumphalemq; & magnam viri fortis in ea pugna gloriam effectu maiori cõsequutus, quàm voto. Omnia enim erant tumultus, timoris, & fuga plena, Dux ipse Rutenorum Iaroslaus suos, crescente pugna deteriori loco, & in fugam versos conspiciens, insignibus Ducalibus, ne proderent fugientem, abiectis, equos mutando, persequentium Polonorum manus, fugiendo euadit, omnis autem illa hostilis multitudo, aut prælio occubuit, aut viua in Polonorum manus venit, paucis qui in itinera magis abdita excommuni cursu diuerterant, saluatis. Tanta autem Rutenorum cædes tunc edita fertur fuisse, vt fluuius occisorum inebriatus sanguine fluorem suum per certa spatia rubrum perduxerit, & Ruteni ex regionibus longinquis ad reperienda suorum charorum corpora, in certaminis locum aduenientes, planiciem vniuersam stratam multitudine funerum videntes crebras congeries eorum contemplati à quærendis ijs, quos sepeliendos aduenerant difficultate quæsitionis arcerbantur, capta aliqua signa militaria, impedimenta rerè cuncta cum sarcinis militum, & equorum complura millia comprehensa, & in deditionem accepta. Memorabili clade & prælio confecto, & cæde, quàm maxima in Rutenis & cæteris qui illi auxilia tulerant Boleslaus Polonorum Rex edita, in Poloniam non iam solùm cum prædis & Rutenorum spolijs, sed cum captiuorum cuneis feliciter regrediebatur. Cui per loca transitum facienti, processionis & exceptionis omnium ordinum, velut glorioso Athletæ, & victori honor exhibebatur. Ex spolijs autem Russiæ, primùm honorauit Ecclesias omnes Regni sui Cathedrales, dando vnicuiq; Ecclesiæ magni ponderis Clenodia, in Ecclesia tamen Gnesnen, illic enim Coronationis suæ agebantur solennia, illic & Regina magis vsitatam habebat mansionem, liberalitate erat profusior. Quæ quidem insigniter magni precij Clenodia, & in hunc diem Gnesnen Ecclesia obtinet, Trophæa Boleslai Regis per ea succedenti ætati innouans & ostendens, deinde ex eisdem spolijs milites, quos vidit enixius in bello meruisse, de publico honorauit, & honoratis spolia innata liberalitate distribuit, largitione huiusmodi præmians, & animosa corda in altiora strenuitatis opera inflammans.

Ioanne Papa XIX. qui sedit mensibus quatuor, diebus viginti, mortuo, Ioannes XX. patria Romanus, è Regione portæ Metropolitanæ sufficitur, & cessauit Episcopatus XIX. diebus.

Anno

ANNO Domini 1010. Boleslaus Primus Poloniæ Rex Chabri, id est, potens, & animosus appellatus, videns multiplicia diuina beneficia, & in se, & Regnum suum excreuisse, beneficijs ipsis munificentia Regali pro sua virili responsurus, aliud Claustrum Monachorum nigrorũ, sub Regula S. Benedicti degentium, in prædio & villagio viri nobilis Setegi, à quo & villagium ipsum Siećiechow nomen accepit, & de consensu ipsius Setegi ad fluuiũ Wissa in terra Sandomirieñ, & in loco amæno & saltuoso fundat, erigit, & fabricat, eiq; in dotem certas villas Regias & introitus consignat, locum autem ipsum & Wissa dies iam aquis non longè à Monasterio præterfluit, & aquæ aliquæ ambiunt, quæ stagnando lacus efficiunt. Contulit autẽ tunc in dotem præfati Monasterij Setegius Comes, & fundum, & villas 12. expost verò Henricus Dux Sandomirieñ. Item Iaxa Comes. Itẽ Martinus Comes. Itẽ Comes Krzywosąd, & alij proceres Regni plures villas, nemo tamẽ in dote tàm Magnificus, quàm Boleslaus Poloniæ Rex, qui ratione supremi iuris obuentiones ex villa qualibet percipiebat.

Superiore anno clade apud fluuium Bug Iarollaus Russiæ Dux acceptа, anno in sequenti congerit contra Suantopelkonẽ Russiæ Ducem nostrum ex proprijs & auxiliarijs exercitum, & vadit contra Kiow. Cui Suãtopelkes occurrẽs in loco, in quo suo iussu Borysz occisus fuerat, initio certamine vincitur, & succumbit. Et non audens ad Boleslaum Polonorum Regem pro sui solatio recurrere, ad Pieczynigos diuertit, & contractis celerimè copijs reuertitur Suantopelkus Russiam in fortitudine magna, & occurrit illi Iaroslaus Dux cum exercitu suo, & positis statiuis circa olham fluuium, in loco, vbi à Suantopelkone occisus erat Borysz, in alterius diei aduentum certamen differunt. Quo aduenient (erat autem dies Veneris) sole oriente congrediuntur, & prævalet Iaroslaus & exercitus eius, & Suantopelkus fuit victus, & venit in Brześćie, quod à Boleslao Poloniæ Rege, & suo præfecto, atq; præsidio tenebatur. Exinde verò clemẽtia Boleslai Regis plurimum fidens Poloniam procedebat, noua auxilia ad restituendas suas calamitates à Boleslao Polonorum Rege petiturus, sed in itinere repentino languore correptus moritur, & à Comitibus suis in loco deserto & ignoto sepelitur. Post cuius mortem Iaroslaus Dux pacificum apud Kioviam tenuit Principatum, & inter Russiæ Duces præstantior habebatur, Boleslaum Polonorum Regem super Castris Russiæ, quæ in potestatem suam receperat, nullo pacto, potentiam suam pertimescens audens quomodolibet impetere vel molestare. Possedit autem Boleslaus Polonorum Rex & successores sui Castra, Oppida, & fortalicia tunc sub Rutenis conquilita, & ea per præfectos suos & Capitaneos administrauit, magnamq; terrarum Russiæ portionem tunc armis quæsitam, propè Kiow se protendentem, in suam ditionem, & Regni sui Poloniæ perpetuam potestatem subegit.

ANNO Domini 1011. Vno aduersario, videlicet Suantopelkone Russiæ Duce fugato atq; exstincto, alter Iaroslao Russiæ Duci aduersarius

 consur-

cõturgit, & pro fratre Nepos succedit. Bretislaus enim Dux, filius Vitlai Ducis de Polocko, congregato de suis Polocen & Varahis exercitu, vadit contra Nouogrod, & occupat illud, & vniuerso Nouogroden Ducatu in suam ditionem & obedientiã redacto, præsidijs illic dimissis, in Polocko ad sedem paternam regrediebatur. Cui Iaroslaus Dux Kiouien hæreditaria forte, Ducatu videlicet Nouogroden, se exutum molestè ferens, aduium Sudomir occurrit, & certamine duro inter vtrumq; inito, prævalu Iaroslaus, & cæsis plurimis, Bretislaus victus fugit in Polocko, Ducatumq; Nouogrodensem Iaroslaus recuperat, & spolia reducit. Vadit posthæc Iaroslaus Dux Kiouien contra Rededa Ducem de Koschochori subiectorus illum sibi, & singulari certamine victum, (ita enim inter Duces, & eorum exercitus conuenerat, vt Duces potiùs, quàm exercitus congrederẽtur, victusq; pareret victori) Regionem gentis Koschochori subiecit, tributumq; genti imposuit.

ANNO Domini 1012. Rutenico bello Boleslaus Poloniæ Rex perfunctus ad alia bella obeunda, ne animi militum ex quiete heberarentur, animum conuertit, indomitusq; vsq; ad id tempus Saxonibus bellũ inferre. Acturus autem in Saxones expeditionem, omnes copias ex singulis terris, Vrbibusq; Regni sui dudum, & in primordio Regni sui per illum delectis, habito ordinatas, & conscriptas, conuenire iussit, habebat siquidem vnaquæq; Vrbs capitalis Regni sui designatũ numerũ, quot videlicet, & quos milites in bellum generale missura foret, propter quod facilè poterat Rex virium suarum æstimata potentia, aut bellum repellere, aut inferre. Collecto itaq; exercitu numeroso Saxoniam ingressus Saxones sibi occurruros, & certamen secum præsumebat inituros, eoq; respectu & milites in ordine, & à signis nunquam discedere iubet. Postquàm autem ab exploratoribus certior factus est, nihil contra se hostile geri, & Saxones potentiam suam veritos, aut in nemorum & siluarum lustra, locaq; inuia, se, & pecus, omneq; suppellectilem abdidisse: aut in Castris munitionibusque fortioribus, cæteris debilioribus concrematis, ne hostibus præsidio esset, se continere, Milites in agros, Oppida, & villas se dedere, & populationes latè longèq; extendere, quò ampliorterror hostibus accederet, iussit. Omnem autem Saxonicã Oram, vsq; ad flumen Albam, quod & Labia dicitur perambulans, vastansq;, & consumens vniuersa, nullam expertus resistentiam humiliatis Saxonibus regrediebatur. Cùm autem ad fluuium Solauam, aliâs Solaua, qui Saxoniã medius interfluit, peruenisset, columnas ferreas in Rippa fluminis illic figens, terminos, gadesq; Regni sui Poleniæ posuit, Poloniam à terris Almanorum locatione huiusmodi ferrearum columnarum disterminauit, quatenus & titulum victoriarũ, triumphorumq; pacifici, & fines Polonicalium Regionum testarentur.

Ioanne XX. Papa mortuo, qui annis quatuor & amplius sedit, in Basilica S. Petri sepulto, Sergius IV. natione Romanus, Vir castæ vitæ, & conuersationis Sanctæ succedit, qui sedit annis duobus, & mortuus, in Basilica S. Petri

S. Petri sepultus est. Cui Benedictus VIII. natione Tusculanus succedit. Ille Benedictus pœnis purgatorij afflictus, rogauit per quendam Episcopum, cui apparuit, vt Ioannes XXI. successor suus, aperta teca, quandam pecuniam inuentam erogaret pauperibus, eò, quòd prior pecunia de rapinis collecta sibi non proderat. Quod & fecit.

ANNO Domini 1013. Domitis humiliatisq; Saxonibus Boleslaus Polonorum Rex turpe sibi, suoq, nomini ratus, si singulæ Regiones olim à Polonis possessæ & populatæ à quoquam alio, quàm a se possiderentur, reuocat in animum Regiones ad mare Septemtrionale sitas, Pomeraniam quoq; inferiorem Kassubien, & cæteros transmarinos tractus, quos etiam nunc Slaui incolunt, propter suorum Principum indignam necem, per Popel tunc Polonicalium Regionum Monarcham à muribus corrosum, procuratam diuturno iam tempore à corpore Regni Polonici, & eius obedientia alienatas abstractasq; fuisse. Propter quod exercituũ suorum potentiam in oras illas deducens, quasdam ferro & expugnatione, quasdam benenolentia & liberalitate, cæteras metu & aliarum exemplo in suam redigit potentiam. Principabantur etenim tunc in illis 20. Principum à Popel extinctorum Nepotes, quos Boleslaus Rex de sanguine Regio sciens creatos, & illos sibi Consobrinos esse, innata tractauit munificentia, & singulis liberalitatis suæ dona tribuens, nihil sibi de illorum Principatibus & Regionibus preter feudalem obedientiam & subiectionem reseruauit, rem non contemnendæ honestatis ponderisq; existimans, si Regnum suum Poloniæ, & suam integritatem resumeret, & frequentiam tot principum haberet feudalium & subiectorum.

Miecslaum filium suum Boleslaus Rex, & virginem Rixam Neptẽ Imperatoris Ottonis eidem dudum desponsatam videns ad annos nubiles peruenisse, solenni curia apud Gnesnam indicta, vicinis Principibus, Proceribus, & Satrapis, Primisq; Poloniæ congregatis, & accersitis nuptias suo filio vnico præfato Miecslao celebrat, & Virginem Rixam illi coniungit, quæ hactenus in Regia à Matre Miecslai Iudita, iuxta ac filia, materna charitate fouebatur.

ANNO Domini 1014. Tertius Cracouiensis Ecclesiæ Archiepiscopus Lampertus, cùm annis decem & nouem piè modestèq; Cracouiensem Sedem gubernasset, in ætate matura in horam extremam proueniens moritur, & in Ecclesia Cracouien sepelitur. Summus autem Pontifex Benedictus Octauus, vacanti Ecclesiæ Cracouien, volens de idoneo Pastore prouidere, Boleslao Polonorum Rege instante, virum probitatis spectatæ, licet in lingua Polonica parum eruditum Poponem nomine, in Cracouien Ecclesiam ordinauit. Mortuo siquidem Sergio Papa Quarto, qui sedit annis duobus, & apud S. Petrum sepulto, Benedictus Octauus natione Tusculanus in Papam electus successit, à Patre Gregorio hic fuit de Papatu ejectus, & in locũ suum alius quidam intrusus, propter quod magnũ Schysma e-

sma exortum fuit in Ecclesia Dei, aut propter malam vitam eius, aut praauum ingressum. Henricus Secundus Romanorum Rex, & Bauariæ Dux, collecto notabili exercitu descendit in Italiam, à Ciuitatibusq; Italiæ debito honore susceptus, & nullam resistentiam, aut aduersitatem passus, Romam pacificus, & inclytus venit. Vbi post aliquos tractatus inter eum & Papam Benedictum VIII. interpositos, in Ecclesia S. Petri coronatur, & ab eodem Benedicto Imperialem accepit benedictionem. Qua perfunctus paucis diebus, in Vrbe commoratus, in Almaniam est reuersus.

Crusuiciensis siue Wladislauien Episcopus Mauricius, Anno eodem fato extinctus, Marcellum per Ioannem Papam XXI. ad instantiam Boleslai Regis Poloniæ prouisum habuit successorem.

Nonus filiorum Wladimiri Ducis Russiæ Mścislaus, Dux de Timnotekany, Kiouien sedem occupaturus, comparato non mediocri ex Kozacis, & Koschochoris exercitu, vadit contra Iaroslaum fratrē suum Ducem Kiouiensem. Et licet Iaroslaus Kiouien Dux in sui solatium Ducem Wolinorū Iakim accepisset, duplici tamen certamine, fortuna tentata, conflictus succumbit, & in Kiouien Mścislai victoris ditionem contendit. Is post victoriam clementior atq; modestior sedem Kiouien, quam conquisierat, fastidire cepit, missisq; legatis, qui Iaroslaum fratrem promissa securitate reducerent, venientem benignè excepit, & complectitur. Repete, inquit, frater quoniam natu maiores, & tibi ex frequentiori respectu debetur sedes Kiouien, & ea pro tuo libito quiete vtere, quam iure belli quæsitam, victo victo æquo animo restituo. Itaque pacificatione, reconciliationeq; huiusmodi præter spem omnium inter fratres celebrata, Dux Mścislaus in Czernicow abijt. Dux verò Iaroslaus sedem Kiouiensem repetijt. Quam cum per se administrare ausus non esset, per Præfectos administrauit.

Eodem Anno nascitur apud Iaroslaum Kiouiensem Ducem filius, & imponitur nomen sibi Izaslaus.

ANNO Domini 1015. Vicinis Regionibus, quas ab origine Poloni & Slaui populi populauerunt, in suam ditionem, & in vnum Regni Poloniæ corpus, vnamq; Monarchiam per Boleslaū Poloniæ Regem victoriose redactis, rebantur le Polonorum milites de cætero ab armis & militia quieturos. Verùm Bolelai Regis pectus laudis & gloriæ auidum, quietis quoque impatiens nouum bellum orditur, & in Prutenorum gentem ad eam diem intactam, bello expeditionem indicit. Omnes autem veteranos milites in huiusmodi bellum armat, sed & magnum Tironum numerum ex vniuerso Regno suo, & Prouincijs eidem subiectis conscribit, collectoque potenti, & ordinato exercitu, versus Prutenorum Regionem procedit, illamq; per terram Regni sui Culmen ingreditur. Est autem Prutenorum terra, vt in superioribus narauimus, ad Septemtrionem sita, quam fluuij Wissa & Ossa à Prouincijs Regni Poloniæ disterminant. Oceano etiam mari in pleriſq; locis confrontata duobus fluminibus Wissa videlicet & Memel: quorum alter ex Polonia, alter ex Russia manat insignis, in octo Regiones distincta,

distincta, quarum vna vocatur Pogęza, altera Nauctaga, tertia Sama, quarta Nadrowasz, quinta Solaua, sexta Sudoua, Septima Galinda, octaua Barta; Et quidem pro ea tempestate pauca habebat Oppida, & hæc ipsa tantummodo naturali situ aquis videlicet & paludibus circumsepta, Castrorum insuper omnis erat ex ligno fabrica, Boleslaus Poloniæ Rex facile Oppida Prussiæ, & nonnulla Castra, in quibus Barbari se abdiderant, conquirit & Romanam sedem Prutenicam principalem. Item Bulgam, Radzin facta oppugnatione capit, captāq; iubet, aut dirui, aut incendi. Prutenorum autem Primores videntes suis viribus contra Boleslai Regis Poloniæ potentiam niti non posse, caduceatoribus missis, parci patriæ, quæ tota spolijs & incendijs flagrabat, petunt, se quoq; deditionē facturos, & tributum pensuros, ac in potestate Regis futuros repromittunt. Boleslaus autē Rex, vt erat animi ad compatiendum calamitati afflictorum proni, petitioni eorum annuens, & præcipuos Prutenorum ad se venientes, comiter pertractans, deditionem eorum suscepit, tributumq; singulis annis fisco Regio pēdendum imposuit, agrumq; Prutenicum vastari prohibuit. Tunc primùm Prussia in Prouincia formam redacta, & armis Boleslai Regis subacta, Regno Poloniæ cepit esse subiecta & tributaria. Posuit & tunc Boleslaus Rex Regni sui Poloniæ in fluuio Ossa, qui Prussiam, Poloniamq; disterminauit, perpetuas Gades, ferream videlicet columnam in fluminis medio, quartale miliaris, ab Oppido Rogozno, inter Leszyn & Rogozno, vnde & villa ad Gades huiusmodi sita Slup à columna vocabatur. Et licet Cruciferi temporis processu, occupata terra Chelmen, ferream etiam columnam, vt Gades huiusmodi abolerent, sustulissent, & molendinū muro erexissent: Slup tamen in eandem diem appellatur. Siquidem Boleslaus propagandi fines Regni sui Poloniæ, & ne vnquam propagati confundi possent, cupidine ardens, diuturnitatis causa, statuas ferreas in Oriente, & Occidente, Septemtrioneq; locauit. Herculis imitatus morem & exemplum, putans illarum monimentum perpetuò duraturum esse.

ANNO Domini 1016. Silentibus bellis externis, & hostibus in circuitu Regni Poloniæ armis, & æquis conditionibus summotis, Boleslaus Polonorum Rex ad res Vrbanas & domesticas Regni sui bene gerendas, animum intendit. Omnis autem præcipua sua cura in causis pauperū, & viduarum audiendis, promouendis, expediendisq;, si compositio sequi non poterat, per iudicia versabat, quibus intentus adeò erat, vt solus & per se, ne fraus in administranda iustitia, aut dilatio, committeretur, in illis præsideret. Quamuis autem tunc rariores extarent iniuriæ, oppressiones, & querellæ, quippe metus, fines omnes superiores, iuxta ac inferiores, in æquitate & obseruantia legum continebat: non patiebatur tamen Boleslaus Poloniæ Rex ad audiendas tàm maiores, quàm minores causas solos præsidere iudices, sed illis, aut solus præsidere solitus erat, aut, si illum aliorum negotiorum Regni sui auertebat cura & expeditio, in locum suum viros integros,

gros, timoratos, & iusticiæ Zelatores surrogabat, qui summopere cauebãt, prouidebantque, ne eorum decisio sententiaq; ab æquitate & iustitia abhorreret, cum prudentissima sanctione Boleslai Regis scirent eum, si qua partium quereretur, se grauatam esse, processum vniuersum examinaturũ, & quod preter æquitatem, aut contra leges pronũciatum fuisset, non sine eorũ reprehẽsione retracturum esse. Omnibus insuper viduis, pupillis, Orphanis, & rusticanæ, tenuisq; sortis hominibus, præsentiam suam cum querellis adeuntibus, Prolocutores, Syndicos, & procuratores, ex fisco suo Regio salariatos deputabat, rigidè mandans & prouidens, vt cum solerti, scrupulosaq; diligentia ad curandas promouendasq; viduarum, Orphanorum, & pauperum causas essent intenti. Interim autem cùm causam huiusmodi coram se, aut Iudicibus suis tractari contingebat, tàm actori, quàm reo, & cuiuslibet conditionis homini mensam suam Regiam patere voluit, & vnicuiq; iuxta qualitatem personæ liberaliter victum ministrare. Qua quidem iusticiæ victusq; administratione singulos diuites videlicet, iuxta ac pauperes adeò demeruerat, vt paterno ab omnibus magis, quàm Regio colerẽtur affectu, & virtutum suarum præconia, latè longèq; manarent.

Octauo Calend. Augusti, Riksha Poloniæ Ducissa, Consors Ducis Miecslai, infantem pulcherrimum enixa est. Cui Aui sui Boleslai Regis Poloniæ, mandato nomen in Baptismate impositum est Cazimirus, quod idiomate Polonico significat iubens pacem.

Sub huius autem Anni tempore terræ motus in Poloniæ Regno accidens, prodigij loco habitus est.

ANNO Domini 1017. Exiguam & semiplenam virtutem, iusticiã Boleslaus Rex Poloniæ sine misericordiæ comitatu iudicans, tanto moderamine inter iustum seuerumq; iudicem, & misericordem Principem se partitus est, vt damnati, damnandiq́ue, & rigorem eius iusticiæ extimescerent, & clementiam eius crebrò experti de salute sua, bene sperarent. Et quamuis Rex ipse in singulos misericordiæ visceribus defluens, reis, legũq; præuaricatoribus se facilem & liberalem præstaret: Legitima tamen Consors sua Iudita Regina, spectatæ virtutis fœmina, clementiam Regis efficiebat sagacitate industriaq; muliebri magis celebrem & illustrem, vt vtriusq; opera notiora forent. Vnum quod illo tempore gestum manauit, ad posteros memoriæ suæ causa subijciamus. Nobilium nonnulli filij à patrum institutis moribusq; degenerãtes, dùm facultatibus proprijs lasciuiùs, quàm satis erat, vterentur, in paupertatis sortem fuêre delapsi, quam cùm molestè ferrent priorem fortunam recuperaturi, ad spolia rapinasq; intendunt animũ. Verùm dùm facinus eorum reiteratione aliquanta proditum, vulgatumq; fuisset, iussu Regis capti, & sceleris prædationum facile conuicti, sententia Regis, & consiliariorum capitalem pœnam excepturi necì addicerentur. Quorum immaturæ morti, & viridi ætati prudentissima Regina compatiẽs, Rege nec quidquam petito, persuaso, aut consulto, in secreto, abditoque loco, paucis conscijs, asseruari illos iubet, oportuno tempore vitam illis restitu-

restitutura. Dùm autem iuxta morem Boleslaus Rex cum Consiliarijs super Reipublicæ negotijs, Regina fortè præsente sermonem diutius protraxisset damnatorum prædonum, ab eo Nobilium filiorum, & quos credebat dudum extinctos mentio incidit, subeunteq; pœnitentia, animum Regis cepit Rex crebra ingeminatione verborum pro desideratis affligi, asserens dolori non paruo sibi esse, quod tàm insignes, & ingenuos adolescentes, ad obeunda belli munera aptos, & qui patriæ ornamẽto potuissent esse, capitali sententia damnasset, & facinus patratum adolescentiæ fragilitati; eorum non tribuisset, præsertim cum eorum damnatis cæteris superstitibus de eorum domo & familia cessisset, in ignominiam, & sugillationem de postremo subintulliſſet se, non solùm damna pasis singula resarciturũ, sed & largam amplamq; donationem se præstiturum, si iuuenes huiusmodi mulcta capitali & infelici cruore non damnasset, tùm Iudita Regina propositum animi exequutura suscitatur à Rege. Quantum inquit esset tibi gaudium, & qua id apponderares statêra, si quis cælicolarum suo suffragio & merito repræsentaret illos tibi viuificatos. Ad quam Rex: Quamuis, inquit, id impossibile reor fieri, tamen si diuinitas, cui hæc, & ampliora licent, quod suggeris, concederet, nihil tàm charum, tàmq; preciosum possiderem me declaro, quod pro viuificatione occisor funeratis non largiret, vt non tàm necati viuerent, quàm genus eorum iniusta ex eorum damnatione infamia careret. Incensum ad misericordiam pectus Regium quæltione Regia, & ad parcendum procliue, Regina intelligens Tribunali Regio, cum Baronibus, & Consiliarijs vniuersis veniam damnatis deprecatura prosternitur, dirigitq; ad Regem plurimum admirantem, & quidnam post effusos sermones rogatura esset, hælitantem, verba. Nihil inquit, Clementissimè Rex ad reddendam vitam damnatis cælesti opus est præsidio, tu ipse calamitosis damnatisq; clementia tua Regia eam præstare potes. Ex media autem morte raptos, & ne in hanc diem iuxta pronunciationis tuæ decretum ceruices eorum plecterentur, seruatos occubuisse me profiteor, facinusq; meum non temeritate aliqua, sed muliebri compassione admissum, primùm mihi ignosci, deinde vitam damnatis donari supplex cum his omnibus, qui mecum vnâ prouoluantur, scabello tuo deposco. Eo etenim respectu id factum egi, vt haberes, quibus parceres, & quos post damnationem & mortem, quasi ex quodam Acheronte, in vitam, non sine clementiæ tuæ admirandæ diuulgatione reuocares. Boleslaus autem Rex supra modum exhilaratus, & in admirationẽ quandam versus ex Throno desiliens, Reginam ex humo eleuat, & in eius ruens amplexus, pietatis furtũ per eũ sagaci dolo commissum, multipliciter extollit, & commẽdat. Cunctis autem, qui aderant, huiusce rei nouitate in stuporem conuersis, certatim Reginã de pietate, sagacitate, probitate, & industria laudantibus, Rex iuuenes nęci addictos, parũ verbis Reginæ fidens, iubet sibi celeriter præsentari. Ex locis autem, in quibus conditi erant adducti, primum Reginæ per ipsam verbali correptione admoniti, præsentantur, quæ demùm illos,

velut vi-

velut vitæ eorum conseruatrix ad conspectum Regium perducens, ignosci illis, & ipsorum transgressiones aboleri supplicat. Boleslaus autem, qui iã pridem ad ignoscendum se pronũ obtulerat, & qui non fuit ad delicti vindictam procliuis, coniugis precibus expugnatus, exorabilem se continuò præstitit ad indulgentiam, pænamq; , cui ex demeritis fuerant obnoxij, illis remisit : non erat enim apud Boleslaum Regem labor iste difficilis, vt ignosceret supplicanti, verba primùm ad illos facit, quod, Nobilitatis suæ obliti, pluribus sceleribus genus suũ fædassent, & claris imaginibus suorũ prædecessorum, quos nomine & virtute extollebat, magnam caliginem suis operibus obduxissent, & hos, qui ætate prouectiori erant, asperioribus verbis mulctans. Iuniores verò in balneum deductos, & in sui præsentia virgis leuiter cæsos, tandẽ, culpa relaxata, vestibus nouis indutos, quo honoratiores essent, in ædes proprias absq; labe de cætero victuros remisit : per expressum interminans illis, ne se vllo modò post hæc placari posse, si eos in eadem, vel paria crimina recidere contigisset. His & pluribus alijs munificentijs, pietatis suæ operibus clementiam suam longè latèq; diffundens, plus amore, quàm metu quosq; suos subditos in iusticia & æquitate, legũ & legitimorum institutorum obseruatione, cõtinebat, concisè & breuiter obiurgatos, blandè, ac cum miseratione admonens. Quemadmodum autem Abigail eloquentia ab irascentis Dauidis gladio seruauit virum suum illæsum, sic & huius Reginæ prudens industria, & nobilium filijs, ne interirent, prouidit, & Rex Boleslaus Consortem suam pluribus reddidit admirandam & gloriosam, & qui per libram & examen iusticiæ plectendi & damnandi vltimo supplicio fuerant addicti, clementia Boleslai Regis, ad preces & intercessiones Iuditæ Reginæ facti fuissent iusti.

Iudita Regina consors Boleslai Poloniæ Regis graui infirmitate correpta, moritur, & in Gnesnensi Ecclesia iusto honore tumulatur, fœmina religiosa, benigna, & deuota.

ANNO Domini 1018. Rutenorum Princeps Iaroslaus, molestè ferens terræ suæ & Metropolis Ciuitatis Kiouien, vastationem, expugnationemq; superioribus annis per Boleslaũ Poloniæ Regem factam, se quoq; & exercitum suum ad fluuiũ Bug grandi strage profligatum, & humiliatũ dolens, & latens, tacitum coquebat bellum, tàm proprios milites armans, quàm alios finitimos conducens oportuno tempore, illud Boleslao Poloniæ Regi ad detergendam cladis suæ ignominiam, apud fluuium Bug acceptam, illaturus. Boleslaus autem, etsi iam pridẽ de hostili in se Ducis Rutenorum animo, à Præsidibus, Capitaneisq; suis, & ab exploratoribus illuc missis certus erat, aliquanto tamen tempore ab armis se continuit, Ducis Rutenorum animum existimans posse, & tempore, & sua patientia sanari. Postquám verò, cognouit Rutenorum Principem ad inuadendum Regnũ suum Poloniæ arma induisse, & cum forti exercitu Regno suo quotidianis statiuis, propinquiorem fore, copias & ipse suas, quas in euentũ hostilis, & futuri belli tenebat paratas, mouet, celeriq; passu in Russiã contendit,

inferendum sibi à Duce Rutenorum, bellum repulsurus. Itaq; sub vno eodemq; tempore, & Polonus Russiam, & Rutenus Poloniam, adeò properè latenterq; ingrediuntur, vt alteri ignotus esset, alterius ingressus & inuasio, ad Ripam tamen fluminis Bug è Regione sitam vterq; consedit, & Castris positis, alter alterius aduentum cognoscens, de futuro certamine in crastinum ineundo consulebat, & Boleslaum quidem Regem, sacratus Dominicus dies crastinus à pugna detinebat. Nolebat enim ob illius celebritatem prælium eo die committere, vnde & milites in castris detinuit, & ne quid eo hostile gereretur, interdixit. Verùm prohibitionis eius exiguæ rei euentus & occasio, vt plerumq; in bello accidit, ordinem violauit. Media siquidem die desuper feruente sole, & milite quiescente, familiares Polonorum ad Ripam fluminis, aut equos balneantes porantesq; , aut occisorum pecorum carnes abluentes, primùm verbis, deinde missilibus cum hostili exercitu in alta Ripa stante, & illos prouocante se lacessunt. Temporis vero processu adeò creuit inter contendentes pugna, vt clamore ab vtrisque sublato, vterq; exercitus ad arma se concitus moueret. Boleslai itaq; Regis exercitus vniuersus armis celerrimè correptis, equisq; conscensis, vniuersa acie in prælium descendebat. Et quoniam hostes propter fluminis interiectionem, nisi eo vadato adiri non poterant, periculo quod illis & ab hoste, & à flumine imminebat, nec quicquam attento, vt erant armati, flumen ingrediuntur, quo diuinitate adiuuante superato, in hostes nondum plenè armatos, neq; sub ordinibus consistentes, sub vario pauore hinc illincque vagantes, subitus enim eos, vilis Polonorum aciebus peruaserat pauor, irruunt, & primas acies eorum facile disrumpunt, obtruncant, & prosternunt, suorum autem strage ad Rutenos delata, Dux ipse Rutenorum, ne viuus in Polonorum manus veniret, à suis fugam capessere compellitur, quo ex prælio discedente, reliquo agmini altior metus est iniectus, propter quod non prælio, sed fugæ intendentes, Polonis victoriam concedunt. Mãdante autem Boleslao Rege, miles suus Rutenos in aliquot milliaria sequutus, plures autem viuos cepit, quã gladio extinxit. Dux autem Rutenorum, & multitudo magna fuga euasit : Castris Rutenicis, & spolijs innumeris Polonis potiti, Rege Boleslao concedente ea diripiunt. Tandem Boleslaus Poloniæ Rex cum signis victorialibus, & infestis ad interiora Russiæ procedens, insigniora Russiæ loca, ferro, igne, & vastatione perdomuit, pluraq; Castra Russiæ, aut expugnat, aut deditione capit. Tantoq; discrimine Rutenos tunc humiliauit, & afflixit, vt & pacẽ petere à Boleslao Rege, & intra parietes se continere, diffisi de armis cogerentur. Boleslaus autem memorabili victoria potitus, pecore plurimo ex hostili terra abacto, alijsq; spolijs onustus, in Regnum Poloniæ reuersus, cum magna lætitia excipitur, & honores illi triumphales à singulis Statibus & Ordinibus impenduntur. Asserunt & alij belli Rutenici, quod anno præsenti per Boleslaum gestum est aliam causam extitisse. Dùm enim Boleslaus Poloniæ Rex ex obitu Consortis suæ Reginæ Iuditæ viduatus, procos ad Ducem Rutenorum Iaroslaum

petendo, sororem suam in Consortem transmisisset, & Iaroslaus propter diuersitatem ritus nuncios vacuos remisisset. Boleslaus Poloniæ Rex in magnam indignationem actus bellum Iaroslao indixit, munitionibus suis expugnatis, etiam sorore Iaroslai capta, pro concubina abutebatur.

ANNO Domini 1019. Insigni famosaq; victoria, Boleslaus Polonorũ Rex ex Rutenis aliata, non in aliquam insolentiam, aut Pompam, vt natura qualitasq; victoriæ suggerebat, prolapsus est, sed solitum humilitatis, & modestiæ gradum obseruans, cunctis se exhibebat, & rectus ad audiendum, & in reddenda iusticia, impendendaq; largitione gratiosum, & benignum, sed & erga Rutenos victos, tũc & captiuos, patrem se magis, quàm victorem egit. Nam & Rutenorum Principi per plurimas legationes eum interpellando, & pacem, modesto imposito tributo, restituit, & singulos captiuos liberaliter remisit. Qua quidem facilitate corda Rutenorũ adeò promeruit, vt virtutem eius, probitatemq; efferendo, magnis celebrarent laudibus, & maximum illum Principem, nulli comparandum vocabulo linguagij sui Chrobri, quod etiam illi in multas successiones suas fuit, & est perenne, nominarent. Ab eo insuper tempore Princeps Russiæ, & populi eius ea tempestate locupletes & numerosi, modestia, & virtute Boleslai Regis Poloniæ, magis quàm armis victi perseuerabant in fide, & singula pacta cũ Boleslao inita, accurata custodia explebant, neq; audebant Boleslao superstite de bello innouando, & iugo superimposito abijciendo quidquam moliri, vniuersas suas artes, & conatus non dubitantes, Boleslaum Poloniæ Regem præstanti virtute & animo compressurum: Riksca Ducissa, Consors Miecslai filij Boleslai Poloniæ Regis iterum fæcundata, infantem parturit; cui nomen Auitum Boleslaus datum est, qui tandem pauco tempore viuens, immatura morte diem obijt. Prohibiturus Boleslaus Poloniæ Rex excursiones clandestinas à finitimis nationibus furum & Prædonum, in Regnum suum plures arces in confinibus Regni fabricat, easque valido præsidio militum firmat, victualiaque pro eorum sustentatione, plurimis villis in circuitu iuxta cuiuslibet villæ conditionem, & qualitatem, imponit annis singulis vehenda. Hæc autem Dacia à Polonis appellatur Strosza, quod militibus Regni fines ab hostibus custodiendis soluebatur. Decreuit etiã plerasq; villas, colonisq; earum & rusticis id officiũ demandauit, vt noctibus singulis excubias nocturnas per vices facerent, & voce sonora, atque cantu fideles excubias se facere declararent. Qua quidem prouisione ab eo prudenti consilio instituta, à successoribus verò suis parum prudenter abolita, effecerat, vt Regni Poloniæ fines, & termini militibus, qui illos obseruabant, egregiè tuentibus nunquã possent impunè ab hostibus inuadi.

ANNO Domini 1020. Multifarijs & gratuitis donis Dei solium suum, & Regni sui Boleslaus Poloniæ Rex videns, propitia diuinitate firmatũ, animum in Religionem, resq; diuinas conuertit, non ignorabat siquidem ex vni-

ex vniuersis Principibus Poloniæ eum præcedentibus aliquem tot, tantaq; tulisse decora: tantasq; diuitias, successus felices & gloriam, talem insuper industriam prudentiamq; habuisse, qualia quantaq; in se vnum contulisse, & Principatus sui fulgorem vltra cæteros Reges & nationes magnificasse. Volens itaq; de amplissimis beneficijs Deo gratum se ostendere, & illis aliquantula vicissitudine respondere, Ecclesijs tàm Cathedralibus, quàm alijs inferioribus, à genitore suo Duce Miecslao erectis, & fundatis, Oppida, villas, & prædia pro ampliori illarum stabilimento, & dote, munificè & largiter tribuit, & donauit, pluresq; Parochiales Ecclesias in villis vicisque, quæ sub suo, & Patris sui tempore consurrexerant, construxit & fundauit, vasis quoq; aureis & argenteis, in ministerium & cultum diuinum necessarijs, Ecclesias singulas sed præsertim Cathedrales adeo ornauit, locupletauitq;, vt liberalitatem suam in Ecclesias Dei abundè effusam, multa fæcula testarentur. Decimarumq; manipularium pro Ecclesijs & ministris Dei in vniuersis Principatibus suo imperio subiectis, solutionem nullatenus passus est, aut varietate aliqua diminui, aut in dubium aliquatenus reuocari, sed mandauit, decreuitq; illam esse perpetuam & perennem, varia diuinæ vltionis flagella, filijs, Nepotibus, successoribus suis interminans, si per quẽpiam illarum præfatarum Decimarum contigeret redditionem intercipi, transmutari, vel rescindi. Gladij insuper Regalis potentia à Domino concessa, non pro sui ambitione, & in aliorum iniuriam, sed pro Dei beneplacito molem iniquitatis assiduæ, in quibuslibet subditis Regni sui euellendo & destruendo vtebatur, nonnullorum compescentem iniuriam. Excessit è vita eo anno Timoteus Episcopus Posnanienſis, & accepta in Posnanien sepultura, Paulinum primum natione Italum, à Bonifacio Septimo Boleslao Rege petente, confirmatum habuit successorem. Alijs placet illum non in Posnanienſi Ecclesia, sed in Brandeburgensi fuisse sepultum.

ANNO Domini 1021. Diuinis Sacrisq; rebus, Boleslaus Poloniæ Rex religiosa & prouida ordinatione in Dei honorem, & fidei Sanctæ Catholicæ incrementum compositis, rebus autẽ publicis Regni sui, & præsertim Arcibus & Castris in confinijs Dominij sui positis, & hostilibus terris cõfrontatis prouisurus, qua ratione consisterent diuturna, & victualium necessarijs, ad singulos emergentes casus essent prouisa, pleriſq; vicibus deliberabat. Ordinauerat siquidem præfatus Boleslaus Rex plura in confinijs Castra, Arces, & munitiones, illisq; exercitatorum militum præsidia imposuerat, qui summo studio, summaq; ratione districtè id mandante Rege curas intenderent, ne hostes clam vel publicè imperium Regni sui grassarentur, nec militibus fidens frequentibus vicibus Castra huiusmodi obibat, illicq; aliquantum temporis assumebat, satius iudicans, quamuis paruo & castigato contentum victu pro subditorum suorum tranquillitate tenere excubias, quàm delicatis epulis immersum dissolui per dissidia, & præbere hosti occasionem ad inuasionem. Consiliarijs itaq; suis probantibus generalem tunc

lem tunc edidit ſanctionem, vt quilibet colonus ſeu Kmeto manſum integrum colens, vnam ſiliginis, alterã auenæ menſuras de purgato grano abſque cunctatione perſoluat, & in propinquiora Regalia horrea deducat, in vſum, veſtitum videlicet, & victum militum eorum, qui Caſtra commeanea adminiſtrabant, & pro pace Regni totius militabant, conuertendas, Solutio autem ipſa cum omni alacritate ab incolis ruſticiſq; excepta eſt, & in multa tempora extunc deriuata ab effectu impoſitionis ſuæ etiam in hanc diem Stroza, quod ſignificat cuſtodiam, quoniam in Regni & Caſtrorum cedebat cuſtodiam, & per effectum eſt ſortita. Quarto Idus Maij, alias feria Sexta poſt Aſcenſionis Domini, in Italiæ, Franciæ, & Hiſpaniæ Regnis, magnus terræ motus exortus, nonnulla loca abſorbuit, quædam verò rupnauit. Incendia inſuper crebra, & ingentia in pluribus contigiſſe locis nunciata ſunt, à quibus omnibus Poloniæ Regiones fuêre gratia Dei immunes.

ANNO Domini 1022. Catholicæ Religionis fidem, cultumq; Sathanæ inuidia, & malignitas in Regno Poloniæ, & Regionibus vicinis videns in breui temporis ſpatio, primùm quidem ſub Miecſlao Duce, deinde ſub filio eius Boleſlao Primo Polonorum Rege vehementer germinaſſe, & funiculos tentorij ſui latiſsima propagine diffudiſſe, turbinem & procellam in Regno eodem excitit, & res fidei extinguere, & quietem ſtabilitatemq; vſa eſt perturbare. Nonnulli ſiquidem Nobiles Poloniæ Sathanæ ſuggerente oneroſam decimarum manipularium ſolutionẽ, oneroſos Chriſtianæ religionis ritus ducentes, hi præſertim, qui in ſpurcitijs gentilitatis e nutriti, iugum Orthodoxum non facile tollerabant, ad ritus redire prophanos, & vetuſtam ſacrilegamq; vitam reſumere, & decimas tempore inſtituto non reddere, nec Eccleſias frequentare, miniſtroſq; & Sacerdotes de orum Eccleſijs pellere, frequenti conſpiratione diſponebant. Id cum ad Boleſlai Regis Poloniæ noticiam perductum eſſet, non tulit fideliſsimus Catholicæ fidei propagator gliſcentem conſpirationem conſurgere, ſed in ipſo ſuo ortu illam mox extinxit, autores enim illius miſsis militibus comprehendit, & capita conſpirationis partim capitali ſupplicio extinxit, partim verberibus mulctauit, cæteris minus reis, & ſola contagione fædatis, aliorum ſuaſionem ſequutis parcendum decreuit.

Cogitanti Beato Stephano Hungariæ Regi, & in animo ſuo formanti vt ab adminiſtratione Hungariæ Regni ſe ſubduceret, curam quoq; rerum mundanarum à ſe penitus abdicaret, & in oratione, & contemplatione reſtantem traduceret ætatem, atq; in Ducem Emericum filium ſuum qui illi vnicus erat, faſces Regias transferret Dux ipſe Emericus continenter, & in virginitate cum ſponſa ſua, quam in ſororem commutauerat viuens, anno eodem moritur, & in Eccleſia Albæ Regalis corruſcans miraculis ſepelitur, quem Pater B. Stephanus magno planxit mærore, quod & renunciationem Regni quam in animum induxerat interceptam, & ſtirpem ſuæ pro paginis per eum videbat extinctam. Wiſlaus miles de nobilitate & armis

Zabawa,

Zabawa, confert in Monaſterium S. Crucis calui montis aliquas ſui patrimonij hæreditates, & Setegius alius miles de domo bipennium, fundato Monaſterio ordinis S. Benedicti à Boleſlao Chrobri Poloniæ Rege, ſub honore decem millium Martyrum in Sieciechow ſupra Wiſſam in Cracouienſi Diœceſ. in dotem illi ex hæreditarijs ſuis proprijs conſignat, pleraſq; poſſeſſiones & villas.

ANNO Domini 1023. Cracouienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Quartus Popo Domino vocante infirmatus moritur, & in Cracouienſi Eccleſia tumulatur. Ne autem Cracouienſem Eccleſiam diutius Paſtore carere contigiſſet, Boleſlaus Poloniæ Rex miſsis ad Benedictum Papam VIII, tunc Sedi Romanæ Præſidentem nuncijs Componem virum literatum, & expeditè linguam Polonicam ſonare ſcientem, obtinuit præfici, in Cracouienſem Archiepiſcopum.

ANNO Domini 1024. Cum annis prope Sexaginta, Boleſlaus Poloniæ Rex in aſsiduis occupationibus & curis tempus conſumaſſet, læpè illi ab amicis ſuggeſtum fuit, vt tandem feſſo corpori aliquantulum quietis daret, curarumq; tàm publicarum, quàm priuatarum, molem in filium Ducem Miecſlaum deuolueret, ſed dum id ſibi nulla ratione perſuaderi poſſet, animus enim ad omnia negotia obeunda, vegetus & ferox corpore ſæpè reluctante vincebat ætatem, tunc tamen naturalem vigorem ſibi proſeſſus diminutum adminiſtrationem Regni, & expeditionem querellarum, & cauſarum, ad eius audientiam ex omnibus Regionibus confluentium filio ſuo Duci Miecſlao mandauit, Generali quoq; conuentu apud Gneſnã habito, Ducem Miecſlaum filium ſuũ probantibus, & gratificãtibus Prælatis & Baronibus Poloniæ, ſibi in Regnum ſucceſſurum deſignauit. Non enim magis præcipua, quàm de Regni Poloniæ ſui ſtabilimento animo ſuo inſederat cura, quod & Regni gloria, & diuitiarum abundantia, & finitimarum nationum ſubactione, varijs quoq; triumphis, diſciplina militari, & domeſticis inſtitutis adeò nobilitauit, effecitq; ſplendidum & illuſtre, vt omnem ſplendorem, omnem ornatum, famam, & gloriam; omnem deniq; Reſpubl. ſtatum, diſciplinam, & ordinem ipſe primus Polonorum genti, quaſi quandam animam viuificante infuderit. Ipſe quidem terminis, quos à Patre & proauis, atauiſq; ſuſceperat, parum contentus, Bohemiam, Moraviam, Ruſsiam, bello ſubactas & oppreſſas, & cæde multiplici, excæcationeq; Boleſlai Ducis Bohemiæ, cæteraq; ſtragę ſanguinaria, humilitas Poloniæ adiecit, fecitque ſibi & Polonis tributarias & ſubiugales, eaque heroica & ſumma animi virtute reſplenduit, vt inter Polonorum Reges, & Principes ſibi ſuccedentes, neminem hactenus conſtare ſatis potuit, ad ſuorum geſtorum & virtutum arcem pertigiſſe, aut illum gloria, bellicarum, domeſticarumq; rerum æquaſſe, obquam heroica nuncupatione dignus Chrobri, id eſt, vir altæ, & heroicæ virtutis cognomentum ſortitus eſt, à quo & vicus ab eo amatus, ad Vada fluminis Nida non longe à Viſtica, vbi & arcem ſibi extruxerat, & in quem negotijs publicis perfunctus

pro quiete declinabat, Chroberz denominationem accepit. Signum mortis suæ haud obscurum fuit, fulgens face magna Cometes, vt planè attenderent homines, magni viri & Regis curam fore cælestibus, Fratres Ordinis S. Benedicti, qui in spiritu deuotionis, humilitatis, & rigoris obseruantia Monasticæ disciplinæ, Domino sedulo famularũt, cæteris ordinibus specialibus prætulit & amauit, tali ad vtramq; fortunam comparatus natura, & arte, vt nec fractus varietate temporum caderet, nec elatus fortuna intumesceret, qui sermones suos inter serium iocumq; ita moderabatur, vt illius iocunditate nihil seuerius, nil seueritate iucundius putaretur, magnanimus diuitiarum contemptor, quas nemo sapiens concupiuit, & plerique angusti animi sic amant Principes, vt eos honoris omnis & officij capiat obliuio. Hunc ego illum Regem & Principem fuisse contenderem, cuius ope & opera res diuinæ in Polonia auctæ sunt, & Poloni ex agresti feraque vita, in vrbanum, mitemq; cultum deducti. Tantum deniq; amplitudinis, gloria eius in vniuerso peruagatur orbe, vt quãtus inter Principes viros, tãtus inter Principes Princeps emineret. De quo illud, quòd de Nestore Iteris proditum est, merito dixerim. Cuius ex lingua melle dulcior fluebat oratio, ad mansuetudinem, clementiam, misericordiam, bonitatemque componens, pro omni tempore, quæ longè stabilior, atque glorioſior est, quàm Regni aut diuitiarum est hæreditas. Virtutũ autem suarum id vnum vel maximum testimonium est. Nam quamdiu apud Polonos rerum summæ præerat, prosperè cuncta succedebant, victores exercitus remeabant, res bello paceque feliciter gerebantur, arma Polonorum vniuersam territabant viciniam. Posteaquàm vero fato subtractus est, spes Polonorum retro sublapsa cepit referri ab isto Rege, & fidei Christianæ in Polonia cepit exordium, & per Regalem splendorem & gratiam, peruenit Polonis diadematum, & vnctionis Sacramentum, per illum solum tantæ rei tantiq; decoris Polonis affluit, & accessio, & occasio, nec inter Principes suæ ætatis alterum fuisse, in quo ampliora benignitatis & humanitatis relucerent officia, ita Regnum terrenum administrans, & taliter actus suos dirigens, vnius conformãdo beneplacitis, vt appareret illũ in terreni solio Regis, non nisi parua ex parte ad cæleste Regnum spirare & perficere. Faciles ad eũ aditus, facilior allocutio, & cum multos multis in rebus excelleret, tamen se singulis parem præstare videbatur, promptus ad ferenda beneficia virtutis suæ: siue bellum spectando, siue pacem, strenua apud Polonos relinquens præconia, sed in eo potissimùm, quòd repudiatis falsis dijs & erroribus Maiestatem veri Dei, & cultum eius felicissimo auspicio agnouerit, inchoauerit, ampliauerit, & honorauerit.

ANNO Domini 1025. Grauibus continuisq; laboribus, quibus Boleslaus Poloniæ Rex, & inferendis, & in repellendis bellis, & in Reipublicarum administratione, atque in domesticis institutis & ordinationibus occupabatur, nam sine vllis inducijs agebat vitam, consenescens & viribus corporalibus sensu decidens, grauem & aduersam valetudinem incurrit,

currit, quæ illum mensibus aliquot vexatione assidua torquebat medicinis, quæ adhibebantur nullum afferẽtibus profectum. Inualescente itaq; morbo, primùm prudentissimus Rex confessione criminum suorum aliquoties repetita, & salutari sumpto viatico Prælatos, & Barones Poloniæ accersit, quibus in Castrum Posnanien ad eum conuenientibus, illic enim eum inuaserat ægritudo, cepit plures de conseruando stabiliendoq; Regno Poloniæ cum illis conferre sermones, contestans, & per beneficia quæ Regno & illis præstiterat, & per coronam, quam sua virtute & sudore quesiuerat & dilatauerat, obligans illos atq; rogans, quatenus morte sua sequuta, seruarẽt concordiam, vnionẽ & charitatẽ, & ad filium suum, quẽ in spẽ successionis vniuersi Regni Poloniæ, vnicum relinquebat Miecslaum Ducem, Nepotemq; paruulum ab eodem Miecslao ex Rikscha genitum nomine Cazimirum, omnem conuerterent fauorem & respectum, & illum in Regem assumentes, Regio Diademate insignirent. Filio quoque Duci Miecslao tunc præsenti, & ad grabatum cùm Consorte, & infante Cazimiro assistenti, longo sermone seriò præcipiens, vt, virtutum suarum emulator existens, diuina in primo & præcipuo retinens cultu, Consiliarios in honore, cæteros subditos in iusticia & æquitate contineret. Voluptates autem molliciemq; quàm maximè fugeret, & in armis tractandis occupatus, heroicum quoque virum se exhiberet, asserens nationes finitimas à se armis subactas, nisi potentia & armis in fide contineantur, facilè iugum detrectaturos, & neruo subiectionis & obedientiæ, quo hactenus tenebantur, abiecto, rebellaturos. Excepta autem sunt ab vtrisq; cum omni mansuetudine huiusmodi mandata. Pollicetur inprimis Dux Miecslaus se virtutum paternarum sectatorem, & operum adiutorem, ne qua occasione sibi, Regnoq; Poloniæ, segniter se gerendo nebulas offundat. Pollicentur deinde Prælati & Barones concordiam se seruaturos, & prolem suam, ac posteritatem omnem in Regio honore, atq; dignitate habituros, spe optima pleni, quòd in Duce Miecslao, quem Diademate Regio ornaturos se vltro compromittebant, & sua vigere instituta, & relucere deberet virtus, & imago eius. Iste Boleslaus Primus Christianæ religionis funiculos in Polonorum Regionibus dilatauit, propter quod benedictionem filij Iaphet, nec immerito hæreditauit, quem pater benedicens: Dilatet inquit, Deus Iapher. Gentilitatis enim errore, & superstitione idolorum abiecta, fides & religio Christiana, in cultu vnius veri Dei per obsequium vnius Boleslai in Polonia est dilatata. Huius enim tempore Ecclesia Sancta in Polonia sumpsit incrementum in rebus & personis, ipse enim, vt superioribus scripsimus, constituit nouem Episcopatus & Episcopos, limitauit & dotauit Ecclesias, attribuens eis prædia, & castra cum pertinentijs earum, scilicet seruitutes diuersorum officiorum, prouentus rerum mobilium, & immobilium, tàm præsentium, quàm futurorum terra nascentiũ, scilicet ferri, plumbi, salis, & argenti sine exceptione, auri verò cum exceptione, & immunitatem à muneribus, seu omnibus seruilibus eis liberaliter conferendo, ne

do, ne angarijs & præangarijs per officiales Regios aut Ducales aggrauarentur, seu molestarentur. Immunitatum autem in Priuilegium Ecclesiasticæ libertatis, & personarum ad eam pertinentium, ipse suo tempore Ecclesiæ diligenter exhibuit, & posteris suis sine scrupulo retractationis adhibendum reliquit, Reipublicæ etiam tenorem idem Boleslaus ad vnitatem ciuium, & concordiam indigenarum mutuo conseruandam sagaciter ordinauit, legesq; salutiferas gratia humanæ societatis descriptas condidit, & edicto publico promulgauit, vt eorum motu humana coërceretur audacia, & tuta esse posit inter improbos humilium innocentia, vnde etiam omne genus hominum pestiferum, scilicet fures, prædones, eraptores, concussores, seu calumniatores, sacrilegos, plagiarios, abigeos, & cæteros maleficos propulsando, & proscribendo, prouidè de terra exterminauit. Totam præterea Poloniæ terram pertransiens, erroribus superuacuis salubriter purgauit, Deorum gentilium culturam, qua in varijs erroribus gentilitas delusa erat, tollebat, & aliarum vanitatum superstitiones superuertendo penitus aboleuit, & vnius Dei creatoris cæli, & terræ Maiestatem venerari & adorari, vniuersali imperiosa & stricta visione demandauit, cuius cura, industria, & opera, Poloniam Deum videmus illustrasse, qua nil luce clarius, quàm recta fides in pectore Principis elucescit, vnde duo ex militibus eius Barones Wislaus & Setegius, Regis & signiferi sui exemplum, & documenta sequuturi, duo claustra Monachorũ S. Benedicti fundauerunt. Wislaus videlicet in Lisiec calui montis in loco alto, situ eminenti fundatoris intentione, pro vita solitariæ deuotionis fundamenta Claustri iecit, & erexit, velut verius loquar, iactis dudum, & erectis insigne augmentum præstitit. Setegius autem in loco plano viatoribus ex diuersis partibus commeantibus, & institutoribus nauigantibus competenti, & necessariæ hospitalitati in Siećiechow supra fluuium Wisłam Cænobium aliud fundauit, & ædificauit, & vterq; eorum pro sua possibilitate vtrũq; eorum sigilatim, & de facultatibus suis dotauit, vt in vno eorum fratrum Deo seruientium, & Mariæ exemplo vacantium contemplationi cenuentus esset, in altero verò Marthæ exemplo Deo militantium, & in proximi necessitate, supportanda solicitè desudantium: Ecce nouellæ plantationis fælix Seminarium. Quod enim Miecslaus Dux fide Catholica suscepta plantauit, hoc Boleslaus propagando dilatauit, & affectu charitatis irrigauit. Felix igitur exordium Miecslai in fidei Catholicæ susceptione, felicior egressus Boleslai in Christianæ professionis propagatione, felicissima præstolatur pro Catholicæ fidei confessione, consumationem in præmij collocatione, præstante IESV CHRISTO in seculi regeneratione. Ordinatione insuper Regni Poloniæ expedita, rursus Boleslaus Poloniæ Rex animum vrgente valetudine intendit, & quonam pacto continui sui milites, & familiares præmiari debeant. De nonnullis quoq; alijs priuatis rebus Duci Miecslao filio mandata, voce iam labente, edicit. Hinc verò Consiliariorum & militum turba in ædem, qua decumbebat admissa, charitate, qua illi iuxta, ac parenti afficiebatur, permoti, mouere Regem, atq; ab eo doceri vehementer exp

petijt, quibus honoribus, & qua pompa, quoue ordine, quantis insuper diebus, quantoq; tempore funus suum essent ritu & traditione Catholica persequuturi, & tetra ac mutata veste, lugubriq; habitu excessum suum deplãcturi. Tùm ille in vberes lachrimas resolutus, non de sepulturæ qualitate, sed statu patriæ, cuius etiam tunc charitate flagrabat, solicitus. Nil, inquit, aut parum interest mandare mihi, aut eloqui, qua gloria, quauè dignatione à vobis post fata debeam funeris officio efferri, sed neque vestrum super morte mea mærore finito tempore fas iudicio, quemadmodum vestra haberi supplicatio circumscribi, neq; enim adeò anguste & ignauiter me scio vixisse; vt operum meorum recordatio aliquando debeat apud vos quacunq;e limitatione concludi, verùm etsi à vobis ordine fatorum subtrahor: conscientia tamen clarissimorum operum meorum à me editorum, & secũdo fauore rerum à me gestarum ea spe plenus decedo: ita me in vestris pectoribus celebratum iri existimo, vt non à vobis tantummodo, & filijs, Nepotibusq; vestris, sed ab vniuersa gentis Poloniæ posteritate, quocunq; æuo successura coli mirariq; debeam memoria sempiterna, & nouis, atq; exquisitis, tùm cladibus, tùm suffragijs à genere Polonico, in regiminis mei honorem apud cælestes, & quoslibet mortales attoli. Noscitis quidem me à puero firmatum, taliter & inspiratione diuina, magis quàm humana sic institutum fuisse, vt ad erigendam, ornandam, locupletandam patriam hanc, omnes vires, facultates, & ingenia scrupulosa intentione, conuerterim, ac pro eius incremento nullum laborem, nullumq; periculum, vsq; in diem hanc exhorruerim, primisq; meis partim moribus, partim victorijs, Regiam illam dignitatem sublimare obtinuerim, vt nemo quantumcunque iniquus eorum æstimator dubitet me è maioribus meis virtute, & bellica laude, domesticisq; institutis adeò perluxisse, in patriam quoq, tàm frequentia, ornamenta, tàm immortalia beneficia contulisse, vt sim meæ domus, posteris notæ excellentiæ & nobilitatis vertex, & Regiæ stirpis prima & clarissima propago, patriæ verò parens præcipuus, suiq; splendoris autor primarius & origo. Post hos sermones dum Rex parum conticesceret. Vox à Consiliarijs Proceribusque & militibus Polonorum sublata, non patrem eum tantummodo patriæ, sed & liberatorem, instauratorem, & alterum à Lechone conditorem, triumphatoremq; pacificum succlamauit. Dùm in eis laudibus certatim immorarentur, & vniuersa Regia blando murmure personaret, tandem Boleslaus Rex rupto silentio ait. Mihi quidem in præsenti agone constituto, non quo loco condar, quibusue officijs funeri meo iusta soluantur, à vobis insidet sollicitudo, quippe qui funebrias pompas, per vos celebrandas, ne quicquam mihi reor profuturas. Altior autem nunc de vobis & Vestra Republ. distinet, & singulari cruciatu conficit cura. Video siquidem, & è longinquo diuinitate mentem meam inspirante, contemplor Rempubl. Poloniæ quàm speciosam, atq; florentem relinquo, per seditiones, diuisiones q; vestras ciuiles direptum, & pessundatum iri, quantumq;

tumq; cruoris domesticis bellis Polonia fusura sit, quantisque cædibus me assumpto parentatura, contemplor, iamq; hostilium Castrorum, & eorum quorum ceruices vobis subiugaueram fremitum in vos, & patriam hanc grassantium exaudire mihi videor: video & prolem prosapiamq; Regiã meã hinc exulantem hostibus, quos domaueram supplicem fieri, & Monarchiam Regni Poloniæ in varia diuisionum monstra scindi, & horrenda bellorum ciuilium inuasione, iusto Dei permittente iudicio, cuius cultum religionemq; negligentius & tepidè, in luxum, voluptates, & seditionem versi, tractabitis, collidi, sola quoq; hæc doloris anxietas, etiamsi morbus non vrgeret, animam esset excluſura, nisi multitudine malorũ imminentium spes melior temperaret, miseratione enim cælesti propitiaturum stirpi meæ, & vobis video Deum, prodituramq; ex lumbis meis suspicor in clarissimi syderis morem vnum, qui penè languidam & exanguem Rempubl. Poloniam, & terminos eius à finitimis occupatos restituet, qui instaurabit dissoluta, qui superbiam humiliabit hostilem, qui gladij mei capulo conteret, subijcietq; rursus eas, quæ contra vos recalcitraturæ sunt nationes, Regno Poloniæ mirificum iubar, pristinumq; fulgorem suo ductu, suisq; virtutibus, auspicijs, & operibus infusurus. Ea voce, eaq; denunciatione, rauco & debilitato iam sono lætas & aduersas res Poloniæ portendente edita, oculoq; orbibus clausis, manibusq; defluentibus, agonem suum Christo supplici ingeminatione commendare non desijt, donec anima corpus relinquens, in præparata sibi pro operibus in fidei Catholicæ stabilimentum sæpènumero exhibitis, habitacula, ministerio Angelico, vt pia habetur credulitas, tertia die Mensis Aprilis est inuecta. Itaq; mortuus est Boleslaus Rex Poloniæ anno vitæ suæ 58 cùm annos quinque, & viginti in Regno exegisset, in cuius laudem & memoriam vniuersa Polonici generis præsens & futura propago, aptissimè illud Virgilianum assidua modulatione poterit tenebiturq; depromere, semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt, & illud Alexandrinum si vitæ meritis respondet gloriæ fama. Nulla tuos actus poterit delere vetustas. Qui etsi maturæ decesserit, plus tamen luctus & desiderij, quàm cæteri ante se Reges in Polonorum pectoribus reliquit, quanto vir magnanimus, & præsenti semper fortuna meliorem se exhibebat. Mæror deinde ingens, primùm Episcopos, Comites, Barones, Nobiles. cæterosq; suæ mortis spectatores, expost verò vulgus promiscuum occupat, luctusq; & lamentatio, non solùm in Regia, verùm in vniuersa Regionum vicinia continuati increbrescebat, sed & coloni morte Regis vulgata rure relicto, & agricultura neglecta catetuatim accurebãt, exanime corpus optimi Regis vituri, & fuæ ipsius in fine sortis sodalitatis officium sibi impensuri. Confluxit tandem ad funeris pompam, tàm Ecclesiasticorum, quàm militum frequens numerus, & corpore Regio in aula stante, tristi mærentium militum, & matronarum lamentationes, & eiulatus emittentium frequentabatur officio. Expost verò in Ecclesiam Posnanien deductum, iux a magnificentiã Regalem à Duce Miecislao filio suo, per Præfectos Regios sin-

gios singula gubernatione dirigenteq;, exequijs in dies aliquot prolatis, in medio templi conditum est, & funeri suo iustissimus honos persolutus. Tantus autem dolor vniuersis ordinibus, vniuersisque populis super morte tàm clarissimi Regis futura mala, quæ illos exceptura erant, vt reor iam tùm ominantibus, suaptè ingestus est, vt anno plusquam integro, quasi ex quodam edicto dies luctus singuli agerent, matres quoq; familias virgines omnem cultum abijcientes ornamenta solita negligebant, sunt item conuiuationes, ac epulæ abrogatæ, nuptiarum solennitates, cætus nobilium, curiarumq; celebrationes intermissæ, nullus cantus, nullaque secularium iubilatio, non plausos in vrbibus & villis, sed nec in agris audita sunt. Omnis siquidem sexus, omnis ætas, omnis conditio, super morte tàm optimi Regis deplangenda, non se vnquam parum illi autumans habiturum, videbãtur pro certamine conspirasse, omnes siquidem tàm ingenuos, quàm Rusticanos ex Boleslai morte magnus dolor peruaserat, non sicut assolent fictum ostendentes dolorem in principis funere, sed vario & fideli cuncti consumabantur, Regisq; sui mortem propria acriorem iudicabant. Adeõ vnum quemq; ex Optimatibus, & inferioribus eius mores, & colloquiorũ suauitas demulserat. Extat autem carmen à veteribus scriptoribus in laudem Præfati Boleslai editum, quod nostro præsenti interseruimus operi, vt ex priscorum commendatione Regis præfati amplior reluceat amplitudo. Neminem enim Principem aut Regem ætas illa habuit, qui diligentius, qui sincerius, qui sanctiùs quàm Boleslaus à Polonis cultus extitisset, quod maxime fletus & mæror, tàm Procerum, quàm vulgi in funere honestando, & plangendo habitus demonstrauit. Dolebant siquidem quodam animi præsagio, iam futura ominantes, maximis incommodis ob eius mortem, se non tàm esse affectos, quàm afficiendos. Deflebant quoq; eum sibi subtractum fore Regem, qui cunctos suæ ætatis mortales, liberalitate, industria, beneuolentia, morum suauitate, humanitate, facilitate anteirent. Qui non solùm rogatus miserorum, & calamitosorũ, aut aliqua egestate grauatorũ subueniebat inopiæ, sed etiam vltrò offerebat, quæ pudor petere prohibebat, mores illius generosi & illustres, & gratiã redolentes, specie decorus, & forma non contemnendus, media siquidem pollebat corporis statura, barba copiosa & crispa, atra tamen, & suffultum habens Cæsariæ caput, publicis & priuatis abstinendo expilationibus, benignum se per omne tempus præstitit Regem, in subditos modestus, in hospites officiosus; in calamitosos & delinquentes exoratu facilis; conuersatione & vita nitidus atq; pudicus: optimo temperamento inter pietatem & rationem vsus, sub eodem tempore, quo desideria sentire cepit, oppressus. Cuius ideò virtutes descripsisse succurit, vt cæteris omnibus Regibus, & Principibus Poloniæ futuris, virtutis exemplar, & imago reluceat, quem si cæteri, qui rerum summa potiuntur imitari vellent, meliori loco sese haberent, Polonorum res minoribus exagitarentur incommodis, instructiorem, & magis cautum habituri animum in suis actionibus, Regis præfati exemplis firmati, cuius etiam ope &

opera Poloni homines quondam barbari, ex agresti feraq; vita in vrbanum ciuilemq; cultum deducti sunt, & in mores conciliati ciuiles & nobiles. Quæ cum ita sint, quis eum Regem non probet? non admiretur? non tollat in cœlum summis laudibus? quem intelligit tot immortalia beneficia populo & Regno Poloniæ contulisse.

Henricus Primus Bauariæ Dux, Imperator Romanorum, cum annos viginti regnasset, & plura bella feliciter confecisse, fine beato absumptus est, & in Ecclesia Bambergen, quàm viuens fundauerat, dotauerat, & extulerat sepultus, ad Sanctorum numerum relatus, cuius festum agitur.

Corpore Regio cum debito honore Ecclesiasticæ sepulturæ mandato, Prælatorum, Comitum, & Baronum, Nobiliumq; Poloniæ, in Posnaniensi Ciuitate maximus habitus est conuentus, ad prouidendum de futuro Rege Poloniæ in Boleslai locum successuro. Conformis autem tunc frequentis Senatus iuxta ac multitudinis erat sententia, vt patri optimo filius Miecislaus Dux succederet, cum & per patrem futurus Rex designatus foret, & propter paternam probitatem virtutes & merita, affinitatem insuper, quæ ex parte vxoris suæ Rikschæ cum Principibus Almaniæ & imperio retinebat, nulli æquè, vt sibi successio, & solium Regni Poloniæ debebatur. Publico itaq; decreto, decorando Miecislao Duce concorditer confecto, Dies Dominica Pentecostes ad coronandum illum est indicta, qua aduenente ad Metropolim Gnesnen Princeps Miecislaus cum magna militū cohorte aduenit, & in Ecclesia Gnesnen die præfata Pentecostes, ipse quidē Dux Miecislaus in Regem, Consors verò ipsius Ducissa Rikscha filiæ Comitis Palatini Rheni, & Nepotis Tertij Ottonis Imperatoris, in Reginam Poloniæ per Hippolitum tunc Archiepiscopū Gnesnensem, assistentibus sibi Gnesnen Archiepiscopo Cracouien, Palatino Posnanien, Marcello Wladislauien; Clemente Wratislauien, & Albino Plocen, Pontificibus, Comitibus q;, Proceribus, Baronibus, Poloniæ inunguntur & coronantur. Paternis autem institutis Miecislaus nouus Rex Poloniæ edoctus, tàm Pontifices, Principes & Barones, quàm vniuersam militiam & nobilitatem, quæ ad suæ Coronationis solennia, velut spectaculum visura Gnesnam confluxerat, & Coronationis suæ die, & pluribus alijs sequentibus Regali mensa accepit, & oppipare eos tractari, singulisq; abundè mensis epulas Regias inferri disposuit. Distribuebantur insuper ex præcepto & ordinatione Miecislai Regis in pauperes eisdem diebus largæ Eleemosinæ, & singulorum prouidebatur ægestati. Obtulit etiā Miecislaus nouus Rex in Coronationis suæ die & Regina Riksch insignia in auro & argento ad maius altare munera, sed & vestes sacras Ecclesiæ Gnesnen largiti sunt, in diuinitatis propitiationem, & Ecclesiæ Gnesnen honorē, suæ verò Coronationis perennem memoriā. Vrbs eo anno cōflagrata Cracouien, graue dispendiū & incendiū pertulit.

Conradus ex Almaniæ Principibus vnus in Regem Romanorum dissidentibus, in eius electione ab Electoribus eligitur. Lupoldus verò Dux, cùm ad imperium aspirare vellet, repudiatur instinctu Albini Moguntinen

Archie-

Archiepiscopi. Henricus enim Imperator suadentibus Principibus, Conradum Præfatum Ducem sibi successorem designans, diem obierat, Cùm annis duodecim secundum aliquos duobus & viginti imperasset, secundum verò alios viginti. Iste Conradus multas leges edidit, pacem strictissimè sub pœna capitis custodiri præcepit. Quem veritus Lupoldus de terra aufugit, & rusticanè in tugurio vixit, à Gregorio VI. consecratus:

Benedicto Octauo mortuo, qui annis vndecim, mense vno, diebus tredecim sedit, Ioannes XXI. natione Romanus, ex Patre Gregorio succedit, qui annis aliquot nonnullas guerras & controuersias cum Romanis gessit. Scribit Petrus Damiani, quod quidem Episcopus vidit Præfatum Benedictum Papam nigro equo quasi corporaliter insidentem, & dixit ei: Nonne tu es Benedictus Papa, quem iam defunctum esse nouimus? Ego sum, inquit, ille Benedictus; & quid est tibi, inquit, Pater, grauiter inquit torqueor, sed de Dei misericordia non despero, si mihi adiutorium præbeatur. Vade inquit, ad successorem meum Ioannem Papam, & dic ei, vt summā pecuniæ in tali teca repertam distribuat pauperibus, quia quicquid ante pro me dabatur, nihil profuit, quoniam de rapinis fuit; quod Episcopus fideliter implens, & Episcopatui cedens, Monasterium introiuit.

ANNO Domini 1026. Polonorum Rex Miecislaus exacto integro anno, in quo patrem suum cum omni militia veste mutata, lugebat, ex Gnesnen Castro, in quo continuū tenuerat domicilium versus Crac. dux cens secum Rischam Reginam procesit, vbi aliquot mensibus exactis in fines Russiæ, cum militiæ suæ frequenti multitudine se contulit. Iaroslaus etenim atq; Miecislaus Russiæ Duces, morte Boleslai Poloniæ Regis audita, cum magna tàm militum, quàm popularium caterua, ac exercitu, fines Regni Poloniæ inuadunt, Castrumque Czerwieńsko, & alia Castra oppugnant, vastatisq; aliquibus Regionibus Poloniæ, captiuos agrestes secum abducunt, & eos propè fluuium Porszy, propè Kiouiam, ad collendā terrā locant. Certum insuper erat Rutenos, per Patrem suum Boleslaum subactos, secuta morte eius, ad res nouandas plurimum inflammatos, pleraq; conspirationes clandestines tenuisse, & ad reijciendum impositum iugum animatos esse, apparebatq; illos in apertam rebellionem aliquando, nisi interim daretur remeditatio, prodituros. Russiam itaq; Miecislaus Polonorum Rex perueniens, principaliores ex Rutenis capit, & captiuos Cracouiā per Castra distribuendos transmittit, quos aliquantis annis obsidium loco habuit. Quo facto, & gliscentem rebellionem oppressit, & Rutenos in fide continuit, eisq; nouandi res de cætero opportunitatem ademit. Rebus vero Russiæ compositis, & Castris, munitionibusq; iusto militum præsidio, & victualium fulcimento prouisis, in Poloniam remeabat, & primùm quidem in Plocensem terram descendit, & in illa, audiendis, expediendisque causis & querellis subditorum, vacauit. Abinde verò in alios Lancitien, & Cuiauien sis terræ districtus conuersus, ad solitam habitationem suā Gnesnam re-

ſnam redijt. Et quoniam filius ſuus Cazimirus iam ætatis annum ſeptimũ agebat; primò pater illum literis applicat, & viros graues doctores adoleſcenti adhibet, vt illuſtratus ſcientiarum lumine, ad gubernandam Rẽpub. Polonorum inſtructior ingnioſiorq; euaderet. Hic autem ex Principum Poloniæ ſanguine primus deprehenditur, qui doctrinam literarum dolabro amplius nobilitauit & poliuit. Cæteros enim priſcos Principes Poloniæ in diſcenda literarum ſcientia nuſquam conſtat exercitatos fuiſſe. In ipſo autem Regnandi initio apparuit Miecſlaus Poloniæ Rex tardus ingenio, hebes animo, moribus quoq; incultus, conſilio ineptus, actione ieiunus ad res, dignitatem aut grauitatem depoſcentes, expediendas parum idoneus. Qui abiectis prudentibus, æuo & natura grandæuis Conſiliarijs, iuuenum ſe, & leuium hominum, permiſit conſilijs. Quæ quidem tàm potentiſsima fuit cauſa, cur Regnum Polonicum ſub eius tempore plura detrimenta ſenſerit, quòd nec ipſe ſapientiæ ſtudere voluit, neq; colore ſapientiæ ſtudioſos.

ANNO Domini 1027. Interim cùm Rutenorum rebus Miecſlaus Polonorum Rex vacabat, Bohemi turpe reputantes tributa Poloniæ Regibus pendere in rebellionem apertam prodeunt, & Polonos, quos in Bohemia reperiunt, aut comprehendunt, aut expellunt. Erant pro ea tempeſtate duo Principes, Vdalricus & Iaromir filij Boleſlai, per Boleſlaum Poloniæ Regem excæcati: apud Vdalricum tamen Principatus Bohemiæ adminiſtratio conſiſtebat, alter enim frater Iaromir, ne conſortio ſuo Principatum ſibi ademeret, aut ſaltem truncaret, captus ab eo excæcatus vitam agebat priuatam & calamitoſam. Erat Vdalrico Duci Bohemiæ filius ex agreſti & ruſticana fœmina, Bozena, aliàs Beatrice nomine, ſuſceptus, Bretiſlaus nomine, adoleſcens ferox & impiger. Is rebellionis præfatæ primarius autor exiſtens, non Polonos ſolùm, ſed & Nobiles Bohemiæ, & ſpecialiter Vrſzouicen̄, cæteroſq́ue Polonis fauentes, magno odio proſequebatur. Vdalricus ſiquidem genitor ſuus iuramenti Boleſlao Poloniæ Regi præſtiti Sacramento adactus, temerariè illud infringere non audebat, potentiam etiam Boleſlai Poloniæ Regis, & pœnam excæcationis, qua pater ſuus Boleſlaus Bohemiæ Dux, in ea vſq; tempora viuens, mulctatus fuit, veritus, Boleſlao verò Poloniæ Rege mortuo, ipſe quidem iuramenti conſcius à rebellione abſtinuit, ſed illam per filium Bretiſlaum confecit. Et vt à Polonis immani ſua excæcatione, atq; in paterna captiuitate acceptæ iniuriæ memor foret, adoleſcentem ſuaptè in Polonorum odium procliuem inflammare non deſtitit. Germano inſuper ſuo Iaromiro, ſiue proditoribus ſuis gerentibus, ſiue quód ætatis ſuæ beneficio illum ſibi præferri verebatur effodi oculos iuſsit, ruſticanæ fœminæ Bozenæ nomine captus ſpe & amore, quàmuis amici aduerſarentur, ille ſibi matrimonio ſociauit, quæ illi Bretiſlaum filium genuit.

Gneſnenſis Archiepiſcopus Hypolitus moritur, & in Gneſnenſi Eccleſia tumulatur, Succeſsit autem illi per Canonicam electionem. Miecſlai Poloniæ

Poloniæ Regis accedente conſenſu, Boſutta vir prouidus & ſagax, per Iohannem Papam XXI. confirmatus.

Febre graui correptus Clemens Smogorzouieñ, ſiue Wratiſlauienſis Epiſcopus, annis duodecim in Pontificatu exactis, moritur, & in Smogorzouieñ Eccleſia ſepelitur. Cui Lucilius primus Canonicus Smogorzouienſis à Capitulo electus, à Miecſlao Poloniæ Rege promotus, per Silueſtrẽ Secundum Papam confirmatus, & per Stephanum Archiepiſcopum Gneſnenſem conſecratus. Vir Italici generis, ſed Polonicæ linguæ ſatis gnarus.

ANNO Domini 1028. Diuturno iugo, quo Polonis tributa Bohemi pendentes tenebantur obnoxij, per Bretiſlaum Bohemiæ Ducem abiecto, & ſolúto, rurſus Bretiſlaus Dux ipſe, diſceſsionem ipſam impunè videſ ſuccedere, & Miecſlaum Poloniæ Regem diſsimulatione, & ſilentio illam tranſire auſus altiores ſumit, & exercitu ex equeſtri, & pedeſtri milite collecto, in Morauiam, quæ tunc vniuerſa à Polonis tenebatur, contendit, Ciuitateſq́; Morauiæ, quæ præſidio Polonorum in fide continebantur, obſidione cingit, & ad eam oppugnationem curam intendit, eò quidem maiorẽ, quòd Ciues obſeſſarum Vrbium nouandarum rerum ſtudioſos, & Polonorũ regiminis perteſos, deditionem; niſi Polonorum Rex Miecſlaus velocibus auxilijs obſidione ſoluat, facturos indubiè intelligit. Licet autem Polonorum milites, in præſidijs huiuſmodi agentes militiam, & Præfecti eorum ſæpius Nuncium ad Miecſlaum Regem mitterent, & in quantis verſarentur periculis, denunciantes, auxilia ſua implorarent: Rex tamen Miecſlaus, ſiue alijs curis publicis & priuatis tunc impeditus, ſiue ad tractanda repellendaq; bella parum illi animi natura tribuiſſet, ſiue quod militiam pro tenenda, defendendaq; Morauia Poloni detrectarent, obſeſsis petitum & quã maximè ſperatum ſuffragium ferre diſtulit. Quæ quidem ſua diſsimulatio ad noticiam Ciuium Morauiæ, qui obſidebantur, (neq; enim latere eos poterat, quippe & ipſi per proprios Nuncios Miecſlaum Polonorum Regem, de ſoluenda obſidione, ſollicitabant) relata, magnam Polonorum militibus, præſidio Ciuitates defendentibus, perniciem ingeſsit, vltima enim deſperatione, magis magiſq; Bohemorum quàm Polonorum malentes ſubijci Principatui, facturo ſe Duci Bretiſlao deditionem per clandeſtinos tractatus paciſcuntur, apertiſq́ue portis ſub noctis conticinio Bretiſlaum recipiunt, vnius autem & duarum Ciuitatum exemplum cæteræ ſequutæ, ſimilem fecêre deditionem. Crudelem autem Bretiſlaus Bohemiæ Dux victorem ſe gerens, milites Polonorum, quoſdam quidem trucidauit, alios in captiuitatem & alia ſupplicia egit, cæteros qui ciues & incolæ Morauiæ facti fuerant, exilio, & bonorum confiſcatione damnauit, nonnullos vemundedit.

ANNO Domini 1029. Geminatam iniuriam à Bretiſlao Bohemiæ Duce, & in tributi ex Bohemia penſi denegatione, & in Morauiæ occupatione illatam Miecſlaus Polonorum Rex etſi diutius, quàm fatis erat, pertule-

pertulerit: Baronum tamen ſuorum Poloniæ crebris impulſionibus exagitatus, expeditionem generalem Regni ſui in Morauiam indicit, & collectis copiarum ſuarum exercitibus, in notabili potentia Morauiam ingreditur, neq; expugnationi Ciuitatum, quæ à ſe defecerunt, intendit, obſtinatis enim animis intelligebat, & reatus defectionis conſcios, & præſidio eis à Bohemiæ Duce Bretiſlao miſſo munitos, & obſidionem tolleraturos, ſed igne & ſpolijs mandat ſingula vaſtari. Incendebantur itaq; Suburbana earum Ciuitatum, quæ defecerant, incendebantur Oppida, villæ quoq;, & rura, & poſt plurima damna Morauiæ illata, prædam multam pecoris, & cæterorum ſpoliorum ſecum vehens, Miecſlaus Rex Morauiam vtramque vltus defectionem; in Poloniam ſaluus cum exercitu redijt.

ANNO Domini 1030. Exemplum Morauorum Bohemorumq;, Præfecti Caſtrorum & munitionum Ciuitatũ, cis Albini ſitarum, ſecuti, ab obedientia, deditioneq; Miecſlai Regis, Regniq; ſui Poloniæ deficere ceperunt, ignauia deſidiaq; Regis, & Almanorum affinitate, qua inuicem dãdo, accipiendoq; vxores, iunxerant, eis defectionis materiam ſubminiſtrãte, audiebant ſiquidem, & plures ex illis ab experto nouerant, Regis Miecſlai partim molliciem, partim iniuriam, propter quam pauor, obſequella, & Maieſtas Patri ſuo quondam Boleſlao Poloniæ Regi à proprijs & finitimis ſeruata, contemptum & deſpectum iri in filio cepit. Præfati ſiquidem cis Albini Præfecti conſpiratione facta, neque ad iuſſum & vocationem Miecſlai venire, neq; vectigal ſolutum fiſco Regio reddere, interpoſitis primùm ſubfucatis excuſationibus, quòd vexationem hoſtilem proprio ære & milite ſuſtinerent, & reprimerent, ceperunt, ſenſimque, & non ſubitò defectionem huiuſmodi, quatenus remaneret, vt cætera, impunita callidis, vafriſque, & contectis ſpecie mendacij ingenijs conflabant. Et quoniam huiuſmodi cõdicio ſemel concepta ambitione contenta non eſt, ſed ſe in varios deſideriorum & affectuum, ni in ſuo exordio caſtigata & alliſſa fuerit, deriuat & diffudit reflexus. Præfecti Polonorum cis Albini ſimplici defectione non contenti, non ſe iam Præfectos Capitaneoſq; Regis, & Regni Poloniæ, quinimõ nec ſubditos, aut feudales, ſed Dominos gerebant & nominabant, ditioniſq; & Principatus faſces orarum cis Albinarum, tàm ipſi, quàm filij eorum, & nepotes ſuaptè, & propria autoritate defectionem leuibus Principijs motam, ſed ſucceſſu temporis importunitate altam & auctam, Regeque Poloniæ tollerante, vſurpauerunt. In eam inſuper præſumptionem elationemq; cis Albinorum Præfectorum excreuit audacia, vt præcedente tempore terras, quas gubernauerant, à Polonorum Regno & communione ſecernerent, & Ducum atq; Principum Diademata ſibi imponerent, ex quibus Marchionatus ille Brandeburgeñ, qui in Polonico vocatur Zgorzelec, exortus. Cæteris autem ſubactis & extinctis, ſuperioritatem in Principatu ſortitus in hanc diem perſeuerat, etiam per Aquillam rubeam, quam defert pro inſigni Polonorum quõdam fuiſſe regionem, quorum Alba Aquilla vniuerſale

vniuerſale eſt inſigne, ſed ab illorum ditione ſciſſam, & abſtractam niueo colore, in coccineum tranſumpto, conſtans, indicat.

ANNO DOMINI 1031. Peruenit tandem Morauorum, Bohemorum & Cis Albinorum Præfectorum ad gentes Caſſubitarũ, Serbinorum, & eas, quæ Inſulas, & oras Maritimas incolebant, quas Boleſlaus Rex Polonorum ditioni & imperio ſuo reſtituerat, defectionis contagio. Hæ quidem, vt natura eſt humana, ad res nouandas pronæ, & ſæpius belli finitimorum Almanorum laceſsitæ, crebriſq; prælijs, & ſpolijs hoſtilibus vexatæ, nihil defenſionis, & præſidij à Miecſlao Polonorũ Rege tulerant, facilè à ſua & Polonorum deſciuerunt obedientia, in variaſq; ditiones & proprietates ſciſſæ, nonnullæ ad Imperialem obedientiam ſubactæ, cæteræ à finitimis Principibus occupatæ, aliquæ verò ſuis parere præſidibus, & illorum ſuſcipere dominium compulſæ ſunt. Ab eo autem tempore, gentes, oraq; prædictæ, diſcerptæ, & à corpore Regni Poloniæ diſtractæ, varioſq; Dominos & Principatus ſortitæ, per tàm longum & diuturnum tempus earum defectionem ſecutæ, nunquam ad integritatem eius potuerunt reduci. Ex quibus famoſa illa & inſignis ciuitas Bukowiec, quæ in Teutonico Lubek appellatur conſurgens, maritimis opibus & terreſtribus, quæ ad illam propter ſitus opportunitatem facilè importantur, aucta, & Teutonicorum politia exculta, in illud vſq; erigit faſtigiũ, vt Principium, qui illam occupauerant, abrogato Imperio, hactenus ſuis viuat legibus, & commune faſcium ius per ſe conficiat. Inde quoq, & Comitatus Magnopoleñ erupit, veteris nominis præferent, à magnitudine & latitudine camporum vocabulum, ex duobus integris, licet diuerſis, Latino videlicet, & Polonico idiomate confectum. Henricus ſiquidem Romanorum Imperator illius temporis cum Slauorum & cæterarum genitum atq; orarum Principe, qui Nicolaus alias Nikiel nominabatur, à quo & Caſtrum inſigne Nikielburg nomen accepit, bellum gerens, ipſum, tàm terris, quàm Caſtris ab eo poſſeſsis, exuit, & quaſdam Imperio adijciens, quaſdam verò militibus ſuis diſtribuens Comitatũ prædictum Magnopoleñ aſſeritur primus creaſſe. Cuius in hanc diem ditio & nomen perſeuerat.

ANNO Domini 1032. Exutere iugum, & ab obedientia Miecſlai Regis & Regni Poloniæ ſe ſoluere Pomerani aliorum defectionem & exemplum ſequuti tentauerunt: Principali enim nobilitati, & quæ apud illos opibus prudentia & factiuitate præſtabat, faſces regiminis deferunt, eumq; ſibi in Principem creant, & aſſumunt. Quorum rebellionem defectionemq; Miecſlaus Rex ad eum perlatam moleſtiùs, quàm cæterorum; ferens, indignam illam, vt erat, tolleratu iudicans, inſtigantibus illum Cõſiliarijs & Proceribus Poloniæ, ne tàm manifeſtam iniuriam, dedecus notuum, ſciſſuram verò Regno ſuo inferentem inultam ſinat iri: Itaq; expeditione indicta ex omnibus terris, quæ Imperio ſuo parebant, colligit numeroſum

merosum & fortem exercitum, & quo magis esset glorioſior conſpectorijs & Pomeranis, quibus inferrendū erat bellum, terribiliot, tres Ducęs Vngarorum, Andream, Belam, & Leuentam, Stephani Regis Vngariæ Nepotes, quos ex Vngaria, vt ſupra monſtrauimus, fugientes ſuſceperat, & more Regio, iureq; hoſpitis tractauerat qui ipſe minus huiuſmodi belli & militiæ ſibi non negari plurimis inſtantijs depoſcebat, aſſumit, ordinatoq; exercitu copijs conuenientibus in Pomeraniam exercitum traducit. Collegerat & Pomeranorum Tyrannus, & ex Pomeranis & finitimis gentibus haud contemnendum exercitum, fortunamq; tentare, & cum Regeac Domino ſuo Miecſlao nil conſcientia patrati in eum ſceleris & defectionis motus quàmprimùm decernere, ne & à ſuis & auxiliarijs, tempore ſuccedente, deſeretur, conſtituit. Itaq; nil cunctatus exercitum producit & cum Miecſlao Polonorum Rege confligit. Augebat animum Poloniiuſta ira, quod proprij conſanguinei, familiares, & ſubditi eius vltrò arma inferunt; Pomeranos ſceleris in Regem comiſsi recens atrocitas incendebat. Quapropter ab vtraq; parte acriter pugnatum eſt. Sternuntur tandem Pomerani, & Miecſlaus Rex felici victoria potitus, autores defectionis capitali mulctat pœna, cæteræ multitudini ignoſcit. Et quoniam in huiuſmodi pugna virtus Belæ Ducis Vngarorum ſuper cunctos enituit Miecſlaus Rex illum, vt dignum erat, præmians, Generum ſibi elegit, & dans ei filiam ſuam in vxorem, etiam vniuerſum cenſum Pomeranicum ad tenendum ſtatum Ducalem ſibi conſignat. Qui mirum in modum de tàm ſublimi beneficio, & honore ſibi præſtito exultans, magna deinceps fide, officio, & affectione, tàm Miecſlaum Regem, quàm Polonos coluit, & pluribus annis manſionem ſuam in Polonia continuata, ex filia Regis duos filios, illic commorando, Geyſzam videlicet & Wladiſlaum infantes ingenuos ſuſcepit. Hic quoq; eſt ille Wladiſlaus, qui ad virilem ætatem perueniens, & Sceptra Regis Vngariæ tenuit, & ob vitæ ſanctimoniam in Diuorum Cathalogum tranſlatus eſt. Alijs placet Belam Vngariæ Ducem cum Tyranno Pomeraniæ congreſſum, ſingulari illum certamine victiſſe, & ob id in Generum Regis adſcitum eſſe.

Abſumptus eſt Cracouieñ Eccleſiæ Archiepiſcopus Gompo nomine, dùm annis nouem Eccleſiam eandē rexiſſet. In locum autem eius Rachelinus à Summo Pontifice Ioanne XXI. prouiſus ſucceſsit. Per prælatos verò & Canonicos Crác. XXV. die Auguſti ad præſidendum Cracouieñ Eccleſiæ in Pontificem via Scrutinij celebrato generali Capitulo, conformiter electus, Vir Italicæ nationis proſapiam habens nobilem, & actionem virtuoſam.

ANNO Domini 1033. Quietus is annus Polonis fuit, neq; aut ad inferendum bellum finitimis, aut ad repellendum cogebantur, quamuis enim, vt ſuperius monſtrauimus, plures Regiones & gentes à Regis Polonorum Miecſlai ditione & Imperio defeciſſent: earum tamen defectionem Miecſlaus Rex Poloniæ diſsimulanter ferre, quàm armis vindicare, maluit

maluit, nec enim paternus illi inerat animus, ocijq; & quiete marceſcere: quàm armis occupari malebat, in luxum inſuper & carnales illecebras, vt aliquorum habet aſſertio, diffluens, Ius matrimoniale Regiumq; nomen pellicum contagione fædabat. Quapropter nec proprijs tám grauis aut glorioſus, neq; hoſtibus, æquè, vt Pater erat, eſſe poterat formidabilis, ſed neq; bella ab eo geſta virtutis conſtat fuiſſe, ſed neceſsitatis, non voluntate, ſed hoſte, aut defectione exigente, ſuſcepta, Rempublicam quoq; Regni ſui vt deſidioſus ignauiter adminiſtrabat, vnde & odium á ſubiectis exortum eſt. Concepta autem ex eo Rikicha Regina Poloniæ infantem animo eodem progenuit. Cui Auitum nomen in Baptiſmo imponens, Boleſlaum illum vocauit. Non durauit tamen infans ipſe Diuinitate irata, & Miecſlai Regis, ſucceſſu ſuis tranſgreſsionibus non aſpirante, ſed poſt menſes aliquot tactus infirmitate, non ſine vtriuſq; parentis grandi mœrore, occubuit. Nil in Miecſlao Rege ſanguinis Auiti, nil paternæ induſtriæ, nil ſplendoris domeſtici, nil Regiæ munificentiæ aut frugalitatis, famam denique ſuam aut exiſtimationem fuſcam & truncam, fecerat, apud proprios & exteros tenacitatis & ſuaptè innatæ, & á conſorte Regina Rikicha nutritæ obſcuritas. Graue itaq; Proceribus videbatur pondus ſui regiminis, acta ſua ad nutum fœmineum moderans, grauior aliquanto apud exteras nationes tributas pendentes oriebatur ſarcina inuidiæ, dum Miecſlaum Poloniæ Regem attenderent, Regia quidem dignitate ſplendore, ſed morum & virtutum Regiarum non habere lampadem, & ex muliebri pendere arbitrio, qui velut timidus atq; iners animū puſillanimitate atq; pauore obliterauerat, vacans ventri, ſomno, otio, & voluptati, non ob aliud magis apud proprios & exteros contemptui habitus, niſi quia pro grauitate per iniquitatem & violentiam negligentior ad vindictam extiterat.

Cùm regimen Wladiſlauieñ Eccleſiæ, alias Cruſuicieñ, Marcellus Primus annis duobus & viginti adminiſtraſſet; moritur, & in Eccleſia Parochiali in Dwirezno, in qua & alij duo ſui immediati Prædeceſſores conditi fuerant, ſepelitur, morbo febrili conſumptus, Cui Venantius vir Italicus á Capitularibus electus, & á Serbio Papa Quarto prouiſus ſuccedit.

Miciſlao Ruſsiæ & Czernieiouieñ Duce, dùm venationibus operā daret, abſumpto, & in Eccleſia ſancti Saluatoris, quā ædificauerat, ſepulto, Iaroſlaus Kiouieñ Dux illi, quia non reliquerat ſucceſſorem in Principatu ſucceſsit, & Monarcham totius Ruſsiæ, quod lingua Rutenica ſonat Iednowladec gerere cepit Iaroſlao autem prædicto Ruſsiæ Duce apud Nouogrod commorāti Pieczynigorum gens in grandi multitudine veniens, Kiow violauit. Qua nouitate Iaroſlaus per ſignificationem celeris Nuncij accepta, contractis vbiq; copijs, in Kiow aduenit, & cum Pieczyngis obuiam ſibi euntibus, congreſſus fortiter depugnat, vtriſq; autem pro victoria adnitentibus, cæduntur Pieczyngi, & multi. dùm fugere contendunt, ſuffocatur in aquis. Cæteri aut capiuntur aut fugantur, In ſignum autem victoriæ in loco certaminis Eccleſiam S. Zophiæ, ante conflictum votum Iaroſlaus

erigit. Quæ post honore Metropolitico insignita fuit. Eodem Anno nascitur Iaroslao Duci Kiouien filius, & imponitur sibi nomen Vencellaus.

ANNO Domini 1034. Nondum Miecslaum Poloniæ Regem senectus grandæua affecerat, nondum morborum aut curarum onere pressus, diem fato propinquam creditus est tenuisse. Vegeto siquidem tunc & strenuo corpore erat; neq; illum quisquã rebatur moriturum, vt potè annum quinquagesimũm super egressum, siue tamen naturali curtù id agente, siue Deo permittente, siue aliqua vi morbi, quæ ex lubricitate & petulantia prouenire facilè poterat, eum exagitante, in amentiam incidit, qua crebris vicibus non sine cruciatu corporis vexabatur. Quo quidem miserando casu suo, & defectio nationum Regionumq;, quæ à suo descciuerant Imperio, confirmata stabilitaq; est, & rursum etiam, qui metu continebantur, ad defectionem spectare ceperunt. Habebat siquidem sui languoris interdum alleuiationem, & quasi spes lucidi interualli illi adueniebat, redituruscq; ad bonam mentem & valetudinem sperabatur, easq; spes & subiectas nationes in fide; & milites in ordine, retinebat. Administratio interim Regni apud Rikscham Reginam erat, & singula ex eius arbitrio & ordinatione gerebantur: Verùm dùm Mensibus aliquot, neq; medicorũ industria, neq; virtute herbarum grassantem, in Rege morborum potuisset dissoluere, ægritudine inualescente 15. Martij mortus est, in Castrum Posnanien, ad cuius exequias cohonestandas Prælati & Barones Poloniæ literis & Nuncijs Rikschæ Reginæ accersiti, conueniunt, & funus Regium debito iustoq; honore prosequuti, in Posnanien Cathedrali Ecclesia sepelitur, eidemq; exequias peragunt, corpusque Regis in Paterno sepulchro condunt. Habebat quidem & Reginam, & Primates Regni dolor ingens super Miecslai Regis sui occasu, sed dementiæ respectus adferebat leuamẽ. Postquam Regis morte sublatum fuit, tantum molestiæ, quo & ipsi, & Regnum afficiebantur. Opprobrium quidem Christianæ religionis cultum gerebat præcipuũ, verùm paternis moribus longè dissimilis, ille enim bello promptus, hic segnis: ille armorum exercitatione Regni Polonici dilatauerat imperium, hic amiserat; ille & proprijs & extraneis gratus, & formidabilis: hic exosus & contemptibilis: ille in singulos liberalis & munificus: hic tenax & parcus. Subitò & vires Polonicarum legionum frangi, copiæ profligari, & in deterius discrimen ac pauorem verti, & singula ad perniciem relabi, propter eius ignauiam, cepere.

A bellis ad religiones Iaroslaus Russiæ Dux conuersus, plura Monasteria non solùm virorum, sed & fæminarum, pluresq; Ecclesias in Kiow fundat & ædificat. Extruit deinde sumptuoso muro Ecclesiã S. Zophiæ, cuius turrim tabulis deauratis regit, Ecclesiam verò vasis aureis & argenteis, libris & vestibus preciosis dotat, nobilitat, & exornat. Portam insuper, Poloniam respicientem, pro sua, & Vrbis magnificentia demonstranda, largissimo & profuso sumptu ædificat, eamq; auream vocari iubet, quòd portas illius laminis, & cacumen tabulis deauratis ornauerat.

ANNO

ANNO Domini 1035. Ad substituendum, in loco Miecslai Regis Poloniæ defuncti, nouum Regem Polonorum, Proceres apud Gnesnam & Posnaniam aliquot tenuere Conuentus. Pluribusque conuentibus, & tractatibus interpositis; de firmando stabiliendoq; nouo Regni statu discordabant. Alijs enim placebat filium Regis Cazimirum, iam annũ 20. ingressum, coronare, & in Principatum assumere: alijs ætas Cazimiri tenera & iuuenilis, Principatuiq; nondum apta videbatur: Verebantur nonnulli ne Paternæ dementiæ redoleret in illo mixtura. Scisis itaq; Procerum votis, Coronatio Cazimiri Regij nati dilata & impedita est, & in tam grandem periclitationem ac perniciem grassata, vt Regnum alioquin Boleslai Primi Regis institutionibus domesticis & armis gloriosum & inclytum, penè vsq; ad internicionem, vt in sequentibus narabimus, perduxerit. Coronationem autem & institutionem futuri Regis suspendi & differri placuit, vt circa Rikscham Reginam Poloniæ, & certos curatores ex Baronibus Poloniæ sibi adiunctos, regiminis summa consisteret. Habet & nonnullorum assertio Cazimiri filij Miecslai Coronationem tunc ea tenus impeditam magis, quàm suspensam fuisse, quòd genitrix sua Rikscha Regina Maritum suum Miecslaum Regem, suis consilijs & persuasionibus eò duxisset, vt tàm Regalium, quàm militarium villarum Danias suffragia, collectas & tributa in singulis præcipuè festiuitatibus pro mensa & coquina Regis solutionem indixerit, morte quoq; Miecslai Regis Mariti secuta, solutionem huiusmodi Daniarum, quam Barones & milites summoperè instabant rescindi, Regina volebat continuari. Nec patiebatur vt filius Cazimirus Patri in Regno successurus quicquam ex Paternis institutis minueret. Quapropter filio magnam, maiorem sibi, apud Baronum & militum animos conflauit indignationem, & inuidiam, eò vsq; glisscentem, vt Rempublicam suam pessundatam iri, passionibus non temperando, sinerẽt, sed & Proceres, neq; dicere, neq; facere quicquam pensi habebant, dummodò Reginam comitante Cazimiro, perpellerent; non attendentes, quòd expulsione huiusmodi se, & Rempublicam suam obstinatis animis perditum irent.

Ioanne Papa XXI. mortuo, qui sedit annis vndecim & diebus nouem, cessauit Episcopatus diebus octo. Cui Benedictus nonus, qui & Theophilactus natione Tusculanus, ex Patre Alberico succedit, homo vitæ impuræ, obquam cuidam in specie Vrsina & Asinina apparens damnatum se perpetuo significauit.

Posnanien sem Ecclesiam cum Paulinus Pontifex annis XV. piè prudenter, & studiosè rexisset, post diuturnam valetudinem febrilem, morbo superante remedia moritur, & in Posnanien Ecclesia sepelitur. Cui Benedictus Primus natione Siculus ex Neapoli ortus nõ sine grauamine Cleri, post biennium succedit, ciuili bello electa Regina Rikscha & filio suo, stridente inter Polonos, & pendente Interregno. Anno Domini 1037. à Benedicto Papa IX. prouisus, & à Stephano Gnesnen Archiepiscopo consecratus.

ANNO Domini 1036. Turbatio dissensionum & Schismatum qui ex morte Regis Miecslai Baronum & militarium, liuore in Reginam Rikscham insurgente conflata fuerat amplius inualescere, & vires suas plus solito extendere ceperat. Omnis siquidem culpa in Reginam Rikscham per Barones & militares retorta, primùm succesionem Regni, & susceptionem Diadematis Cazimiro ademit, deinde & furorem ciuilem sensim exemit, nam etsi pluribus tributis, datijs, & honorantijs Reginæ Rikschæ fabrica & ingenio introductis, se, suosq; homines quærerentur militares onerosa seruitute grauatos, amplior tamẽ illos occupabat amaritudo, quòd seruitutem ipsam Reginæ Rikschæ autoritas & industria non sinebat, iuxta preces militarium aliquoties apud eam & filium Cazimirum repetitas abrogari. His tamen omnibus maxima acerbitas, fatis iam Poloniam appetentibus, accedebat, ipsa siquidem Regina Rikscha, & in Regis Miecslai Mariti sui vita, diuturno tempore, & postquam è vita subtractus erat Polonos perosa, mores eorum & conuersationem fastidiens, rigida interdum sugillatione carpebat. Tenebat insuper & in aula sua, & in officijs Almanos, neglectisq; & vt verius loquar, contemptis Polonorum Proceribus, & eorum filijs quantumcunq; primis & ingenuis quoslibet Teutonicis inquilinos sortis & conditionis tenuis ac infimæ homines in conferendis officijs & in largiendis pecunijs præferrebat. Verùm etsi ludibrium huiusmodi in vita Regis Miecslai ad grauem iniuriam & contumeliam referrẽt, rescindi tamen illud nõ rati se habere potestatem æquius sufferebant. Vbi verò occasio & facultas diluendæ publicæ ignominiæ oblata est, tanto liuore, tantoq; reciproco odio in Reginam, sed ne tùm quidem iustæ eorum indignationi morem gerentem vniuersorum Polonorum exarmata succensaq; sunt pectora, vt primùm omnem obedientiam administrationemq; Regni, tàm Reginæ, quàm filio suo subtraherent, deinde sibi, Castris, & Ciuitatibus, cæterisq; possessionibus ademptis, Regno etiam illam excluderent, & postremò cum filio Regno Poloniæ excedere, & ad Almanos, quos tanto dignabatur honore, transmigrare iuberent. Regina siquidem Rikscha post mortem mariti Miecslai Poloniæ Regis regebat Regnum Polonicum, nutriens in Sceptra adolescentem Cazimirum, quẽ ex Miecslao Rege, vt præmisimus, susceperat, fœmina quidem virilem gerens animum, & in Christi religione non feriata, pietati, & virtuti dans operam, sed quæ habenas Polonici Regni parum prouidè, & ciuiliter visa est Polonis administrasse. Virium enim suarum & fœmineæ conditionis immemor, felicitatem in stulticiam vertit, malo grauioriq; consilio vsa. Primum contemptui habere nomen Polonicum cepit, despiciens omnes, & sola vniuersa pro imperio agens. Nulli, præterquam Almano, sua credere consilia, Polonorum verò aspernari potioresq; consueuit Magistratus in Almanos conferre, Polonos abijcere. Quarum rerum indignitate moti Proceres Regni in stulticiam Reginæ & filij sui Cazimiri, stulti & ipsi conspirant, viamq; sceilerati, & ad extremum dementis consilij arripiunt, Reginam Rikscham cum filio

filio Cazimiro, ne quoq; adultus morem maternorum foret sectator, expellunt, damnationeq; inusta atq; indigna, neq; sexui, neq; conditioni, neq; ætati, parcentes, vtrumque exiliant, nihilq; infestius vnquam de se & patria de templis, dedelubris, focis, & pignoribus consulendo acerbius. Cùm tamen Cazimiro infanti, velut iuuenculo & omnis contemptionis atque culpæ maternæ ignato, etiamsi grauis quicquam deliquisset, & propter ætatem, & Boleslaum Auum fuerat ignoscendum. Sed nil furore popularis stultius, nam & sapientes Alcibiadem & Hannibalem, vbi, & quo pacto non exiliari modò sed & mori inimicorum iniuria & populi coegit ingratitudo. Crebris itaq; iniurijs & molestijs Rikscha Regina Poloniæ à Proceribus & militibus Polonorum affecta, & ne in se & filium suum Cazimirum Polonorum via grauiùs quicquam consuleret, verita, de Polonia in Saxoniam, in Maideburg, & Brunsuig, pulsa excedit, filium quoq; suum Cazimirum secum educit. Sed neq; his contenta, omnem in auro, argento, gemmis, & lapidibus preciosis suppellectillem, per Boleslaum & Miecslaum Poloniæ Reges congestam, magniq; ponderis, & valoris duas Coronas, quibus Reges & vxor Boleslai Primi Regis, & tandem ipsa Rikscha coronati erant, sed & plura alia clenodia, monila, vasa, & insignia, caris & præstantissimis gemmis, vnionibus, fulgentia. Item Pecuniæ Regiæ ex thesauro grandem quantitatem aufert, & asportat, Poloniæq; Regnum ingenti thesauro spoliat. In Saxoniam autem perueniens Imperatorem primùm adijt, à quo officiosè & venerabiliter susceptà duabus Coronis, quas secum ex Polonia duxerat, Imperatorem honorauit, & de iniurijs, quibus à Polonis afflicta fuisset, questa, seipsum, & filium suum Cazimirum intutellam & gubernationem Imperatoris commendauit. Et Imperator quidem misso in fines Poloniæ exercitu, iniuriam eius superficietenus vindicare visus est. Ipsa verò pro his, quæ ex Polonia detulerat, plurimas & insignes possessiones, & sibi, & filio suffecturas coëmit. Vt autem filius suus Cazimirus ad virtutum specimen posset pertingere, in studium eum Galliarum Patrios temporis processu transmittit, vbi Polonico nomine Cazimirus, quod illius expressio & sonus barbarus videbatur, immutato, Carolus cepit deinceps vocitari. Ex Regina autem exul facta, ostendit prouerbium vulgare verum esse, secundam fortunam stulto nequaquam posse esse diuturnam. Assercio insuper aliquorum habet, quòd Cazimirus filius Regius, matre sua Rikscha Regina in Almaniam exulante, in Pannonias ad Stepganum Vngariæ Regem diuerterat, licet Bohemi ad se illum venire inuitauerint, non ex benignitate, sed ex liuore, vt facilius suum procurarent interitum. A Stephano autem Vngariæ Rege humanè habitus, & muneribus plurimis onustus discedens, ad Imperatorem, vbi genitrix sua morabatur, aduenit, Cuius expulsio vniuersam fermè Poloniam impendenti ruina inuoluit.

Languore Podagrico aliquandiu Lucillius Smogorzouien siue Wratislauien Ecclesiæ Episcopus vexatus, moritur & in Smogorzouien Ecclesia

sepelitur,

sepelitur, annis IX. functus, officio Pontificali. Cui Leonardus Primus Smogorzouien Decanus, natione Italus, genere nobilis, Interregno apud Polonos durante, promouente tamen illũ Rikscha Poloniæ Regis Miecislai relicta, per Benedictum IX Papam prouisus, & per Stephanum Archiepiscopum Gnesneñ consecutus successit.

Boleslaus Dux Bohemiæ à Boleslao Polonorum Rege excæcatus, & filius suus Vdalricus, quem præfatus Boleslaus Poloniæ Rex, ex suo ergastulo liberum dimiserat, mortem subierunt, In quorum locum, quia Iaromir à fratre suo Vdalrico excæcatus, propter carentiam visus, succedere non poterat, Nepotem suum Germanum Bretislaum Vdalrici filium, ex rusticana, vt præmisimus fœmina genitum, surrogatum in Bohemiæ Ducatum, pluribus persuasionibus illum communes, & exhortans, vt genus Vlricensium Bohemiæ Ducibus semper infidum & infestum, quorum excæcatio & suo & patris, suasu peruenerat, poneret in exterminium sempiternum. Quam contumeliam vnus ex genere prædicto, nomine Koczai, grauiùs ferens, præfatum Iaromirum aluum purgantem, lancea acutissima, per posteriora transuerberans miserabiliter extinxit, sicq; sub vnius anni spatio Boleslaus Dux Bohemiæ, cum duobus filijs absumptus est, & Regina Poloniæ Rikscha cum filio vnico Cazimiro, è Poloniæ Regno exulata. Visusq; est annus ille & Poloniæ Regibus, & Bohemiæ Principibus fatalis extitisse, & fuisse.

ANNO Domini 1037. Rikscha Polonorum Regina cum filio suo Cazimiro ex Polonia secedente glisçens, dudum ciuilis dissensio serpere amplius, & confestim tumultuari Regnum Polonicum cepit, Res quoq; omnes publicæ, aut in seditionem spectare, aut sola in discordia versari, & quasi quædam tabes vniuersum Regnum Poloniæ scaturientibus vndiq; commotionibus & guerris, peruasit, Et primùm quidem inter Proceres, Barones, & militares crebræ clades oriebantur, per quas & præcipui bellatores, & ingenui homines absumpti, deletiq; mutua cæde forent in locũ illorum, villia seruorum mancipia, præbentibus illis ciuilibus bellis audaciam, succedebant, Baronumq; & militarium peremptorum coniuges, & possessiones, interfectis, si qui relinquebantur, liberis, occupabant, & suas in illis, cæteriq; ingenuis fœminis, & matronis, explebant libidines & incæstus. Vbi verò tantorum scelerum factio suis impunitate, (neq; enim iam legis metus, neq; primores in æstimatione habebantur) procedebat, illicò seruorum rusticorumq; agros & aratra linquentium, maximus numerus conflatus est, qui deinde Ducibus à se lectis, armis correpti, passim omnibus nobilibus, omnibusq; bonis bellũ inferrent, & singulos, quos vincebant, bonis eorum exturbatis, occupatis, aut direptis, obtruncabant, in cæteros, quos subigire non poterant, vicos, villas, & ea omnia, quæ dictionis eorum nouerant esse, inflammando crudeliter debachantur. In hac quoq; tempestate, neq; templis, neq; sacris locis, & ministris Dei indultũ est, sed rapacibus, & sacrilegis manibus, templa magis insignia & locu-

pletia

pletia spoliata, bona Ecclesiarum direpta sunt in sacerdotes, vario mortis genere sæuitum est. Alij enim mucronibus & lanceis perfodiebantur, alij iugulabantur. Cæteri lapidibus, quasi quædam victimæ, à prophanis hominibus, qui non solum fidem & religionem, sed etiam pietatem & humanitatem à se abdicauerant, obruebantur. Ad ritus insuper gentiles & prophanos nonnulli redeundum consentiebant, & ob id contra ius & fas omnia diuina atq; humana permixta erant, plures quoq; Ecclesiæ desertæ, ferarum, animalium, & bestiarum erant cubilia. Tantus quoq; belli ciuilis fremitus & stridor contagione quadam animis multorum inuectus fuerat; vt singulæ Regni Poloniæ partes, verso in propria viscera gladio, aut mutua & cruenta cæde, aut incendijs & depopulationibus agrorum flagrabãt: Omnia itinera suspecta & viæ spoliantium prædonum, latronumque plenæ. Rarus extabat locus, qui conspectu & latebris insidiantium non scaturiret, vix solis volucribus laceratæ patriæ tuta, & peruia tellus erat. Agrestes quoq; his vexati assiduò spatio villis desertis, quibus in pace insudare cõsueuerant agriculturæ, & regionibus in prædones rapacissimos concreuerant. Maxima quoq; rerum Polonicalium, tàm commutatio, quàm confusio incessit, remansitq; terra, populis vacua, sanguine plena, lachrimis madida, orbata matribus, destituta filijs, confusa cædibus, infecta cruore, destituta defensione, & omnium suorum solatio desolata, eoque genere cum iniuriæ processu, vt seditionibus domesticis in seipsos manus verterent, latrocinijs grauibus affligerentur, teterrimis cladibus se inuicem absumerẽt, consurgunt breui latrones & siccarij latronumque & Siccariorum duces, qui non finitimorum, sed propriorum populantur agros, prædantur domos, substantiam diripiunt, tecta exurunt, pecora abigunt, & in omnia nefanda grassantur. Prouincia deinde omni turbata, non longinqua solùm, sed etiam interiora Regni & propinqua collidebantur, ipsa videlicet Ploncensis Regio, in qua Maslaus vnus nobilitate, populorumq; regionum Subpincerna, & ipse olim Regi Miecslao charus, quod scelus in aliorum redargutione abhorrere & vindicare debuerat commissum, se Plocensem Principem gerere cepit. Ita Polonorum Primores & Proceres non sentiendo, non videndo, excæcante ira animum, quò dementiæ progressi forent, quantũ periculi & infamiæ in se, quid in Patriam, quid in Penates, quid deniq; in Deum & religionẽ suam, ejciendo Cazimirum innocentem, ac omnis culpæ expertẽ commiserint, tarda æstimatione pensare, & seriùs facti sui pænitere ceperunt. Scelus facilè ausum, faciliùs patratũ, non supplicationibus, non hostijs, non proprio sanguine, patriæ insuper calamitate, & interitu, ac perpetuo tributo expiatũ, seditiones deniq; domesticæ, cædesq; intestinæ, & clandestinæ proditiones extemplò apud Polonos coactæ, Rempublicam Boleslai magni institutis nondum firmatã pessundederũt. Domesticis insuper calamitatibus & malis Bohemicum Bellum accessit, nil domestico & ciuili pernicio-sius, qui in Poloniæ Regnum omni genere crudelitatis grassari pereuntẽ suaprè Polonorum regionem, quo maturiùs periret omnẽ operam nauarunt.

ANNO Domini 1038. Ciuili, & plus quàm ciuili, Nobilium vidéli-cet, & popularium furore Regnum Poloniæ Bretiſlaus Bohemiæ Dux, intelligens dilaceratum & colliſum, & ſuo Rege atq; Principe deſtitutum, inuadere illud, velut paratam prædam & amplioribus incommodis affi-cere, nullam illinc ſciens reſiſtentiam, conſtituit. Ad quod illum non ſolùm acceptæ inexececatione Aui ſui Boleſlai Ducis Bohemiæ per Bo-leſlaum Chrobri facti memoria iniuriæ, ſed liuor & odium, ſimulque occu-pandi Regni alieni, aut ſaltim exterminandi ſtimulabat ambitio, & prauæ voluntas. Collecta itaque Nobilium & agreſtium multitudine, Poloniam ingreſſus, Ciuitates eius magis opulentas & inſignes, Wratiſlauiam vide-licet & Poſnaniam, Oppidaque, Vicos, & villas, quas ciuilis ſtridor nondū deleuerat, diripit, & exurit. Ad Gucſnam tandem Polonorum Metropo-lim perueniens illam, quæ nec ſitu, nec arte munita erat, ſed neque defen-ſores habebat, facilè capit, & cùm in Vrbe tàm vulgata & famoſa Nobilium prædam ſuæ auaritiæ, prout rebatur, ſuffecturam non reperit, neq; enim il-lic niſi vilia mancipia relicta erant, ad prædanda diripiendaq; templa ſacra, animum ambitione æſtuantem conuertit, ſed illicò Omnipotentis Dei di-gnatio, potentiæ ſuæ virtutem oſtendens, mirabili prodigio, ne ſacer locus maximo ſuo & præcipuo prædaretur theſauro, prouidit, & quantum ſacri legij facinus prophanus, & impius Bretiſlaus eſſet admiſſurus, monſtrauit. Dum enim Dux ipſe Bretiſlaus Eccleſiam S. Mariæ Metropolitiçam Gne-ſnenſem ſpoliaturus aduenifſet, & in ipſo limine & aditu, tàm ipſe, quàm omnes milites ſui, & vniuerſa plebs, cæcitate & morbo Letargico, qui illos amplius, quàm triduo detinuit, quoties in Eccleſiam irrumpere, & ſacra diſrumpere tentabant, fuêre perculſi. Infra autem illorum dierum trium pietate agni cæleſtis, qui Polonos verbere ſuæ plagæ mulctari, non ad ex-tremum tamen conſumi permiſit, procuratas inducias pauci ex miniſtris Eccleſiæ Gneſneñ, qui cæteris metu belli perculſis diffugientibus remanſe-runt, corpus S. Adalberti Pontificis & Martyris in ea conditum, quod ve-ritimiliter Bohemos exiſtimabant ſublaturos, de loco, in quo annis plu-rimis vniuerſali deuotione quieuerat, abſtrahunt, & in loco vili, ſabulo obru-tum, recondunt. Sub illis quoq; diebus Bretiſlaus Bohemiæ Dux in quæ-propinqua vaſtationem iuſsit extendi, & agreſtes capit. In eam ſpem ad-ductus, vt diſcordia Polonorum inteſtina, ſuaq; vaſtatione infeſta, Repub. Polonorum diſſoluta, Bohemica fieret auguſtior. Nam Bohemos & Duce eorum Bretiſlaum exanimatio Letargica, & cæcitas à ſpolio in ſacra perpe-trando, trium dierum continuatione deterruerat, reſq; apud eos, prout di-gnum erat, in prodigium & religionem verſa, futuri ſacrilegij facinus in-ius magnitudine demonſtrans, conceptum furorem diſſoluebant. Seuerus tamen Pragenſis Epiſcopus, qui eiuſmodi bello iniuſto ſe miſcuerat, & Gne-ſnæ præſens aderat, Bohemorum animos ſuapte in prædam & ſpolia pro-cliues ad proſequendum ceptum ſcelus animat & accendit, aſſerens Leta-giæ & excecationis incommodum, non propter in Sacra Eccleſiæ Gneſneñ

per eos

per eos committendum ſpolium, ſed propter veteres Bohemorum præua-ricationes, & ſcelera in Catholicam religionem, abutendo illicitis connu-bijs, perpetrando homicidia, committendo adulteria, ſectando ebrietates, Sabbata, dieſq; feſtos ſeruilibus operibus violando, inceſtuosè viuendo, ſe-pulturas mortuorum in locis prophanis, neglectis Edibus ſacris, & cæmi-terijs faciendo, & templis ſpolia inferendo, pauperes opprimendo, iniu-ſta iudicia exercendo, commiſſa accidiſſe. Ad quorum expiationem Pon-tifex Seuerus Pragenſi Duci & Bohemis triduanum ieiunium indicit. Quo expleto iurisiurandi execratione ſe aſtringunt, ab omnibus enormibus fa-cinoribus, quibus hactenus ſe inquinauerant, ceſſaturos. Poſt Eccleſiam Gneſnenſem ingreſsi, dùm ſolita non ferirentur cæcitate, ad diripienda ſin-gula Sacra, & omnem Eccleſiæ ſuppellectilem, rapacem animum, & manu-um ingluuiem fauere ſibi Diuinitatem credentes, propoſito intendunt, Correptis autem Eccleſiæ Gneſnenſis, qui remanſerant, miniſtris, non pro-bris ſolùm, & cruciatibus, ſed etiam amplisſimis promiſsis illos ſolicitant, & vbinam corpus S. Adalberti Pontificis & Martyris depoſitum ſit, oſten-dant, Et illi quidem prudenti & induſtrioſa vafrica vſi, corpus Gaudentij Gneſnenſis Archiepiſcopi, & Beati Adalberti Germani, oſtendunt, illudq; eſſe corpus B. Adalberti mentiuntur. Creditum eſt illicò à Bohemis, nam & Sarcophagi lociq; & ornamentorum Pontificalium, quibus veſtitum e-rat Corpus Gaudentij qualitas fidem figmentis faciebant. Tollunt itaque Bohemi Corpus Gaudentij & immenſa lætitia, putantes ſe corpus B. Adal-berti Martyris adeptos eſſe, exultant, & vulgaribus canticis Eccleſiam Gne-ſnenſem replent. Deinde illud magna ſolennitatis Pompa de Eccleſia de-ferunt, & in caſtra ſua traducunt. Quæ quidem ludificatio iuſtiſsima Dei lege & prouidentia euenisſe Bohemis credenda eſt. Qui enim verum Dei, & ſuum tunc Pontificem plurimis probris, contumelijs, & iniurijs viuentē affecerant, qui eum geminata vice de ſede ſua ignominiosè eiecerant, quiq; ſæuiſsima cæde fratres ſuos, & vniuerſum genus ſuum odio & liuore neca-uerant, eius Sacrum Corpus Poloni qui eum ſuſceperant, honorificauerāt, eius monitis ſalutaribus paruerant, eius Corpus ex Pruſsia transtulerant, auferre diuinitate decernente iudicati ſunt indigni, ſed nec Sanctus ipſe paſ-ſus eſt oſſa ſua ad gentem Apoſtatricem referri, quæ, quantum in ea erat, & in præſentem, & in abſentem, in ſe, ſuoſq; ſæuiens, ſui nominis memoriam conata eſt, è rerum natura pertinaci animo tollere & abolere, & quorum viuens conſortia viſus eſt fugiendo aſpernari, ab eiſdem non tulit Corpus ſuum contingi, neq; in Bohemiam ex Polonia auferri. Conuertit poſt præ-miſſa Bretiſlaus Bohemiæ Dux animum ad cætera Sacra diripienda, & quin-que fratrum, ac Martyrum Corpora videlicet Ioannis, Benedicti, Iſaac, Ma-thæi, & Criſpini; quos ſub Boleſlao Primo Polonorum Rege, in loco vbi nunc eſt Oppidum Cazimierz in Maiori Polonia Heremiticam vitam in ar-ctiſsima conuerſatione agentes monſtrauimus, Martyrium paſſos quoſque Boleſlaus Rex primum ex loco eorum paſsionis Gneſnā transtulerat. Ima-

ginem

ginem insuper Crucifixi ex puro auro per Boleslaum primum Polonorum Regem fabrefactum, & trecentas habentem libras triplici pondere corpus eius appendentem. Item tabulas tres, quibus altare magnum adornatum fuerat, auro puro & varijs preciosis lapidibus, gemmis superbis, per eundē Boleslaum Poloniæ Regem donatas, cæteraſq; Ecclesiæ Gnesnen res, vasa & Clenodia rapit, & sacrilego facinora Ecclesiam Gnesnensem plurimis sacris ornamentis, & decoris spoliat. Neq; his contentus, campanas nobiles, & in magnitudine, valore atq; sono raras aufert, & tamen his omnibus, & populi vtriusq; sexus multitudine, quam captam tenebat, in Bohemiam reuersus est, & Pragam in vigilia S. Bartholomæi feliciter ingressus, Sacras prædas in Ecclesia maiori Pragensi collocat & deponit, captiuos verò rusticos Polonorum, inter quos & Sacerdotes Ministriq́ue Dei videbantur, (tanta enim erat Bohemorum crudelitas, vt nec à Christis Domini mānum suam continerent) in Colonias deduci, distribuiq; ordinauit, Corpus Sancti Cristini ex quinq; fratribus; Morauis instantibus & petentibus, Olomunceū Ecclesiæ, quæ nondum Cathedrali fungebatur honore, donauit, quod apud illam in eum diem sub tabulis argenteis auro tectis requieſcit, suoq; titulo & nomine Cathedra Olomunceū extat dicata.

STEPHANVS Hungarorum, seu vt veriùs loquar, Pannoniorum Beatus Rex, fati sibi diem instare prænoscens, cùm orbus, & sine liberis foret, de Regno Hungariæ, antequam vita excederet, ne scismate & seditione ciuili illud contingeret, inuolui, ordinaturus; mittit in Nitriam, vt Vazul patruelis sibi Michaëlis filius, quem illic ad honestam captiuitatem, reprimendo suam insolentiam, Rex Stephanus damnauerat, adducatur, illum enim sibi in Hungariæ Regno deliberauerat successurum. Vxor autem B. Stephani Regis Gisla Regina Vilhelmi Ducis Burgundiorum filia, & iuxta assertionem nonnullorum, soror Henrici Imperatoris, decretum mariti sui satagens rescindere, & fratrem suum Petrum, ex vno quidem Patre, sed ex altera matre, sorore videlicet germana B. Stephani Regis genitum, & quo in aula Stephani Regis, velut Nepos suus annis pluribus commoratus, & à Rege Stephano ex Venetijs accersitus, Princeps creatus militiæ, multorū Hungarorum fauores, & beneuolentiam, procurante Regina Gisla, sibi conciliauerat, in Regnum Hungariæ præficere. Vazul excæcari, auribusq; truncari, & per omnia deformem, mutilum, atq; despectum effici subordinat. Quo malo B. Stephano Regi Hungariæ nunciato, febri correptus & nimio dolore vexatus, 15. Septembris in Vigilia Assumptionis Dominæ nostræ Budæ, dùm annos Sex & quadraginta Regnum Hungariæ administrasset, moritur, & in Albam, Regalem relatus, flente eum vniuerso Hungarico populo, sepelitur, vbi Diuinitate præstante meritis suis varia in languidis prouenire ceperunt miracula, quibus expost largiùs crebrescentibus Rex B. Stephanus in cælicolarum numerum ascriptus & translatus. Diebus autem planctus expletis, postquam omnia Sacro corpori ab Hungaris fuisent persoluta, Regina Gisla, & Buda Hungariæ Barone, cuius tùm inter-

Hunga-

Hungaros magna erat reputatio, procurante, dum nemo de semine Regio, filijs Wladislai videlicet Andrea, Bela, & Leuanta in Poloniæ Regno exulantibus, & filijs Michaëlis obtruncatis, extaret Petrus Vilhelmi Ducis Burgundiorm filius, & B. Stephani Nepos ex sorore in Hungariæ Regem assumatur, & in Alba Regali per Strigonienſem Archiepiscopum, & cæteros Hungariæ Pontifices, consentiente in eum vniuersali Baronum Hungariæ decreto, coronatur. Qui primus apud Hungaros peregrinus Rex perhibetur fuisse. Annales autem Hungarorum eum non ex Burgundiorum genere, sed stirpis Teutonicæ fuisse testantur, Beati Sigismundi Burgundiorum Regis, germanum ex fratre Nepotem.

Quæsitura autem filio suo charissimo Cazimiro Regina Poloniæ Riksicha, dùm iam in Almaniæ terris consisteret, ampliora virtutum & industriæ vitra dotes naturæ ornamenta, ipsum studijs liberalibus imbuendum Patrijs, adiunctis honestis Pædagogis & seruitoribus datis nummarijs & sumptibus, & cætera suppellectili transmittit. Qui insitam habens ab annis teneris virtutis cupiditatem, & ipsam tandem in actione consistere intelligens, non ideo se tantum studiosum & docilem præstitit, vt sciret, nisi & scita magis magisq; operando exerceret, & alijs non sibi soli præficeret.

Cazimirus filius Miecslai Polonorum Regis, qui & Carolus nominatus est, dùm in Parisiensi Schola integro biennio studijs operam, Matre Regina Riksicha, impensas largas ministrante, dedisset, & plures Coætaneos suos, tàm ingenio & arte, quàm forma excederet, cæpit apud vniuersos opinione & fama celebris haberi. Erat enim corporis effigie formosus, statura procerus, membrorum robore insignis, sensuum viuacitatem, atque integram retinens valetudinem, & cui boni mores virtutesq́ue iuxta atque literæ erant in voluptate. Veritus autem ne aliquando generis sui & fortunæ, in qua erat tàm conditio, quàm qualitas, quàm prudenti & industrioso velamino in eam diem occulebat, proderetur, varijs æstibus mentis & spiritus collidebatur, & an ad patriam rediret, aut in Almania vel Gallijs cōsisteret, militiam ne an Ecclesiasticam sortem mallet, longo tempore deliberabundus fluctuabat. Quotiens enim naturali, & ingenito ardore patriæ repeteret cogitationem, & desiderium sibi insedisset, totiens exilij iniuria Regni, & ciuili, & hostili bello subsecuta desolatio & vastitas, prauus quoq; & liuorosus in se Procerum Poloniæ animus, & defectio, susciperetur ne, an excluderetur ambiguitas, Matris quoq; Polonis iratæ, disuasiones & consilia propositum huiusmodi rescindebant. Si verò in Almania aut Gallijs subsistendi cogitatio animum subijsset, subitò grandes sugillationes, & ipsa exilij ab inuidis obijcenda exprobratio occurrebat. Tantis igitur fluctuationibus quassatus pro euitando, detorquendoq; opprobrij dedecore, & pro consequenda cælestis Regni sorte & splendore, Monasterium ingredi, & in regulari obseruantia Christo militare, in animum induxit, eaq; deliberatione, velut medio optimo, quo singulas iucunditates euitare posset, assumpta ad beatum Romualdum, qui pro ea tempestatæ magnæ sanctita-

tis, vt

tis, vt erat vir, habebatur, in Italiam ex Gallijs descendit, donatoq; ei pulcherrimo, quem ex Polonia habuerat, Caballo, & quisnam, cuiusue nationis, generis, Regni & fortunæ esset, quouè teneretur desiderio, innotescens, confirmationem ab eo petit, & indumentum Monachale recipiens, in Gallias redijt, atq; in Monasterium, quod Cluniacense vocatur, frequentissimo Monachorum numero celebre, in ordine S. Benedicti, matre sua Regina Riksca desiderio fauente suo, se recipi, & tonsurari suppressa generis sui, & conditionis excellentia obtinuit, habitumq; Monachicum assumens, illic perpetuo delitescere, & in proposito continentiæ & religionis Sanctæ, cuius in loco predicto diligens & arcta obseruantia tunc florebat, omne tempus vitæ in obsequijs diuinis absumere decreuit. Monasterium autem præfatum Cluniacen tàm amplissima dote per Galliarum Reges prouisum extat, & tanta Monachorum multitudine refertum; vt duodecim priores totidem cohortes Monachorum sub suo regimine & cura habentes, & Abbatem tredecimum assiduè tenere consueuerit. Iaroslaus Russiæ Dux intelligens Poloniam proprio & externo bello implicatam, & plurimum attritam esse, collecto forti exercitu, terrestri, & nauali itinere venit in Mazouiæ oram, & eam cæde, igne & spolijs vastat, magnisq; spolijs patratis, magno insuper hominum vtriusq; sexus numero capto, in Russiam se recepit. Inter hæc mala, has quoq; ciuiles & externas Poloniæ Regno iusto Dei iudicio inflictas clades erant, Bossutæ Archiepiscopo Gnesnensi, Viro religioso & optimo, nocte & interdiu pro panibus luctus, lamenta, fletusq; à quibus magnoperè angustiatus & afflictus ad horam extremam perueniens, tabefactum spiritum, mansionemq; suam perosum emisit, in Ecclesia Gnesnensi tumulatus. Cui Stephanus primus per prouisionem Leonis Octaui Interregno durante, Nobilis de domo & familia Poboz, babatum album transuersaliter cum cruce rotunditati babati superposita, in campo rubeo deferens, genere & natione Polonus successit.

FINIS LIBRI SECVNDI.

IOANNIS DLVGOSCH SEV LONGINI CANONICI CRACOVIENSIS.

Historiæ Polonicæ,

LIBER TERTIVS.

ANNO DOMINI 1039. Grauem & enormem Gnesnen Ecclesiæ deprædationem per impium Bretislaum Bohemiæ Ducem, & suum exercitum, in Sacrarum & Dei dicatarum rerum sublationem, & in Bohemiam asportatione commissam, Metropolitanus Gnesnensis Stephanus Primus qui Bossutæ successit, molesto & amaro animo ferens Rachelini Episcopi Cracouien, cæterorumq; Episcoporum Poloniæ communicato consilio nuntios notabiles Romam mittit, coram Summo Pontifice & Cardinalibus de perpetrato per Ducem Bretislaum, & Bohemos sacrilegio questuros. Qui cum Vrbem accessissent, & coram benedicto Papa Nono, audientia obtenta, nefanda Ducis Bretislai & Bohemorum facinora, sacrilegia in Deum & Sanctos eius, spolia in Sacra & templa, cædē & captiuitatem in orthodoxos & fideles, rapinam in omnes fideli narratione exposuissent, Seuerum quoq; Pragensem Episcopum omnium Sacrilegiorum huiusmodi participem & conscium fuisse, Sacrilegiaq; singula eius iussu & consilio fuisse patrata. Pontifex Romanus non secus quàm iustum erat, motus, longā cum Cardinalibus alijsq; qui tunc in Vrbe aderant Prælatis, tenuit deliberationem. Et cum omnium pari vnanimiq; sententia execrabile scelus in Gnesnen Ecclesiam admissum, mucrone Ecclesiastico vindicandum censeretur, diuersa tamen dabantur de modo vltionis inferendo vota, & alij quidem decernebant Bretislaum omni Ducali honore, & fidelium communione priuandum esse, alij per triennium in exilium agendum, Episcopum verò Pragensem Seuerum à Pontificali gradu deijciēdum, & in Monasterium pro expiatione tanti sceleris perpetuam illic pœnitentiam acturum trudendum deprimendumq; esse. Alij tàm Ducem Bretislaum Bohemiæ, quàm Seuerum Pragen Episcopum vsq; ad Plenam omnium Sacrorum restitutionem, anatematisandos fore. Hæcq; vltima sententia velut mitior & media ab omnibus accepta est, verùm quia Sedes Apostolica parte altera non audita decreta sua promulgare non cōsueuit, personalis contra Ducem Bretislaum & Seuerum Episcopum Pragensem citatio promulgatur, quorum Nuntij dùm Romam aduenissent, & pro scelere Sacrilegij diluendo, verbo coram Summo Pontifice rem facerent, scelus illud de quo per Ecclesiam Polonicam accusabantur, non diffidenter Ducē Bretislaum

tislaum & Seuerum Episcopũ admisisse, non temeritate inquiunt improba, sed deuotione & pietate forsan stulta Sanctorum ossa, cæteraque sanctuariorum vasa ex Gnesna sublata, & in Pragam relata sunt, belli enim iure, quod Polonicæ genti inferebat, credidit se spolium illud iuste Bretislaus Dux noster, & populus Bohemicus admisisse. Tùm verò Papa nuntijs correptis stultam etiam & deliram eorum excusationem ostendit, nec licere quantiscunq; iusto bello Ecclesias Dei suis sanctuarijs, & rebus Deo dicatis spoliari, aut ossa Sanctorum de locis Catholicis suæ Sedi Apostolicæ speciali autoritate & consensu transferri, cum bella hominibus non cælestibus, aut sacris rebus indicere conueniat. Proinde autem singula Sanctuaria Ecclesiæ Gnesnen, cæterisq; Polonorum Ecclesijs erepta, aut restituerent, aut tàm Ducem Bretislaum, quàm Episcopum Seuerum Pragensem Apostolico scirent rigore excommunicandum. Legati verò Bohemorum omnium ablatorum restitutionem Ducis & Episcopi nomine repromissa, tàm Ducẽ, quàm Episcopum ad complendum, quæ verbo promiserant, obligant, largis sermonibus promittendo, tàm Ducem, quàm Episcopum decreto Apostolico in omnibus deuotè & humiliter parituros. In hanc pollicitationem, & obligationem demissi, plerosq; Cardinalium Bohemorum Nuntij adeunt, pluribusq; largitionibus & promissis illos sollicitant; vt suis Consilijs & suffragijs decretum Apostolicum de restituendis sanctuarijs Ecclesiæ Gnesnensis rescindant, aut si rescindere non possent, respectibus aliquibus executionem eius suspendant. Inescati Cardinales præmijs & precibus cæptam in sacrilegium Principemq; ac Pontificem Pragensem seueritatem, & ipsi remittunt, & Papæ remittendam persuadent, non conuenire aiunt, grauitati Apostolicæ Ducem Bohemiæ, qui per Nuntios suos omnia illicitè recepta restituturum, & præceptis Apostolicis se exhibet paritum, censuris aliquibus percelli, & in sugillationem publicam Principem parere paratum adduci, ne iniustè irritatus ad rebellionem se iustam conuertat. Multifaria tùm erat Sedem Romanam Ambientium, & de ea contendentium collisio. Nam Sabinen Episcopus, qui se Siluestrum nominabat, & Ioannes Archiepiscopus S. Ioannis ante portam Latinam, qui & Gregorius Sextus contra Benedictum Nonum Papatum vsurpabant. Quapropter persuasio Cardinalium censurarum promulgatione corrupta, mente contra Ducem Bohemiæ disuadentium tunc facile admissa est, & iusticia Polonorum, concertatione huiusmodi & scismate de Papatu protelata, impedita, & suppressa Polonorum Pontificibus illam promouere & sollicitare desistentibus, bello insuper ciuili Poloniæ Regnum premente emarcuit.

ANNO Domini 1040. Iam Poloniæ Regnum quondam glorioſum & laudabile; iam verò miserandum & miserabile innumeris cladibus, bellisq; partim domesticis, partim hostilibus & extrinsecis adeò perculsum exhaustumq; erat, vt præcipuis militibus & ciuibus trucidatis aut captis, nihil ibi quam vastitas & desolatio cerneretur, Villæ siquidem & Oppida colonis

colonis & habitatoribus, aut extinctis, aut diffugientibus, raræ poterant reperiri, & hæc ipse vel incineratæ, vel semiustæ, vel vastatæ, vel collapsæ, agrorum perierat cultura, singuli negotiatores exulauerant, fora non frequentabantur, omnia in ruinam & perniciem reciderant, alia exterminata, alia præcipitata, alia languida, alia deformata, alia occupata erant, nulla pars Reipublicæ ab vniuersali malo immunis & intacta erat. Vicinæ quoque nationes per circuitum Poloniam aut lacerabant affligebantq;, prædis, direptionibus, & spolijs, aut subiugabant, & iniustè dominio suo aut iuri oras; & regiones mancipabant. Quo demum periculo hisq; negotijs compertum est in omni Republica Principum præsentiam plurimum valere, & absentium incommoda perficere, complebantur in singulis Boleslai Chrobri Primi Polonorum Regis vaticinia, quibus moriturus cecinerat Poloniam de meritò eius exigente, & conquassandam bellis & diripiendam à nationibus fore. Inter tot autem & frequentia mala, quibus Polonorum gens atterebatur, id erat illi vnicum remedium & solamen, quod pleriq; illorum in paludes stagnosaque & siluestria ipsis etiam feris vix permeabilia loca intrabant, vbi pecus fortunasq; suas abscondebant. Cæteri verò prædarum & bellorum diuturnitate perteti, æstimantes mala huiusmodi in tempus amplius læuitura, cum fortunis & pignoribus in regiones trans flumen Vistlam versus Lituaniam & Rusiam sitas diffugiebant; credentes se amne transito imminens malum declinasse. Et quoniam Plocensis terra intrinseco malo minus correpta fuerat, fugientium cateruæ in eam quasi in quoddam firmum præsidium frequentes veniebant. Erat ea tempestate inter Plocen Proceres Vir quidam animo ferox, Maslaus nomine, Miecslai olim Polonorum Regis Pincerna, qui post terræ illi ex suo nomine nomen dedit. Is quia cæteris & genere & ingenio præstabat, & expellendæ Rikschæ Reginæ cum filio suo Cazimiro autor Principalis fuerat, facilè vrgente communi disturbio summam regiminis arripit, purpuram assumit, seq; omnium oram illam inhabitantium, partim dissimulatione, partim consensu Principipem erigit, & omnes primo quidam monendo & exhortando singulos, & quæ deformata fuerant blandè corrigendo, Dominium & ditionem vsurpat, vt satis insuper vndique omnibus, qui pro ingenio prædæ & rapinarum percupidi essent, quiuè studio ad euehendum statum suum & dominationẽ flagrarunt, autoritatem breui & nomen apud Plocen adeptus est, & factis dictisq; omnibus ad fallendum callidus, Mazouiæ populos vanis promissis inescatos, in Dominium se & Principem recipi obtinet, neq; enim tunc difficile erat inuadere Principatum, singulis & de summa rerum trepidationem desperationemq; animo voluentibus, & ad priuatam salutem tuendã, quam sibi à quocunq; præstari deposcebant, conuersis, Regno siquidem per clades & calamitates externas & proprias diuiso, diripientium prædam non potuit effugere. Incanduerat enim ira altissimi, nec voluit diutius Polonorum quibus prouocabatur tollerare scelera, sed gloriam illorum quam hactenus sustentabat, collidi permisit, & confundi, fatoq; quodã maligno,

& vt verius dicam, populorum vitio, & demeritò Polonorum res ad tumam perductæ, & rursus ad infimum velocius quam ascenderant relabetur. Omnibus autem in Poloniæ Regno Rempubl. per desperationem deferentibus, nihilq; salutare in commune conferentibus, Patriæ occasum cuique suo exitio propediem venturum arcibus aut locis palustribus, & inuijs, Proceres & Primores inclusi operiebantur. Sic Respubl. Polonorum, vehementi & interno, & externo hoste deformata, & ad extremam fermè internecionem depressa, cum singuli quasi quadam tempestate fuissent iactati, splendor quidam veluti è cælo demissus pectora primorum inspirauit. Pontifices enim & Barones Poloniæ, crebris tractatibus exiguas eius & exangues reliquias saluare cupientes, de summa rerum, & quonam modo statum prior & facies Reipublicæ reddi posset, consultabant. Et omnium quidem sententiæ congruebant sine Rege & Principe, neq; mala exorta dispelli, neque ad debitum ordinem Regnum posse deduci, in eligendo tamen & assumendo Principe erant varij & diuersi. Quibusdam enim placebat, aut ex vicinis Principibus, aut ex proprijs militibus Regem eligi. Sed hæc quoq; sententia multas secum futuras difficultates & incommoda trahens, cum verendum esset, ne eligendus Rex, si de Principibus vicinis esset, Principatum detrectaret, si verò de genere proprio, ne in contemptum fastidiúq; veniret, damnabatur. Alijs placebat expulsum & exiliatum hæredem, & filium Regni Cazimirum quærere, & omnibus modis ad Regni reducere regimen. Quo viuente certum esset aliquem iustum & prudentem Principem Regnum Poloniæ, & lacerum & deforme abnuiturum. Neq; parum pendendam prolem Regiam cui hæreditas & successio debebatur, sed imo Auitam in Cazimiro sperandam esse indolem, neq; alium extare Principem qui Reipublicæ Regni Poloniæ æquè posit, & abrogare deformitates, & instaurare ruinas. Iniquum insuper esse Boleslai magni primi Polonorum Regis beneficia, & in patriam, & in se præstita oblitum iri, Nepotemque suum eo Regno priuari, cuius ille virtutis suæ excellentia primus Diadema meruit. Hæc sententia cum ab omnibus collaudata & accepta foret, decernentibus iudicantibusq; singulis Proceribus Regionem Polonicam, suam dignitatem, suumq; statum nisi Rege Cazimiro recuperato, recuperare & tenere non posse, post multos itaq; tractatus, post varias iactationes, simultates, & tumultus finem desidijs in hunc modum placuit ponere, modumq; statuere odijs, solusq; Cazimirus dignus visus est cui Regnum, Legati communi voto eligendi, deferrent, quem Deus Omnipotens in suæ indignationis iubilo misericordiæ suæ non oblitus, quasi scintilam modicam pro Polonorum restauranda gloria voluit conseruare, Pontificibus interim & Baronibus, ex quibus maximè Ecclesiastico videlicet & seculari statu, vniuersum corpus consilij apud Polonos ad promouendam Rempublicam concernebant, consilia, nonnulliisq; alijs Baronibus, paucis tamen admodum Gnesnam Metropolim iterum conuenientibus Stephanus Gnesnen. Archiepiscopus dicere orsus, quo in loco inquit res nostræ sint Proceres, differre

differre non expedit iuxta mecum omnes intelligetis, eo calamitatis & trepidationis ventum esse, vt si rem nostram publicam saluam esse velimus, apud remotas & ignotas regiones exiliatum à nobis Cazimirum sollicitis studijs requiramus, supplicaturi exuli & suasuri reditum, qui adolescenti & innocenti maternarum transgressionum noxas parum iustè imputabamus. Finem dicendi Archiepiscopo faciente, circumspectantibus cæteris omnia alia consiliariorum remedia, licet plerique nouum creari Regem, plerique Gubernatorum Regni deligi consuluerant, nec satis inter Pontifices & Proceres de eligendo Rege conueniret, nihil tamen salutarius preter vnum tutissimum in præsens & futurum ad leuanda celerius mala grassantia, & grassatura occurebat remedium, quam vt pulsum à se Cazimirum Regni Principem & hæredem, quæsitum irent, repertum reducerent, eiusq; ditioni se & defensioni permitterent, facilè ad eius regressum furias omnes, collisioneſque, & concussiones Regni extrinsecas & intrinsecas quieturas, ipsumque quod tàm se, quàm matrem ignominiosè eiecissent, maternis prouocati non ferendis iniurijs, vt sunt ingenia humana ad leuandam propriam culpam, & ad sperandum meliora mitioraq; nimio plus fæcunda deprecentur, & exorent. Nam si alium Regem assumere pergerent, vereri se, & suam electionem viuente hærede, & renunciationem non faciente repudiatum in securius se omnia acturos, si Cazimirum vel fatis subtractum, vel iuri cæsurum, nuntijs reuertentibus constaret. Nuntij posthæc ad Cazimirum quærendum designantur, & mittuntur, eo mandato & autoritate instructi, neq; fulciti, vt pro illius reductione etiam quæq; difficilia subeant, cum in illo vno, vnica spes miserabilis patriæ consistat. Nuntij autem Polonorum publica executuri mandata arrrepto itinere, primum ad Almaniam diuertunt, & Rikscham Poloniæ Reginam Miecslai olim relictam, in Brunsuik degentem offendunt, cui cladium & malorum, quibus Poloniæ Regnum pressum erat, magnitudinem, quam & ipsa ex rumoribus intelligebat, singulatim exponunt, rogantq;, & vbinam terrarum aut gentium filium suum Cazimirum inuenire possent, eis fideliter edicat, & declaret. Regina autē Rikscha, & si suæ, filijq; sui exulationis iniuriam vltum esse gaudebat. Calamitatum tamen magnitudo etiam muliebrem affectum superabat; Propter quod Regno Poloniæ, tàm miserabili & afflicto non compati non poterat, spiritu Compassionis impulsa, viuere quidem filium suum Cazimirum, sed in religionem Sacram B. Benedicti transisse, & Monachalem habitum, & statum in Cluniacen Monasterio in Gallijs sito, professum esse demonstrat, satisq; veteri illum à religionis proposito Regni terreni cupiditate distrahi non posse, & spe concepta legatos frustrandos esse. Terruisset relatio hæc quantumcunq; viros constantes, Legati tamen Polonorum, nihil ijs quæ à Regina pro indifficultando & succidendo eorum itinere dicebantur, perculsi, Honorata Regina Rikscha, de his quæ secum ferebant muneribus, in Galliasprofecti, Cluniacum tandem perueniunt, & Oratores Poloniæ Cazimirum Ducem suū Monachali habitu cognoscunt, oborto-

que lachrimarum imbre, certatim in eius ruunt amplexus, felices se existi-
mant, quia Principem suum tanto labore, quæsitum viuum & incolumem
reperiunt, apud quem petita audientia, & de consensu Abbatis Cluniacen.
obtenta verba faciunt, omnium inquiunt Pontificum Procerum, & No-
bilium Regni Poloniæ nomine ad te vennimus Princeps clarissimè, oratum,
qui solus Regnum nostrum hæreditarium tuum Poloniæ labefactum atto-
lere, & discerptum reintegrare, tueriq; enixè & egregiè potes. Quatenus
ad Regnum Poloniæ per nos te deduci, & illius sceptra successione pater-
na tibi debita requirere velles, neq; preces nostras, & totius Patriæ, neq; fa-
tigationes nostras, qui te per varias Regiones, nationes, & populos discur-
rendo quæsiuimus, despectum iri sinas. Veni igitur seditiones sedaturus
Polonicas, & intestinas eradicaturus illorum discordias, hostes abacturus,
ab eorum faucibus Regni tui erepturus reliquias. Iacet enim infelix Po-
lonia frequenti squalore proprio, & hostili oppressa, olim suo imperio,
dùm illam Proauus, Auus, & genitor tui administraret latissima, nunc ve-
ro rapinis, incendijs, vastitate, seditione, templorum direptione, hostili ve-
xatione, concussa. Noli committere, vt te per tot terrarum spatia fatiga-
ti quæsiuerimus frustra, aduentum enim nostrum omnes spectant, omnes
intuentur, tu vnus es, qui nostræ spei respondere, qui Regnum Poloniæ
multifariè scissum, & deformatum in suum decus & gloriam vindicare po-
tes. Si nos deseris, quem implorabimus? si despicis, quis subleuabit? Fi-
nita deinde sua & eorum quorum fungebantur legatione iniusto & grau
se deliquisse fatebantur facinore, suppliciter orant, vt se meliorem erga
eos, quam erga illum ipsi fuerunt exhibeat, exoratuq; se mitem & facileu
etsi quondam ingratis, nunc, tamen supplicibus, vel charitate, vel respectu
patriæ exhibeat. Recognoscit Cazimirus Dux Regni sui Proceres, & de
eorum aduentu iubilo immenso cordis iocundatur & exultat, quid tamen
agat, quem affectum, quem vultum, legatis & Proceribus Poloniæ, quorū
aduentus causam ipsis prodentibus habebat, non ignotam exhibebat,
prorsus ignorat. Iam enim Regulam B. Benedicti professus erat, iam &
Diaconatus gradum susceperat, alieniq; iuris & arbitrij factus etiam com-
munem conuersationem cum legatis non nisi Abbate permittente, ne dum
regressionem in seculum sibi nouerat, professionis virtute interdictam.
Quæ cum Polonorum legati Duce eorum Cazimiro recensente didicissent,
Abbatem Cluniacensem conueniunt, congruisque muneribus sibi præsen-
tatis, cur & vnde venerint, exponunt, varijsque inquiunt, & diuturnis do-
mesticis, & externis cladibus ob absentiam Principis sui Cazimiri in exi-
lium iniustum missi Procerum odio, Regnum Poloniæ adeo pressum & ve-
xatum est, vt miserabilis eius status, & conditio etiam hostibus & inuidis
commiserationem excutiat, neque enim per nos eius calamitates & ruinæ
satis depromi & enunciari possunt, quòd primum ciuili discordia & furo-
re, deinde hostium vndique dependentium inuasione, prisco suo splendori
& gloria, quibus vsque ad inuidiam abundauerat, exutum est, & multifariè

deformā-

deformatum, & direptum, cædibus enim continuis ad consummationem,
vastitatemque redactum, stupris inquinatum, & libidinibus pollutum, spo-
lijs & prædis attritum, diuinis & humanis prophanatum, in fide vacillans,
in religione aberrans, in moribus & legibus proprios motus sequens, Ec-
clesiarum Dei & ministrorum eius omniaque Ecclesiasticæ libertatis iura
pessundans ac pro culcans, ac sacrilego ausu bona ac possessiones diripi-
ens, in omne scelus & nefas non destitit grassari. Et licet pro euitandis re-
scindendisque tot malis plures viæ tentatæ sunt nulla tamen earum spes no-
stras impleuit. Omnium itaque Polonorum, tàm Ecclesiasticorum, quàm
secularium, qui relicti sumus sententijs, declaratum est Regno Poloniæ la-
rem aliter peruenire non posse, nisi Principis nostri, quem in tuo Mona-
sterio reperimus, reductione. Quapropter tàm nostrō, quam eorum, quo-
rum legatione fungimur, nominibus exoratum te Pater Venerande veli-
mus, quatenus multiplices acerbitates calamitatum, pressurarum & deso-
lationum, quibus Regnum Poloniæ attritum erat, attendens Principem
nostrum, Monachum verō tuum reddere, & in Regnum suum Polonicum
illum remittere non graueris, altius gratiusque Deo Sacrificium in purpura,
quam in Cappa per administrationem instaurationemque paterni & Auiti
Regni profligationem malorum, præmiationem bonorum, quàm per re-
gularem precationem, & obseruantiam exhibiturum. Abbas autem Clu-
niacen. vir ipse eruditus & industrius, prudentum tamen & expertorum vi-
rorum communicato consilio, Polonorum legatis respondit, se quidem ad
gerendum petitioni & requisitioni eorum morem ex compassione & affe-
ctione singulari, vt calamitates Polonici Regni dispelli, & sanari possent,
beneuolum atque pronum esse, non tamen huius potestatis se esse, vt & Mo-
nachum & Diaconum à religione professa emancipet, & interim Regni re-
gimine præuaricato professionis suæ tenore succedere permittat. Prom-
de supremum interis tribunal, supremamque potestatem, sedem videlicet
Apostolicam Romanam & Vicarium Christi adirent, & necessitate publi-
ca Polonici Regni, eiusque conditione & statu summo Pontifici declarato,
Principem Cazimirum reddi deposcerent, ea benignitate Pontificem sum-
mum fretum esse, vt afflicto calamitosum precibus non posset non mo-
ueri, & Regno cui suapte debetur miseratio, propitiationem non præstare,
facile Apostolicis mandatis in remittendo absoluendoque Monacho quam
gratissimè pro salute publica pariturum. Cluniacen. Abbatis responso Po-
lonorum legati accepto, etsi illos non mediocris haberet molestia & ama-
ritudo, quod Principem suum, prout animo destinauerant regulari posses-
sioni & Diaconatus arctè intelligerent irretitum, duplicemque illi nodū non
sine plurimorum laborum & difficultatum interpositione soluendum,
omnia tamen extrema deuouerunt se perpessuros, dummodo salutem pos-
sent referre Patriæ miserabili & afflictæ. Ex Cluniacen. itaque facto discessu
rectiori quo possunt itinere Romam contendunt. Quò cum incolumes
peruenissent, à Benedicto Papa Nono benignam audientiam sortiti, qui-

bus bellis,

bus bellis, quibus cladibus, cædibus, & ſpolijs, Poloniæ Regnum, cùm ab extraneis, tùm à proprijs, propter carentiam & exulationem ſtirpis Regiæ vſque ad internecionem confectum ſit, quibuſq; ex cauſis reſtitutio Principis eorum Cazimiri per Cluniacen̄ Abbatem negata ſit, declarant. Difficilis inquiunt Pater Beatiſsime relata eſt calamitas, qua Poloniæ Regnum ſuperioribus annis affli&tum eſt, & hactenus affligitur, hoſtibus & proprijs in eius exterminium quodam furore intentis, & exacuatis. Vnico ſi quidem hærede & Principe noſtro Cazimiro, Nobiliſsima ſtirpe Regia ob inuidiam maternam genitore abſumpto, pulſo, omnis pernicies illud inuaſit, longoq; bellorum tra&u, priuatione pacis varias cladium amaritudines experiri compulſum eſt, Sacra enim & diuina & humana prophanata ſunt, Sacerdotes & Miniſtri Chriſti aut pulſi, aut enecati, Primores Regni in pace nobili deleti, Matronæ nobiles & Virgines ſtupratæ, Ciuitates & vici conflagrati, Regina omnis ſuppellex direpta, multi illuſtres & nobiles Viri, multis vulneribus trucidati, multi in prædam & ſeruitutem tra&i, multi gladio & fame conſumpti, populus igne & ferro vaſtatur, cultus Dei deſeritur, Ciuitates, Oppida, Caſtra ſpoliantur & euertuntur, iuſticia exulat, furor augetur, boni premuntur, ſcelerati creſcunt, virtus omnis marceſcit, vitia dominantur, Eccleſiarum, Moneſteriorum, cæterorumq; locorum Deo dicatorum, quæ deuotione Chriſtianorum Principum exa&a, conſtru&a, dotataq; fuêre attentata ſubuerſio, & vt multa paucis complecta&amur, adeò vehementi bellorum & cladium ſtridore Regnum Poloniæ penè conſumptum, & deletum eſt, vt nullum deſolatius, deſertius, vaſtatiuſq;, eſſe videatur. Ne autem Regnum ipſum à proprijs, & à finitimis nationibus procultatum in barbarorum & ſciſmaticorum, contra quos hactenus militando ſcuto ſuo, cæteras Chriſtianorum regiones tutabatur defen-
tione concedat, ſupplici lugubriq; magis eiulatu, quàm voce orare Legati ceperunt, vt Regno calamitoſo & perdito, velut religionis Chriſtianæ parens conſulat. Principemq; illis ſuum Cazimirum in Cluniacen̄ Monaſterio conſtitutum, non obſtante, quod Monachum profeſſus, & gradum Diaconatus adeptus ſit, reddat. Ex te enim Sanctiſsimè Pater noſtra & tetius Poloniæ ſalus, & reſtauratio pendet. Tu ſolus patriæ noſtræ potes lenare diſcrimen, tu bellicum furorem inhibere, te Patria noſtra inuocat, te intuetur, ad te fiducialibus precibus recurrit, tua maximè intereſt facili autoritate & decreto ei præſtare gloriam, & quietem, ſalutem, & integritatem per te regionum noſtrarum ſanari precantur vulnera, quibus nemo præter te mederi poteſt, vt Reſpublica Regni noſtri Poloniæ ſæua diſcordia miſerabiliter prolapſa, in priſtinam poteſtatem pace confecta, vigore reſumpto, diuinitate propitia conſurgat, maturato opus eſſe auxilio, niſi cito ſuccurſum fuerit, de capite, de fortunis inſontium, de totius inſper Regni Poloniæ corpore actum fore, nec ſemel Papam & Cardinales petere contenti, frequentius petere & inſtare perſeuerabant, rogantes ne ſe irritos ſpe abire poſt tantos labores fatigationeſque paterentur, & triſte reſponſum

in patri-

in Patriam referre cogerentur, compareretur Summus Pontifex, benignitate paterna Polonorum Regno miſerabilibus cladibus obtrito, non aliam habens faciem, niſi ſine capite truncum corpus, ſine oculis frons & facies tenebroſa. LEGATIONE POLONORVM Benedictus Nonus audita, quid facto opus foret aliquanto tempore cum Cardinalium collegio, cæteriſq; timoratis Viris, & iuriſperitis deliberat. Res enim & ſupplicatio noua, & ſine exemplo, ad ſe delata, non parum in vtramque partem difficultatis & periculi ſecum trahens, alta longaque indaginis lucubratione eam digerere Summum Pontificem impellabat, nam ex Monacho Diaconoq; laicum efficere, ſollennæ religionis & continentiæ votum diſſoluere, tranſgreſsionis in diuinam legem facinus euidens cenſebatur, & laboranti afflictoq; Regno non prouidere ſummæ crudelitatis, quæ à Sede Apoſtolica benigna ſe omnium matre vocitante, longe abeſſe debet, erat ſpecimen. Monebant raræ ſanctitatis virum, facies miſeranda Legatorum, vilis & abſoletus habitus, vultus ſupplex, demiſſa ſupercilia, verborum humilitas. Intellexit ſiquidem Vir Apoſtolicus, propter defectum Regalis regiminis, multas Poloniæ iacturas accidiſſe, vt pote militum diſſenſionem, populis concuſsionem, Regni deprædationem, fidei ſubuerſionem, Epiſcoporum, & Sacerdotum indignam oppreſsionem, virginum defloration-
nem, & coniugalis pudicitiæ contaminationem. Itaq; poſt varios tractatus, & conſultationes in hac re habitas, dùm plures viæ Polonorum Legatis à Summo Pontifice propoſitæ, velut duræ & intollerandæ repudiarentur, ea tamen & à Summo Pontifice decreta, & à Polonorum Legatis accepta eſt, & tunc demum Summus Pontifex Legatorum Poloniæ precibus annuit, & Cazimirum illis precatio Regno donat, nexum religionis, & ſuſceptum Ordinis vinculum ſoluit, vxorem ſibi ducere, & liberos procreare concedit. Dona tamen Apoſtolica exemplar non habentia, nec vnquã alicui perſonæ aut religioni conceſſa rara eſſe decernit, ſi illa lex à Polonorum Legatis ſuſcipienda, & perpetuo ſeruanda cohereat, Princeps Cazimirus Poloniæ diſpenſante Summo Pontifice Cluniacen̄ Monaſterio exeat, habituq; Regula & gradu Diaconi abdicatus, ſolutus & liber paternum & auitum Regnum inſtauraturus illud reſumat, nubẽdi & in ſpe Poloniæ Regni ſucceſſores generandi habens plenam poteſtatem, ſed tum Polonorum regiones, & Regnum in ſignum præſtiti per Sedem Apoſtolicam, acceptiq; in magno ſuæ neceſsitatis articulo beneficij B. Petro & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus de quolibet capite nobilium capitibus circumſcriptis, vſualem nummum annis ſingulis ſoluere Cæſariem capitis, & comam barbaro more non nutrire, ſed auribus patentibus ad inſtar Catholicarum & Latinarum nationum, tonſuratum caput geſtare, & in præcipuis Chriſti & Virginis matris eius feſtiuitatibus, panno lineo albo in ſtolæ modum, dependente ceruicem exornare perpetuo reddantur aſtricti, quatenus in his tribus ſignis, & ex Monacho & ex Diacone Apoſtolica concęſsione & benignitate, dùm aliter concretum periculum diſſolui non

poſſet

posset Poloni Regem sibi creatum & redditum cognoscentes, tàm in Deum, quàm in religionem Christianam consistant gratior es atq; deuotior. Placet alijs non Benedictum Nonum, sed Clementem Secundum Poloniæ Regem Cazimirum reddi iussisse. Quam diuersitatem propter plures sub eo tempore de Papatu contendentes reor prouenisse. Benedicto enim ejecto Nono, Episcopus Sabineñ qui Siluester vocatus est substituebatur, sed eo quoq; ejecto, Benedictus Sedem recuperat. Quo altera vice ejecto datur Papatus Ioanni Archipræsbitero S. Ioannis ante portam Latinam, qui Gregorius Sextus dicebatur. Qui cùm esset rudis literarum, alterum Papam ad vicos Ecclesiastici officij exequendas, secum consecrari fecit. Qui cum multis non placeret, tertius superinducitur, qui duorum vices duorum impleret. Vno igitur contra duos, & duobus de Papatu altercantibus contra vnum, mortuo Gregorio Henricus Imperator contra duos Romam accedit, & ex Canonica & imperiali censura depositis, Sygerum Bambergeñ Episcopum, qui Clemens Secundus dictus est, in Papatum per vim substituit, à quo Henricus Imperiali Diademate ornatur & benedicitur, Romanis sibi promittentibus & iurantibus se sine ipsius consensu nunquam Romanum Pontificem electuros. Hæc autem tributi perpetui in Regnum Poloniæ impositio quantum attulit Regno oneris, tantum & contulit, ne Regni fines à quoquam iniustè occupari, vel mutilari queant, perpetui roboris vociferante, solutione tùm impositi numismatis Regnum Poloniæ sub iure religionis fuisse, & esse, & occupantes atq; occupatores assidua de malafide, de prauaq; conscientia obiurgante voce.

CONRADVS Imperator sub ijsdem temporibus moritur, & in Ecclesia Spireñ sepelitur, cui filius suus adoptiuus Henricus tertius, vt quidam ferunt gener, qui dudum Patre viuente in Romanorum Regem electus, & consecratus erat 86. loco ab Augusto in Imperium succesisit, iocundus & bellator, in silua natus erat, & bis ad occidendum traditus, sed tamen Deo protegente illæsus euasit, adhuc puer. Cuius beneficij memor consequutus imperium, in loco natiuitatis suæ fabricauit & dotauit insigne Monasterium.

RVTENORVM Monarchia, & vniuersali Principatu, Iaroslaus Rusiæ Dux non contentus famam & gloriam apud exteros quæsiturus, finitimis Græcis bellum infert; filium Wladimirum natu maiorem, grauis iam ipse ad sustinenda belli munera cum exercitu frequenti in nauibus contra Constantinopolim transmittit, sed tempestate ingenti exorta franguntur naues Rutenorum, & classe dissipata milites Ruteni cum Duce suo Wladimiro vix semi viui continentem attingunt, pedestriq́ue itinere Rusiam regrediebantur, quos Græcorum nonnulli milites ab Imperatore transmissi non desinebant particularibus certaminibus, clandestiniq́ue bellis & infestationibus lacessere, donec prælio inito Græcis fugientibus Ruteni euasere victores.

ANNO Domini 1041. Restitutione Principis sui Cazimiri, qui & alio nomine Carolus Vrbanitatis gratia dictus est. Polonorum Legati apud Benedictum Nonum seu Clementem Secundum, sub conditionibus quas præmisimus impetrata, alacres, & cum gaudio magno Roma benedictione Papali accepta, egrediuntur, portantes secum & deferentes literas, quibus primum Cluniacen Abbati Principis Cazimiri redditio, deinde eisdē Gnesineñ Archiepiscopo Polonorum Primati, cæterisq; Archiepiscopis & Episcopis Poloniæ coronatio imperabatur. Et Legati quidem Polonorū concito cursu ex vrbe in Gallias, Cluniacum diuertunt, Apostolicasq; literas Cluniacen Abbati præsentant, quibus illicò paritum est. Et Dux Cazimirus Polonorum Legatis, religioso vestitu amoto, seculari & Regio amictus redditur. Nouum Metamorphosis genus, & nullis vnquam visum seculis, nec ab Ouidio in libris decantatum, ex Monacho Rex, ex religioso secularis, ex Diacono miles, ex continentiam perpetuam professo maritus, ex pauper diues, ex contemplatiuo actiuus. Qui Abbati & Fratribus Monasterij Cluniacen valedicturus, verba in cætu eorum, quæ & sibi & Monachis lachrimas excuciebant, facit, agitq; gratias, quod annis propè quinque magna charitate eorum fotus sit contubernio, precatur vt tàm ipsum, quàm Regnum suum Poloniæ perpetuo habeant commendatum, suisq́ue orationibus cælicolas precentur, vt sibi Regnum stabilirent, se quoq́ue ea mente esse, vt tàm loci in quo vixit, quàm Ordinis quem professus fuerat, nunquam posset obliuisci, & his dictis Abbate & fratribus osculatis singulis discessum suum comploratione, & in spatium remotum deductione certatim cohonestantibus, ex Cluniaco egressus in Almaniam ad genitricē suam Riksciam Reginam Poloniæ in Seleuold commorantem peruenit. Apud quam dum diebus aliquibus quiescet, persuadere illi molita est, ne ad Regnum Poloniæ propriorum & externorum bellis direptum, desolatū, & exultum, cineribus magis & fauillis, quàm frequentibus vrbibus & vicis inclytum, vbi sibi prioris exilij & iniuriæ facies pertimescenda foret, consentiret redire: sed postquam Apostolica dispensatione à religione sorteq; clericali solutus sit, in Almania consisteret, largas & sufficientes possessiones, & per eam comparatas, & fauore Imperatoris Henrici, propinqui sui Auunculi donatas, morte insuper aliorum consanguineorum deuoluendas pro tenendo statu Ducali habiturus. Non mouerunt Cazimirum Ducem exhortationes maternæ, quæ fortes stimulos adferre solent. Verùm matri à filio conuenienter responsum est, non esse aliquas possessiones Almaniæ, & Dominia tàm vberibus redundantia diuitijs, quorum gubernatione auitum & paternum Regnum, quamuis semiustum, desolatum & direptum, desefendum negligendumq; putaret, pro quo solo instaurando, abdicatio religionis ordinisq; susceptī sibi à summo Tribunali tributa esset potestas. Cuius quoq; calamitas, deserta religione & ordine animum eius diuinis & cælestibus mancipatum obsequijs, ad gubernanda terrena inflexisset. Sed nec in vniuersa Almania tàm glorioſum & illustrem eum, & semen eius futurum, quantum in vno solo Poloniæ Regno, cuius sibi instaurationem per

facilem atque inde famam denominationemq; percelebrem perfidiæ cu-
iuslibet fauore circumscripto fore demonstrabat, cui etiam ab optimo
quoq; Spiritus ipse debeatur, nec dispensationem sedis Apostolicæ vite-
riorem nisi pro regimine Regni Poloniæ, & pro leuanda eius ruina exten-
di posse: Si in Almania remanendum duceret, ad ordinis & religionis re-
gressum iuste posse & oportere cogi. Confutatam Rikscha Poloniæ Re-
gina in sua persuasione videns, æquiori animo, filium propositum exequi
passa est, qui etsi eam secum Poloniam redire precabatur, nullatenus pro-
pter acceptam confusionis & exilij irrogatam à Polonis iniuriam acque
uit, sed in Almania consenuit, de bonis quoq; & possessionibus dudum
à se coemptis, duo Monasteria vnum videlicet Brusuicen: sub honore S.
Petri Apostoli, & S. Nicolai Confessoris, aliud in loco vbi S. Kiliani soc-
orumq; eius Sacrum celebratum extabat, Monasterium, fundat, consti-
tuit, erigit, & dotat, super quo piæ fundationis negotio ipsius Reginæ
Rikschæ, priuilegium apud prædictorũ Sacrorum locorum cultores, oste-
ditur fundationem & dotationem huiusmodi plenius contestans. Plena
quoque dierum & bonorum operum apud Seleueld defuncta est, corpus
verò eius religiosæ, tantæq; fæminæ exequiarum congruo apparatu Coio-
niam delatum, & in Ecclesia S. Mariæ quæ est ad gradus, humatum est.
Obitum tamen suum non tunc, sed longè post lector contigisse intelligat
pro ea siquidem vice, qua hæc gerebantur, Rikscha Regina redeunti filio
Cazimiro in Poloniæ Regnum plura Clenodia in auro & argento, gem-
misq; quæ ex Polonia contulerat, restituit, nonnullosq; milites & eque-
stris ordinis viros, quorum vallatus caterua filius, honestius Poloniam re-
peteret, ex Almania filio adiunxerat, & ne filio eiusq; Comitibus quic-
quam posset deesse de viatico sufficienti materna benignitate prouidet
Expediens autem & summè necessarium, tàm Casimiro Duci & matri eius
Rikschæ Reginæ, quàm Polonorũ legatis visum est, vt Henricum Ter-
tium Romanorum Regem, & filium Conradi Imperatoris adirent, resti-
tutionem coronarum materialium Regni Poloniæ per Rikscham Reginã
Conrado Imperatori, vt in superioribus demõstrauimus, donatorum ob-
tenturi, simulq; de vastatione & spolijs per Bretislaum Ducem Bohemiæ
in Poloniæ Regnum tempore absentiæ Principis iniustè accepta, quæsturi.
Morabatur pro eo tempore Henricus Romanorum Rex, non in remoto
loco in insula videlicet S. Suiperti, quem cum adijsset, gratus fuit Hen-
rico Regi eorum aduentus, multamq; comitatem nouo hospiti & pro-
pinquo Affini suo Duci Casimiro, & Polonorum legatis & ipse præstitit,
& à suis mandauit præstari, & Coronas quidẽ materiales duas Regni Po-
loniæ, quarum petebatur restitutio, prona beneuolentia restituit, ad Du-
cem Bretislaum Bohemiæ nuncios, qui illum & de iniqua Regni vastatio-
ne Poloniæ arguerent, & vt ablata restitueret moneret, misit, seq; Du-
ci Casimiro & futuro polonorum Regi contrà Bohemos in singulis auxilia-
turum spopondit. Quo etiam Ducis Casimiri in Poloniam hostibus &

uidis terribilior, proprijs vero & deuotis gratior esset ingressus, insignem militum & curiensium suorum numerum Cazimiro pro honore sui & solatio adiungit, & profecturum secum in Poloniam & partes suas contra rebelles, & indomitos adiuturum.

Bretislaus autem Bohemiæ Dux à legatis Henrici Romanorum Regis Pragæ offensus, & super illicita Regni Poloniæ vastatione correptus, atq; super thesaurorum, & Clenodiorum in Gnesnen. Ecclesia sacrilega præsumptione raptorum restitutione monitus, graues cum Bohemis natura ipsa insolentibus, & superbis concepit iras, bellum enim sibi ab Henrico Romanorum Rege in fauorem consanguinei sui Cazimiri Ducis Poloniæ inferendum, nisi ablata ad plenum redderet, denunciabatur. Vnde & legatis Cæsareis respondet, Polonis pro veteribus in se Ducatusq; sui Bohemiæ damnis & iniurijs, & signanter Proaui sui Boleslai excæcatione iustum bellum intulisse, nec ad restitutionem spoliorum cogi per Henricum Regem Romanorum debere. Cui tributo quingentarum marcarum argenti puri, & centum viginti boum electorum de Bohemia solito pro Imperio quotannis reddi persoluto parare, in cæteris nullatenus teneretur, ageret quæ vellet, se antequam Polonicalia spolia restituat, omnia extrema tolerabilius perpessurum. Rebus suis Cazimirus Poloniæ Dux apud Henricum Tertiũ Romanorũ Regẽ pro voto stabilitis, licentia à Rege & genitrice sua Rikscha Regina obtenta ex Misnia versus Poloniam discedebat. Dùm autem rumor Poloniam de sui Principis & futuri Regis desiderato aduentu peruenisset, magna hilaritate & gaudio omnium bonorum Rempublicam saluam esse cupientium, corda profusa sunt, singuli enim boni Cazimiri reditum scientes, anxiè per omnes status atq; ordines operiebantur, hi verò qui raptu & scelere viuere assueti, quiq; aut regalia, aut aliena occupabant, non mediocri dolore, & pauore perculsi sunt. Venienti autem ad fines Poloniæ Cazimiro, Pontifices & Barones Poloniæ cum quanta possunt militia occurrunt, cateruatim obuiam illi effusi summo cordis plausu illum excipiunt, gratulantur incolumitati, & longo post peregrinationem reditui, laudes in illum depromendo concinunt, Principẽque suum magna deuotione excipiunt, admonentq; & precantur, vt earũ quæ sibi, & genitricis suæ inconsideratus temerariusq; furor iniuriam irrogarat perpetuo obliteratis, ad capessendam Rempublicam Regni sui prostratam & exanguem animum intendat, & sui animi brachijs se curandos accipiat, nec iram & indignationem habeat virtute potiorem. Ille id animo suo insedisse præcipuum respondit, eaq; de causa dulcem religionis cultum se reliquisse, & in Poloniam cum Almanorum haud contemnendis copijs se redijsse docet, vt Respubl. ex calamitate eã detinente, & medijs quoq; quibus iactata est pæneq; mersa fluctibus, in tutum euadat, declarat se inuitantibus Polonorum Legatis, Papa quoq; non per mittente solùm, sed & iubente in Poloniam pro Polonici populi & Regni salute & instauratione aduenisse, non solùm nõ repetiturum pænas à suis & genitricis suæ

electoribus, sed etiam omnibus offensis perpetuam obliuionem daturum, vt non tàm autoritate; quàm benignitate & facilitate cunctis imperet. Excepti sunt & à Polonis Almanorum, qui cum Cazimiro aduenerant milites, & magnus illis fauor & honor, pro omnium tempore, quo militiam agebant in Polonia habitus. Vt autem fama Zeli sui pro instauranda Republica concepti diffunderetur, pleraſq; munitiones & castra in finibus Regni Poloniæ, aut per hostes intercepta, aut per vespiliones & prædones domesticos occupata inuadit, expugnat & conquirit, maleficosq; in illis comprehensos quosdam patibuli suspensione damnat, quosdam gladio ferit, quosdam manibus & pedibus in aliorum terrorem mutilat, pœnis & supplicijs singulos deterret improbos, male acta & deformata rescindit, delicta vindicat, omne crimen diluit, omne nefas extinguit, omnẽ arcet iniuriam, quosdam deinde extollit, quosdam significat; tantus deniq; tàm hostibus, quàm proprijs; pauor iniectus est, vt & hostes ab occupatis excederent, & domestici parci sibi, & transactas præuaricationes, remitti, & propria humiliatione, & amicorum suffragis implorarent, neq; Nobilis & solers Princeps sæuiendum in singulos duxit, sed pertinacibus maleficis. Et qui seditionum erant autores, capite mulctatis, cæteris se benignum & placatum exhibuit, ne Regio superioribus bellis collisa, in ampliorem etiam rediret vastitatem. Itum est posthæc ad Metropolim Gnesnam & per Gnesnensem Archiepiscopum Stephanum, cæteris Pontificibus Poloniæ assistentibus Cazimirus nominis huius nouus Princeps, Ordine verò tertius, acclamatione, & vniuersali consensu Rex Poloniæ appellatus, corona quam retulerat, insignitus, vnctus, & Coronatus est. Ad Coronationem autem huiusmodi perficiendam, magna alacritate, gaudio, & exultatione, maximo quoque infimorum studio Gnesnam concursum est, ab omni ætate, ordine & natione, vnoquoq; arbitrante se Poloniæ Regni primum non filium esse qui Coronationi ipsi non interesset, qui non plausu & acclamatione, vultus deniq; & gestus significatione fauore se non monstrasset. Videbant enim duas sibi & patriæ res præclaras & salutares, quarum desiderio quòd maximè tenebantur, & reuersione Cazimiri, & coronatione restitutas, pacẽ videlicet & Regnũ, fulgorem periocundum. Cernebant insuper ea tempora redijsse, inquibus libertate, fortunis, pace, & ocio frui, meliora verò in dies sperare licebat, permixtæ vndiq; turbæ lũmæ lætitia & plausu, quocumq; iter facerent, Cazimiro congratulabantur, & ad reductionis, coronationisq; suæ spectaculum, è fenestris tectisq; cæteratim pendebant, atq; ipsum his conueniebant, compellabantq; vocibus. Gratulamur, inquiunt, Excellentissimè Princeps tuo reditui, tuæq; incolumitati, immortalemq; Deum precibus obsecramus supplicibus, vt pulcherrimis cæptis tuis faueat, vt Regnum Poloniæ tuo ductu, tuisq; auspicijs restituas, amplifices & cõserues, & illius Reipublicæ varijs exagitatam, pœnèq; collapsam procellis, quæ te vnicum filium, liberatorem vnicum, suæ salutis anchoram, & portum amplectitur erigas, amplies. componas. Ma-

gna in su-

gna in super celebritate dies ille coronationis à Polonis actus est, cum fauore pristino, tùm gaudio insperato recuperatæ libertatis, Regni & pacis, & quem nusquam visurum, & reuisurum crediderant in columem parentẽ, & Regio fulgentem Diademate viderant, laudes illi in teatro canebant, mirificisq; honestabãt præconijs, Auitæq; illi tributæ & imprecatæ laudes, vt patriæ pater illius iure appellaretur, amplissimo honore a populo & Nobilitate vbiq; exceptus. Erat etenim Cazimirus Poloniæ Rex moribus suis, eloquijs & responsis adeò nitidus, & modestus, vt impleret Polonos spe certissima instaurandi Regni & deperdita recuperandi, amplius quidem & perfectius, quàm per experimentum rerum ratio soleat comprehendere, dando responsa fide & maiestate, prudentia, Legatis multis vicinorum Regum & Principum suum reditum condigna gratulatione excipientium, & se illis morigeros fore offerentiũ, & ab omni ferociori verbo alieni. Sumpta Regia vnctione & Diademate Coronationi equè solẽni ritu iustè, & legitime peracta, id inprimis Pontificibus & Baronibus Poloniæ efficiendũ curandumq; visum est, vt Cazimirus Poloniæ Rex, aliquam Nobilem ex Ducali genere virginem sibi matrimonio copularet cuius coniunctione prolis fæcunditas & successio, Regniq; Poloniæ instauratio & stabilimentum ex affinitate & dote posset prouenire. Obtinebat ea tempestate Russiæ Principatum Iaroslaus Dux filius Wladimiri, sororem habens Germanam, ex Anna sorore Basilij & Constantini Imperatorum Græciæ genitam, decoram, & virtuosam Mariam nomine, hanc etsi ritus disparis erat, Cazimirus Poloniæ Rex propter plures respectus ipsum & Consiliarios suos promouentes, accepit in vxorem. Nuptiæ quoq; in apparatu & sumptu magnifico iuxta exigentiam status & Principis locantis sororem & Regis accipientis vxorem, Cracouiæ celebrantur. Accepit autem Cazimirus Poloniæ Rex à Rulsiæ Principe Iaroslao, & pecuniæ magnam quantitatẽ, & vasa clenodiaq; in auro, argento, vestitum quoque equorum non mediocrem suppellectilem in vim dotis, Regnumq; suum splendido matrimonio & diuitijs impleuit, & affinitate stabiliuit, nam & Regnum suum versus oram Rutenicam effecerat quietatum & securum, & ad bella quæ illũ pro recuperando restaurandoq; Regno cum finitimis aut proprijs gerere contigit, Rutenorum auxilijs vtebatur. Multa tamen Castra & Regiones Russiæ, quæ Auus suus Boleslaus Polonorum Rex Primus, in Rulsia victo & conflicto Iaroslao consecutus fuerat, & in eam diem tenuerat, post contractam affinitatem, in signum veri fœderis & sincere affinitatis Iaroslao restituit. Non solùm autem ritum Græcorũ in quo educata fuit Maria Regina Poloniæ reliquit, sed de ritu Catholicæ Romanæ Ecclesiæ & eius puritate sufficienter ab Ecclesiasticis viris edocta, ritum Græcorum exosum habẽs, sacro baptismatis fonte, Deinde in Ecclesia Cracouiẽ in supplementum eorum defectuum, qui per Rutenorum Presbyteros, scripturarum & legũ diuinarum ignaros persæpè cõmittuntur ablata est, cumq; ritu Græco nomen etiam deposuit. Dobrognieuaq; extunc, id enim sibi in Catholico

Baptiſmate aptatum fuerat nomen, vocitari cepit, quam ſucceſſu temporis Cazimirus Poloniæ Rex in Gneſneñ Eccleſia in Reginam Poloniæ deposuit inungi, & Reginali Diademate coronari, ſimilem pænè caſum apud Arragones legimus contigiſſe, qui ſtirpe Regia deficiente Canimirum filium Regis Sancij Fratrem Alfonſi defuncti, qui in Monaſterio S. Pontij de Tomaricz ordinem profeſſus, & Monachus & Sacerdos habebatur, de Monaſterio eductum Apoſtolica diſpenſatione non quæſita in Regni ſolio collocarunt, data eidem in vxorem Comitis Pictauieñ ſorore: Ex qua cum filiam nomine Petronam, quæ poſtea dicta fuit Wraca ſuſcepiſſet, quamprimum annos nubiles attigit Raimondo Barchioneñ Comiti deſponſata eſt, & Rex Canimirus ſuo Monaſterio reſtitutus, quòd interim menſis poſſeſſionibus Regnum regens ditauerat.

RESPONSIONEM Bretiſlai Bohemiæ Ducis, Henricus Tertius Romanorum Rex moleſtè ferēs, & Cazimiro Poloniæ Regi affini ſuo, quemadmodum ſpoponderat laturus auxilium, & de contumaci Duce ſumpturus vltionem in Bohemos expeditionem indicit, bipartitoq; exercitu, quo Bohemis amplior clades accideret ex Ratiſpona copias deducēs ingredi Bohemiã diſpoſuit, & Otardũ quidē Saxoniæ Ducē Virum diſciplinæ militaris peritũ, & in ſingulis agendis prouidũ & induſtrium, cum parte copiarũ diuerſo itinere ire iubet, ipſe verò per viam qua itur de Ratiſpona ad Ripam fluminis Brzeſen cum alijs copijs perueniens, altera die ſiluas Almaniam à Bohemia diſterminantes, intrauit, neq; ſpeculatoribus, neq; his, qui Caſtris loca ante caperent præmiſſis, exiſtimans ſiluas huiuſmodi & earum denſitatem facile aut nullo negotio ſuperari. Obſtructa autem arborum inciſione, impeditaque ſingula itinera reperiēs, magno militum impedimento, & truncos amouentium labore medium itineris ſiluarum emenſus, ad colem quendam ex quo plana Bohemiæ ſpectari poterant, peruenit. Locatis illic Caſtris, iubet omnes milites ſumpta leui armatura impedimentis & equis in ſtatiuis relictis, pedeſtri itinere reliquum, quod erat ſiluarum ſpatium conficere, & campeſtria Bohemiæ ingreſſos, Bohemiam ferro & igne vaſtare, & milites quidem iuxta quod imperatum erat Henrico Rege in Caſtris cum imbecillibus, & his qui arma ferre non poterant, remanente, per colles & mõtium iugá, & inuia loca progreſsi, armorumq; pondere & ſolis arboribus plurimum vexati & afflicti, inſolitus enim labor pleroſq; laſſauerat, taciti cõſederunt, nullumq; illic ſuſpicati hoſtem, reiectis armis ſecurè & quietè, altoq; fatigati ſe committunt ſopori. De quibus omnibus Dux Bretiſlaus qui in ſilua huiuſmodi ſe abdiderat ab explo-
ratoribus certior factus, in quieſcentem, & laſſum Imperatoris exercitum magno clangore, magnaq; vociferatione irruit, & perterritos, magnoque pauore perculſos ſine vllo negotio proſternit & fundit. Paucis autem fuga elapſis magnum robur militiæ Cæſaris illic aut deletum, aut in captiuitatem acceptum eſt. Qua clare ad ſe perlata Henricus Imperator triſtis & gemebundus in Almaniam cum reliquijs redijt. Otardus verò Saxoniæ

Dux, qui

Dux, qui Bohemiam vaſtando vſq; ad flumen Belinum peruenerat, caſu Regio audito preſsit gradum & exercitum cui præerat, via qua venerat incolumem reduxit Bohemica præda onuſtum, cum quo, quia Procopius Comes Belineñ parum proſpera fortuna vſus, pugnauerat, tanquam pecunia corruptus, effoſis oculis, manibus & pedibus truncatus, & in fluuio Belina demerſus eſt.

Albinus Ploceñ Eccleſiæ Epiſcopus, exactis apud Ploceñ. Eccleſiam annis XVI. labore, ſenio, & frequenti ægrotatione confectus diſſoluitur, & in Plocenſi ſepultus quieſcit Eccleſia. Cui Paſchalis nobilis genere, natione Italus Tuſcus vir doctus, Canonicus Ploceñ per electionem Canonicam, cui facile Cazimirus Poloniæ Rex Maſlao Tyranno deuicto aſſenſus eſt, per Benedictum Papam Nonum prouiſus, ſucceſſit.

ANNO Domini 1042. Singulis ferè Regionibus & Prouincijs quas Regni Poloniæ complectebatur latitudo, de aduentu & coronatione noui Regis & Principis ſui naturalis, immenſo gaudio & gratitudine refertis, promptaq; & fideli deuotione, in eius ruentibus obedientiam & ditionem, ſtudijs in ſuper omnium circa ſuum Imperium conſpirantibus, Sola Ploceñ, quæ nunc mutato nomine Mazouia appellatur, Prouincia, rebellem ſe preſtitit & communis lætitiæ atque gratitudinis expertem, ad quam illam Maſlaus vnus ex Proceribus Poloniæ, vir ſpecie & forma magis quàm virtute & gloria inſignis, dominationiſq; improbæ cupidus, qui durante Interregno, & ſuperiori diſſenſione ciuili, Principem ſe & Principatum in illa creauerat, & falſo nomine Ducales faſces ſibi vſurpauerat, animabat, decertare etiam acie, ſi impeteretur, paratus. Prutenicis additus ſolacijs, maiora ſibi quàm conditio ſua capere poterat, portendebat, & ſortē ſuam ignorans, pennis præſumebat volitare Icareis recordatione eorum beneficiorũ, quæ Miecſlaus Rex Poloniæ in eum contulerat, nil inhibitus, quem Cazimiri Regis Pater incelebri dignitatis honore (poculũ enim in Pincernæ modum Regi miniſtrare ſolitus) collocarat, homo effrænatæ temeritatis intollerabili ſpiritu, in ciuilium bellorum renouandas cicatrices prærumpit; & arma contra Cazimirum, Plocenſibus & Prutenis eum adiuuantibus, ſumpſit, ratus facinus ſuum, quod in Rikſcham Reginam & Cazimirum admiſerat, aliquanto maius fore, quàm cui à Cazimiro Rege deberetur, ignoſci, neq; enim beneficij alicuius eſt plenitudo, quod non vellicare malignitas poſsit. Cuius rei gratia & externa finitorum conducebat auxilia, & non Nobilitatem tantum notabilem, ſed & plebem ferocioſque in militiam aſciuerat, facilem ſibi victoriam de Cazimiro Polonorum Rege pollicendo. Augebat ſpē ſuam vaſtata & ab hoſte, & à proprijs Regionibus Polonorum conditio, raritatemque & diminutionem eorum qui apud Cazimirũ Regem militabant: frequentia verò externi & proprij militis à ſe conducti penſata, contemnebat, eaq; Maſlai rebellio terrorē plurimis, ipſi etiã Cazimiro Regi meditationē Tyrannidis inferebat. Vir-

enim

enim erat fallax, & maleficus, ac supra conditionis suæ fortunam altiora sperare promptus, nulla altercatione mutatus, & cum grandia per liberalitatem Regis Miecslai accepisset, pro frequentibus beneficijs hostem se in filium egit, indignè tamen & plusquam molestè Cazimirus Poloniæ Rex rebellionem arrogantiamq; Maslai, prout par erat, tulit, quod seruus & subditus Patris etiã sui Miecslai beneficijs astructus, rebellionem primum deiñ arma in illum cõmouisset, omnibus tamen rumoribus, qui ex Mazouia afferebantur contemptis, opprimere Maslaum priusquam illi externa & finitimarum gentium posint peruenire auxilia, statuit. Veteranorumq; militum ex Polonia, & horum quos secum ex Almania adduxerat robore, tantummodo fretus in Mazouia descendit iustæ deditioni illam mul cum Maslao subacturus. Cui, Iaroslaus Dux Rulsiæ consortis germanus, cum omnibus Rutenicis copijs in auxilium aduenit. Maslaus certior à suis de Regis aduentu factus quamuis nondum suas copias vide bat conuenisse, superiorem bello se ratus futurum, Cazimiro Regi occurrens, prælium comittit, Mazouitæ seu Ploceñ. sceleris inuidia parum pensata, nec aduertentes, quod non in hostes, sed in ciues, non in Tyrannum, sed in legitimum Dominum Maslai grassaretur inuidia & audacia, & Re naturaliq; Domino & ciuibus pro Tyranno bellum inferunt, manus impias pro causa noxia conserturi, pugnatum est ab vtrilq; animo pertinaci iustaq; Regis ira militibus accensis addebat vires, vnde Maslai exercitus impetum Regium non sustinens in fugam verti, & sensim defluere cepit. Cazimirus autem fugientibus instare ac persequi suos milites iubens, magnam stragem effecit in hostibus, Maslaus fuga elapsus ad Prutenos, vinc acies suas videns, diuertens euasit, Mazouia verò in Regis Cazimiri dit onem plenè extunc redacta est. Regnum quoque Polonicum, quasi ex a liquo flagrantissimo incendio Cazimiri Regis opera ereptum, qui passus non est omnem maiorum suorum gloriã interire conatus omnes pro instauratione Regni sollicito studio impendens, à quo omnis iustitia, & omnis vetus superiorum Regum & Principum disciplina, sub tempore sui exilij & absentiæ migrauerat.

HENRICVS Tertius Romanorum Rex clade apud Bohemicales siluas accepta, irritatus magis quàm fractus, expeditionem omnibus Imperijs, & Almaniæ Principibus & subditis contra Bohemiam indicit, & fortem ac potentem exercitum congregans, tripartito exercitu, Petri enim Vngariæ Regis iuuabatur auxilijs, Bohemiam ingreditur, eamq; & vniuersas Vrbes eius vicos & Oppida, cæde, ferroq; atq; igne vastat, atterit, & succedit, in Bohemos quoq; & Ducem eorum Bretislaum ex superiori victoria tumescens, tantò amplius debachatur & sæuit, quantò crudelius & superbius sibi & suo nomini non ignorabat illos post ademptum triumphũ vsq; ad tempus illud insultasse, indolis siquidem & artibus suis Bretislaus Bohemiæ Dux confidens plures muscipulas & laqueos, Imperatori Henrico & suo exercitui congesserat, existimans se illum priori sorte circumuen-

turum.

uenturum. Verùm Henricus Rex & suus exercitus accurata prouidentia visus, Bretislai Ducis & Bohemorum insidias partim elusit, partim confregit. In apertam autem dimicationem Bretislaus nullatenus prodire audebat, potentiam hostilem, & suorum euidens periculum veritus. Quapropter Duce Bretislao & Bohemis in Castris, munitionibus, siluis aut locis injs se continentibus, Henricus Rex suam & sui exercitus cladem vlturus populationem, & incendia iussit latius extendi. Omnibus autem Ciuitatibus & vicis per circuitum conflagratis, & consumptis Pragam expugnaturus exercitum admouit, cuius obsidionem Seuerus Episcopus Pragen non tolerans, vrbemq; capiendam non ambigens, Praga elapsus ad Regẽ Romanorum fugitiuus venit, seq; illius ditioni & decreto in singulis paritурum promisit. Dux autem Bretislaus Bohemiæ ex fuga seueri Episcopi Vrbem Pragen dedendam suspicatus, Caduceatoribus ad Henricum Regẽ missis, facinus suum recognouit, pronã deditionem facit, orat ne vasallam, & feudalem suum exterminet, & pati extrema cogat, se omnia quæ iusserit impleturum. Henricus autem Rex satis se vltum suas superiores iniurias aduertens, oblatam deditionem acceptat, Ducem Bretislaum Bohemiæ primum dare obsides, deiñ castris, & munitionibus, quas in Regno Poloniæ, aut occupauerat, aut erexerat cedere, & Cazimiro Regi reddere imperat. Postremo duobus millibus marcarum argenti puri, & quinquaginta auri mulctat. Quibus omnibus dùm Bretislaus paruisset, Henricus ex humilitatis Bohemis obsidionem soluens in Almaniam est egressus, Ducem Bretislaum Bohemiæ Ratisponã deditionem innouaturum, & iureiurando fidelitatem præstiturum se sequi coarctans. Sed nec in Vngaria minores erant bellorum motus, quippe & ipsa proprio bello inuoluenda uturi sui incendij iam ignes conceperat. Petrus siquidem Vngariæ Rex, quem propinquioribus hæredibus, aut exiliatis, aut excæcatis Reginæ Gilæ relictæ olim B. Stephani Vngarorum Regis, & Budæ Baronis, ingenijs assistentia & opera Regnum Vngariæ adeptum fuisse monstrauimus, qui in libidinem procliuior, & in Teutonicos Italosq; castra credendo, officia & magistratus conferendo, Vngaris contemptis & neglectis esset propensior, vehementer cepit esse Vngaris grauis & molestus, molestiamq; ex his duabus quas præmisimus causis in dies glisscentem, & responsio ab eo edita auxit, & Vngarorum animos in rebellionem inflammauit, petentibus siquidem Vngaris grauamina, quibus atterebantur tolli & in vxorum filiarũ & sororum suarum, quas quærebantur & à Rege, & à suis curiensibus, aut sædatas, aut fæcundatas pudicitiam conseruare, & externos sibi non præferri, superbum ferunt à Petro Rege responsum, ea quæ hactenus egisset, nullam habere speciem iniuriæ, & iuxta appellationem Regionis Vngariæ Vngariam oppetere, se quoq; eo proposito esse, vt pro stabiliendo suo Regno, non Teutonicis tantum aut Italicis, sed & alijs nationibus Vngariam impleturum. His & alijs causis Vngari, vt est gens ad nouandas res præceps & procliuis permoti. Albam Comitẽ alias Ouonem, qui de sorore

& san-

& sanguine B. Stephani genitus fuit, & alij propinquiores aberant, Regē sibi vniuersali Ecclesiasticorum & secularium consensu constituunt, & in Albam Regalem deductum coronant. Budam verò Baronem, cuius consilio Petrus Rex vtebatur lapidibus obruūt, duobus filijs suis visu priuatis.

Quo comperto Petrus Rex cum paucis fuga elapsus in Almaniam ad Henricum Romanorum Regem diuertit, Alba verò nouus Vngariæ Rex, & Teutonicos Italosq; à publicis amouit officijs, & constitutiones, edictaque Petri Regis, gratificando Vngaris irrita fecit, Magistratus quoq; & officia in Vngaros distribuit.

Regina Dobrognieua Poloniæ primogenitum filium effudit, de cuius exortu Cazimirus Poloniæ Rex magna lætitia exultans, auitum illi nomen Boleslaus in Baptismo imposuit, gaudiumq; de natiuitate filij celebritate dierum sequentium monstrauit.

ANNO Domini 1043. Conatus Maslaus Ploceñ seu Mazouitarum pseudo Princeps per stragem a Cazimiro Polonorum Rege in se & suos prima congressione contra omnium spem & opinionem suam acceptam dolens recidisse in sui contumeliam, & ruinam, non tamen clade huiusmodi fractus, adeò illi animus constans & ferox erat. Nam quamuis victus, contumax, tamen hominis alebatur spiritus Prutenicis auxilijs subnixus. Itaq; Prutenos ad quos confugerat lacuingos Slonenses, cæterosq; Prutenici tractus barbaros, resarciendum casum acceptum pluribus blandimentis & persuasionibus in bellum sollicitat, facili negotio Cazimirum Poloniæ Regem, paucas & has ipsas debiles superiori pugna diminutas copias habentem, fundi vinciq; posse, asseuerans. Cuius potentiam si augeri diffundiq; sinerent, nossent se per illum maiorum more in suum Regniq; Poloniæ Dominium & ditionem subacturos, & tributis quæ imponeret seruituros. Pruteni cæteriq, barbari dùm Maslaum vera persuasise existimarent, suapte tamen & ipsis Polonis veluti finitimis, & in Christiana religione diuersis infesti, in bellum Cazimiro Regi rursus inferendum conspirant, & non solùm ex militibus, & ex his qui arma soliti tractare erant sed & agrestibus, & seruitijs ingentes copias contrahunt, & conquirunt. Sub ductu quoq; Maslai in Mazouiam suæ potestati, suæq; ditioni illam redacturi descendunt, spe multa pleni, omnem fortunam experturi. Quæ nouitate & rumore, & crebro nuncio ad se Cazimirus Rex perlata animo doloreq; confici cepit, quod bellum sua æstimatione extinctum viribus redintegratis aduersus se vidit conflatum, sibiq; belli nouam fortunā experiendum. Congregatis itaq; vt cunq; poterat suorum militum potentijs contra Maslaum Prutenos, cæterosq; barbaros exercitum suum producit. Clamitabant autem aduersus Maslaum Polonorum Proceres, & milites horridas voces, frequentibusq; illum incessabant conuicijs, atq; opprobrijs inquientes, Omnium mortaliū scelestissime & impurissime, qui sceptrum apud Polonos facinus perfidiæ occupasti, qui Regnum Poloniæ, quod patriam

patriam communem copijs adductis barbaricis conaris scindere in turpē spem, aut Regni occupandi, aut Regis & Principis tui occidendi deliro adductus cerebro. Non curauit autem Maslaus his sugillationum verbis, & vocibus auditis flectere animum suum, ne ex mala conscientia propositi sui maligni habere remorsum, tanta hominem ingens cupido Principatus exagitabat, ad quem capiendum non alia re magis nisi languore Reipu. & seditione exorienda, auxilijsq; barbaricis per Prutenos præstitis incitabatur: Accedebat animus, licet domi modicus, bello tamen ingens gloriæ, & Principatus auidus, pollens scientia militari. Cazimirus itaq; Rex cum hostiles copias suis multo auctiores superioresq; prospiceret, nō animo solùm defluere, sed & futuram suam dimicationem minus feliciter successuram de summaq; belli desperare cepit. Fluctuatione quoque & vario mentis æstu obrutus, relligionem discessionemq; è Monasterio, summique Pontificis dispensationem irritam, neq; adeò probatam, probandamue esse (vt fert solicitudo) in memoriam reuocabat, anxiumq; illum, & de futuro pugnæ euentu pauidum curæ nimiæ & angores agitabant ingenti sollicitudine incussæ, & secreta æstimatione duro timoris interprete, omnia in aduersum trahente, pensante, vt aduersa sibi potius, quàm prospera metum euentura auguraret. Hæc etiam illi afflictio & desperanti cogitatio incidit, facinus defertæ relligionis & ordinis, & solium Regni, statumq; la.calem rupto continentiæ & relligionis voto assumendo contraxisse, cuius iusto Dei iudicio vltionem aduenire figurabat, nec summum Pontificem secum dedeserenda relligione & de abdicando Diaconatus ordine dispensare potuisse, pœnitentiaq; multifaria mentem anxiam subibat, qui abdita Monasterij cum aula permutasset. Regressurum itaq; se ad relligionem & ordinem, relicto Regno, relicta vxore & seculo, tacita cogitatione, temporalem & imminentem à barbaris, & æternam plagam euasurus diponebat, vnde & certamen differre, & pugnam detractare, contra morē suum, cunctator magis quàm actor rerum bellicarum esse cepit. Astitit autem illi Clementissimus Deus, & fauoris sui sibi accommodat præsidium, præstatq; metum suum relligionis Zelo conceptum, deteriora quoq; videbat accidere, nec in periculoso articulo deseruit vacillantem Angelica apparatione animatus, & cælesti suffragio corroboratus; Etenim his curis cum distractum & anxium sopor oppressit, atq; illi per quietem stertenti magis quàm dormienti vox insonuit: Consurge, consurge, & omni metu excusso age in hostes irruptionem, habiturus de hostium multitudine cæleste suffragium, & magnificum triumphum. Erigens itaq; se, nec dum tamen denunciato sibi diuinitus oracul fidens, ad milites suos veniens, quā vocem audiuerit exponit. At illi ingenti spiritu concepto (nulla enim re magis quàm relligione depressi, exangueq; animi solent multitudinis moueri) arma ocius corripiūt, equos concendunt, ordinatisq; aciebus in hostes non de pugna, sed de præmio pugnæ cogitantes, alacres procedūt, vociferationeq; qualem animus de euentu futuro securus edere solet, sublata,

blata, ineunt certamen cum hoste acerimum. Multitudine barbari fretu resistunt Polonis, & diuina propitiatione, primum voce, deinde cum pu- gna in feruore esset, visibili signo denuntiata, iustaq; ira viros animosq; ad debat. Visus enim est tunc à Polonis signa infesta in hostes inferentibus, & prælium capessentibus, vir quidam niueo amictus vestitu, alboq; equo insidens, vexillum quoq; candidum gestans in aëre consistere, & continua adhortatione Polonos vsquequo certamen durabat ad dimicandũ anima- re, quo effectum est, vt Poloni omnium quæ cogitari poterant periculorum obliti, plusquam humanis viribus conuenirent, in hostes inuecti maximam stragem paruo suorum dispendio & desiderio effecerunt, sed nec prius fe- rocius grassari, Heroicisq; pectoribus hostes impetere destiterunt, donec omnes hostium phalanges & acies contractæ deletæq; sunt. Reliqui autẽ eorum in turpem miserabilemq; fugam conuersi, in qua maior trucidatio fugientium quàm pro numero secuta est, singulis Polonis cædi magis qua capiendis hostibus intentis. In eo insuper prælio Cazimiri Regis virtus plurimum spectata est, qui non Ducis solùm sed & militis opera vsus, præ- liando milites tantis adiuuabat viribus, vt cruore occisorum, hostium o solitus & madefactus esset. Difficile etiam à suis poterat agnosci, ea in su- per lassitudine hostes insequendo confectus est, vt semianimis ad taberna- culum per quendam Gregorium militem, quem etiam pro fide sua remu- nerans, nobilitate extulit, & diuitijs decorauit, in lecticã relatus sit. Con- fecto prælio viri acies Polonicales diuinitus adiuuantis visio disparuit. Ve- ctus Maslaus, & cum omni sua potentia debellatus, inclinat mox Mazo- uiam, & cæteras finitimas Regiones ad veteris imperij respectum, vt omni- sa pertinacia ac rebellione, submitterent se graui necessitati Cazimiro- que potiùs Regem adorando susciperent, quàm rebellando hostem expe- rirentur certificati quod Cazimirus Rex Maslaum pseudo eorum Princi- pem, hominem furentem, & tùm suis, tùm auxiliatorum præsumentem atque exultantem viribus compescuit, ferociamque eius atq; impetum in omnium se grassantem perniciem oppressit; Processit autẽ triumphus præfatus ex euidenti & manifesta Dei gratia, quæ rarissimè patitur quem- que regnare cum scelere cuius quoque dignatio Rempublicam Polono- rum ad veram & stabilem voluit integram perducere.

Capta sunt in prælio prædicto quod ad ripas fluminis Istulæ in Mazo- uia gestum est hostium duo millia, cæsa quindecim. Maslaus tamen bello- rum huiusmodi dux incitator, & autor, aciem suam inclinatam aduertens, tempestiue prælio excedens, ne in manus Cazimiri Regis & Polonorum vi- uus veniisset, extremaq; quemadmodum se meritum esse non ignorabat cũ ignominia pati cogeretur, in Prussiam confugit, tutum se apud barbaros Pruthenos, & nouas copias reparaturum ratus fore. Qui cum reliquias Pruthenorum, Iacwingorum, cæterorumq; barbarorum, ad bellũ denuo reintegrandum solicitaret, spesq; suas in effectum prodituras crederet, res longé aliter quam ratus erat euenit. Barbari enim in furorem & iustam in-

dignatio-

dignationem versi, quod illius consilijs exitium grande passi, parẽtes, fra- tres, necessarios, & omne militiæ suæ robur perdiderant, Maslaum vinci- entes diuersis pœnis, tormentis, & contumelijs (neq; enim barbarorum cõ- ditio simplici genere pœnæ contenta est) excruciant, & tandem laceratũ in patibulum, in loco eminentiori fabricatum, vt conueniens traditori & impostori erat, agunt, denunciantes eum altitudinem, quam sanguine & interitu eorum, quæsierat, nusquam iustius pleniusq; quam illic percepturum. Viuoq; & mortuo à barbaris non indignè exprobratum, vt alta tene- ret, qui suæ conditionis vires & modũ transcendendo alta petiuerat. Sic Maslaus qui pennis præsumpserat volitare Icaræis, quàm turpissimè disso- lutus decidit. Sic dignum moribus factisq; suis exitum vitæ, Deo tardè, iu- stè tamen vlciscente inuenit præuaricationis suæ pœnas, quas apud Polo- nos euaserat à barbaris, quos sibi conciliare se posse credebat, cumulatius excipiens, posteris ne falsum & iniustum principatum vsurpare contendãt, suo casu documentum & exemplar esse poterit. Polt eam victoriam diui- nitus de Maslao, Pruthenis, Iacwingis, cæterisque barbaris relatam, quæ per finitimas regiones diffusa, famosa & celebris vbiq; habebatur, omnũ aut in rebellionem spectantium, aut bella Poloniæ Regno inferentium, a- nimi adeò domiti sunt, vt à finitimis regionibus, certa pax & tranquillitas, à propriis verò integra fides & subiectio prouenirent. Prussia quoque ipsa tenere Cazimiro Regi Poloniæ coacta in plenam deditionem venit; Re- laxatione quoq; captiuorum suorum apud Cazimirum Regem Poloniæ potenta, tributis seruiens, tributa Polonis pẽdens, in fide & iugo perman- sit. Orta deinde est sub regimine Cazimiri Regis, propter illius excellam serenitatem & gloriam singularem, iustitia & abundantia pacis, finem ac- cepit seruitus consolationem lachrymæ, & augmentum fides, fidelis secu- ritatem, patria dilatationem, &c. Sedit in fortitudine arcus eius, gloriam inuenit in conspectu altissimi, magnificauit eum in timore inimicorum. Fugit Ruthenus, timuit Bohemus, cessauit exactor, & Dominus per manũ illius impios, in sua iniquitate fecit corrigibiles & depressos. Vniuersalis quoque & propriorum & externorũ appellatione denominatus est (quod eram nomen illi in hanc diem perseuerat) instaurator. In hunc modum Mathiao debellato, & cæteris in circuitu hostibus contritis, libertate re- cuperata in sua se iura vindicauit Polonia. Omni insuper memoria tyran- nicæ dominationis ablata, soliditatem Regni solus Cazimirus obtinuit, & gratia diuina solium illius dirigente, nemo amplius illi resistere ausus est. Ex cuius prudenti & modesta administratione adeò præsentium re- rum bonitas, & tranquillitas permanere cepit, vt obliuionem præterito- rum malorum pareret. Nec abs re pietatis enim opere, Gazimirus Deo side & hominibus amabilem exhibens, summam Regni Polonici cum rel- igione pura, & virtute animi ac moderatione procurabat.

Regina Poloniæ Dobrognieua ex Cazimiro Poloniæ Rege fœcundata, primum filium, enixa est: Cuius natiuitatem Cazimirus Poloniæ Rex à

singulari solennitate & lætitia Cracouiæ celebrans, nomen in Baptismo indidit illi Wladislaus.

Eo insuper tempore Bohemia magna fame afflicta est, dum enim superioribus annis semina terræ mandata male prouenissent, anno autem illo permissione diuina omnia ferè germina extincta forent, plures mortales, solo natiuo deserto in Poloniam, Vngariam, cæteraſq; finitimas Regiones fugere pro euitanda famis pernice, compulsi sunt. In cæteros qui remanserant, tàm valida fames debachata est, vt de populo Bohemico pars tertia fame contabescens perierit. Quo malo diuina maiestas propter sacrilegium in Polonos & Ecclesiam Gnesnensem commissum credita est Bohemos afflixisse.

ANNO Domini 1044. Experientijs multifarijs & felicibus successibus Cazimirus Poloniæ Rex in rebus arduis & difficilibus, adiutum auctum & cohonestatum per diuinam propitiationem se recognoscens, egressum quoq; suum de Monasterio & Ordine & assumptam Regni nati ui gubernationem intellexit, Regum Principi placuisse. Satagens itaque crebra reuolutione mentis creatori & propitiatori suo pro susceptis beneficijs aliqua facere responsura, religionis quondam suæ & possessionis sacratum D. Benedicti ordinem, qui eum in lege diuina erudierat, Monasterium decreuit fundandum. Mittens itaq; speciales in Cluniacum Nuncios, multa per illos Abbati & fratribus dirigit donaria, denunciãs eis, quãtis illum clementia Saluatoris, & in Regnum Poloniæ adoptione, & in hostium profligatione, & in prolis masculinæ susceptione glorificasset deoris, simulq; inquirẽs & rogans, vt certi de Monasterio Cluniacẽsi fratre religionis, libros cæremoniasq; secum delaturi sibi remittantur. Locum & Monasterium sumptu Regia ædificandum, & dotem amplam, & liberalem fundationem accepturi. Legatione huiusmodi abbas Cluniacẽs, simul & fratrum sacer cætus exhilaratus, celebrata in Deum gratiarum actione quod alumnos eorum collapsis & penè perditis Ecclesiæ & patriæ apud Poloniam rebus maximum adiumentum robur & correctionem attulerit, morem suis precibus gerendum decreuit, & cum Nuncijs Regijs Duodecem fratres, quorum vnus Aaron nomine, vitæ maturitate, & prudentia sagacitate precipuus habebatur, remittit. Hos Cazimirus Rex Poloniæ adesse venientes, plurimum de illorũ aduentu exhilaratus, velut Angelos Dei videre meruisset, suspiciens, vnum cænobium illis in monte Tyniec adfluenta fluminis Vistulæ situm, & à Cracouia duobus miliaribus distans, in honorem S. Petri Principis Apostolorum extruit, & pluribus Oppidis, Villis, possessionibus, introitiuis, prærogatiuis, libertatibus adeò dotat, extollit & locupletat, vt nullus Monasterij in Regno Poloniæ antè & post hanc dem fundati fundus dotis, tunc à Rege Cazimiro præstitæ, & per eum ecclesiæ possessæ vsq; hactenus, æquiparari poterit. Cuius primus Abbas fratre natione Gallus Aaron Cazimiro Rege ordinante fuit institutus. Cui quidem Monasterio, cætera S. Benedicti Monasteria & loca sub Prouincia Gnesnen-

sen, sub quibuscunq; Diœcesibus alijs constitentia subiecta sunt, & eius primariam dignitatem debita obseruatione profitentur. Extant in eam diem apud Thinieceñ Monasterium nonnulli Regulares & Chorales libri ex Cluniaco allati, vocationem fratrum ex Cluniaco, & fundationẽ originemq; huius Monasterij testantes. Licet & alij ex Leodio fratres vocatos in Thinieceñ Monasterium commententur. Extruxit & aliud Cænobium eiusdem ordinis & professionis ad flumen Odra, in loco qui Iulij mons (statiua enim quondam Iulius Cæsar habuisse fertur) à Polonis verò voce Latina Lubens appellatur. Regiam quoq; & liberalem ei assignat dotem donando eidẽ Monasterio Oppidum Lubens, Nouum forum, Bogunow, Dobrogostow, Napstir, Stepin, Vikschino, Nalihin, & plures alias villas, possessiones, reditus census, thelonea & introitus, atq; in flumine Odra piscationes & naulum, in siluis verò mellificia & venationes. Verumq; autẽ Monasterium, & eius hæreditates atq; sortes, singularibus libertatibus & immunitatibus priuilegiat, vtriq; vasa aurea & argentea, vestes quoque nobiles & purpureas, ad ministerium, & res diuinas explẽdas necessaria abundé largitur. Et licet Monasterium Thinieceñ centum & amplius villis, à Cazimiro Primo Polonorũ Rege fuerit dotatũ, in quadraginta tamen villis, tunc eidem à primario suo fundatore Cazimiro Rege donatis, nequitia & auaricia humana, negligentia insuper præsidum è minutum fuit. Obtinuit insuper præfatum Monasterium à Pontificibus, & à Cracouieñ Ecclesia, & præsertim ab Aaron Archiepiscopo Cracouieñ notabilium decimarum mensæ Pontificalis Cracouieñ liberalem donationem, quæ illi quieta & integra in diem hanc perseuerat.

ANNO Domini 1045. Confirmatum & stabilitum Poloniæ Regnum prudentia & industria Cazimiri Regis, Summus Pontifex Benedictus Nonus Papa relatione plurimorum intelligens, gratulatione singulari recipitur, liberalem dispensationem Cazimiro alias Carolo præstitum profectum attulisse. Misso autem ad Cazimirum Regem speciali nuntio, requirit illum, vt iuxta Legatorum Polonorum Apostolicam sedem pro sui Regis dispensatione, plurimis instantijs flagitantium, sponsionem & suam subsecutam confirmationem, capitis census de vniuersis Regni Poloniæ Prouincijs conquisitis, & conquirendis mandaret pro Beato Petro & suo successore Papa Romano collectoribus Apostolicis singulis annis exhiberi. Volens Cazimirus Rex Poloniæ pacis, Summo Pontifici Benedicto primũ per Legatos Polonorum, deinde per se promissis satisfacere generalem omnium suarum Prouinciarum indicit conuentum. In quo & policitatio Apostolicæ Sedi per Legatos Polonorum facta concordia omniũ deuotione, & consensu, decreta & innouata est, & vniuersali mandato solutio vnius vsualis obuli de capite, tàm Ciuitatẽs & Oppida, quàm vicos & rura colentium in duabus Prouincijs Gnesnensi, & Cracouiensi, & Diœcesibus eisdem subiectis, videlicet Posnanien si, Plocensi, Crusuicien si, Wratislauienti,

uiensi, Lubiecen, Culmen, & Camencen, impetrata. Ab eo quoq; tempore Regnum Poloniæ factum est Romanæ Ecclesiæ, imò Vicario Iesu Christi Summo Pontifici feudali & tributarium, nec vnquam tributi prædicti passum est solutionem quacunq; occasione aut pacto intermitti, aut resciudi. Videbatur autem census ipse, qui denarius S. Petri appellabatur. Primum Polonis onerosus & difficilis, vt potè qui secum perpetuam trahebat in Polonos grauedinem & postquam varios profectus & commodi Regno Poloniæ cognitus est præstitisse & præstare, vt non ab homine, sed ab ipso Deo, generi Polonorum, propitiante imposito eius credatur profluxisse. Quamuis enim per multa annorum spatia impositionem præsentem tam sequentia Regno Poloniæ in plures Ducatus & Prouincias scisso, & nonnullis finitimis gẽtibus & nationibus Regnum Poloniæ in suis Prouincijs & pertinentijs, præsertim à Bohemis & fratribus domos Teutonicæ magnam crucem in albo habitu deferentibus, in suis Prouincijs & pertinẽtijs fuerit occupatum & direptum, nullum tamen tàm validum, tàmq; efficax ingenium, quamuis ad id plurimi interpositi fuissent industrij labores & conatus, poterat reperiri, quo proprietas Regno Poloniæ in huiusmodi terris & Prouincijs competens potuisset per huiusmodi occupationem aboleri, Quinimo denarius S. Petri prædictus cæteris testimonijs suppressis aut vetustate abolitis, & consumptis, iniustam terrarum vociferat occupationem, & detegit & illas de sorte, titulo, iure, ac proprietate Regni Poloniæ fuisse & esse demonstrat. Ab eo siquidem tempore vsq; in hanc diem omnes veteres Regni Poloniæ Regiones, omnesque Ecclesiæ & Poloniæ Diœceses, vno & perpetuo iuris tenere vsurpato, & nunquam intermisso tributum denarij S. Petri Ecclesiæ Romanæ pendunt, præter Camenecen Diœcesim speciali Apostolico priuilegio ad preces Legati Apostolici capti, & ex diuturna seruitute opera Cameneceñ Episcopi in libertatem restituti, exonerata & exempta, optassentq; Reges Poloniæ vt & Rutenicæ Prutenicæ, Lituanicæ Regiones, exposit Regno Poloniæ, vnitæ, pari cẽsu onerarentur futuro seculo, futuræq; ætati terminos & iura Regni Poloniæ testatura.

Rachelinus Cracouien Archiepiscopus, dum in Pontificatu Cracouiensi annos quatuordecim exegisset, relligiosé moritur, & in Ecclesia Cracouiensi iusto honore funeri soluto accepit sepulturam.

ANNO Domini 1046. Ad substituendum in locum vacantis Cracouien Ecclesiæ dignum Pontificem, Cazimirus Poloniæ Rex impendere non destitit præcipuam curam. Quamuis enim plures personæ ad cumen Archiepiscopale idoneæ se offerebant, omnibus tamen prætermissis & neglectis, ad Aaron Monasterij Thinieceñ Abbatẽ natione Gallum omnem considerationem & cogitatum vertit. Nouerat siquidem probè dum vnâ in Cluniacen Monasterio obuersarentur eius singularem doctrinam, vitæ sanctimoniam, relligiosæ conseruationis virtutem. Hunc itaq; propter

propter raras hominis virtutes obtinuit in Archiepiscopum Cracouien postulari, postulationemq; suam à Benedicto Papa Nono confirmari. Præfatus siquidem Benedictus Nonus Cazimiri Regis Poloniæ, quem in promouenda præfati Aaron viri literati, & relligiosi persona habuerat zelo delectatus, postulationem confirmando & Pallium decernendo, Cazimirũ Poloniæ Regem voluit specialiter honorare. His enim verbis legimus eum vsum fuisse. Pro reuerentia Beati Petri Principis Apostolorum, sub cuius velamento te staturum constituisti, & pro amore Regis Poloniæ Caroli, alias Cazimiri Domini vestri, eiusq; coniugis Mariæ, eorumq; filij Boleslai, & pro honore totius Regni Poloniæ statuimus, stabilimus, dicamus, & benedicimus in perpetuum in Ecclesia & Ciuitate Cracouien esse Archiepiscopatum & Metropolim. Cui subijcimus omnes omnium Episcopatuũ, qui in toto Regno Poloniæ sunt, Parochias, vt Archiepiscopali more præsideat vniuersis. Tibi quoq; & successoribus tuis Pallium de corpore Beati Petri sumptum concedimus, diebus solennibus à iure institutis deferẽdum. Operæ preciũ visum est præsenti operi hæc inserere, & pro Cazimiro Regis quo eum Summus Pontifex dignabatur honore, & Ecclesiæ Cracouienti excellentia & dignitate. Quam etsi per negligentiam succedentium huic Aaron Pontificum retinere desijt, iustum tamen est & Reipublicæ Polonorum decorum & necessariũ, vt illam aliquando benignitate Diuina & Regum Poloniæ, Gnesneñ quoq; & Cracouien Pontificum opera resumat, Gnesneñ siquidem non tenuis splendor, sed amplior honor accederet, si potius non ad vnius Leopolien Archiepiscopalis Ecclesiæ, sed ad duarum Cracouien, videlicet & Leopolien respectũ primas vocaretur.

Tertius filius Cazimiro Poloniæ Regi ex Dobrognieua, alias Maria Poloniæ Regina natus est. Cui mandato Patris auitum nomen Mieszko datum est in Baptismo, alias Miecslaus. Henricus Tertius Romanorum Rex Italiam ingressus, & à Romanis magno honore susceptus, tres de Papatu contendentes, videlicet Benedictum, Siluestrum & Gregorium indignè constitutos synodaliter deposuit. Romani siquidem Benedicto eiecto, Siluestrum constituerant, sed idem à Benedicto pulsus, Gregorius cõtra Canonum successiones surrogatur. Omnium itaq; trium prædictorũ potestate Synodali abrogata, Singerus, alias Swedegerus Bambergen Episcopus natione Saxo, nimium reluctans, qui & Clemens vocatus est, in Papam eligitur, & in die Natiuitatis Domini consecratur, à quo eodem die Henricus Rex cum Agneta coniuge sua filia Vilhelmi Pictauien Principis benedictione Imperiali sublimantur.

Eodem quoq; anno præfatus Clemens Papa moritur, cui Popo Brixien Episcopus qui Damasus Secundus vocatus est, succedit.

ANNO Domini 1047. Nondum Abba Hungariæ Rex, quem Petro Teutonico suo Rege reiecto Hungari Regem sibi creauerant, quadriennium in Regno exegerat, cum Hungarorum primi ab eo auersi sunt

Deinde ſibi adeò in feſti eſſe ceperunt, vt in necem ſuam magnus ordo nobilium & primorum coniuraret. Coniurationis autem prædictæ plures perhibentur fuiſſe cauſæ, quod & Abba Rex procedere in Regno Vngarie videns, priſca modeſtia abiecta inſolenter ſuperbè, & iniuſtè imperiū exercebat, in Vngaros, ſiue quod cenſuris Apoſtolicis ſuper Petri Regis expulſione percellebrantur Vngari, & bellum ab Imperatore Henrico ſibi inferendum verebantur. Ad cuius tutelam & Petrus Rex, & plures Vngari partes ſuas ſecuti diffugerāt. Nouerant enim Henrici Imperatoris animū non ſolùm ob expulſionem Petri Regis, ſed ob iniuriam grandem per Abbam Vngariæ Regem & Vngaros recenter illatam, qui Auſtriam & Bauariam ingreſſus hoſtiliter, vaſtitatem vtriq; patriæ intulerat, plurimos mortalium inde captiuos abduxerat ſibi eſſe plurimum iratum, quem etiam idem Abba miſsis Nuncijs & donis inſignibus, captiuorumq; ſolutionem omnem offerens, & expoſt quòd promiſerat negligens, in ampliorem indignationem exarcebauerat. Et Cæſar quidem Henricus aliquoties exercitum contra Vngaros congeſtum ſuper impendentibus maioribus imperij curis, & ſignanter bello, quod ſibi Gotfridus Dux Lotaringiæ inferebat diſtractus diſſoluebatur. Abbæ verò Vngariæ Regi, interim & audacia & animus ad magis inſoleſcendum augebantur. Conſpirationis quidem contra ſe factæ ſcelus ab vno coniuraturum habens detectū, dùm in Chadino Quadrageſimam ageret, Principales Barones, & eos præſertim quos contra ſe coniuraſſe intellexerat, quaſi de publicis rebus cum illis conſiliaturus conuenire iuſsit, quos conuenientes & in talamo Regio coniuratum agētes ab armatis militibus circumdari captiuariq;, & tandem coniectione & viatico negatis quinquaginta ex illis vario carnificio excruciatos necari & obtruncari diſpoſuit. De cætero quoque eos quos fidos & amicos credebat, tenuit ſuſpectos: Pro qua ſeueritate à B. Gierardo Tanadiēſi pro eo tempore Epiſcopo plurimum correptus eſt, qui etiam finale diſcrimen niſi pæniteret, ſibi denunciabat, pro ſcelere perpetrato imminere. Ex ſeueritate per Abbam Regem in Baronibus & coniuratis patrata, tantus cæteris qui diffugerant, quiq; remanſerant metus iniectus eſt, vt ſinguli voluntario exilio ſe damnantes ad Petrum Regem, & ad Henricum Imperatorem in Almaniam diuerterent, & ſæuitia Regis expoſita, animū Henrici Imperatoris ad ferendam Petro Regi exuli opem, aſſerentes cæteros Vngaros Abbam deſerturos, inflammarunt. Itaq; Cæſar Henricus expeditione in dicta in Vngariam cum grauibus copijs aduenit. Cui Abba Rex cipreca laurinum occurrens, & de victoria plurimum præſumens, Tertio Nonas Iulij prælium conſeruit. Et vtraq; parte pro victoria obtinenda plurimum admitente æquo Marte ad lōgam diei partem ab vtriuſq; pugnatum eſt. Turbo interim concitatus, vehemens in ora Vngarorum ſe coniecit, & vultus Vngarorum obſcurans, quaſi elementa viderētur armis Cæſareis fauiſſe Cæſari victoriam præbuit, licet non incruentam. Magna enim Almanorum multitudo comperta eſt, illic cecidiſſe. Abba verò Rex ver-

ſus Traciam fugiens in cuiuſdam villæ tugurio à ſuis Vngaris vociferās ſe indigna perpeti iugulatus eſt. Cæſar triumpho relato benignum ſe omnibus Vngaris victorem præbuit, neq; pænam deſerti & exulantis Regis ſumpſit ipſe à quoquam, nec Petrum Regem ſumere permiſit, quinimo Vngaros Petrum Regem, & Petro Regi Vngaros reconcilians in Albam Regalē venit, & Petro inſignijs Regijs induto diadema proprijs manibus impoſuit, Regnumq; Vngariæ omni populo acclamante Petro confirmauit, & innouauit, atq; Vngaris proprijs, atq; municipalibus legibus, viuere conceſsit, compoſitiſq; debito ordine Vngarorum rebus, multis honoratus à Petro Rege & Baronibus Vngariæ muneribus in columis Ratiſponā redijt, & ad res imperij gubernandas dirigendaſq; animum intendit.

ANNO Domini 1048. Non tulit autem Vngarorum gens Petri Regis diuturno tempore imperium, ſed ad res nouandas pro varietate ingenij animum conuertens, qualiter Petrum Regem vel exiliarent, vel occiderent, & Andream Belam & Leuentam Principes ſuos filios Wladiſlai Calui, qui apud Poloniæ Regem Cazimirum exulabant in Regnum Vngariæ adducant, per tractatus varios decoquebant. Qua nouitate, ad Petram Regem Vngariæ perlata, principales eorum, videlicet Viskonē, Budam, & Bruſnam iuſsit comprehendi, & in aculeis ſuſpenſos interfici. Cæteros verò eorum ſocietatis & ſectæ conſocios effoſis oculis tormentari. Non ob id tamen gliſcens contra Petrum Regem ſeditio oppreſſa, ſed magis aucta eſt. Vngarorum enim fere vniuerſi Proceres ſimilem pænam, & cruciatus veriti conuentum apud Chamadinum in frequenti numero agūt, exindeq; miſsis ad Andream Belam & Leuentā celebris nuncijs ſignificāt in quanto vniuerſi, ni celeriter ipſi redeant, periculo verſentur, ſe nunquā abe orum fide & obedientia iureiurādo pollicentur diſceſſuros, & Andreas quidem cum Leuenta deſiderio regnandi, & patriæ afflictæ ſuccurendi permoti ad Vngariam cum Nuncijs redeunt. Bela verò pro ea vice apud Regem Cazimirum Germanum conſortis ſuæ perſeuerandum duxit. Occurrit autem Andreæ & Leuentæ Vngarorum magna multitudo, & magno gaudio illos ſuſcipiens, id primum ac illis ſibi valido clamore & inſtātia expetit, quatenus Epiſcopis, & Clericis interfectis, Eccleſijs quoque exterminatis liceret ex priſco ritu viuere gentili, & Deos patrios colere fide Chriſtiana totaliter abiecta, cū ſub cultura Deorum patriorum felicē, & beatam vitam quondam occupando varias terras Regna & dominia ſubegiſſent. Alias non ſperarent ſe ab eis aliquam fidem & obedientiam habituros, neq; arma pro eis contra Petrum Regem ſumpturos. Principes autem prædicti Andreas & Leuenta, etſi petitionem Vngarorum intelligerent deteſtabilem & iniquam, non tamen detractauerunt, ſiue id ambitio terreni Regni, ſiue imminens periculum ſuadebat abrogare, ſed vel amentia, vel diſsimulatione pernicioſo ſceleri aſſenſi coinquinari Vngaricum populū, & à fide Sancta Orthodoxa apoſtatiſare permiſerunt. Inter Baro-

nes autem & milites Vngariæ, Vacha de Belus deuouit se Dæmonijs, & ritum sacrilegum practicare extunc cepit, sed & filius suus Ianus conformans se paternæ præuaricationi, Magos, Aruspices, & Phytonisas ad se coaceruarunt, eorumq; exemplo cætera Vngarorum multitudo seducta, dæmonijs libamina offerre, & tura accendere, & execrabilia quæque scelera committere visa est. Nam primũ omnes Latini, & Teutonici Regis Petri Præfecti & Officiales vbiq; locorum quæsiti, & reperti vario genere mortis consumpti sunt: Deinde B. Gerardus Chanodiensis Episcopus bigæ impositus, de monte Kierenfeludt præcipitatus, & lancea perfossus in pectore, & hi duo alij Episcopi Bestorus & Guldi, cum plerisq; Presbyteris, Clericis, & Laicis saxis obruti, aut vulneribus sauciati, felici cruore pro nomine IESV damnati sunt. Ipse quoq; Petrus Rex Vngariæ omni humano destitutus auxilio, periculum sibi videns imminere, versus Austriam fugam inijt, sed ex fuga Nuncijs Andreæ & Leuentæ verbis pacificis & dolosis reuocatus, in quandam curiam diuertens per triduum cum militibus suis impetentibus se resistebat viriliter. Militibus tandem suis telorum multitudine confectis, ipse in manus hostiles Vngarorum veniens viuus excæcatus est, Albamq; Regalem deductus nimio dolore eum intus & extra exagitante mortuus est, & in Basilica quinq; Ecclesien, quam ipse fundauerat sepultus est. Consortem insuper eiusdem Petri Regis, vel potius relictam multis contumelijs & iniurijs afficiunt, insuper milites in obsequijs Petri Regis demorantes, aut propellunt, aut trucidant. Quod facinus Henricus Imperator Imperij negotijs occupatus, Italiam transiturus vindicare ea vice non potuit.

ANNO Domini 1049. Miserabili morte Petro Rege Vngariæ defuncto, Andreas alter Ducum in Regem Vngariæ in Alba Regali à tribus Episcopis, quos ipse de morte liberauerat, coronatus est, & continuo cultum Catholicum resumere & instaurare, cultoresq; dæmonum & idolatras vehementer prosequi cepit, persuadens vniuersis Vngaris spurcitias sacrilegas esse relinquendas, & in cultura vnius veri Dei, quam illos, Stephanus Primus Rex docuerat, & in qua eos relinquerat, esse fideliter permanendum. Infra dies autem illos frater Regis Andreæ Leuenta idolatra ipse, & idololatrarum receptor morte absumptus est, & in loco prophano circa villam Toxim sepultus, qui se regimen Vngariæ & dies longos sortitus fuisset, vniuersam Vngariam ad inquinamenta sacrilega, & idololatriã sequella sua exemplo & mandato pertraxisset, morte tamen sua & Regis Andreæ Zelo virus illud, quod se multifariæ in perniciem vniuersalem diffuderat, restrictum est, & cultus idololatriæ abrogatus.

Vndecim annis, Benedictus Primus Posnanensis Episcopus gubernata Ecclesia moritur, & in eadem humatur. Cui ad electionem Canonicã, Ioannes Papa XX. à Cazimiro Poloniæ Rege Primo rogatus, Marcellum Primum natione Romanũ, de familia & domo veteri Marcellorũ subsituit.

Vacabant pro ea tempestate & Cazimirus Rex, & milites sui à bellis.

Maslao enim Tyranno Ploceñ deuicto, & digna morte mulctato neminem vinci, ex his qui se Rege absente in Tyrannis erexerant, subesse puduit. Ipsi quoq; Pruteni Laczwingi, cæteræq; Barbaræ nationes in fide continebantur. Quapropter Cazimirus Poloniæ Rex quietatam patriam superioribus tamen bellis plurimum vexatam, & afflictam, multifario conatu restaurabat deformata reparans, & erigens collapsa, diuina quoq; clementia illum & facta sua dirigente charus erat militibus, & vniuersis subditis, vicinis verò principibus & nationibus, formidabilis & admirandus. Natusq; est illi ex Dobrogniewa Regina quartus filius, quem Ottonem nominauit, virgenus Ottonum Imperatorum, de quo ipse ex sanguine materno satus erat se honorare, & diligere testaretur. Infans autem præfatus Otto pauca mensibus ab ortu superuiuens, immatura morte diem obiens, vtriq; parenti maiorem luctus præstitit materiam in funere, quàm lætitiæ præstiterat in natiuitate. Humilitatis autem & modestiæ specimen, quod si Cazimirus Poloniæ Rex in Monasterio agens Cluniacen familiare fecerat, in Culmen Regium euectus, non reliquit, nec vlli malignitatis odio, quod supereiectione sua & matris pleriq; illum habiturum crediderant, succesu, sed sponsionem suam nobilitat, & ad integrum impleuit, quæ omnia contra se & matrem gestorum habere obliuionem fuerat pollicitus.

Damalus Papa qui & Popo Romæ moritur, & apud S. Laurentium extra vrbem sepelitur. Post quem Bruno natione Almanus, Leucorum Episcopus ab Imperatore Henrico electus, & Romam missus, summo honore a Clero & populo Romano susceptus, in Pontificem Summum consecratus, Leo Nonus appellatus est, Romanis siquidem petentibus sibi ab Henrico Imperatore dari Pontificem, & nullus ex Almaniæ Episcopis ad assumendum Petri Cathedram posset induci, præfatum Brunonem Episcopũ, Secundum aliquos Tulensem, virum simplicẽ Cæsar surrogauit. Qui ad vrbem veniens, & de acceptatione Summi Pontificatus de manibus Imperatoris conscientiæ verme remorsus cessit Papatui, sed denuò ab omnibus electus laudabili vita Papatum gesit.

ANNO Domini 1050. Stabilito Vngariæ Regno Andreas Rex, & morte Petri Regis pacificato, misit præfatus Andreas Rex in Poloniã nuncios ad Belam Germanum suum, significans sibi felices suos successus, & qualiter Regni Vngariæ plenam & pacificam adeptus sit possessionem rogans, vt in Regnum Vngariæ æquo iure sibi propinquum, & hæreditarium redire non recuset, sibi in Regno cum & ipse orbus esset non in fratris solum, sed & filij loco habendus successurus, asserens non conuenire vtriusq; conditioni, vt post diuturnũ exilium communiter tolleratum felicitate tributa, æqualiter non fruantur. Hac legatione Bela Dux Vngariæ persuasus Cazimiri insuper Poloniæ Regis germanæ, Vxoris suæ, consilio communicato, cum vxore præfata & duobus filijs Geisa & Wladislao, quos in Polonia genuerat, & cum omni familia, substantia & suppellectili in Hungariam redijt, & à fratre Andrea Rege cum immensa hilaritate susceptus

ſceptus eſt. Cui etiam præfatus Andreas Rex, pro charitate fraterna tertiam partem Regni Vngariæ duabus pro ſe reſeruatis conſignauit. Accepit præfatus Andreas Rex Principis Ruſsiæ filiam nomine Anaſtaſiam pro conſorte, ex qua nati ſunt ei duo filij, videlicet Salomon & Dauid. Belæ quoq; Duci tertium filium; ex quo in Vngariam redijt, Duciſſa ſua peperit, cui nomen aptauit Lampertus. Viguit quoq; aliquanto tempore fratrum cõcordia, & charitas inter Regem Andream, & Belam Ducẽ Vngariæ, Henricus interea Imperator indignam necem Petri Vngariæ Regis vltum iri cupiens expeditione indicta, & notabili exercitu collecto Vngariam ingreſſus, Caſtrum Przesburg obſidione cinxit, & aliquot mẽſibus proiectionibus bombardarum quatiens, & Vngariam agrorum vaſtatione affligens, expugnatione Caſtri eiuſdem imperfecta ad agendum bellum contra Gotfridum, & Balduinum in Almaniam redijt.

ANNO Domini 1051. Indixerat & eo Anno Cæſar Henricus contra Vngaros, & Regem eorum Andream generalem expeditionem, tàm contumeliam Saluatoris noſtri abiecta fide Ortodoxa & idolatria repetita, quàm occiſionem Petri Vngariæ Regis conſobrini ſui vlturus. Cùm autem tempus procedendi, & traducendi exercitus in Vngariam aduenisſet, motus varij Principum, cæteræq; Imperiales curæ, ne perſonaliter eidem expeditioni intereſſet, diſtraxerunt. Impedimenta autem occurrentia moleſtè ferens expeditionem in Vngaros non omiſit, ſed exercitu collecto Gilhardum Ratiſponenſem Epiſcopum ſuum patruũ germanũ præficiens, cum grandibus copijs ad inferendum bellum tranſmiſit: Ipſe verò in Almaniam ad comprimendos motus orientium bellorum, & ad res Imperialis officij bene gerendas remanſit. Et Gilhardus quidem Ratiſponenſis Epiſcopus; vt ſibi ab Henrico Cæſare mandatum erat, Hungariam ingreſſus, eam incendijs ſpoliis & rapinis in locis plurimis afflixit. Hungari tum non faciebant pugnandi copiam, ſed in Caſtris & munimentis, cæteriſq; abditis locis ſe continebant, & tàm nocte quàm interdiu ex inſidijs opportunitate conſpecta Cæſaris exercitũ infeſtabant, pabulatoreſq; & cæteros Almanos paſsim per agros pabulantes, aut capiebant, aut trucidabãt, propter quod præfatus Gilhardus Epiſcopus, nullo memorabili in huiuſmodi expeditione edito opere in Almaniam exercitum Cæſareum reduxit. Grãdi indignatione Henricus Romanorum Imperator contra Cazimirum Poloniæ Regem Bretiſlai Ducis Bohemiæ prouocatus ſuggeſtione, quaſi Andreæ Vngariæ Regis partes enixius promouiſſet, & rebellionem contra Imperatorem mollitus, imperij regiones bello affligere conaretur, expeditionem contra Poloniam parabat, ſed interim graui infirmitate obrutus, Legatis Polonorum Regis Cazimiri ad eum venientibus, & cauſas accuſationeſq; falſas mõſtrantibus, & indignationẽ & apparatum bellicũ depoſuit.

ANNO Domini 1052. Adminiſtrationem belli contra Vngaros & Pannoniam, per Gilhardum Ratiſponeñ Epiſcopum Cæſareo nomine anno ſu-

Anno ſuperiore factam; Cæſar videns ad irritum recidiſſe, maioribus copijs collectis perſonaliter Vngariam Petri mortem vlturus, & Vngarorum contumaciam compreſſurus aduenit, & ipſe quidem terreſtri itinere exercitum duxit. Gilhardum verò Ratiſponeñ Epiſcopum victualium neceſſaria nouali tranſitu per Danubium, ne exercitum ſuum inedia laborare cõgeret, ferre ordinauit. Itaq; Rex Vngariæ Andreas, & Bela Dux Germanus ſuus, Cæſareo exercitui ſe intelligentes, ſine euidenti diſcrimine reſiſtentiam opponere non poſſe, ſingula loca, per quæ Imperator cum exercitu erat iturus, ex induſtria incendijs abradunt, agreſteſq; cum pecore & omni ſuppellectilli in loca remotiora & abdita ſecedere compellunt, ſed & ipſa terræ germinantia quæq; igne conſument interim & Gilhardus Ratiſponenſis Epiſcopus, qui nauibus victualia ducebat Iaurinum peruenies, & vbinam locorum Cæſar ageret ignorans tranſmiſſo Nuncio, in literis petebat ſe à Cæſare inſtrui, quo ſibi aduertendum eſſet ſed Nuncio ab Vngaris comprehenſo, & Regi Andreæ præſentato, Almanus alius in locum eius ſurrogatus, ad Gilhardũ remittitur, falſo ſub nomine Imperatoris Hẽrici ad bella in Almania exorta ſe Pannonicũ bellum omiſiſſe, & in Almaniam redijſſe, mandareq́ue, vt & ipſe quam celerius reuerti feſtinet, quo vafris mandatis obſequente, Imperatoris exercitum fames vrgere primùm cepit, ex qua deinde aliud peſtis & diſſenteriæ malum acceſſit. Infeſtabatur inſuper Imperatoris exercitus ab Vngaris, qui Teutonicos aut pabulatum euntes, aut per agros palantes ſagitis venenatis & inſidioſis, ex occultis locis nocturno præſertim tẽpore populum affligebãt, nemo enim eorum quem ſagitta veneno delinita tetigiſſet, poterat vitæ compos eſſe. Videns itaq; Cæſar tantæ multitudini quam ducebat, non animum ad expugnandum, ſed pugnandi copiam, & victualium neceſſaria deeſſe, pluresq; ex luis, aut fame tabeſcentes, aut morbo, aut veneno confectos eſſe, prudẽti vſus conſilio exercitum in Almaniam reduxit, opportuno tempore expeditionem tùm cæptam reſumpturus.

IAROSLAVS Ruſsiæ & Kiouieñ Dux graui & diuturno morbo, & qui dietim inualeſcebat grauatus, ſentiens ſe propediem moriturum, vocatis quinq; filijs, quos reliquerat, videlicet, Zaſlao, Suantoſlao, Wſewoldo, Gregorio, & Venceſlao, longo ſermone monet illos, & perſuaſionibus, & exemplis, vt morte ſua ſecuta concordiam & vnionem fraternam inter ſe florentem, & diuturnum Principatum habituri, retineant, quod ſi ſcinderint, non dubitent hoſtes ſe & ſua vltro inuaſuros. Diuidit deinde Iaroſlaus Principatum Ruſsiæ, & Zaſlao quidem natu maiori Kiow, Suantoſlao Czernieiow, Wſzeuoldo Pereaſlaw, Gregorio Wladimiriã, & Venceſlao Smoleñsko cõmittit, mandans vt ſinguli filiorum Zaſlao magis ſẽſato & perito parerent. Zaſlaus verò vt fratres dirigàt, protegat, & eorum curã gerat, & poſt hæc moritur Iaroſlaus 7. Nouembris. Anno vitæ 76. & in Eccleſia S. Zophiæ, quam in Kiow ædificauerat à filijs: & magna multitudine ſepelitur, ſederuntq; filij eius in ſedibus & Principatibus, quos illis pater eo-

ter eorum Iaroſlaus moriturus deſignauerat. Imperator Henricus expeditionem contra Pannoniam reſumens, cum frequenti & numeroſo exercitu, in quo & copiæ gentium à Cazimiro Polonorum Rege tranſmiſſo, & Bretiſlaus Bohemiæ Dux cum ſuis gentibus numerabantur, Hungariam ingreditur, flammiſq; & incendijs vicos & ignobilia Oppida conſumit, vaſtationemq; & depopulationem agrorum longius iubet extendi. Audiens autem hæc Vngariæ Rex, fratris ſui Ducis Belæ communicato conſilio decernere integris copijs, cum exercitu Cæſareo periculum veritus ſuperſedit, ſed eiſdem artibus, quibus ſuperiori anno vſus fuerat affligere exercitũ Imperialem conabatur. Clandeſtinis & nocturnis inſidijs eos qui pabulatum ibant, aut in cautè ab ordinibus ſecedebant, impendendo: Verùm dùm inſidiæ Andreæ Regis ſepius tentatæ ſecus acciderãt, & Vngariæ Regiones continuo igne & vaſtitate vrerentur, Legatos ad Imperatorem mittit, pacem equis conditionibus compoſituros. Et Imperator quidem Henricus, vt erat vir tractabilis & nobilis ingenij, humiliationem Regis Andreæ, & ea, quæ ſuo nomine proponebantur, ad exauditionis gratiam admittens, & commiſſum in Petrum Vngariæ Regem mortis, & in ſe rebellionis ſcelus fatentibus & ſupplicãtibus, facile remiſit, & à ſpolijs cædibuſq; ſe continuit, & de cætero inducijs interpoſiti agros Pannonicos vaſtari, & tecta vri prohibuit, pertractatus inſuper treugarum tempore interpoſitos, pacẽ Regi Andreæ & Regno Vngariæ addidit, quæ vt firmior diuturniorq; conſiſteret, & ipſe ad cætera Imperij negotia obeunda liberius vacare poſſit, etiam cum Andrea Rege affinitatem petitam iungit, filioſq; eidem Andreæ Regis, quamuis impuberi filiam ſuam Zophiam deſponſas in vxorem. Poſthæc Rex Andreas ad Imperatorem veniens, & inſignibus rariſq; muneribus Henricum munerans, fœdus initum iureiurãdo firmauit. Imperator verò reconciliato ſibi Pannonico Rege & Regno ad Ratiſponã venit, & Leonem Papam eum operientem ibi offendit. Vbi Leo Papa V. S. Wolfangum de tumulo leuauit, & Cathalogo Sanctorũ adſcripſit. Exinde Papa & Imperator ſub vno Comitatu, primum in Damberg, deinde in cæteras Rheni partes diuertuntur. Ab eo quoq; tempore Imperator Henricus Regnum Vngariæ laceſſere bello intermiſit.

Conditionem Smogorzouieñ, túm Byczyneñ Eccleſiæ, Cazimirus Poloniæ Rex ſatagens efficere meliorem locũ Wratiſlauieñ ciuitatis, intelligens propter fluorem Odræ habere ſitum multis commoditatibus refertũ, illam de Byczyna velut loco tùm obſcuro & agreſti, in quem altera iam vice de Smogorzow fuerat trãſlata, in Wratiſlauiam tranſtulit, & locum ampliſsimum Caſtro ſuo Wratiſlauienſi proximum & cognitiuum, in circuitu quoq; cætera loca pro Pontifice & prælatis atq; Canonicis aſsignauit, ab eoq; tempore nomine priori abrogato & mutato Wratiſlauieñ cepit vocitari. Primus eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, ex quo de Byczyna in Wratiſlauieñ translata eſt, fuit Hieronymus, neq; alias niſi tunc, nomina Epiſcoporum Wratiſlauieñ cæpta ſunt Annalibus inſcribi. Aliorum enim Epiſcoporum

porum nomina, quæ Eccleſiæ eidem dùm in Smogorzow & Byczyna conſiſterent, præfuerunt, & penuria iniuriaq; ſcribentium, & duplici Eccleſiæ præfatæ tranſlatione ſuppreſſa ſunt, vſq; ad noſtram ætatem. per me verò vnà cunq; recollecta ſunt, & in ſpeciale Diſtichon redacta. Tranſlata autẽ Eccleſia memorata, per Cazimirum Poloniæ Primum Regem & procurata cauſam dedit errori, vt Cazimirus ipſe Rex in nonnullis Annalibus & Hiſtorijs inſcribatur, & referatur Primarius Eccleſiæ Wratiſlauieñ fundator, cùm tantummodo illius fuerit tranſlator. Fundatio enim præfatæ Smogorzouieñ ſeu Wratiſlauieñ Eccleſiæ, ſub vno eodemq; tẽpore cum Gneſnenſi, Cracouieñ, Poſnanieñ, Ploceñ, Cruſuiceñ, Lubuceñ, Culmeñ, & Cameneceñ Eccleſijs, quarum diœceſibus in pleriſq; locis confirmatis, à Mieciſlao Primo Polonorum Catholico Principe, & Monarcha cepta & perfecta eſt. Neq; enim Polonorum Pontifices, aut aliquos ex illis adeò negligentes & deliros, & ſuarum iniuriarum ignaros repreſſores credi fas eſt, vt intra fines ſuarum Diœceſium nouam Cathedralem Eccleſiam, tàm diffuſos terminos, quales nunc Wratiſlauieñ obtinere nouimus, habentẽ erigi, & ſuas Diœceſes coarctari, & vſum perceptionemq; decimarũ Manipularium, in quibus Eccleſia ipſa, quemadmodũ & cæteræ Polonicales Eccleſiæ fundatæ ſunt, adimi paſsi fuerint. Poterat & ad priorem erroris præfati cauſam etiam altera accedere. Dùm Cazimirus Rex Poloniæ præfatus, intranslatione huiuſmodi, Oppidorum & villarum prædictorum liberalem donationem, priore multo ſuperiorem Eccleſiæ Wratiſlauieñ adijciens, per donationem munificam, & translationem prouidam á plerisque habitus credituſq; eſt, habito ad priſcam tenuitatem Eccleſiæ reſpectu fundator, ipſius verius quàm translator.

ANNO Domini 1053. Aliquanto igitur tempore, Leo Papa & Henricus Imperator vnà in Almania commorati. Natalem Domini Annilius Vormatiæ Diœceſis Moguntineñ ciuitate ſolenniter celebrarũt, plurimas res deformatas in Almania concordi & vnanimi voto componendo. Tandem Summus Pontifex Leo ax Almania Imperatori valedicens diceſsit, & frequenti numero militũ ex diuerſis Imperij Prouincijs, mandante Cæſare congeſto, pleriſq; etiã Almaniæ Principibus & Prælatis ſubſidia ferentibus, cum iuſto exercitu Apuliam intrauit, Nortmanos Apoſtolicarum poſſeſsionum in regione illa, & Imperij inuaſores oppreſſurus, & Roberrum Guiſtardi, qui Apuliæ incolas, nunc potentia, nunc dolo affligebat, repulſurus. Roberto autem prædicto, & Nortmanis ad pugnam contra gentes Papæ venientibus, 14. Calend. Iulij, atrox prælium eſt commiſſum. Deinde cæde grandi vtrinq; facta debilitatis Almanicis viribus, Roberto & Nortmanis ceſsit victoria, roboreq; militiæ Almaniæ confracto, Leo Papa cum paucis fugiens in Caſtellum quoddam, quo per hoſtes expugnato in Benemontanam Ciuitatem deducitur. Exindeq; Romam feliciter redijt. Tanta autem fuit vtrinq; cædes edita, vt aceruus ex oſsibus mortuorum vſq; ad hæc tempora perſeuerans, aduenientibus pro admira-

tione ſoleat oſtendi. Ea autem clades Papæ, & ſuo exercitui ideo accidiſſe credita eſt quod Summum Pontificem pro rebus Caducis, magis oratione & lachrimis, quàm armis belligerare cõueniebat, & quod nefarios homines, quam multos ad ſe ob impunitatem ſcelerum, vel quæſtum auarum confluentes ſecum conduxerat. Frugum penuria cùm anno ſuperiori Polonorum Regiones præſiſſet, & anno amplius inualeſcens varijs incommodis Polonos afflixit.

ANNO Domini 1054. Leo Papa Nonus natione Almanus de Lotoringia, cum ſediſſet annis quatuor, Menſibus duobus, & diebus ſex, 16. Calend. Maij Romæ moritur, & in Eccleſia S. Petri Romæ magnifico ſumptu tumulatur. Cuius ad Apoſtolicæ ſedis faſtigium aſcenſus eo ordine prouenerat, Romani ſiquidem Damaſo Papa decedente ab Imperatore Henrico, iuxta conſuetudinem & ordinem, pro ea tempeſtate ſeruatum Papam ſibi dari petierũt, Imperator Henricus Brunonem, Fulgeñ Epiſcopum, virum bonum & ſimplicem, ad regendam Sedem Romanam literas tranſmiſit, qui ad Vrbem tranſiturus, in Cluniacum peruenit, vbi Hildebrandus Cluniacen Ordinis S. Benedicti Prior illi ſuggerit, illicitum fore, per ſecularem manum gubernationem vniuerſalis Eccleſiæ ſortiri. Ea admonitione vir conſcientiæ puriſsimæ compunctus, Pontificali habitu ſpolians, habitum peregrini aſſumit, & Hildebrandum Priorem Cluniacen ſecum Romam adducẽs, vrgente conſcientia Papatum reſtituit, ſed à Clero Romano denuo electus, regimen Eccleſiæ aſſumere coactus eſt. Hic ſapientia & ſanctitate clarus, cum ad ſuſcipiendum Apoſtolicam Sedem ex Almania verſus Vrbem iter faceret, audiuit cantantes Angelos. Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Hic cùm pauperem leproſum ante fores Palatij vidiſſet, ſe Chriſtum in pauperis perſona recepiſſe obſtupuit. Translatus eſt ad priorem ſuam ſedem Fulenſem fato functus, vbi multis claruit miraculis. Surrogatur autem in locum Leonis IX. Gilhardus Egiſtatenſis Epiſcopus natione Almanus, metu Imperatoris Henrici, ſurrogationem ſuam cauſante, & Victoris Secundi accepit nomen in die Cænæ Domini conſecratus; quæ circa hæc tempora nimis inualuiſſe videntur, & de inceps continuata, multumq; dolenda ambitione prælatorũ & Simoniaca labe, quàm plurimum ſcripta Sanctorum Patrum habẽtur deteſtantia abuſiones iſtas. Et nota, quod facile inuenti ſunt pauperes, Clerici, & Doctores, qui pluralitatem beneficiorum, & pompam Eccleſiaſticorum apprehenderent, donec offerret ſe occaſio participandi: Qua accepta, grauiter auaritia excæcat eos. Fertur de quodam Magiſtro magnæ literaturæ, qui valde ſubtiliter diſputabat contra diuitias prælatorum, & faſtum eorum, quaſi omninò ſic viuere non liceret. Hæc cùm nunciata Domino Papæ fuiſſent, plauſibiliter reſpondit: Demus ei Præpoſituram bonam, & hæc, & illa beneficia, & bene pacatus erit. Factum eſt ita, & ecce protinus ſententiam mutauit, dicens: Nunquam intellexi materiam hanc, præter modo, quippè qui de inopo diues, de contemptibili repente

glorioſus apparuerat. Hos B. Hieronymus velut peſtes quaſdam contagioſas vitandos pronunciat. Dixit quidam notabile verbum: Qui habet vnum beneficium competens, & eo legitimè vtitur, recto calle ad patriam tendit, qui vnum ſuperaddit, vno oculo conſcientiæ priuatur, qui aliquid adhuc plus acceptat, etiam altero lumine priuatus, totaliter excæcatur, & deinceps quæcunq; poterit coaceruat. Hanc maledictionem in ſaciabilis auaritiæ olim præſignauit Ieroboam Rex Iſraël, qui licet diuinitus ad Regnum peruenerat, ſtatim tamen à cultu Dei receſsit, fecitq; duos vitulos aureos, ne populus Iſraël ad templum Domini aſcenderet. Factum eſt autem hoc verbum in peccatum, ita, vt omnes ſequentes Reges hunc cultũ ſacrilegum obſeruarent in deſtructionem Regni, ita de Eccleſiaſtico ſtatu timendum eſſe S. viri communiter aſſeuerant, & iam in pluribus mundi partibus completum cernimus. Clerici qui nil poſsidere deberent, præter rationabilem competentiam, neq; ſe de temporalibus intromittere, omnia poſsidere, omnia gubernare volũt. Idcirco vt Bernardus inquit: Qui ordinem nullum ſeruant, illuc properant, vbi ſempiternus horror inhabitat. Olim Phariſæi contra auariciam diſputantem Dominum deridebant, & inſanum iudicabant, ſed nunc Dominus ſubſanat eos. Caueas Lector qui multa occupas beneficia, ne idem facias, neq; eadem patiaris· Deus non irridetur, ſed quæ ſeminauerit homo, hæc & metet, noli ſequi conſuetudinem periculoſam: noli te per Papæ diſpenſationem excuſare, ad oculum vides quod vituli aurei adorantur, ſed cæteri mactantur, ſed quæ ſanctitas, quæ reuerentia in hoc eſt Deo exhibita, quod de numero miniſtrorum eius propemodum medietas eſt reſecata. Si enim cuilibet beneficio ſuis permitteretur dari poſſeſſor, numerus ſeruorum Dei eſſet duplex, quòd modo eſt ſimplex. Sequere conſilium eorum, qui Deo iam in cælibus coniuncti ſunt, ne cum vitulis aureis æterno igni confleris. Quid prodeſt vltra prohibitos beneficiorum titulos coadunare, cùm etiam ſimplices communiter videmus in frugali honeſtate amplius abundare. Venceſlaus filius Iaroſlai, Dux de Smoleńsko moritur, nulla prole relicta, cui germanus ſuus Gregorius ſuccedit in Principatum, qui & ipſe paruo tempore ſubſiſtens moritur.

ANNO Domini 1055. Noua Cazimiro Regi ſuperueniens voluptas, immenſo illum gaudio refecit, conſors enim ſua Dobrogniewa, quæ iam illi quatuor Maſculos pepererat, & annis aliquot parere deſinens, ſterilis de cætero permanere debuiſſe credebatur, filiam effudit, ad cuius baptiſmum Cazimirus Poloniæ Rex, Prælatos & Barones Regni ſui conuocans, ſolennem curiam Poſnaniæ celebrauit, & filiæ nuper natæ Suientochna nomen dedit.

Synodus Florentiæ celebratur, in qua multi Epiſcopi propter Simoniã & fornicationem Synodali ſententia damnantur, per Victorem Papam Secundum ob ſcelera præfata puniti, & de ſuis ſedibus eiecti. Bretiſlaus Bohemiæ Dux Pannonijs ſeu Vngaris bellum illaturus, cum exercitu vſque

Krudzon alias Czyndzyn peruenerat, vbi graui lãguore correptus, & cæptam contra Vngaros expeditionem omittere, & animam exalere 4. Idus Ianuarij coactus est, quinq; filios relinquẽs, videlicet Spitigneuum, Wratislaum, Conradum, Ottonem, & Iaromirum. Cuius morte sequuta maior natu Spitigneuus, ita enim pater ordinauerat moriturus, in Ducatum Bohemiæ succesit, qui primitias sui regiminis, seuitiæ & crudelitati consecrans. Prima enim die Principatus sui publico edicto omnes Almanici sanguinis & generis homines, intra triduum Bohemia excedere mandauit, capitis pænam subiturus, si quispiam ex Teutonicis intra illud triduum, intra Bohemiæ terminos fuisset repertus. Cui edicto illicò paritum est, & omne Teutonicorum genus vitæ consulens, quã sibi lapso triduo Bohemos non ignorabant, adempturos, tumultuario more possessionibus, domibus & agris, cæterisq; bonis immortalibus derelictis ex Bohemia fugiunt. Et ne quid tam rigido Ducali edicto crudelitatis deesset, Spitigneuus præfatus genitricem suam Iuditam, quam suus Pater Bretislaus è Monasterio Ratisponensi Nidermunster vocato, filiam Ottonis Ruffi Imperatoris rapuerat, & Abbatisam S. Georgij Brunonis Comitis Almaniæ filiam, quod sanguinis Teutonici vtraq; erat, in Biga pro ampliori contumelia extra Bohemiã ordinauit deduci, vel potius ejici, & in Almaniã deportari, maternũ vterum tãm iniurioso opere dehonestans, ad quam repensandam vicem matter prædicta Iudita, quãuis ætate confecta, vni Almano nupsit, cuius crudelitatem germanus suus Wratislaus veritus, dùm illum venire in Moraniã, in qua ipse morabatur, audiret, in Vngariam ad Regem Andream Vngariæ effugit, sed Spitigneuus in Mazouiam adueniens, dùm in fratrem Wratislaum absentem sæuire non posset, in vxorem suam in Olomunc dimissã, sæuiens ipsam captiuauit, & ad Castrum Leszczen, Baroni Mszczijs Custodiendam, & deportandam tradidit. Vbi dùm mensem exegisset, quoniã pronam partui agnouerat, solui eam iussit, sed illa de Leszczen egressa, & molestijs captiuitatis & laborũ, quos in itinere ferre cogebatur attrita, in partu periclitata est, quam dùm vir suus Wratislaus inconsolabiliter fleret, Andreas Vngariæ Rex hospitem singulari humanitate tractatum volens à merore soluere filiam suam Adleidam tradidit illi in consortem, quod Spitigneuus Bohemiæ Dux audiens, & potentiã fratris noua affinitate adauctam suspectam habens, missis Nuncijs, cum sibi recõciliat, & omnia, quæ sui iuris erant, in Morauia restituit.

Imperator Henricus Italiam cum insigni exercitu & Comitatu Victore Papa petente & monente aduenit, & super statu Ecclesiæ & Italiæ multa solertèr & sollicite tractans, & differens, pacem in Italia cõposuit, in Apuliam quoq; contra Nortmanos iura Ecclesiæ occupãtes militiã misit, quæ nihil memorabile agens partim hostili inuasione, partim morbis & lãguore confecta, infelices successus habuit. Agente Henrico Imperatore, in Italia Victor Papa apud Florentiam Synodum celebrauit, & multos Episcopos Simoniacos & incontinenter viuentes à Sedibus suis deposuit.

In Pon-

In Pontificatu Wladislauiẽsi siue Krusuicẽn, Venantius Episcopus annis tribus & viginti absumptis, peste Epidimiæ tactus diem obijt, & in Ecclesia villæ Parkanie conditur. Cui Andreas Primus per electionem Canonicam, Cazimiro Primo Rege Poloniæ suũ ad id præbente consensum, succedit, à Leone Papa VIII. prouisus.

ANNO Domini 1056. Fames valida vniuersas ferè Christianitatis regiones inuadens, multos mortales afflixit & extinxit, serpente quoq; datum penuria & ægestate, seditiones quoq; populi exinde cum bellis tam ciuilibus, quàm forinsecis coortæ sunt, Lintici quoq; populi genus à Slauis & Polonis ducentes, quorum regio in finibus Albæ fluminis, vbi Albis in Oceanum cadit, sita est, bello saxonibus cæterisq; conterminis populis moto, prælioq; conserto Victores effecti, magnam cædem ediderunt, fugientes verò in aqua suffocati sunt. Tunc quoq; Vilhelmus Saxonum Marchio, cum alijs maioribus Saxoniæ à Linticis occisus est.

HENRICVS Tertius Sueuus natione Imperator, compositis in Italia rebus in Almaniã veniebat. Victor quoq; Papa precibus Imperatoris flexus, Vrbe relicta in Almaniã vnà descendit. Conuentu deinde apud Traiectum indicto & celebrato, Imperator Henricus morti se intelligens, propter valetudinem, qua detinebatur aduersam, propinquũ de consilio Summi Pontificis Victoris tunc præsentis, & Almaniæ Principũ ius electionis habentium, filium suum Henricum ex Agneta susceptum, Septennem Regem ordinat & instituit, sensim quoq; ægritudine inualescente in Bothfelden decumbens, 3. Nonas Octobris moritur. Cuius corpus spiram relatum, Summo Pontifice Victore præsentia sua eius cohonestante funebrias, celebrem accepit sepulturam. Omnibus autem iusto ordine funeri personis, & rebus Imperium tangentibus, prout qualitas temporis ferebat, ordinatis, Summus Pontifex Romam cum pace redijt. Mortuus autem Henricus præfatus Tertius, huius nominis Imperator, Anno Natiuitatis suæ 39. Regni 18. Impeij verò 15. Vir inquietus Sexagesies & bis acie dimicauit, magnus Eleemosinarius, reconciliatus Gregorio Septimo absolutionem obtinuit, sed iterum ei rebellans Antipapam contra eum Romæ locauit, à quo de Imperio depositus, Saxoniæ Dux Rudolphus ab electoribus iussu Papæ Gregorij VII. eligitur, quem Henricus cruento bello superauit, ipse quoq; à Roberto Angliæ Rege Roma pulsus miserabili morte à filio, quem in Regnum sublimauerat captus vitam in carcere finijt.

ANNO Domini 1057. Quartus Henricus Imperatoris Tertij filius, admodum puer Patri succedens, Regnare cepit ab Augusto loco 88. Hic cùm infantulus adhuc esset, Septimum scilicet ætatis agens annum à primoribus Regni, matri suæ Imperatrici Agneti ad educandum commẽdatus est. Cuius sororem nomine Matildam Rudolphus Dux Almanorũ, qui & postea in perniciem affinis sui Henrici inuasit Imperium, duxit vxorem, filio autem Henrico existente impubere, Agnes Imperatrix aliquanto

 tempo-

tempore Regnum Almaniæ ſub ſua cura tenuit, & ſapienter ac ſtrenuè illud rexit. Pluribus autem incommodis Regiones Germaniæ fame videlicet & mortalitate afflictæ ſunt, & in pleriſq; locis lapides miræ magnitudinis permixti grandine deciderunt, & plures mortales fulminis violentia extincti ſunt.

VICTOR Secundus Papa Romanus, qui & Gielardus Romæ moritur, & in Eccleſia S. Petri ſepelitur. Pro quo Fridericus frater Gotfridi Ducis iam Monachus factus, & Abbas tũc Monaſterij Caſineñ à Romanis Pontifex ordinatur natione Lotaringus, & Stephanus IX. appellatus eſt. Poſt quem Romani accepta pecunia, Ioannem, vel vt placet alijs, Miciũ Velletraenſem Epiſcopum contra Canonum inſtituta elegerunt, & Benedictum vocauerunt. Qui ſine confirmatione dies aliquot ſedens, à Duce Gotfrido fratre Stephani Noni expulſus eſt. Dùm autẽ præfatus Stephanus Papa 9. menſibus, diebus 25. ſediſſet, moritur, & Florentiæ ſepelitur. Quo mortuo Gilhardus Florentinus Epiſcopus à Collegio Cardinalium apud Senas, vel vt alijs placet, apud hoſtiam Canonicè & legitimè electus eſt, natione Burgundus, qui & Nicolaus Secundus vocatus eſt. Hic electionem papæ dedit, quæ habetur diſtinctione XXIII. in nomine Domini. Et Romæ apud Lateranum conſilium celebrans, Berengarium circa Sacramentum Euchariſtiæ notabiliſsimè errantem, & aſſerentẽ, non eſſe Corpus & ſanguinem Chriſti in Sacramento niſi vt in ſigno, reuocare errorem ſuum multipliciter confutatum coegit.

ANNO Domini 1058. Poloniæ Regnum, quod ex morte Mieciſlai Regis alto languore & penè morte confectum erat, optimo Cazimiri Primi Poloniæ Regis regimine & gubernatione ad robur primũ pertingebat, tranquillam beatamq; ſub Principe illo Poloni agentes vitã, miranda celeritate, Regiaq; benignitate & fauore collapſa, proſtrata ſuperiori tempore & perdita erexerant, ſolidauerant, refecerantque. Ipſe quoque Cazimirus Rex timorem Dei ſingulis actionibus ſuis præferens ac immiſcens, & ſimplici rectaq; via in conſpectu Dei gradiens, iuſticiam & pacẽ ſummoperè diligebat, externos motus, qui ſæpenumero conficere ſolent bellum in ipſis initijs confringens, ac diſſoluens, præcipuus Dei cultor viduarum orphanorumq; defenſor, Eccleſiarum munificus dotator, patriæ ardentiſsimus amator, prædonũ & furum hoſtis habebatur. Tanto in ſuper ardore, tanta ſolicitudine & charitate extollendi, magnificãdiq; Rempublicam, Regni ſui Poloniæ ſtudio continuo & in defeſſo certare, laborareq; viſus & notatus eſt, tantamq; afflictis & penè perditis Regni ſui rebus indidit coaleſcentiã, & perfectionẽ, vt vniuerſali appellatione & conſenſu inſtaurator pacificus, & tunc quidem vocitatus eſt, & in hæc vſq; tempora vocitatur. Vix autem & vitæ & regiminis tempus dimidium emenſus fuiſſe putabatur, dùm fatis illum appetentibus forti languore correptus, ingrabatum decidit, menſemq; integrum cum morbo luctatus, cum victa natura moriturum ſe agnouiſſet, Prælatos & Primores Regni ſui Poſnaniã illic e-

illic enim decumbebat, conuocat, & pluribus limatiſq; verbis apud eos concionatus, quatenus concordiam & iuſticiam ſummoperè colerent, vt morte ſua ſecuta primogenitum filium ſuum Boleſlaum, prudentia & natu maiorem pro Rege ſuſciperent. Tandem in aula Regia Poſnaniæ Dominico corpore, cæteriſq; Sacramentis ſumptis, deuotè, religioſè, vt tanto cõuenichat Regi 28. Nouembr. mortuus eſt, & iuſto ac magnifico apparatu in Cathedrali Eccleſia Poſnanieñ. in ſepulchro Aui ſui Boleſlai Primi Poloniæ Regis, cum paternis cineribus conſepultus, Anno Rgni 18. vitæ verò 44. vir ſtatura procerus, forma compoſitus atq; comptus, barba promiſſa, capillo copioſo, habitudine vegeta, ſtudio pietatis & inſtaurationis vſq; ad exitum vitæ viguit, & cùm ſupremum vitæ diem adeſſe intelligeret, ſucceſſorem, vt præmiſimus, Regni Boleſlaum natu maiorem filium deſignauit, ſtella crinita vitæ ſuæ, ſuoq; Regno exitium portendere putata, per continuas & plures noctes apparuit. Gentiles & Barbari vocati Polowczy, veniunt hoſtiliter in Wlzeuoldum Ducẽ Ruſsiæ de Pereaſſaw, & inito certamine, vincunt Wlzeuoldum & exercitum eius, 2. die Februarij, obtenta victoria cum Duce ſuo dicto Sobal, alias Siekal, crudeliſsima vaſtatione in Ducatum ſuum graſſantur. Hæc autem clades primarium fuit malorum, quæ tunc primum, & expoſt paſſa eſt terra Ruſsiæ à Polowcis, reſtricto & inhibito luctu ac mærore, qui ex immatura Cazimiri Poloniæ Regis morte in pectora Primorum Poloniæ aſcenderat, neq; enim eũ Principem & Regem iuſto & fideli dolore lugere ſatis poterãt, quia ſua Monaſtica quietè deſerta eos à calamitate & luctu, & penè ab interitu vindicauerat, extulerat, honeſtauerat; ſub cuius Principatu hoſtibus in circuitu oppreſsis & exterminatis, ſecuri ac felices fortunis, & rebus aucti quieſcebant, ad ſubſtituẽdum pro eo alium Regem, vniuerſi Pontifices & Proceres Poloniæ tractatus agitabant. Viſum autem eſt Primoribus, & in eam ſententiã Nobilitas vulguſq; omnis conſenſit, vt primogenitus Regis Cazimiri filius Boleſlaus, tùm quod maior natu eſſet, tùm quod ſupra ætatem prudẽtia & factiuitate ſingulari, liberalitate immenſa, cæteriſq; Regijs dotibus relucebat, tùm quod à Patre deſignatus ſucceſſor eſſet, in Regẽ promoueretur. Accedebãt & maternæ Reginæ preces Dobrognieuæ, lachrymis & ſingultibus oneratæ, quæ vnum quẽq; ex Conſiliarijs obteſtans prorelationem quam omnes ſuadebant, velut pernicioſam Reipublicæ reſcindi, & Boleſlaum filium ſuum coronari obſecrabat. Hac concluſione ſtabilita, confirmataq; Gneſnam Metropolim, is enim locus pro ea tẽpeſtate, & pro veteri obſeruãtia, veneratione & autoritate huiuſmodi pollebat, itum eſt, & in Eccleſia Gneſneñ præfatus Boleſlaus Dux, & Regis Cazimiri primogenitus, tres & viginti annos agens, à duobus Metropolitanis, Stephano Gneſnenſi, & Aaron Cracouieñ Pontificibus, Wratiſlauienſi, Poſnanieñ, Ploceñ, Cruſuiceñ, & Culmeñ, Epiſcopis aſsiſtẽtibus, magno Baronum & Nobilitatis fauore in Poloniæ Regem ad altare maius coronatus & inunctus eſt. Non ſolùm autẽ Coronationis dies, ſed & plures ſubſequentes

sequentes in lætitia & lusibus absumpti sunt, & vniuersi Prælati & Barones honore mensæ, & Magnificis epulis per dies illos tractati, in locumque magni mœroris spe optima singulos de prouida administratione Regni mulcente lætitiæ vicissitudo æquè successerat.

Vno de viginti annis & duobus mensibus, Archiepiscopus Gnesnensis Stephanus, in Gnesneñ Ecclesia Pontificatu gesto 7. Martij moritur, & in Ecclesia Gnesneñ sepelitur. Cui Petrus natione Polonus, nobilis genere, de domo Nalęc, Decanus Gnesneñ, per electionem Canonicam in die Annunciationis B. Mariæ celebratam succedit, à Summo Pontifice Victore Secundo, ad interceßionem Boleslai Poloniæ Regis, electionem Capitularem promouentis, ordinatus.

ANNO Domini 1059. Regali ordine post obitum Cazimiri Poloniæ Regis, & substitutionem filij sui Boleslai mutato, Sacerdotium etiam immutationem accepit. Aaron siquidem Archiepiscopus Cracouiensis (quem in superioribus ex Cluniaco cum duodecim eiusdem professionis fratribus, Cazimiro Poloniæ Rege vocante venisse, & in Thiniec locũ pro Monasterio dote sufficienti, à Cazimiro Poloniæ Rege præbita cepisse monstrauimus) ex Thinieceñ Abbate in Sedem Archiepiscopalem Cracouieñ promotus, & senio longæuo, & laboribus confectus vita excedit, cum annis duodecim Ecclesiam Cracouieñ Metropoliço honore & iure rexisset, & in Ecclesia Cracouieñ Boleslao Poloniæ Rege sua præsentia eius, cohonestante exequias, debito honore tumulatus. Hic creditur, & in Ecclesiam & Diœcesim suam Cracouieñ gradus viuorum induxisse, & Diœcesim suam ad complendum huiusmodi gradus diebus Quadragesimalibus obligasse & onerasse. Ipse insuper Thinieceñ Cænobium multis libertatibus, prærogatiuis, & immunitatibus, largitioneq; Decimarum manipularium, ad mensam Archiepiscopi Cracouieñ pertinentium, extulit & dotauit. Vniuersos quoq; Thinieceñ Monasterij Abbates, eo honore perpetuo priuilegiauit & insigniuit, vt quilibet Thinieceñ Abbas sit in Ecclesia Cracouieñ Canonicus natus, stallumq; in ipsa Ecclesia inter Canonicos obtineat, ac in eadẽ Ecclesia Cracouieñ intra Diuina officia & horas Canonicas superpeliceatus & amulciatus incedat. Quamuis autem prælati Aaron Archiepiscopi morte secuta Canonici Cracouieñ, varijs vicibus futuri Archiepiscopi electionem celebraturi conuenissent, nullatenus tamen poterãt se de alia apta persona, votis eligentium in varia vota diuisis, concordari. Vnde contigit Cracouieñ Ecclesiam exsciſura tàm detestabili integro ferè biennio Episcopo vacare.

Polowcys barbaris terrã Russiæ irrumpentibus, cum tres Duces, Zaslaus Kiouiensis, Suantoslaus Czernieiouieñ, & Wszeuoldus Percaslauieñ, vastationem terrarum suarum prohibituri occurrissent, certamen dirum circa flumen Olcha inter se committunt, & Rutenis diffugientibus, celsit barbaris victoria, qua obtenta barbari, vastationem terræ Russiæ, quo ligius possunt extendunt, & in singulas Regiones, Oppida, villas, vicos, li-

bera ex-

bera cæde, atq; spoliatione debachantur, non existimantes Ruthenos & Duces eorum animos ad pugnam contra se de cætero resumpturos. Cùm autem hi duo Duces, Zaslaus Kiouiẽsis, & Wszeuoldus Pereaslauiensis in Kiow, Suantoslaus verò in Ducatum suum Czernieiouieñ, clade apud Olcham accepta fugiendo deuenissent. Nobiles & militares Russiæ celebrato apud Kiow conuentu, Duces suos Zaslaum & Wszeuoldum, quatenus illis equos & arma sumministrent conueniunt, offerentes se cum barbaris, qui post victoriam per agros passim vagãtur, & discurrunt felicioribus auspicijs, & cum spe certæ victoriæ ad detergendum dedecus acceptum, pugnaturos. Zaslao verò & Wszeuoldo militari peticioni, ne noua clades reliquias Rutenicas deleret, non acquiescentibus, rursum milites Russiæ flagrare ceperunt, quatenus WSZESLAVS Dux Polocen̄, & duo filij Anno superiori in dolo capti, & in eam diẽ vinculis alligati soluerentur. Quòd cũ impetrare non possunt, in seditionem vertũtur, qua Duces Zaslaus & Wszeuoldus perculsi & veriti, ne militaris furor graue aliquid in eos moliretur, ex Castro Kiow diffugiunt, milites verò ergastulo disrupto WSZESLAVM Polocensem Ducem, & filios eius soluunt, vniuersam verò Kiouieñ suppellectilem & substantiam diripiunt. Zaslaus verò Dux Kiouieñ ad extrema peruentum ratus in Russia consistere non audens, se & sua saluaturus in Poloniam ad Boleslaum Polonorum Regem fratrem suum amicalem germanum fugit, à quo humanè & benignè exceptus, & habitus est. Polowcy interim dùm vniuersas Regiones spolijs & cædibus ingirum afficiunt, contra Czernieiow procedunt, quibus Suantoslaus Dux Czernieouieñ nil superiori clade deterritus, habens tantummodo, tàm ex militibus, quàm ex aggrestibus tria millia Virorum, obuiam procesit, & cum duodecim milibus hostium circa Snowsko Prima die Nouembr. pugnam committit, in qua multitudo à paucitate victa succumbit, & Rutenis animose pugnantibus sternuntur vincunturq; Polowcy, sed & Dux eorum cum plurimis viuus in potestatem Suantoslai Russiæ Ducis venit, & omnis præda, quam in Russiæ terris quæsierant, excussa. Suantoslaus verò cum magna gloria & militari fauore, in suam sedem Czernieow multis hostiũ spolijs decorus redijt. Zaslao autem Kiouieñ Duce cum filijs suis Mścislao Suantopelkone vxore, & aliquibus militibus in Poloniam ad Poloniæ Regem Boleslaum effugiente, WSZESLAVS Polocen̄ Dux militari fauore à captiuitate solutus, Ducatum & Castrum Kiouieñ occupat, & illic sedem suam ponit. Intuens autem in cælum, his vsus est verbis. O Crux Sanctissima & fidelis qui in te sperant, non confunduntur, qui te reuerentur periclitari non possunt, maxima est virtus tua, tu enim fortissimos quoq; tuos violatores contemptoresq; debellas, sternis, & debilitas, tui verò numinis deuotos & obseruatores protegis, liberas, & glorificas.

Quindecima die Maij, Aaron Cracouiensis Archiepiscopus annis duodecim in Archiepiscopatu Cracouiensi expletis rebus humanis eximitur, & in Cracouiensi Ecclesia sepelitur, vacauit Ecclesia Cracouiensis ali-

entis aliquanto tempore propter discordiam eligentium.

ANNO Domini 1060. Tranquillitate solida in Vngariæ Regno cõsistente, ex paruo, vt fit, fomento grauis cõmotio & tempestas coorta est. Andreas siquidem Vngariæ Rex diuturnam eiusdem Regni turbationem, & ex morte Petri Regis, & ex pace cum Imperatore Henrico occasionem Petri Regis vlciscente compactam penitus sublatã videns, inuxit in animum Salomonem filium suum impuberem, & nõdum septimum Annum transgressum, cui filiam Imperatoris Henrici Zophiam despõsauerat, dùm viueret, coronari, veritus ne se absumpto, ad Belã fratrem pro vegetiori ingenio, & charitate Vngarorum sibi iamdudum suspecta, Diadema Pannonij transferent. Exequuturus autem propositum, diem constituit, & fratrem Belam ac Prælatos & Barones Regni ad Coronationem, & inunctionem filij sui Salomonis inuitat & venire iussit. Dùm autem iuxta Ordinationem Andreæ Regis, filius suus Salomon in Alba Regali Coronationis & inunctionis acciperet insignia, & ad passum illum per consecratorem ventum esset, esto Dominus fratrum tuorum Bela Dux, qui scrupulosius Coronationem Nepotis, nunquam antea visam, in singulis pensabat Cæremonijs, grauiter ingemiscens, & Coronationem Nepotis tàm immaturatam in sui contumeliam, atq; probrum confectum dolens, & vultu & lingua merorem dissimulare non valuit, sed ad Barones astantes, ingemiscans Coronationem Nepotis, non tàm iniuriosam, quàm ignominiosam sibi astruxit. Veritus autem ne frater suus Rex Andreas, aliquid grauius consuleret in eum compresso & dissimulato dolore cum tribus filijs, vxore, familia, fortunis, & omni suppellectilli in Poloniã ad Regem Poloniæ Boleslaum affinem suum, quanta potuit celeritate discessit, & quantam qualemuè iniuriam & confusionem à fratre suo Andrea accepisset, corã Boleslao Poloniæ Rege, Prælatis & Consilarijs suis deduxit, petens, ne suã, & filiorum suorum iniuriam, qui ei propinquo fuerant sanguine iuncti, sinerent esse inultam. Rex autẽ Boleslaus Poloniæ magna humanitate & honore, & Belam Ducem & materteram suam Duciſſam vxorem eius, fratresque suos, filios eorum, excipiens, & omnibus necessarijs illos munificè & liberaliter tractans, bono animo esse iussit, offerens se parentis eorum necessitati, & cuilibet expoſt ingruenti, fido pectore pro viribus consulturũ.

Opera Boleslai Poloniæ Regis, & nonnullarum personarum Ecclesiasticarum dissidio, quod in electione & subſtitutione Cracouiensis Pontificis exortum erat, & biennio prope integro durauerat, sublato, Lampertus vocatus Zula, in Sedẽm Archiepiscopalem Cracouien, eo quod vir doctus & literatus esset, per Nicolaum, vel vt alij asserunt, per Alexandrum Secundum promotus est nescio tamen, quo leuo sydere petere Archiepiscopalia insignia neglexit, & Cracouiensem Ecclesiam extunc Metropolitico honore & iure priuauit, & in Episcopalem, atq; suffraganeã redegit. Nec ab eo tempore dignitatis suæ fulgore, licet plerisque Pontificibus suis adnitentibus resumere valuit.

ANNO Domini 1061. Annũ Sextum in Ducatu Bohemiæ Spitignei uus agens, & seuerè ac crudeliter, & in fratres Germanos, & in Ecclesiasticas, seculares q; personas sæuiens 5. Calend. Febr. Pragæ moritur, Bohemis excessum suum gaudio comprobantibus immenso. Qui cum orbus & sine hærede absumptus esset Wratislaus frater suus, qui in vngaria exulabat, inde reuocatus fauore omnium Bohemorum Dux principalis constituitur. Is modestum se erga fratres & subditos gerens, duobus fratribus, Ottoni videlicet & Conrado Morauiam diuisit, perpetua hæreditate possidendam. cognita autem Iaromirus frater residuus Spitignei morte, cuius animus illum in literis & studio continebat, deserto studio in Bohemiam remeauit, arbitrans se largitione fratris Wratislai aliquam portionem Domi- nij ad instar aliorum fratrum accepturum, Castigatum autem Dux Wratislaus, & salubri consilio admonitum, ne statu Clericali abiecto in militiam varijs grauitatibus refetram abiret, inducit, partimq; terret, & impellit inuitum, quatenus ad sacra conscendens, in virum Ecclesiasticũ se ordinari pateretur, Pragensem Episcopatum morte Seueri Episcopi, quæ propter maturum senium eius longè abesse non potest secuta, habiturus, hac ille spe & pauore pellectus vsq; ad Diaconi gradum se consentit ordinari, sed mox animum pænitentia subeunte, nonnullorum Bohemorum proposito suo fauentium, persuasione seductus, in Apostasiam versus, habitu & tonsura Clericali abiecta, laicum induxit, & militiam secularem de cætero in statu militari acturus repetijt. Veritus autem non per Ducem Wratislaum aliqua in eum fieret ob desertam professionem animaduersio, in Poloniam ad Boleslaum Poloniæ Regem, plerisq; Bohemis eum comitantibus aufugit, à quo benignè susceptus, & omnibus sumptibus, & necessarijs abundè tractatus, adeò fauore, beneuolentiaq; Boleslai Poloniæ Regis mulcebatur, vt integrum, in Polonia continuando mansionem suã, exigeret septẽnium. Felicem tunc Poloniam quis asserere dubitabit? quæ Pannoniorũ Bohemorum, & Rutenorum tres insignes exules excepit, tractauit, & confouit, & quod his amplius statum eorum dubium, & prostratum suis auxilijs, vt in sequentibus narrabimus, sustentauit, & erexit. Nec tam felicitatem illi tribuere conuenit, quam clementiam & charitatem, quibus omnium iniuriarum hostilium obliterata memoria exules Duces in suum sinum suscepit, & liberales sumptus absq; omni fastidio, & nausea, omnibus ministrauit.

ANNO Domini 1062. Fugam Iaromiri fratris sui in Poloniam, Wratislaus Bohemiæ Dux irato & molesto animo ferens, cum sugillationis & ignominiæ haberet plurimum, & suspicionis non parum. Verebatur enim Wratislaus Bohemiæ Dux, ne Poloniæ Regis Boleslai & Polonorum suffragijs, Iaromirus frater suus stipatus, Bohemiã inuasurus aduenire, & Bohemorum gentem ad defectionẽ inclinaret; Et cùm à Iaromiro pænas clandestini discessus exigere non poterat, omnes iras, quas pro fuga huiusmodi conceperat, in Regem Poloniæ Boleslaum, & Polonos qui Iaromirũ

iure & honore hospicij susceperant, vertit. Quapropter cùm omnibus gẽtium suarum agminibus vlturus, fugitiui fratris receptionem Poloniã inuadens, eam flammis & spolijs affligere cepit, nulla hostilitatis denunciatione præmissa, à siluis quoq; Hircinijs, quæ Poloniam à Bohemis distermnant, incipiens oram omnem, quæ nunc Silesia appelatur, vastabat. Hoc vbi Boleslaus Polonorum Rex à suis notificatum intellexit, correptis armis tumultuaria potius, quam ordinaria acie maiori, qua poterat celeritate Wratislao obuiam processit, flammantis patriæ ignes sanguinis profluuio restincturus. In quadam autem silua, Wratislaum & Bohemos in vltcriora Polonorum Dominia transitum facientes consequutus, statiua facit, militesq; corpora curare iubet. Diluculo adueniente, resumpto post continuam fatigationem vigore cum hoste certamen initurus: Interim peditem militem, cuius multitudine abundabat, siluam iubet in girum arborum detruncatione, ne hostis inclusus euadat, circumsepiri, qua arte sedendo debellare hostes posse credebat. Bohemus interim dolo vsurus, cùm moram sibi periculosam videret, & inde abire & fallere Regẽ vellet, missis sub occasũ solis caduceatoribus, petit in Crastinũ colloquẽdi facultatem, multisq; sermonibus, se magis amicum repromittit fore futurũ, quàm hostem. Boleslaus autem Rex Poloniæ colloquendi potestate, vt erat rogatus, negata, se in Crastino cum eo conuenturum, & non verbis, sed armis pro accepta iniuria respondet certaturũ. Quibus cognitis Wratislaus Dux Bohemiæ, pluribus ignibus in speciem remanentium latius extructis siluam secundis vigilijs, hostem frustratus, tàm silenti & composito agmine egreditur, vt etiam Polonos, qui siluam, obsederunt falleret. Omnibus autem impedimentis, & sarcinis magis vilibus abiectis, concito cursu festinus Bohemiam aufugit. Rex illucescente altera die abijsse hostem, & pugnam detractasse, cùm sensisset delusum se, & prædam insignem, & casibus suis excussam esse dolens, & fortunam suam in crepans, fugientes Bohemos pluribus diebus prosequutus est, pluresq; ex eis præsertim qui aut languore aliquo correpti, aut necessitate distracti, agmen sequi distulerat, comprehendit. In hostilem quoq; terram Morauiam Bohemis qui Iaromirum comitabantur, ductum præbentibus perueniens, magnam eius partẽ igne conflagrauit, & captiuorum magnum numerum, spoliaq́ue plurima in Poloniam reduxit.

Hieronymus Wratislauiẽs Episcopus, cùm annis vndecim Ecclesiam Wratislauiẽs rexisset, infirmatus Wratislauiæ moritur, & in Ecclesia Wratislauiensi sepelitur. Hic cum genere nobilis, & Romanus esset, pluribus reliquijs & ossibus Sanctorum, Ecclesiam Wratislauiẽs in suis Cœnodijs & suppellectilibus tenuem, reddidit in signem. Suffectus autem est in locũ Hieronymi Ioannes Canonicus Wratislauiẽs. Qui cum esset à maiori parte Capituli Wratislauiẽs electus, Boleslao Poloniæ Rege electionem suam acceptante approbanteq́ue, ab Alexandro II. Papa Romano electio sua fuit confirmata. Et ipse anno in sequenti in Episcopum Wratislauiẽs ordi-

natus, &

natus, & à Petro Primo Gnesnensi Archiepiscopo, in Gnesnensi Ecclesia Boleslao Rege præsente consecratus, Genere hic nobilis de domo Accipitrum, & qui primus ex Polonis abrogatis Italis Pontificale pedum in Wratislauiensi Ecclesia gessit.

Nicolaus Secundus, postquam annis tribus, mensibus sex, diebus viginti sex sedisset, moritur, & Alexander Secundus natione Mediolanẽsis, ante Anzelmus vocatus, Episcopus Lucensis à Cardinalibus concorditer electus est. Contra quem candulus Parmensis Episcopus à Lombardiæ Episcopis ius Papam eligendi, ad se tantummodo pertinere, fauente & suggerente Henrico Quarto Romanorum Rege Romæ eligitur. Qui cum suis Romam cum magno exercitu, quem Imperator Henricus per suas gẽtes augebat, accessisset, bis à Matilda Comitissa & Gottfrido Duce Spoletano, qui pro Alexandro stabant, repressus; Lombardiam redire coactus est. Tandem operante Henrico Imperatore, & Papa Alexandro in Lombardiam descendente, & Candulo suum reatũ recognoscente; pax Ecclesiæ reddita est. Candulo cum his Episcopis, qui eum temerè elegerant, in gratiam susceptis ab Alexandro Papa. Hic miro modo Lucanam Ciuitatẽ diligens, Episcopum eius pallio & cruce, ita vt ante illum deferatur crux, insigniuit, & Lucensibus plumbea bula vti concessit. Et præfato Candulo Episcopo Parmensi virilem resistentiam opponens, Romanæ Ecclesiæ dudum ancillatæ suum decus, suamq; libertatem restituit. Hic statuit, vt nullus audiat missam Presbyteri, quem scit habere concubinam, sub pœna excommunicationis.

ANNO Domini 1063. Exulceratum, & iusta ira grauidatum Boleslaus Poloniæ Rex animum contra Wratislaum Bohemiæ Ducem, ob iniuriam superiori anno acceptam gestans, frequentes copias parare, & in Bohemiam expeditionem militibus indicere cepit, querens se grauiter offensum, quod pro humanitate Duci profugo, & penè exiliato Iaromiro præstita, hostilitatem & Regni sui vastationem à Germano electi Ducis pertulerit, à quo se gratiam sperabat relaturum. Wratislaus autem Dux Bohemiæ vt erat vir in singulis prouidus & oculatus, bellum contra se & rumore & pluribus auisamentis intelligens agitari, per amicos communes, cepit agere de reconciliatione, & de pace, neq; enim tutum putabat cum vicino Regno hostile gerere bellum, neq; suis satis fidebat, ne eo deserto pro eo Conradum, vel Ottonem surrogarent, vel ad Iaromirum deficerẽt. Variis itaq; tractatibus interpositis, pax ægrè Iaromiro & suis infectione causante, æquis conditionibus per quas damna illata compensabantur, & captiui relaxabantur, comparata est, quæ vt solidior atq; diuturnior consisteret, violationem enim illius Dux Iaromir in Poloniæ Regno præsentia, portẽdebat, affinitate firmata est. Absumpta enim erat superiori anno Dulia Bohemiæ Wratislao iam altera vxor Adleides Regis Andreæ Vngariæ filia, duos filios, Bretislaum & Wratislaum, totidemq; filias, Ludimillam & Iuditam ex Wratislao susceptas, relinquens. Agentibus itaq; & procuran-

 tibus,

tibus, pacis compositoribus, orant Boleslaum Poloniæ Regem, vt virgo insignis Swiantochna Cazimiri filia, & Boleslai soror Regum Poloniæ Duci Wratislao Bohemiæ detur in consortem. Nuptiæ quoq; Crac. magnificentia magna, & solennitate celebratæ sunt. Tunc insuper Dux Bohemiæ Wratislaus personali noticia & amicitia cũ Boleslao Poloniæ Rege contracta, dotalibus muneribus, liberalitate Boleslai Regis plusquam conuentum erat præstitis, cùm noua sponsa sua quam vernacula lingua Bohemi Suatauam vocant, in Bohemiam alacer redijt, quæ ei tempore procedente quatuor filios, videlicet Brzetislaum, Wladislaum, & Sobieslaũ procreaui. Zatlaus Kiouieñ, Suantoslaus Czernieouieñ, Wlzeuoldus de Pereaslaw, Duces fratres germani inuidiæ stimulati liuore, exercitibus coadunatis vadunt contra Wlzeslaum, Ducem de Polocko fratris sui patruelis & Bretislai filium. Volentes illum, & Principatum suum sibi subijcere, & conueniunt omniũ trium Ducum copiæ circa Minsko, & abinde aciebus ordinatis vadunt, versus Polocko, quibus Wlzeslaus Dux Ploceñ circa flumen Niemca occurrens confligit cum eis, & cadentibus plurimis hinc inde Wlzeslaus victus aufugit, & miserunt post illum Duces Nuncios in dolo persuadentes, vt conueniret cum illis, fæduq; iungeret, pollicitis iureiurando nihil se illi aliquid hostile illaturos. Qui huiusmodi sponsione certificatus cum legatis per flumen Dniepr aduenit, sed Duces contra ius gentium iuramento fracto illum captiuant, & concludit illum Zaslaus Dux Kiouieñ cum duobus filijs in carcere Kiouiensi.

ANNO Domini 1064. Bohemicam pacem Prutenicum bellum mox excepit. Barbari enim rebellare, & tributa hactenus pensa denegare non contenti, excusiones crebras in Regiones Polonorum faciebant. Fabricato autem Castro, quod à Polonis Grodek vocabatur, validoq; ei præsidio imposito, ad inferenda Poloniæ damna, & spolia, latius liberiusq; vagabantur. Ea iniuria Boleslaus Poloniæ Rex, vt par erat, commotus, Grodek obsidione vallauit. Expugnationi autẽ illius longo tempore insistens, cùm & natura & arte locus satis munitus esset. Pruteni quoq; egregiè illũ tutarent, cæptam expugnationem irritam, reliquit. Creuerunt illicò Barbaris animi & Rege Boleslao abscedente magnam Pomeraniæ partem deditam sibi, & tributariam effecerunt; Ad vlteriora quoq; quoties Regem in longinquiores oras Regni sui abijsse didicerant, gradum promouebant, omnemq; ferè Pomeraniam in ius suum & proprietatem pertraxerant. Affligebat itaq; magna audacia, magnoq; spiritu Regem Pomerania adempta, & ignominia apud Grodek accepta. Quapropter quo ordine, quaue ratione Prutenos, qui pugnæ copiã non faciebant, clandestinis & furtiuis excursionibus contenti, in prælium eliceret, agitabat. Itaq; cum expeditis militibus Pomeraniam ingressus Prutenorum aduentũ nil minus, quàm Regis tunc ingressum suspicantium operiebatur. Nec eum opinio fefellit.

Explora-

Exploratorum enim denuntiatione certificatur barbaros in frequentibus copijs conuenisse, & statiua vltra fluuium ossam tunc aquis inflatum posuisse. Altera die vadato fluuio in Poloniæ confinia ad inferendam vastitatẽ & spolia transituros. Rex more impatiens, veritus ne hostes eius aduentu cognito, in consueta nemorum & stagnorum cubilia refugerant, copias illico suas ad hostem ducit, cumq; animis profunditas ardorem militum moraretur, primos ordines, vt erant armati, aquas obstantes Rex tranare, & cæteris metum adimere iubet. Vnde cum plures pondere armorum ab aquis coram suffocarentur, cæteri mortem vitaturi armis in ripa relictis, fluuio superato, silẽti agmine ad hostes Rege vnum quemq; exhortante perueniunt, paruoq; negotio hostes superatos & inermes, tàm magna strage fundunt, trucidantq;, vt pauci, qui intra tumultum fuga euaserant, & occupata Pomerania excederent, & solita tributa Regi penderent.

In eis Alpina Gallia Parmensis Episcopus in Pontificem Romanum fuit electus, qui bis contra Alexandrum armata manu Romam vsq; profectus est. Tandem Imperatore Henrico intercedente, Concilium Mantuæ indicitur, in quo composito Scismate Alexander confirmatur.

ANNO Domini 1065. Sextum iam Bela Dux Vngariæ cum vxore & filijs in Polonia apud affinem suum Boleslaum Poloniæ Regem agebat annum. Dùm illum ardor redeundi in Vngariam peruasit, neq; ad id solum naturali ferebatur affectu, sed Baronum & Nobilium Vngariæ dietim ad eum in Poloniam confluentium mouebatur rogatu, nonnullorum verò clandestinis legationibus solicitabatur. Multis autem & varijs difficultatibus periculisq; reuersionem suam septam animaduertens, cum & germanus suus Andreas Rex vniuersum Regnum in ditione sua possideret, & in Vngaris, fluxã fidem habentibus, parum spei reponendum existimaret. Terrebat insuper eũ tàm Imperatoris Henrici Quarti, quàm Wratislai Bohemiæ Ducis affinitas, cùm alterius filiam filio Salomoni desponsasset, alteri suam dedisset, intelligens tàm socerum, quàm generum Andreæ Regi, quod & euentus rei postea monstrauit, auxilia laturos. His cogitationibus distentus Boleslaum Poloniæ Regem aggreditur, orat, precatur, sollicitat, & per communionem sanguinis ostendens tres filios ex Matertera sua susceptos, obsecrat, vt pro officio fidelis amici & affinis sui morem gerat, copijsq; & gentibus suis, paternam hæreditatem, patrium Vngariæ Regnum restituat, ne eum cum filijs in exilio consenescere contingat. Rex autem etsi rem arduam à se exigi per Belam suum affinem videret, maximo tamen animo & liberalitate, quorũ vtroq; naturali præeminentia pollebat, motus, se illi omni sua militia spondet auxiliaturũ præsertim cum Bohemis pacificatis & Prutenis compressis, feriatum animũ illum habere videret. Itaq; in expeditionem Vngariã iturus, ex omnibus Regnis sui terris delectum agit, & tribus agminibus, quibus Wlzeborius Princeps militiæ præerat, Belam Ducem restituendo, Vngariam ingreditur, vxore sua & tribus filijs

bus filijs in Polonia relictis. Rex autem Andreas Vngariæ, bellum à Polo-
niæ Rege ſibi tàm ex rumore, quám ex Vngarorum auiſamento ſciens im-
ferendum, filium ſuum Salomonem ad Henricum Quartum Imperatorem
notabili ſtipatum Vngarorum caterua, per Niechbaldum Comitem tranſ-
mittit; rogans, vt ſi illi aduerſa fortuna accideret, curã eius, velut genero
ſui agat, ſibiq; ſubſidia in gentibus deſtinet. Ijſdemq; precibus apud Wra-
tiſlaum Bohemiæ Ducem vſus tàm Almanorum, quàm Bohemorum duces
inſignes exercitus ab Imperatore Henrico & Wratiſlao Bohemiæ Duce
tranſmiſſos accepit, tertium ipſe, his duobus immenſiorem, ex Vngaris
conficit. Et Almanis quidem duo Duces, videlicet Vilhelmus & Pontius
nus præerant, Bohemos Dux Conradus Morauiæ germanus Wratiſlai Du-
cis Bohemiæ regebat. Tot & tantis ſubſidijs Rex Vngariæ Andreas ſtipa-
tus, magis de victoriæ præmijs, quàm de pugna cogitabat. In altera parte
rarior erat numerus militum, ex Polonis duntaxat in agmine triplici agre-
gatus, ſpem tamen victoriæ augebat exercitatio, nam & in ordines ire, &
pedem, quoties neceſsitas expoſceret referre ſtare, & ire, ad iuſſum Regis
dudum alueuerant. Vngarorum, qui partes Belæ ſequebantur, haud con-
temnenda erat multitudo, & ex his Boleſlaus Poloniæ Rex quartum agmen
conſtituerat. Nam etſi ſingulis ordinibus præfecti ordinati eſſent; ſum-
mæ tamen belli Boleſlaus Rex tanta indoles viro iam tunc inerat, præſule-
bat, ſuo quoq; arbitrio cuncta gerebantur. Ad fluuium itaq; Cyſſæ vtrq;
exercitus conuenit, & quamuis exercitus Andreæ auidior, in quo & ipſe
Dux & cohortator aderat tàm numero, quàm robore multis partibus exer-
citum Boleſlai Poloniæ Regis & Belæ Ducis excederet. Nil tamen vtro-
que eius multitudine territus ad capeſſandam pugnam agmina deducit,
magnis verbis, & animis maioribus ab vtriſq; prælium cæptum, & hora
aliquot tam acriter pugnatum eſt, vt in ambiguo eſſet, cui populo fune-
ſtus Mars victoriam decerneret, vtriſq; autem magna vi pro triumpho ad-
nitentibus deteriori loco pars Andreæ Regis eſſe cepit, nam & magna pars
Almanorum & Bohemorum, aut iam proſtrata, aut obtrita erat, ordineſq;
eorum principalioribus cadentibus defluxerant. Poterat adhuc pugnare
ſtitui, ſed Vngari qui in exercitu Andreæ Regis erant, inclinatam ſuam vi-
dentes aciem, veriti ne ſequuta victoria Bela in eos quicquam grauius cõ-
ſulveret, relictis ordinibus, deſertoq; Andrea Rege & auxiliarijs ſuis ad Be-
lam diffugiunt. Exhinc facile Belæ plena ceſsit victoria, multiq; morta-
les ex Almanis & Bohemis occiſi, Rex Andreas ne viuus in manus fratris
Belæ veniret, fugere in Almaniam contendens, in fuga ad portas Meſon-
captus, & in ſilua Bokui crudelius quàm ſuæ ætati conueniebat tractatus,
exſpirauit, in Monaſterio S. Auiani, quod ipſe extruxerat, ſepultus. Cum
annis paulò amplius, quàm 15. Regnaſſet Almaniæ & Bohemiæ Ducibus,
cum nonnullis militibus captis, Boleſlao Poloniæ Rege moderante victo-
riam, & honos ſeruatus, plena libertas donata, quãuis Bohemiæ Dux Vn-
garorum decreto, tetræ & miſerabili pœnæ, priuationi videlicet oculorum
futiſſet

fuiſſet deſtinatus. Ex loco certaminis Boleſlaus Poloniæ Rex Belam Du-
cem Albam Regalem ducens, eum in Regem Vngariæ coronari ordinauit,
rebuſq; Vngariæ feliciter compoſitis pluribus donis, tàm ipſe, quàm exer-
citus ſuus à Rege Bela honoratus Poloniam redijt. Tertio Idus Aprilis,
Boleſlaus Poloniæ Rex apud ſuam Regiam ciuitatem Ploceñ agens & in
præſentia Paſchalis, aliâs Alexandri Ploceñ Epiſcopi, multiplicia diuinæ
propitiationis beneficia ſibi in multifarijs bellis atq; victorijs præſtita, re-
cogiturus, in Oppido ſuo Regali Mogilno Gneſneñ Diœceſis, Monaſte-
rium Ordinis S. Benedicti, in hunc enim, quod pater ſuus Cazimirus Po-
loniæ Rex in eo apud Cluniacum militauerat, propenſiori ferebatur affe-
ctu, fundat, locum dote munifica atq; ampla inſigniens, cui & introitus
Regales infraſcriptos, videlicet nonum denarium, nõnum forum, nonum
porcum, nonum poledrum, nonum piſcem: Ex Caſtris, Oppidis, & Cu-
rijs ſuis Regijs, Grudźiądz, Zakrocim, Szeroczec, & mediate telonei fluuij
Bug, Ripin, Stetin, Sepich Nowe, Radzim, Oſelch, Znuiendzic, Ciecha-
now, Stopſko, Grobeſko, Naśiłſko, Wyſſogrod, Plock, Dobrzyn, Włody-
ſlaw, Prypuſt, Flowſt, in Laſzyn verò Decẽ Marcas, in Gbuczymir Septẽ
Marcas, in Roſprza Septem Marcas, in Wolborz quatuor Marcas, in Zar-
now duo & medium Marc. quotannis percipiendas largitus eſt. Contulit
& Oppidum Mogilno, fundum & locũ Monaſterij cum villis infraſcriptis,
videlicet, Czerwieńſk, Chrzanow, Bolmo, Wielerich, Koſſow, Krẽnow,
Golumbino, & pleraſq; alias villas contulit, & ſeruos adſcripticios ex no-
mine deſignatos. Donationes inſuper per milites ſuos, Sbilutum Dobro-
gotkum, Paulum Ziemian, Odolny, & Andream de villis Boguſzyno, Pad-
niewo, Liśiec, Kapnik, Sokolowo, & Gorzymowo factas confirmauit.
Ad prædictum autem Mogilneñ Monaſterium fratres & Monachos, ex
Monaſterio Tineceñ Diœceſis Cracouienſis ſumptos introduxit. Cuius
primus Rector & Abbas fuit Mãgoſius Vir religioſus, natione Gallus, &
Secundus Rudgierus fuit de Cluniacenſi Monaſterio cum fratribus rece-
pti. Fabricauit autem Boleſlaus Poloniæ Rex in Mogilno Eccleſiam Mo-
naſterij, & Monaſterium, illamq; Beato Ioanni Baptiſtæ dedicauit, & mura-
uit in loco horti vnam criptam inferiorem, alteram ſuperiorem.

Pontificatu Poſnanieñ Annis Decem & Septem Marcellus Primus ad-
miniſtrato, ſcabiem incurrens omnibus Sacramentis deuotè perfunctus
moritur. Cui petente Boleſlao Secundo Poloniæ Rege à Nicolao Secun-
do Papa prouiſus, nomine Theodorus, genere Italus, ſucceſsit.

ANNO Domini 1066. Pannonica victoria ex Andrea Rege Vngariæ
& Almanis atq; Bohemis ſubſidia ſibi tunc ferẽtibus relata, Polonicus
exercitus plurimum ditatus. Rex quoq; Boleſlaus Poloniæ apud vicinas
nationes glorificatus eſt, adeò vt Prouincijs vicinis eſſet probitas ſua in ad-
mirationem & terrorem. Caſus autem aduerſus eo anno ſecutus non me-
diocrem illi intulit moleſtiam, & proſperos ſucceſſus mæroris caliginis ob-

 duxit,

duxit, Germanus enim iuus Dux Miecslaus quem tenerrimo diligebat amore in lectum ægritudinis decidens, vita excesit, nullo sui seminis (cui libem enim egerat vitam) superstite relicto, de cuius morte Boleslaus Rex multi doloris ostendens indicia, vltra quàm Viro & Regi conueniebat illi vitus est, luxisse. Vngaricus insuper populus ea tempestate secundam visus est in Apostasia discessionem facere à fide Christiana, Rege enim Bela apud Albam Regalem agente conuentum, tanta illuc colonorum & seruitiorum confluxit multitudo, vt tàm Rex, quam Episcopi & Barones tructidationem veriti in ciuitate se recluderent. Creati autem per eos Præfecti, Capitanei, & Præpositi, speciem iustæ seditionis & belli ciuilis effecerant. Horum legati venêre ad Belam Regem postulantes, vt Episcopis & Prælbyteris exterminatis Ecclesijs campisq; comminutis liceret eis ritu vestro, & gentili viuere absq; decimarum, quarum eis onerosam deducebant solutionem, redditione. Consternatus hac legatione Bela Rex, post triduum se responsurum spopondit, interim Præpositis, & Præfectis rusticorũ fidem & religionem Christianam blasphemantibus ac detestantibus, gentile verò ritus offerentibus, vniuersa plebs eis assensa, priscum ritum & barbarum se de cætero seruaturum magna cum gratulatione pollicebatur. Rex in tàm periculoso discrimine, & religionem Orthodoxam, & statum suum, ac Regni, videns versari, nihil amplius cunctandum, ne seditio coalesceret in immensum, ratus, tertia die, qua daturus erat responsum, sub missis armatis militibus Præpositos & Præfectos, cæterosq; illius factionis Principales iussit comprehendi, & vario mortis genere excruciatos in conspectu cæterorum necari. Quo viso cætera multitudo pauore concepto confestim diffugit. In hunc modum orta Apostasia, & seditio Belæ Regis profuisione & industria oppressa & extincta est, Cometes stella in occidentem tacem dirigens apparuit, plura mala, quibus & Almaniæ & Britaniæ Regiones, atflictæ fuerunt, designans in Britãnia quæ nunc Anglia dicitur, Rex Eraldus occiditur, & in Almania Principes varijs cædibus in se debachãtur.

ANNO Domini 1067. Crebris consilijsq; Ecclesiasticorum & Secularium, Boleslaus Secundus Poloniæ Rex superiori tempore & persuasionibus, quatenus aliquam illustrem Virginem suo Connubio sociari pateretur, solicitatus, tùm quoq; non sollicitari solùm sed vrgeri cepit, vt legitimo toro iniciaretur, ne stirps Regia ad duos tantum redacta absumeretur. Excessus quoq; alterius fratris Ducis Miecslai Anno transactò sequutus, & residui Ducis Wladislai in eam diem cælebs vita, adhæc, & quietus tempus, in quo singula in circuitu bella oppressa erant, allegabantur. Rex Boleslaus etsi nondum in eam se ætatem pertigisse, quæ tædas coniugales magnopere expeteret, satis quoq; temporis ad onerandum se coniugali iugo restare, vereri insuper ne amor futuræ sponsæ illum acrem, & ad bella gerenda, inferenda, & repellenda ferocem animum efficeret, languidum & remissum, respondet, ad extremum tamen Consilijs suorum cedens, consensit se matrimoniũ accepturum. In quirentibus deinde consilijs, quæ fæmina tanto Rege digna esset, Principis Rusiæ filia, & Patris sui vnica, cui magna pars Rusiæ ex successione paterna debebatur, in consideration em accesit. Hanc Boleslaus Rex cæteris, quæ tunc per Consilia vicinorum Regum & Principum nominabantur filiabus, reiectis, se ducturum consensit, quòd & pulchritudine, dotibusq; animi, & corporis præstabat cæteris, & quòd Rusiam iustius subigeret, de qua inuadenda subijciendaq; dudum animum, vt & virtutes auitas æquare posset, intenderat. Missis itaq; solennibus Procis, præfatam virginem Wiszeslauam in vxorem accipit. Nuptias quoq; Cracouiæ, pro more Regio sponsa aduecta, celebrat, & per dies plures ludis militaribus, & hastarijs instauratis solennitatem peragit nuptiarum. Henricus IV. Romanorum Rex, Bertam hominis priuati Itali Ottonis filiam sibi in vxorem accipiens, nuptias etiã iuxta decentiam Imperialem celebrat apud Triburias. Obeunte sub hoc tempore Seuero Pragensi Episcopo, qui sub omni vita sua, ex quo fædam & pernicioſam rem in spolium Ecclesiæ Gnesneñ consẽtiendo egerat, variis probris, opprobrijs, contumelijs, & quod referre pudet, carcere, & cõpede à Duce Wratislao turbatus esse, iusto remuneratore Deo hanc ei pænã pro suis feris factis inferente, non destitit. Conradus & Otto Duces Bohemiæ, quibus Morauia Wratislao Ducꝰ Principali Bohemiæ, & maiore natu concedente cesserat, mittunt in Poloniam ad Germanum suum Ducem lacomit, laici potius quàm sacerdotis in eam diem, in gestu, habitu, & moribus personam præferentis, quatenus relicta Polonia ad eos Morauiam redeat, consilio & auxilio eorum sedem Episcopalem Pragensem adeptus. Qui etsi omnium rerum largitione & abundantia à Rege Poloniæ Boleslao procuratus & magno in honore & charitate habitus, & perpetuus, Poloniæ ciuis fore in animo destinasset, cupiditate tamen honoris Pontificalis incensus, Rege Poloniæ Boleslao adito, & causa recessus patefacta, vt se æquo animo redire Bohemiam pateretur, facilè impetrauit. Non solùm enim Rex licentiam abeundi dedit, sed pecunias, equos, vestes, cæteraq; suppellectilem, qua in signiter, vt non exulis in morẽ ad suos rediret, munificè præstitit. Quo ad fratres Conradum & Ottonem in Morauiam proueniente, nunciatũ est Ducẽ Bohemiæ Wratislaũ in Episcopũ Pragensem, Curiæ suæ Presbyterum, Luckonem nomine, Saxonem genere, literis & industria pollentem substituisse. Quare Iaromirus vehementer afflictus extemplò in Poloniam reuerti statuerat, nisi ægre à Cõrado & Ottone fratribus substitutionẽ Luckonis se rescindere promittentibus fuisset retentus.

Obeunte Paschali Plocensi Episcopo ex intestinorum dolore frequenti torto, & regimine Ecclesiæ Plocẽsi, 26. annis administrato, Marcus, nagione Lucensis, ab Alexandro II. Papa prouisus, Boleslao II. Polonorum Rege petente, succedit.

ANNO Domini 1068. Tacita forsan posset quispiam mortalium hæc nostra scripta legentium ambiguitate pulsari, an Boleslaus Poloniæ

Rex in Iaromirum Bohemiæ Ducem,& sæpenumero iuum, & Regni sui infestum saltem in progenitoribus hostem, & calamitosum, & exulem,& quod cætera superauerat, sui ordinis Apostatam & desertorem, potuisse esse tàm beneficus & liberalis, vt præfatus Iaromir exiliũ Polonicum libertati Bohemicæ anteponeret: verùm si Regis Boleslai Poloniæ plurimorũ literis prodita vulgataq; attẽdatur prodiga liberalitas, facile hæc & quæcunq; alia magis difficilis & nodosa ambiguitas poterit absolui. Ipse namque inter omnes Reges & Principes Poloniæ ea gloria liberalitatis effulsit, vt neminem ad se ciuem, vel externum venientem sine munere dimiserit. In honorandis tamen externis militibus, qui ad vulgatam famam eius nominis militiæ,& causa visendi varios Principatus & Regna,ad Dominia illius redibant, erat effusior, propter quod multorum virorum, & militum illustrium ad Curiam suam affatim aduenientium fiebat concursus,cui naturalis instinctus tàm vastum, & patentem, ad largiendum animum formauerat, vt omnes voluptates, fortunas,felicitatesq; & virtutes suas in liberalitate numeraret, extremi ingenij, & obscuræ, rusticanæque, ac miserabilis sortis Principem eum appellans,quem hac virtute carere cõtigisset. Cuius vt ipsa liberalitas fiat notior, vnum ea tempestate, eoq; Anno gestum, memoriæ causa, subijcemus exemplũ. Cùm in Cracouia Regia Vrbe Boleslaus Rex in aula sua consisteret, & variarum Prouinciarum, quæ suo patrebant imperio, Præfecti, aut eorum Legati iuxta tempus constitutum tributorum,& redituum Regalium varias argenti & auri species,vasa quoq; & Clenodia ex his in vsum & pompam Regiam, & in largitionem hospitalem fabrefacta, item gemmas & lapides, diuersos præferentes vniones, item aliud aurum & argentum denariatum in Regis conspectu effunderent, Clericus quidam humilis sortis, admirationis & curiositatis gratia, aulam argento, auro, gemmis, & pecunia refertam ingressus,quantitatem opum Regiarum, & suæ conditionis tenuem & vilem sortem, tàm frequenti sub murmuratione, & suspirijs ab imo pectore amissis cepit ingemiscere, vt querellæ quoq; eius & murmur à Rege fuerit exauditum. In hunc quoq; Rex liberalior, quàm vtriq; conueniebat, esse volens. Desine, inquit,fundere inoslri præsẽtia suspiria, desine ingeminare querellas, tristicia quoq; sepotita, vtere hac die liberalitate nostra,& pecuniæ, quantũcunq; ferre poteris, tolle summam,pauperiem tuã nostro dono excuturus. Qui mox chlamide qua vestitus erat diffutè strata, altiùs, quàm suis conueniebat viribus, onus tollere aggressus, tanta mole amictum ex humeris pendentẽ de metallo impleuit, vt mole ipsa pressus, paululum spacij conficiens, & pondus cupiditate doni incensus non remittens, fracta ceruice expiraret, plus decrens, impellẽte auaritia metalli, quàm quod suis viribus potuisset moderari. Cuius morte Regi Boleslao nunciata, neque pecuniam in Regium ærarium inferri, neque Cadauer Clerici inter cætera fidelium corpora humare permisit, sed vtrũq; in profundo Vistlæ fluminis gurgite demergi mandauit, indignè decernens & eam pecuniam vsui humano fore quæ

hominem

hominem peremisset, & eum hominem cæterorum cineribus iungi, qui pecuniæ ardore periculum mortis ipse sibi conscisset, hominis miseri cupiditatem etiam post fata puniens, quatenus cadauer illius piscium esca fieret,& metallum cuius occasione Clericus mortem sibi conscisuerat, ab hominum vsu perpetuò interiret.

Dux Bohemiæ Wratislaus & duorum suorum Germanorum Conradi & Otonis, & omnium fere Baronum crebris monitis & precibus, expugnatus variare de Luckone sententiam, & Iaromirum fratrem in Pragensẽ Episcopum promouere coactus est. Qui ab Henrico Imperatore de Pragensi Ecclesia inuestitus à Gelhardo Moguntinensi Archiepiscopo,& consecrationem & nominis mutationem, qui eum Gelhardum sui nominis æquiuoco vocari voluit, in Moguntino accepit.

Henricus Romanorum Rex adolescentiam suam per licentiæ campos vagari permittens, lusibus, venationibus, & alijs tantummodò voluptatibus operam dabat, propter quod res Imperij plurimum fluctuare cepe-unt, & Henricus ipse multos sibi hostes, & insidiatores conflauerat.

ANNO Domini 1069. Vniuersis Polonorum Proceribus, & Primoribus Regni de suorum Principum orbitate, sterilitateq; sollicitis, Wislawa Regina Poloniæ Boleslai Regis coniunx vterum nunciatur implesse. Qua nouitate & Rex & Proceres exhilarati, non sine animorum inter spem & metum colluctatione futuri partus euentũ ambigui operiebãtur. Regina interim varijs votis, quatenus & virilem fætum & incolumẽ illi edere contingeret, propitiationem diuinam præueniens, conceptu materno filium Cracouiæ 12. Aprilis effudit. Qui in Ecclesia Cracouiensi à Zula seu Lamperto Cracouiẽ Episcopo aqua Baptismatis ablatus Miecslaus auitum nomen, Patre Rege Boleslao id ei nomen & in auitam & in fraternam, qui nuper excesserat memoriam adoptante, accepit, plures dies in ludis & spectaculis ab his qui inuitati confluxerant, absumpti sunt. Rex quoq; Boleslaus nouæ prolis dono exultans effusas, & ipse in quoslibet inuitatos donorum suorum fecit distributiones, tàm perfunctoriam opum Regiarum, quæ dietim congerebantur ratus gloriam, vt preter dandi facultatem, nihil illi iocunditatis aut dulcedinis inesse assereret.

Excepit sub eodem tempore Regem Boleslaum molestus casus, affinis enim suus Rex Vngariæ Bela, dùm ex omni parte pacificato Regno securus & felix consisteret, & Regnũ Vngariæ singulari prudentia & industria administraret, in opinato euentu,vsq; ad internecionem obrutus est. Dùm siquidem in quodã villagio Regali Gimel appellato moraretur, ædes quas inhabitabat à ventorum turbine concussæ corruerunt, & Regem Belam ruina sua lethaliter oppresserunt. Qui etsi imminens mortis periculum se euasurum credens, ex Gimel ad riuulum Kinisna quædam negotia Regia expediturus se Duci in lectica ordinasset,illuc tamẽ perueniens fortius cepit languore premi, qui cum à medicis inhiberi non posset, Rex dolore

 continuo

continuo in graueſcente extinctus eſt, corpus in locũ qui dicitur Zukſzad delatum, in Monaſterio S. Saluatoris, quod ipſe viuens fabricauerat, cum honore debito ſepulchro traditum eſt.

ANNO Domini 1070. Affinis ſui Belæ Vngariæ Regis, Boleſlaus Rex meroris aculeis ex obitu Regis cauſatis necdũ hebetatis, animum tamen ad bellum Ruſsiæ Principibus inferendum, & ad recuperandam vniuerſam Ruſsiam armis quondam Boleſlai Primi Polonorum Regis Proaui ſui ſubactam, intendit. Primo quoq; ætatis tempore omnes milites in armis eſſe, & in expeditionem Rutenicam copias ex vniuerſo Regno, tàm equitum, quàm peditum iubet conuenire, ſub ſpecie quidem, quaſi fratrẽ Zaſlaum Ducem Kiouieñ in Principatum reſtituturus, reuera verò Ruſsiam ſibi & Regno Poloniæ ſubiecturus. Omnia verò quæ ad futurum belli apparatum nouerat neceſſaria, & perſeipſum, & per Præfectos, præſertim verò per Wſzeborium Principem militiæ maxima prouidebat cura, magnã pecuniæ quantitatẽ inter milites equeſtris & pedeſtris ordinis, quo alacrioribus promptioribuſq; animis in expeditionem irent, partitus eſt. Æſtuabat ſiquidem ferocis pectoris vir Proaui ſui Boleſlai Primi Polonorum Regis famam & gloriam, in eam vſq; diem crebris hominum ſermonibus celebratam, aut tranſcendere, aut ſi minus proueniret æquare, & Gades veteres per Proauum ſuum influminibus ZVLA & Dniepr, per columnas conſtitutas Regno ſuo adijcere, & innouare. Stomachabatur inſuper omnes terrarũ Ruſsiæ tractus, ad eum belli & materno iure deuolutos per Ruſsiæ Principes poſſeſſos, & contra ius faſq; Patre ſuo Cazimiro Rege, vel conſentiente, vel diſsimulante occupatos eſſe, de quorum reſtitutione crebro à Boleſlao moniti reſpondebãt ſe nullatenus illos reddituros. Frequentibus itaq; copijs ex omni Regno ad Regem congregatis, aduocata militum multitudine priuſquam in hoſtilem agrum ducere pergeret, ita apud illos diſſeruit. Ea, inquit, maiorum noſtrorum erat virtus, ea probitas, is animus, vt quam plurimas vicinas Prouincias Regno Poloniæ fecerint tributarias & ſubiectas, fluminaq; Sala, Oſſa & ZVLA, fixis etiã gurgitibus eorum columnis, terminos Regni ſui conſtituerent. Nunc ad quam anguſtam ſedem ex colliſione ciuili redacti ſumus, videmus cùm & ipſa Ruſsia & gentiũ iure & belli, ditionis noſtræ exiſtens, cuius me materno & auito titulo amplior contigit portio, Imperium noſtrũ detractat. Eius itaq; rebellionem oppreſſurus, & arma ipſe indui, & vos in armis eſſe iuſsi Magno itaq; præſens capeſsite bellum animo, non prius coniuges & liberos, ipſamq; quam nunc linquimus patriam noſtram communem, quam Ruſsia ſubacta fuerit, viſuri. Hæc Regis oratio cum ingenti militum alacritate & aſſenſu excepta eſſet, altero die triplici agmine Ruſsiam habens in Comitatu ſuo Zaſlaum Kiouienſem Ducem & filios eius ingreſſus eſt, & pluribus quidem diebus, ordinatis aciebus, præcedebat gradũ promouendo, & cohibendo milites à populatione illos in Caſtris continuit, exiſtimans

Ruſsiæ

Ruſsiæ Principes, iuſta acie tecum congreſſuros. Præerat autem ſummæ rerum in Polonorum exercitu Wſzeborius Comes, dudum à Boleſlao Poloniæ Rege Princeps militum conſtitutus, in quem Rex Boleſlaus velut militaris diſciplinæ peritum, magnam partem curarum cogitationumque ſuarum verteret. Congeſſerat autem Wiſſeſlaus Poloceñ Dux, & qui Zaſlaum ex Kiow depulerat, haud contemnendũ exercitum ex Rutenis Pieczynegis, & Walachis cum Boleſlao Polonorum Rege decertaturus, verum dum Boleſlao Regi prohibiturus ſuum ad Ruſsiæ interiora ingreſſum circa Bialogrod occuriſſet. Viſa Boleſlai Polonorum Regis potentia, concidit cor eius, & non auſus confligere cum Boleſlao & Polonorũ exercitu, videbat enim ſe multo viribus inferiorem, ignorantibus ſuis deſerto exercitu, paucis conſcijs, & ſe ſequentibus diffugit in Polockó, ſed & exercitus ſuus fuga Ducis conſternatus, & perculſus in varia loca abijt. Ab exploratoribus autem Boleſlaus Polonorum Rex certior factus Rutenos, & cæteros hoſtes ad tuendas munitiones dilapſos eſſe gradum vlterius promouebat. Interim miſerunt Rutenorum Primores Kiouieñ, ad Suantoſlaum & Wſzeuolodum Duces in Czernieiow, Legatos dicentes. Etſi iniquè egerimus pellendo Ducem noſtrum Zaſlaum ex Kiouia: Vos tamen venite, & defendite Caſtrum Kiow à Polonis & Rege eorum Boleſlao, quoniã exercitus ſuus multus eſt, & fortis nimis, cui nos reſiſtere nequimus, quod ſi facere contemnitis, Caſtrũ Kiow à Polonis & Rege eorum Boleſlao occupatum, antequam in Polonorum ditionem concedat, igne comburemus, ipſi verò cum fortunis pignoribus & familijs noſtris tranſmare in Græciam migrabimus, iugulum irato hoſti ſubducturi. Accipiunt autem Kiouieñ a Ducibus Suantoſlao & Wſzeuolodo, reſponſum benignum, nuncios ſe ad Zaſlaum Ducem miſſuros rogaturoſq;, vt ſe, & Polonicum exercitum ab hoſtilitate contineat, pacificuſq; ad illos ſua omnia rehabiturus introeat. Quod ſi nolit, ſpondent ſe cum potentijs ſuis illi occurſuros, prohibituroſque, ne Principalis arx eorum Kiouieñ, & populus occupetur à Polonis & eorum Rege. Quibus verbis Kiouieñ confirmati, voluntate comburendi caſtri omiſſa ſubſiſtunt. Nuncij verò ad Zaſlaum Ducem extemplò expediuntur, qui cùm illum à Kiow haud longe acceſſiſſent, verba apud illũ & Boleſlaum Poloniæ Regem in hunc modũ Ducum Suantoſlai, & Wſzeuolodi nominibus faciunt. In caſſum inquiunt, tàm fortiſſimum exercitũ, in tam remota terrarum ſpacia produxiſti, fruſtra duriſsimos impendis conatus, cùm videas Wiſſeſlaum Poloceñ Ducem hoſtẽ tuum, & omnes aduerſarios contabuiſſe. Omiſsis itaq; Polonis quietã ſedem tuam Kiouieñ, non eſt enim qui aduerſeretur tibi, repete, & Polonorum gentem duram à noſtra Ruſsiæ terrarum vexatione auerte. Quod ſi te aliquis furor ad vlciſcendum acceptam à Kiouieñ iniuriam exagitat, ipſemet potius vltionem & in Kiouieñ, & in arcem, ſine ferro, ſine igne liber, dùmmodo Poloni in nos & gentem noſtram non debachantur, exerce. Qua legatione accepta Boleſlaus Poloniæ Rex cum Zaſlao Duce & expeditioribus militibus, parte copi-

te copiarum cum impedimentis relicta, se tamen sub sequi iussa versus Kiow celeriori gradu procedunt. Dolum autem & fraudem in verbis Legatorum veriti, Mścislaus filius Zaslai in Kiow cum nonnullis Polonis & Rutenis militibus præmittitur, an quietiores apud Kiouien essent, & an insidijs & fraudibus Kiouien vti possent, exploraturus, atq; prouisurus. Qui illuc pertingens, seditionis autores & capita numero 70. partim excæcat, partim trucidat, & sæuam vltionem, delendo etiam eos qui habebantur insontes, exercet. Renunciante autem Mścislao omnia secura & quieta apud Kiouien esset, Boleslaus Rex cũ Zaslao Duce aduenit, & à Kiouien obuiam illi ad septimum lapidem primum occursum, deinde amplissimis muneribus exceptus est. Secunda autem die Maij, Boleslaus Rex Kiouiã ingressus, omne æstatis, autumni, & hyemis tempus illuc cum vniuerso exercitu suo deduxit. Hibernabant autem Polonorum milites in Oppidis & villis, Zaslao Duce singulis tám vestimenta, quàm victualia prouidente. Iuit autem Zaslaus Kiouiensis Dux cum Polonorum ac Rutenorum militibus, Boleslao Polonorum Rege in Kiow remanente, cõtra Wisseslaum Ducem in Poloeko, qui potentiam suam & Polonorum veritus, diffugit. Zaslaus verò Arce Poloceñ & Regione in suam ditionem redacta, locat illic filium suum Mścislaum, qui dùm infra dies paucos absumptus esset, alterum fratrelium Suantopelkonem in locum eius substituens, Kiouiam regreditur.

Salomon Vngarorum Rex patrui sui Regis Belæ audita morte, magnis studijs, & precibus Auunculum suum Imperatorẽ Henricum deprecatur, quatenus se in Vngariæ Regnum Bela Rege orbatum, & vacuum restituat. Imperator autem & genero & filiæ volens efficere profectum eo quidem anno, cùm iam è vicino hyems aduẽtaret, ferre illi subsidia distulit, futurum autem æstate se cum eo personaliter iturum, & Regnum Vngariæ restituturum repromisit. Quapropter suæ ditionis militibus expeditionem huiusmodi insinuans arma illos expedire, & primo veris tempore in Vngariam secum proficisci mandauit.

ANNO Domini 1071. Hibernali tempore in Kiouia exacto, Boleslaus Poloniæ Rex maturè ex hibernis festinauit egredi, cùm iam tẽpus appelleret, quo res geri possent, Maximis autẽ & amplissimis muneribus, tam ipse, quàm milites sui à Zaslao honorati versus Premysliam procedit, & quasdam munitiones, & Oppida circa San fluuium consistentia, partim voluntaria deditione, partim metu aut vi recepit. Certior deinde factus Premysliam Oppidum multorum Rutenorum receptaculum esse, qui illic res & fortunas suas ex munitionibus, & rusticis ædibus, velut in locũ tutiorem, & præsidio valido munitũ contulerant, omnibus id aggredi copijs constituit. Erat eo tempore Vrbs valida, & multitudine ciuium aduenarũ, qui in ipsam confugerant, & omni bellico apparatu instructa, fossis quoq; profundis & aggeribus, in altum porrectis, amne quoq; San, qui Vrbem à parte Septentrionali præterfluit, munita, admouere copias ad Vrbem Boleslao Regi parãti, amnis ipse San imbribus plus solito auctus intumescẽs,

aliquanto

aliquanto tempore obstitit. Quo tandem decrescente omnes copias per fluuium Rutenis, ne quicquam ripas defendentibus traduxit. Castraq; non plus mille passibus ab Vrbe posuit, inde per occasionem nunc hac parte, nunc altera milites in hostium agros mittebat, præcipiens, vt quàm longissimè à Castris præcederent, inopinatosq; hostes opprimerent. Quare hostes vndiq; territi, in siluas paludesq; & in inuia loca diffugebant, pleriq; nec iam egredi extra munimenta Castellorum, & munitionum ad lacessenda alia Castra audebant, pecoris præterea, & frumenti, aliorumq; commeatuum magna vis excepta, & intra Castra Regia deducta, magnã omnium victualium abundantiam in Regio exercitu effecerãt. Leuia deinde prælia sine vllo satis certo euentu per dies plures inter obsidentes & obsessos commissa sunt, vno tamen die erumpentibus maiore caterua ex Vrbe Rutenis, & vsq; ad statiua Regia discurrentibus, prope iusta pugna fuit, adeòq; Ruteni pauentes in Vrbem refugiebant, admodum deuicti, vt intergis eorum pleriq; Poloni hæserint, nonnullosq; ceperint, aut armis exuerint, excursionibus hostilibus prohibitis, Castra Rex propius Vrbem admouit, & Oppidum circumdari à tribus partibus, à quarta enim parte arce tutabatur, disposuit, deinde tribus diebus Vrbem sine intermissione oppugnat, in plerisq; locis hostes ex stationibus per tela & sagittas summouit, & exturbauit, partimq; Vrbis ad plana camporum spectantem defensoribus nudatam, in suam redegit potestatem. Quarta die Rutenis in arcẽ confugientibus vrbe potitur, cuius omnis præda militi concessa est, spatio deinde quietis militibus concesso, sub quo saucij ad mænia expugnatæ Vrbis curari possent, arcem vallari, & corona cingi iubet. Quam cùm enixius Ruteni tuerentur, oppugnationem tamen illius quamuis sibi difficilẽ cùm & natura loci, & turribus frequentibus egregiè munita fuerit, non remisit, vniuersumq; æstatis tẽpus in arcis prædictæ obsidione absumpsit, racum, quod euenit Rutenos ad deditionem posse famis tædio compelli, magna siquidem multitudo Rutenorum cum coniugibus & pignoribus Vrbe deserta in arcem confugiens, intollerabili fame, aquæ præsertim penuria dietim tabescens, cuius haustus moderatus ægrè arcis defensores sustinebat, nullas enim arx in sublimi posita perennes tunc habebatur aquas, triste suis spectaculum cadente in dies multitudine efficiebat. Huius quoq; pestis contagionem præsides arcis, & milites Rutenorum veriti ad se perueniuram, crescente desperatione caduceatorẽ ad Regem Boleslaum miserunt, vt eis inde cum singulis equis & rebus abire liceret, paciscuntur, Boleslaoq; Regi die, quo inter eos conuenerat, arcem tradunt. Boleslaus autem Rex arce potitus, mænia, turres, cæteraq; loca Præmisliam Vrbis sua impugnatione debilitata, aut diruta, ordinat, fortius refici, & instaurari, militibusq; ad hibernãdum in Vrbem deductis, ipse cum prioribus Procerum & Baronum in arcem se recepit.

HENRICVS Imperator promissis Salomoni Vngariæ Regi generoso suo satis facturus, cum valido exercitu Italorum & Almanorum cæterarumque nationum in Vngariam à parte; quæ Austriam

recipit, intrauit, ducens secum præfatum Salomonem Vngariæ Regem. Cuius aduentu Vngari comperto, vt est gens in fide suorum Principum mutabilis & fluxa, Geisa Duce & fratribus eius, Wladislao & Lamperto filijs Belæ Regis, quibus in eam diem debitam obedientiam & subiectionem exhibuerant, desertis, certatim ad Salomonem deficiebant. Dux itaque Geisa Vngarorum desertum se ab Vngaris, & opprimendum à potentia Imperatoris animaduertens, communicato cum fratribus consilio cedendum imminenti tempestati, & meliori tempori se reseruandum decreuit. Itaq; duobus Germanis Wladislao & Lamperto, & paucis quibusdam Vngaris, qui nullo pacto ab illius fide abstrahi poterant, assumptis, in Poloniam ad fratres suos Boleslaum Regem, & Wladislaum Ducem Poloniæ, tutum illic non dubitans sibi, & suis fore in rebus dubijs receptaculum deuertit. A Duce autem Wladislao, & genitrice eorum Dobrogniewa Regina benignè excepti & appellati. Cum tunc Boleslaus Rex bello Rutenico occupatus esset, omnibus debitis vitæ necessarijs abundè tractabantur. Imperator itaq; Henricus Duces Vngariæ intelligens diffugisse, ad Albam Regalem Salomonem perduxit, apud Vngarorum quoq; Pontifices & Barones, cæteramq; multitudinem, quæ illuc confluxerat, cõcionatus, sæpè vanam fidem Vngarorum carpens, Salomonem Vngaris, & Vngaros Salomoni iurisiurandi pactione interposita conciliauit. Ne quoque prior sua coronatio in dubium reuocari posset, ipsum in Regem in sui præsentia coronari ordinauit, abindeq; pluribus donis à Salomone honoratus in Almaniam redijt. Dux autẽ Geisa aliquandiu Cracouiæ moratus, dùm persensisset Boleslaum Poloniæ Regem non facile in Poloniam reuersurũ, ad eum se contulit, & ipsum in Præmislia hibernantem offendens, vt sibi & fratribus suis armis & potentia Imperatoris ex Vngaria pulsis, opem ferre non differat, precatur & orat. Cui Rex bonum animum habere iusso, eum apud se aliquanto tempore fauorabiliter honoratum, & tractatum detinuit deliberans, an Rutenico bello insistendum esset, an eo dilato, Vngariæ Ducibus auxilium ferendum.

Lampertus alias Zula Cracouieñ Antistes cum decẽnio Cracouiensẽ Ecclesiam rexisset, vigesima quinta die Nouemb. mortuus in Ecclesia Cracouiensi, accepit sepulturam. Hunc ad deuotam peticionem Nicolai de Mikolaiow filij Wsczekłych, Cornu pro armis: Stanislai & Bugusij de Zemlice, caput Asininum: Petri & Iacobi de Zbilutowice, Clipeum in Clipeo: Mscugij & Ioannis de Iakusowice, Babatum cum cruce: pro insignijs deferentium, Ecclesiam Parochialem in minori Kazimierza reperio fundasse, & certas decimas manipulares adiunxisse. Infundationis quoq; priuilegio Anno Domini 1063. in Dźierzazna scripto & confecto, cuius memini me legisse tenorem, Beatum Stanislaum tunc Cracouieñ Canonicum, pro primo & principali cũ alijs Cracouieñ, & Wratislauieñ Canonicis testem scripsisse. Iste Zula fuit vir facetus & liberalis, complexionis sanguineæ & pro vitæ suæ integritate meruit apud Clerum & populum Regni Poloniæ, & celebrẽ

celebrem memoriam, & ad gradum Pontificalis dignitatis, per conformem electionem ascensum. Huic, vnanimi consensu Capituli accedente, S. Stanislaus Canonicus Cracouiensis successit.

ANNO Domini 1072. Bellis duobus, Rutenico videlicet & Pannonico illato, & inferẽdo Boleslaum Poloniæ Regem distinentibus, quid horum mallet, ad quodnè se verteret, tacitus secum, deinde & in frequẽti suorum consilio discurrebat, nam neq; bellum Rutenicum, & Zaslai Ducis & Kouieñ in sedem suam restitutionem secundis auspicijs hactenus inchoatũ & gestũ volebat omittere, neq; fratribus suis Geisæ, Wladislao, & Lamperto, omnes spes suas in suo suffragio reponentibus, deesse. Et quamuis omnium Consiliariorum Poloniæ sententiæ Rutenicum bellum prosequẽdum, & à Pannonico interim abstinendum, propriasq; curas potius curandas, quàm alienas, censerent. Boleslaus tamen turpè ratus fratres suos Duces Vngariæ in tàm periculoso discrimine deserere, Rutenica expeditione omissa, valido præsidio arci & ciuitati Præmislieñ impositio, ad infestandum bellum Salomoni Vngariæ Regi cum Ducibus Geisa, Wladislao & Lamperto & cum proprijs militibus pronunciat se iturum, Delecta itaq; expeditorum militum manu, nouis quoq; militibus in horum, quos in Præmislieñ præsidio reliquerat supplementum, ex Polonia accersitis, fratres suos Geisam, Wladislaum, & Lampertum in Vngariam reducit, quæuis extrema pro illis tàm cum Salomone, quàm cum alio quolibet eorum hoste experturus. Neq; deerant Vngarorum Proceres, quorum iam dominationis Salomonis pertesum erat, qui Salomone relicto ad Geisam Wladislaum & Lampertum transfugerant. Salomon itaq; externis Almanorum auxilijs destitutus, cum Vngarorũ fidem huc illucq; labentem probe nosset; Veritus ne à Polonico agmine & fratribus interceptus necaretur, præsertim cùm illos iam statiua propè Budam sentiret locasse, ex Buda fugiẽs in Castrum Muszur, arte & natura munitissimum se recepit. Diu Boleslaus Rex & Duces quid agendum esset, ventilabant, cum & conquisitio Castri, in quod se Salomon Rex condiderat, esset periculosa & difficilis, & agrorũ agreltiumq;, nihil reliquerat vastatio plusquam tristis. Interim Pontifices Vngariæ, quibus bellum ciuile formidolosum, & detestabile videbatur, ad Castra Regis & Ducum pacem inter Salomonem Regem & Geisam, Wladislaum & Lampertum Duces, æquis conditionibus composituri superueniunt. Quibus in consilium admissis, multis instantijs Geisam & fratres suos deprecantur, ne communem patriam, in qua maiores eorum regnauerant, in qua quoque & ipsi essent regnaturi, mutuis collisionibus labijcerent, vastitati & ruinæ, occupandãq; barbaris præberent. Orant & Boleslaum Regem Poloniæ, vt Duces fratres suos ad capessendas æquas pacis conditiones pelliceat. Et cum à Rege & Ducibus responsum esset, pro pace cõmuni nullas se conditiones honestas, recusaturos, sed in Pontificum potestate futuros. Rex enim Poloniæ redire ad bellum Rutenorũ

magnopere ſatagens Vngaricum bellum, aut ſufferentijs ſuſpendi, aut pace componi æſtuabat. Itum ex templo in Muſzur eſt, & ſub his conditionibus pax ex vtraq; parte conuenta, vt Salomon quamuis natu iunior Regio fungatur diademate, titulo & honore, & duas partes Pannonici Regni in ſua ditione habeat: Geiſa Wladiſlaus & Lampertus, Ducalem honorē, & tertiam Regni partem poſsideant, Boleſlaus Polonorum Rex, & ſuus exercitus de communi vtrorumq; ærario muneratus abſcedat. In hunc modum pace compoſita, in qua componēda æſtas integra exacta eſt, Boleſlaus cum magna gloria, & vtriuſq; partis fauore, neq; enim eo abnuente pax componi potuiſſet, in Præmiſliam redijt, illicq; hibernauit: Geiſa Wladiſlaus & Lampertus, in quinq; Eccleſijs coram magna Vngarorum multitudine Salomoni impoſuerunt diadema.

Leui ex cauſa inter Suantoſlaum & Wſzeuoldum Duces Czernieiouieñ ab vna, & Zaſlaum Ducem Kiouieñ partibus ab altera pro finibus terrarum, & ſpolijs vtrinq; ſequutis contentio exorta, etiam illos in arma exciuit. Congregatis itaq; exercitibus, Suantoſlaus & Wſzeuoldus Czernieiouieñ Duces, vadunt contra Zaſlaum Kiouieñ Ducem. Verùm Zaſlaus fluxam & fragilem ſuorum militum in ſe fidem perpendens, veritus ne viuus veniret in manus hoſtiles, ex Kiow diſcedit. Suantoſlaus verò & Wſzeuoldus Duces, 22. die Mentis Martij Kiouiam ingreſsi Principatum occupant, & ſedem Kiouienſem, paterna prohibitione temerata, qui ſingulos filios conſtrinxerat, ne alter alterius vſurparet Principatum. Zaſlaus verò Kiouieñ Dux cum vxore & filijs, & pleriſq; militibus in Poloniam ad Boleſlaum Poloniæ Regē aufugit, ducens ſecū aurum, argentū, vaſa, & concupiſcibilia, & omnem nobilem ac precioſam ſuppellectilem, quæ omnia aut Boleſlao Polonorum Regi donauit, aut inter Polonorum milites diſtribuit ſuppliciter ſe in ſedem ſuam Kiouienſem, per Boleſlaum Polonorum Regem depoſcens reponi Decembris 21. Suantoſlaus Czernieiouieñ Dux, qui Kiouieñ ſedem occupauerat, in Kiow moritur, & in Czernieiow relatus, in Eccleſia S. Saluatoris ſepelitur. Cui Wſzeuoldus frater ſuus in Principatū Kiouieñ ſuccedit. Reliquit autē filiū vnicum Oleh, hic paternum Ducatū, videlicet, Nouogrodek Suantoſlao obeunte poſſedit.

Ioannes Wrat. Epiſcopus cum annis X. Cathedræ præſediſſet a Calculo correptus, mortuus eſt, & in Wratiſlauieñ Eccleſia ſepultus, Petrum Wrat. Scholaſticum habuit ſucceſſorem, & electio ſua quoniam vniformis erat, & illi præſens aderat, à Petro Gneſneñ Archiepiſcopo in Gneſneñ Eccleſia confirmata, & conſecrationis munus fuit illi ab eodem Archiepiſcopo ibidem Boleſlao Polonorum Rege, qui electioni aderat conſentiente, impenſum Nobilis de domo vulpium.

ANNO Domini 1073. Ex Præmiſlia valido illic præſidio, vt populares in fide continerentur relicto, Boleslaus Polonorum Rex agminibus ſuorum exercituum eductis, in vlteriores Ruſsiæ partes Zaslaum Ducē reſtituturus, in ſedem ſuam ire pergit, & itinere, quo verſus Kiouiam proceſſiſſe ce-

ſſe credebatur omiſſo, in terram Chelmeñ, quæ prius Wladimirieñ vocabatur, nunc vtroq; nomine abrogato, Luceñ appellatur, diuertit, Regio erat in eam diem diues & opulenta, frequentes habens vicos, & Oppida. pauca erant munita, facile ſuam expugnationem hoſti præbentia. Pleraq; itaq; voluntate in deditionem venēre, cætera in quibus præſidia Rutenorum erant, paruo negotio, expugnata. Caſtra Regionis erant principalia tria, Wolyñ, Wladimir, & Chelm, ſingula tamen ex ligno & trabibus fabrefacta, & in collibus natura ipſa editioribus ſita, hæc magna Rutenorum militum manus tribuatur. Primum itaq; Boleslaus Polonorū Rex præcipitas agere, & nonnullos vicos, & rura incendi iubet, peragrata prædataq; regione, cùm plurimum pecoris & ſpolij agreſtium eſſet congeſtum, deducit illud militibus per ſeruos in Poloniam Rex permittit, ad Caſtrum deinde Wolhyn copias admouit, & illud omnibus viribus nocte & interdiu expugnare non deſtitit. Verùm dùm à Rutenis Caſtrum egregiè defendentibus reſiſteretur, ſpes potiundi Caſtri recidebat ſæpiùs in irritum. Dùm inſuper plerią, Polonorum milites obſidionem ipſam deferendā perſuaderent, nullo pacto perſuaſioni acquieuit. Veritus ne Caſtro inexpugnato dimiſſo, animi Rutenorum ad faciendam ampliorem reſiſtentiam erigerentur, Sex Menſibus in obſidione pertinaciter perſeuerantes, Rutenorum, qui Caſtrū tutabantur animi, partim metu, partim ſpe, ex liberalitate, quam nouerant Boleslao ineſſe, franguntur, miſsiſq; caduceatoribus, de Caſtro cedendo, apud Regem ſermonem faciunt, conditioneſq; proponunt, vt ſinguli cum omnibus, quæ ditionis ſuæ eſſent, diſcederent, qui remanere elegiſſent, æquo iure cum Polonis in Caſtris Regijs militarent. Rex inſuper illis duo Marcarum millia largiretur, ſub his conditionibus, dùm pax conueniſſet, Caſtrum Wołhyñ Regi deditum. Boleslao autem Poloniæ Rege in terra Wołynēſi agente, Wſzeuoldus Dux decertare cupiēs Rutenicas copias illuc adduxerat, ſed Polonorū copijs ad liquidū luſtratis manifeſtū periculum, ſi tentaret fortunā, incurſurū ſe vidēs retrorſū abijt. Iaromirus, alias Gerhardus Pragenſis Epiſcopus, moleſtè ferens Epiſcopatū ſuum Olomonecenſem diſmembratum eſſe, pro integranda illius vnitate, plures conatus impendit, quos, cùm, obſtante Wratislao Duce Bohemiæ, qui eiuſdem mutilationis, & præfati Olomoneceñ Epiſcopi fūdationis primarius fuerat, inſtitutor, & autor, in irritum iri videret, Ioannem Olomoneceñ Epiſcopum clam accedens, pluribus contumelijs, & tandem verberibus per ſeipſū & familiares mulctauit, de qua natiuitate Bohemiæ Dux Wratislaus plurimū conſternatus, querellā ad auditoriū Summi Pontificis contra Iaromirū Prageñ Epiſcopū, dùm primi Nuncij Vrbē miſsi Iaromiri mandato mutilati, & cæſi in itinere fuiſſent, deduxit. Sceleris magnitudine Papa Alexander II. motus, Rudolphum Cardinalem ad coërcendam enormitatem ſceleris & tranſgreſionis tranſmiſit. Cui dùm Iaromirus obedire, & coram eo citatus comparere cōtumaciter recuſaret, priuatur Pōtificatu etiam Diœceſim Prageñ Eccleſiaſtico ſubijcit interdicto,

placidius tamen expoſt, ne maiora ſcandala ſuborirentur, agens, & Epiſco-
po Iaromiro officium Pontificale reſtituit, & interdictũ á Diœceſi Pragẽſi
tollit, terminum tamen ad comparendum coram Papa Alexandro vtriq;
Epiſcopo deſignat. Quo cùm ambo peruenissent, Papa priuationem Ia-
romiri ratã esse decreuit. Precibus tandem multifarijs Comitiſſæ Mathil-
dis, filiæ Bonifacij Ducis Luceñ in Tuſcia, quæ vniuerſum patrimoniũ
ſuum B. Petro perpetuo contulerat & Eccleſiam Romanam ab hoſtibus
ſtrenuè defendebat expugnatus, omne facinus in ſe, & Ioannem Epiſcopũ
cõmiſſũ cõdonauit, & Iaromirũ priſtinæ dignitati reſtituit. Ita tamẽ quod
Eccleſiæ Oſomoneceñ fundatio de cætero firma & perpetua perſeueret.

ANNO Domini 1074. Primo æſtatis tempore, agmina ſuorum exer-
cituum Boleſlao Poloniæ Rege ex Wolyñ, ad conquirendum Caſtra
duo reſidua, Wladimiriam & Chelm educere parãti Principis Wladimiræ
Gregorij, cuius Caſtra ipſa pro ea tempeſtate erant, nuncij aduenium,
hi ad conſilium Regis introducti, petunt, vt ex terris eorũ copias ſuas de-
ducat, terraſq; illas vaſtari, & Caſtra expugnari non admittat, Principem
ſuum Gregorium in poteſtate Regis vna cum cæteris Caſtris, & terris futu-
rum, & deditionem facturum, imperanda quæque expleturum aſſeuerant,
Rex Boleſlaus vt in vlteriora Ruſsiæ liberiùs, celeriùſque penetraret, obla-
tas pacis conditiones accepturum ſe, ſi obſides darentur, reſpondit. Quo
accepto, & inducijs interim firmatis, ad Principem ſuum reuerſi reſponſa
exponunt. Graue inprimis & indignum videbatur dare obſides, moleſtiũ
tamen & grauius tecta, & vicos vri. Itaq; Princeps ipſe Gregorius, & ſui
perſonaliter ad Regem Boleſlaum veniunt, deditioneq; facta obſides tra-
dunt, Boleſlaus Gregorium non ſolùm benignè appellatum, ſed etiam libe-
raliter muneratum domum remittens, agmine citato ad caput & Metropo-
lim totius Ruſsiæ Kiow ire pergit, non aliter ſe bellum Rutenicum niſi Ki-
quia acquiſita, ratus conſumaturum. Dux Wſzeuoldus tunc inter Rute-
norum Principes potior, & terrarum multitudine, & militum frequentia
habebatur. Is quoq; tunc & terram, & Ciuitatem Kiouieñ, cæteraſq; vi-
cinas Prouincias, ſub ſua ditione continebat. Qui vt ab exploratoribus,
ipſorum more accepit, bellum ſibi à Boleſlao Polonorum Rege inferri, & in
regionem ſuam belli ſedem transferri, omnes ditionis ſuæ homines iubet
arma expedire, cæterorumq; vicinorũ Principum plurima contrahit, con-
quiritq; ſolatia. Multi inſuper voluntarij Rutenorum Proceres & milites,
qui ex Præmiſlieñ, Wolyneñ, & Chelmeñ terris, per Boleſlaum aut expu-
gnati, aut in fide recepti diffugerant, ſe ſibi coniũgentes, exercitum haud
ſane contemnendum effecerant. Quorum multitudine & continua acclã-
matione, vt ex templo ad hoſtem duceret, Dux Wſzeuoldus lætior factus,
aciebus ordinatis ad Caſtra Boleſlai nouis ſtatiuis, curſu celerrimo profe-
ctus peruenit. Altera quoq; die ſuos ad pugnam educit. Boleſlaus Præfe-
ctis Tribunis & Centurionibus, & qui ducebant ordines, ſingulisq; milit-

bus con-

bus conuocatis, decernendi, inquit, cum hoſte, quod frequentibus votis
optaſtis, nunc vobis oblata eſt facultas, virtutem, quam ſermonibus iacta-
batis, nunc dextris monſtrate, hoſtis ſiquidẽ & numero & robore ſuperi-
or eſt, omnis ſpes in præſidio cæleſti & virtute reponenda, ſæpe enim ho-
ſtis ipſe à patribus noſtris leui negotio victus fuſuſque, & ſubactus eſt, quẽ
& hodierna die magno animo vos firmate fuſurum, maxima præmia victo-
riæ Vrbem opulentiſsimam Kiow, cum finium, quas patres noſtri poſſe-
rant, pulcherrima recuperatione habituri. Hac cohortatione monitos, &
alacriẽ eductos, pugnam conſeruit. Magna vi ab vtraq; parte concurſum
eſt, anticipitiq; marte aliquandiu pugnatum, à dextra parte ægrè Polonus
reſiſtebat, clamoreſq; diſſoni, ad incertos ſuorum euentus fugere hoſtes
proclamantium, à præſenti certamine auertebant animos, turbatiſq; ordi-
nibus ſuperiores Ruteni eſſe ceperunt, niſi Boleſlaus nouam cohortem la-
boranti alæ, & propè fugam proſpicienti ſubmiſiſſet. Itaq; pugna reſtituta
æquis viribus, & propè pari ſpe pugna gerebatur, tandem Boleſlao Rege
fortiorem hoſtium cuneum prorumpente fuga extemplò Rutenorũ ſequu-
ta eſt, fuſoſq; Rutenos & victos ſequuti, magnũ illorum numerum ad Ca-
ſtra reduxerunt. Dux Wſzeuoldus fuga ſaluatus, multi tunc ex Rutenis ce-
ciderẽ. Sed ex Polonis propè mille deſiderati, faucijs in quadrigas impoſi-
tis, & his, qui ceciderant, ſepultis, in Poloniam ſpolia plurima Rutenica
referens, cum victore exercitu Boleſlaus Polonorum Rex redijt incolumis.
Commiſſum adulterij & rapinæ facinus, Staniſlaus Epiſcopus Cracouieñ,
quod Boleſlaus Poloniæ Rex in Criſtina fæmina militis Mśćiſlaui conſor-
te patrauerat, non ferens, dùm Regem paternis monitis corripuiſſet, & ex-
tendere in Regem, monita ſalutaria negligentem cenſurarum rigorem de-
creuiſſet. Boleſlaus Rex magna percitus ira, pluribus cõtumelijs & oppro-
brijs Epiſcopum inſectabatur. Verùm inſectari parum contentus ad infe-
rendum Epiſcopo quaslibet aggrauationes, & iniurias animum intendit.
Non facile autem occaſionem, qua viro Dei nocere poſſet, Rex ſcrupulo-
ſa indagine cuncta rimatus, poterat reperire. Vita enim Viri Sancti ſin-
cere & innocenter traducta quamlibet calumniam etiam veriſimiliter cõ-
fictam excludebat. Ad oppreſsionem tandem viri Dei indefeſſo ſtudio
Regi anhelanti, modus opportunus oblatus eſt. Coemerat Vir Sanctus Sta-
niſlaus pro ſui Epiſcopatus Crac. amplitudine villam in ſua Diœceſi, ad
fluenta Viſlæ in terra Lublineñ ſitam, Piotrouin nominatam apud Petrum,
qui Piotrek, dùm viueret, nominabatur, Nobilem armigerum, pro certa
pecuniæ quantitate, venditioniq; huiuſmodi fratres & Nepotes, plureſq;
teſtes vendens & emens adhibuerat, quo ſolidior duraret venditionis cõ-
tractus. Is foro confecto, & pecunia ad plenum à B. Epiſcopo percepta,
triennio, priuſquam hæc, quæ naranda ſuſcepimus, gererentur, Staniſlao
Epiſcopo in pacifica poſſeſsione villæ Piotrouin notabili parte exiſtente,
vita excedens, in Eccleſia Parochiali S. Thomæ Apoſtoli, præfata villa Pio-
trouin conſiſtente extiterat tumulatus. Huius Nepotes & proximi Bole-

ſlao Re-

ſlao Rege mandante, & ſuam illis operam promittente, ceperunt Epiſcopum Sraniſlaum pro villæ propriæ hæreditate Piotrouin impetere, aſſerendo hæreditatem ad ſe deuolutam Epiſcopum Staniſlaum violenter occupaſſe, quo occupationem violentam in Regio iudicio negante, & legitimam venditionem & emptionem pro villa homini intereſſe, & Petrum mortuũ coram teſtibus probatæ fidei celebratam, opponente, decreto iuris deciſorio ex autoritate Regis & Baronum prolato, admittitur Staniſlaus Epiſcopus velut actor, & diuturnus villæ, pro qua lis pẽdebat poſſeſſor ad probandum per teſtes, qui contractui affuerant, legitimam villæ emptionem. Verùm dùm teſtes per Epiſcopum conſcripti & nominati, pro die conſtituta laturi teſtimoniũ timore Boleſlai Regis Poloniæ conſtricti venire expauiſſent, ſententia quoq; peremptoria contra Epiſcopũ, vt de villa Piotrouin teſtibus deficientibus excederet, inſtaret ferenda. Magnus fide Staniſlaus Epiſcopus, inſpiratione etiam afflatus diuini ſentiens ſe perfuſum Video, inquit, veritatis, & iuſticiæ meæ cauſam terreno conſilio, & imperio de prauatam, obnubilatamque, & penè perditam, cæleſti ſuffragio illuſtrari & reparari oportere, & proinde teſtibus veritati & iuſticiæ meæ terre teſtimonium detrectantibus, principalem me venditorem Petrum ſtatuere polliceor. Deliraméta Regi Boleſlao & Baronibus ſecum iudicio præſidentibus, quæ S. Dei pro releuanda cauſa ſua edixiſſet, viſa ſunt, facilius tamen oblatio ſua quæ Regi & Baronibus impoſsibilior credebat, dum Vir Dei infra quatriduum eam expletuum firmaret, accepta & dimiſſa eſt. Iudicium non illius tantummodo Epiſcopalis cauſæ, ſed terreſtre & generale, quod apud Polonos Colloquij & magnorum terminorum nomine, quadam vſurpatione nuncupatur; in patris, quæ inter Solec & Piotrouin in Baſſis, & paludinoſis locis, ſiluis etiã obſitis, ſita erant, gerebatur; Mos ſiquidem antiquorum Regum & Ducum in multas ætates obſeruatus erat, generalia iudicia in planiciebus & campeſtribus, pratis, & aquis, quo facilior cuilibet venienti in iudicium, quod non diebus ſolum, ſed aliquod hebdomadis agebatur, præberetur pabulatio, celebrãdi. Is iam dudum abrogatus eſt, iudiciaq; ipſa in Caſtris aut Vrbibus nõ papilionibus, vt olim expediuntur, Polonis cultiores, quam nunc eorum maiores habebant, mores & ingenia ſortitis, Staniſlaus Epiſcopus oblationis ſuæ, ſiue decreto accepto in villam ſuam Piotrouin, quæ duodecim paſsibus à loco iudicij vixaberat, ſecedens, omnibus Clericis, qui aderant, & quos feſtinatio rei acceſiri permittebat triduanum ieiunium indixit, vacareq; ſinguſos miſsis obſecrationibus & orationibus præcipiens, non hæc modo quæ roganda aſsumpſerant, ſed his maiora, ſi fidem inſtar grani ſinapis habuerint, facilè apud clementiam diuinam impetraturos perſuadebat. Ipſe in Oratorio Eccleſiæ, non diebus, non noctibus, illic ceſſans, lachrymis & fletibus intermixtis excubabat. Quarta deinde die diluculo è Oratorio egreſſus, ſepulchrum militis Petri mortui Sabulo amoto iubet aperiri, & cadauer triennio putreſcẽs detegit, tum Clericorum plebiſq; aſtante multitudine, rigato primum vultu lachrymarum imbre procidens ſupplex ad terram, orationem fundens ad Deum, ait: Clementiſsimè omnium Deus, qui propitiatione tua immenſa perdito humano generi conſulturus, aſſumpta humanitatis noſtræ ſarcina, deſcendens ad terras quadriduanum Lazarum fetentem, Archiſinagogi filiam, & filium viduæ de Naim reuocaſti in vitam, credentibus quoq; & credituris in te, horum, quæ ipſe geſſeras, maiora te præſturum, verbo nunquam tranſmutabili promiſiſti, reſpice de excelſo ſolio gloriæ tuæ ad fletus, & gemitus ſupplicum tuorum, & multifaria largitate benignitatis tuæ, quam etiam indignis præſtare ſoles, concede, vt Petrus miles cauſæ Eccleſiæ tuæ, quam in tuo nomine confiſus defendenda ſuſcepi, laturus teſtimonium, ab inferis deficientibus à veritate filijs hominum, conſurgat, & potentia virtutis tuæ in vitam reuocatus, cauſam Eccleſiæ tuæ caligine iniquitatis humanæ infectam illuſtret, vt promiſſa tua verificentur in cunctis nationibus, & nomen tuum glorioſum clarificetur in ſeculum, dùm ab vniuerſo Clericorum & populorum cætu reſponſum eſſet, Amen. Ad tumulum accedens, baculo Paſtorali cadauer Petri militis tangens, dixit: In nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Surge Petre de puluere, & exurge à mortuis, teſtimonium veritati perhibiturus, vt augeatur fides credentium, & caſtigetur corripiaturq; improba temeritas impugnantium, & opprimentium iuſticiam & veritatem. Ad hanc protinus vocem Petrus miles conſurgens ſtetit, primuſq; apud nos Sanctitatis Staniſlai & virtutum, vel materia, vel teſtimonium fuit. Cui Vir Dei Staniſlaus manum porigens obſtupuente vniuerſa multitudine, & magna vociferatione, Clementiam Dei laudante primum de Sepulchro, & deinde ad Boleſlaum Poloniæ Regem in cæpto iudicio cum Baronibus perſeuerantem deducens, ait: En, inquit, iuxta pollicitationem meam pridem coram concilio veſtro factam Petrum militem ſiſto, & pro villa Piotrouin, pro qua iniuſtè conuenior, hunc principalem, non mea, ſed diuina virtute, ab inferis ſuſcitatum, & teſtem perpetuæ venditionis, & euictorem cuiuslibet impedimenti, pono, perſona ſua, ſingulis ferè vobis nota eſt, ante triennium vobiſcum ferè conuerſata eſt, non putetis hunc phantaſma eſſe, quem carnem, & oſſa, ſi quis dubius palpare voluerit, inueniet, reſumpſiſſe. Rege Boleſlao & vniuerſo Baronum & militum cætu nouitate miraculi non obſtupeſcente ſolùm, ſed penè exanimato, nec quicquam loqui, aut interrogare auſi. Petrus miles à Beato Viro ſuſcitatus, rupto ſilentio, ait. Ego, inquit, virtute diuina & precibus huius Viri, B. Staniſlai Cracouien Epiſcopi, à morte ſuſcitatus proteſtor, & clara aptaq; voce, coram tuo Tribunali Rex profiteor, paternam meam quondam hæreditatem Piotrouin, B. Viro Staniſlao Epiſcopo, & ſuæ Cracouien Eccleſiæ me perpetua & irreuocabili venditione vendidiſſe, & precium, de quo inter me, & B. Virum conuenerat, effectualiter tuliſſe, Nepoteſq; & conſanguineos meos nihil iuris, aut deuolutionis in ea habentes, Virum Dei Staniſlaum impiè & calumniosè pro illius proprietate moleſtaſſe. Et conuerſus ad Nepotes & conſanguineos, qui Epiſcopum impetebãt,

& eos qui testari timuerant. Quis, inquit, ausus vobis hanc dementiam iecit, vt vos calumniando, veritatem reticendo, graui vos contaminaretis scelere? pro quo me denunciante, nisi pœnitentiam condignam egeritis, dira vos supplicia tormentorum non dubiteris subituros. Silentio ictus his atq; illis confitentibus, Staniſlaus Episcopus, Regia, & omnium Baronum diffinitiua decisione victis aduersarios, & villam Piotrouin cælesti nō terrestri testimonio, ditionis suæ & Ecclesiasticæ fuisse, & fore confirmans in pacificam villæ, quam & in hanc diem Cracouien Ecclesia retinet, repositus est possessionem. Monstratur & in hanc diem huius iudicij locus oratorio quoq; in eo superedificato, singulari deuotione à Polonis frequentatur. Ab hoc primum tempore B. Viri Staniſlai nomē mactæ virtutis apud Polonos esse, & celebrari cepit, qui Sanctus ab hominibus, potens etiam, & verè Apostolicus habebatur. Cui Sacratissima anima, & in Pontificatu religio Maiestatis veneratione plena, singularis admonitio dulcis, & modesta, increpatio terribilis, conuersatio grata, & facilis, gestus grauis, & Pontifice dignus fuit. Testimonij officio, ad quod implendum suscitatus erat Petrus miles perfunctus, Vir Sacratissimus Staniſlaus Cracouien Bpiscopus illum ad Ecclesiam S. Thomæ in Piotrouin, comitante se omni ferè quæ ad iudicia expedienda conuenerant, multitudine, ita vt hi, qui B. Episcopum pro villæ proprietate vexauerant, ex accusatoribus & aduersarijs veneratores facti sequerentur, & Rex penè solus in tentorio desertus remaneret, reduxit, quem antequam sepulchrum reintraret, B. Staniſlaus, hoc conuenerat sermone. Vis, inquit, Petre spatium vitæ in aliquot annos protrahere, aut aliud gratum tibi à Domino meo IESV Christo præcibus meis conferri? Cui miles. Non hanc, inquit; vitam quæ morti magis, quam vitæ similis esse perhibetur Pater Sancte, sed eam, in qua Sancto Sempiterno æuo felices visione Beatissimæ Ttrinitatis fruuntur, me optare conuenit, quàm me adepturum purgationis tempore, de quo parum adhuc supereſt, expleto, certissimè confido, quod vt pietate diuina tua intercessione ad plenum rescindi, etiam nunc, antequam expleatur, possit merito tuo, & prece quæso efficias. Quo sepulchrum reintrante, & animam corpore locato exhalante, B. Staniſlaus psalmis traditione Catholica cum Clero suo super commendatione animæ deuotissimè peractis, tumulum ex more iacto sabulo composuit.

ANNO Domini 1075. Integra hyeme & veris parte Boleſlaus Polonorum Rex in proprijs penatibus consumpta, maiori quàm antea, exercitu, ex equite peditecq; comparato, in Ruſsiam celeri itinere contendit, & ad Kiouiam Metropolim Ruſsiæ accedens, ipsam obsidione vallauit, dum autem à Rutenis Vrbem tuentibus crebræ fierent in Regis Castra excursiones, certaminibus leuibus inter partes in maius crescentibus, sæpè vniuersus Regius exercitus, suis, qui à Rutenis interdum sagittis eminus emittebantur, propellebantus, laturus auxilium, velut in iustam aciem consurgebat. Fame tandem ciuitas laborare cepit, rarescentibusq; hostilibus excursionibus, Ca-

stra proprius Vrbem Rex admouit, doctus quoq; à transfugis famē, & apud vrbanos, & apud milites inualuisse, itinera omnia obsideri, ne quid ad obsessos importari posset, summa cura & ipse prouidit, & milites illi negotio præfectos partim minis, partim promissionibus, vt enixius quamlibet importationem prohiberent, onerauit, ea enim vis animi ingenijquè Regi Boleſlao inerat, vt non grandia solùm, sed etiam minima per se adiret, mitibulq; & præfectis munera belli & obsidionis demandando, pleraq; ipse, priusquam á milite inchoarentur, perficeret. Vigilias quoq; per se adeundo & segnes corripiendo, & mulctando, ne quid milites de solerti & contina diligentia aduentum Regium semper suspectum habentes, remitterēt, diligentes effecerat. Camporum insuper Vrbē corona cingentiū, vasta planicies, ita vtillā visiua virtus in Pelagi morem terminare nō queat, vt quælibet importatio interdiu poterat deprehendi, propositum Regis adiuuabat. Vrbs præterea Kiouien, ea tempestate amplissima in plures largosq, vicos porrecta, nullo satis murorum subnixa, facili captioni militibus, præsertim eam tutantibus continuis vigilijs, & diuturna obsidione fatigatis, subiacebat; vniuersas Polonis vias stricta custodia obseruantibus, importationēq; cuiuslibet rei prohibentibus, fames horrida Vrbem inuasit, multiq; mortales dietim fame cadebant tabefacti. Accessit & pestilentiæ malum, vis quoque morbi, & in militum, & in locupletum corpora peruaserat, veriti, ne viui in Boleſlai & Polonorum venirent manus, Legatos de Vrbe dedenda ad Regem Boleſlaum mittunt. Rex Legatis rogantibus nihil aliud, quàm vt se victis mansuetum victorem præstaret, & fame, & peste afflictæ ciuitati parceret, Legatis more suo ceruice bassas inclinationes rogationi adijcientibus, benignè correptis, quod tàm fæda in defendenda Vrbe passi essent, quæ nec irati victores victos pati coegissent, propitium se & fauorabilē singulis futurum respondet. Quo ad Vrbem relato, non alterius diei aduentu expectato, eodem die Vrbem Regi dedunt. Quam Boleſlaus cum multitudine armatorum militum ingressurus, gladio vibrato conformem triūphum Proaui sui Boleſlai Primi Polonorum Regis impleturus, in portam ferream impegit, geminandoq; ictus foramen verberatæ mucrone lamine in porta, & in victoriæ, & deditionis signum reliquit. A ciuibus magno honore exceptus modestissimum se, prout spoponderat omnibus victorē præbuit, Et ne cuius ædes, corpus, vel fortunæ, à quoquam suorum militū violarentur, plectendos violatores capite decernens, effecerat. Qua vna re. Ciuiū Kiouien pectora adeò sibi deuinxerat, vt amplissima munera, tàm Regi, quàm exercitui suffectura, sponte præsentarent. Quæ Rex paucis sibi retentis, omnia ferè inter milites, eos præsertim, quorum virtus, aut in dimicando, aut in expugnando Oppidorum & Castrorum, aut in lacessendo hoste fuerat conspectior, distribuit. Ea re memorabili confecta, Kiouiaq; in deditionem subacta, cum vniuersa Ruſsia paccata esset, vectigalia magna instituit, generisq; materni propinquum Ducé Zaslaū summæ rei præficit, & Kiouien terræ illi attribuit gubernationē. Magna ex singulis Ruſsiæ Re-

gionibus dietim afferebatur pecunia, magnæ cumulabantur opes, in quibus aggregandis exigendisq; residuũ, quod restabat hyemis effluxit. Suentoslao Ducis Czerniciouien filio Chleb, à suis nequiter occiso, & in Czerniciow in Ecclesia S. Saluatoris sepulto, Suantopelk filius Zaslai in Nouogrodensem Ducatum succedit. Wladimirus verò alter filius Zaslai sedit in Smoleńsko, & Iaropelk tertius filius, in Wissogrod.

ANNO Domini 1076. Sub ea mora qua in ciuitate Kiouień hibernatum est, vniuersi Polonici exercitus robur & disciplina languidior facta, in eamq; pernicié ex voluptatibus, cõmessationibus, ebrietatibus, & libidinibus, tàm Boleslaus Poloniæ Rex, quàm milites sui paucis exceptis, delecti sunt, vt plus nocuerit vicisse, quàm victoria caruisse, victoriaq; potiti multò magis discriminis, quàm commodi ingessit. Omniũ siquidẽ victualium, quæ cuilibet gulæ sufficiunt, Kiouia ferax est, carne, melle, pisce, frumento fæcundissima, fœminas habens statura, proceres, crine glaucas, & speciosas, sed lasciuas, earũ pulchritudine, tàm Rex, quã Polonorũ milites captι, felicitate insuper victoriarũ elati, & rerum omniũ abundantia locupletati, in omnẽ libidinum sentinã corruerãt. Ipse insuper Boleslaus Rex Poloniæ plenam fortunã in victorijs ciuitatũ deditionibus, spolijs, diuitijs, & impensis honoribus, videns sibi peruenisse, tantũ arrogantiæ & lasciuiæ induerat, vt difficiles ad se petentibus faceret aditus, & plerisq; responsa & mandata per internuncios daret. Nec simplici genere libidinum contentus, in spurcissimum Sodomiæ scelus, Rutenorum detestabiles mores, apud quos sceleratus illud in vsu erat, imitatus, fœdissimè prolapsus est, quosq; armis vicerat, vitijs eorum victus, vniuersæ posteritati suæ, sed & Regno suo, & genti suæ, grande & diuturnum dedecus sola propitiatione diuina abolendũ inuexit. Quantum autem scelere huiusmodi Maiestas Omnipotentis Dei, quæ illi tot victorias, tot felices successus præstiterat offensa fuerit, euentus, qui in sequentibus narrabuntur, monstrabunt. Primum quidẽ ipse Rex Poloniæ proprijs, deinde Rutenis, quàmuis eorũ lasciuiã emulatus esset, contẽptui esse cepit, æstimatioq; & charitas Regia in pectoribus militum succisa magis, quàm diminuta. Nec Rex solùm contemptu & odio à proprijs & Rutenis, sed & Poloni, verbere diuino, obruti sunt. Vxores siquidem, sorores, & filiæ eorum, præsertim qui immoderatius libidinibus Kiouiæ inseruierãt, longa absentia virorum offensæ integro propè septennio se orbas, & virorum solatio, prolisq; fœcunditate querebantur destitutas, quas neq; facinus, neq; iuuentus, neq; muliebris conditio meliora sentire permittebat. Diuturna itaq; maritorum expectatione fessæ, dùm insuper rumor vulgasset, alios diem obijsse, alios in prælio occisos esse, alios pellicibus se permiscuisse ad seruorum conuolant nonnullæ amplexus, quædam vi pertractæ, cæteræ blãdicijs, & falsis delusionibus, ac figmentis expugnatæ. Hæc præstitutio patrum de omnibus Polonorũ vxoribus ad Castra Regia crebro rumore, crebrisq; Nuncijs fama omnia in maius extollente cùm allata fuisset, & super re ipsa

re ipsa ex metu & suspicione plurimæ fingerentur, vulgarenturq; opiniones, manaretq; & serperet in dies alio alij tradente, mali ipsius contagio tantus fremitus & indignatio in exercitu suborta est, vt Limphaticorum more vnus ad alterius tabernaculum suas iniurias & casus communicaturi, & quæsturi discurrerent. Tantus insuper nonnullos eorum inuasit furor, vt Rege ne quiequam permittente, aut consulto in Poloniam velociori quo possent cursu excurrerent. Paucorum exemplum magna expost multitudo cæterorum militum suas iniurias de vxoribus & seruis vlcisci, & inhibere anhelantium, sequuta est, qui neq; Regia castigatione, neq; blandis sermonibus poterant inhiberi, quin quibuslibet diebus nocte, & interdiu, ferociã enim Regis nonnulli iam experti fuerant, diffugerent Boleslao Rege suo in terra hostili deserto. Polonorum milites ex Castris in domos non flagitatione, vt eorum accitos, sed flagitijs vxorum reuersos nouũ & seruile bellũ (Deo hanc Polonis iustè pro libidinibus in Kiow admissis, immittente vltionẽ) excepit. Serut etenim, qui vxores eorũ temerauerãt, pœnarum acerbitatem pro scelere se à Dominis non ignari subituros, non suadentibus, sed adiuuantibus fœminis, quas consuetudo stupri seruis deuinxerat, arma corripiunt, & occlusis portis Dominos intrare volentes excludunt, cum, potentia ingressuris bellum gerunt, quos Domini ægrè & cum suorum dispendio victos, varijs & exquisitis cruciatibus, vnà cum vxoribus adulteris, illis præcipuè, quæ libidinem sectatæ vltro se seruis coniunxerant, interimunt, ac sic de coniugibus & seruis adulteris vlti, saciato iusto furore stupra exterminant. Erat pro ea tempestate Matrona quædam nobilis Margareta, Vxor Comitis Nicolai de Zemboczyn, villa propè Proszowice sita, nobilis de domo & armis Streporum, quæ nitorẽ pudicitiæ conseruatura, absq; cuiuslibet contagionis labe, quam alias fœminas viderat prostituisse, in Ecclesiam Zemboczyn latericiam se cum duabus sororibus recludens, & per funem per omne tempus, quo vir suus in Regijs militabat Castris, victum sumens, custoditæ pudicitiæ vsq; in diem hanc celebratur commendatione. Regis interim Boleslai truculentior ira non in fœminas solùm, quæ pietate virorum aut immunitate scelerum seruatæ erant, sed in viros ipsos grassari cepit. In Poloniam siquidem Russia cum raris agminibus reuersus desertum se à militibus proprijs, quibus multa bona largitus erat, in medio hostilis Regionis, & hostiũ expositum discrimini, fremebũdus & calens ira deplangit, militum desertione penè morte aut infami captiuitate se obrutum, diuina benignitate seruatum ingeminat. Corripit deinde milites, à quibus transfugiendi principium ortum est, cnpitis pœna, alios, qui sequella peccauerant, carceris molestia, aut bonorum priuatione mulctari iubet. Mulieribus quibus mariti pepercerant fœtu, quem ex seruis susceperant abiecto, catullos ad mamillas in vltionem admissorum stuprorum applicari mandat, indignas agens eas, prolem humanam, sed caninam idoneas lactare, quæ humanitatis oblitæ viris militiam agentibus toro violato seruis se miscuerant, denique exterminium, & quælibet probra, non vitam promeruisse. Ita cor retinens saxeũ

& viscera gestans ferrea, matronum tam dira calamitate & angustia, suo imperio canes pendentes & admotos ad vbera lactantium, non mouebatur. Calamitosus tunc, & fœdus in Polonia erat Reipublicæ vultus, dùm milites qui inter hostium agmina, in ipsis deniq; conflictibus tuti erant, domum reuersi, varijs incommodis suarum vxorum & seruorum afflicti, ab ipso quoq; Rege seueritatem, quam in hostibus vitauerant, & in se, & in propinquis, & in ipsis coniugibus, quas seruandas decreuerant, experirentur. Hæc cũ per se detestanda essent, omnibus tamen his detestabilius, quod Boleslaus Rex vsurpatum in Russia lasciuium, & brutalem contra naturam vsum auxisse, non remisisse videbatur, sed neq; in tanta virorum Ecclesiasticorum & secularium, quos ambitus Regni Poloniæ continebat, turba, aliquis repertus est, qui Regem de tanto scelere, & de tanta truculentia illius, omnibus sæuitiam eius pertimescentibus ausus esset corripere, seu admonere. Propter quod Rex & in flagitium horrendum, & in quælibet alia facinora subditorum suorum grauissimã perniciem, & oppressionem secum trahentia, nullo monitore castigatus licentijs suis grassabatur, quibus Stanislaus Cracouien Episcopus visis, & cognitis plurimum indoluit, & velut indulgentissimus Pontifex, cura gregis sui, cura etiam Regis anxiè macerabatur. Sub eisdem temporibus celeberrimus & insignis ordo Carthusien cepit, qui teste Beato Bernardo, inter omnes Ecclesiasticos ordines & religiones primatũ tenet, non ratione temporis, sed rigoris, vnde vocat ipsum speciosissimã columnam Ecclesiæ, verùm propter nimiam abstinentiam paucis portabilis erat, & ne diu paruus maneret, post ab Ecclesia moderatus fuit, nec vnquam à Sancto proposito recedit, singulariter à Spiritu Sancto præseruatus vsq; in hodiernum. Cepit autẽ primum in Diœcesi Gratianopolitana à Brunone Magistro in Theologia natione Colonien, & ab alijs sex venerabilibus Viris, & Papa Victor III. vidit, per somnum Deum dignationi suæ in solicitudine Cartusiæ habitaculũ construentem. Grandimolten ordo inchoatur hoc tẽpore per Sanctũ Virũ Stephanum nobilem auernorũ stirpe progenitũ.

Liuor ingens inter Salomonem Hungariæ Regem ab vna, & Geisam ac Wladislaum, Duces Hungariæ partibus ab altera, primum ex leuibus suspitionibus cohortus, procedente verò tempore adeò alitus & grassatus, vt signis collatis inter se quasi crudelissimi decernerent. Et licet in prima pugna Salomon Rex superior, Geisa verò Dux & Wladislaus pro victis abscessissent, expost tamen Wladislaus cum Ottone Morauiæ Duce ferente fratri Geisæ solatia, vicit, Salomon Rex victus bello, Posnaniam se recepit, & Geisa in victoriæ signum Ecclesiã Wacinen Cathedralem, ibi enim pugnatũ fuit, ante pugnam voto promissam fundat, & fauore Vngarorũ in Regẽ Vngariæ coronatur; Cui etsi Henricus Imperator laturus velut genero auxiliũ venisset, nulla tamẽ re memorabili gesta, Consiliarijs suis à Geisa plerisq; muneribus corruptis, discessionem persuadentibus in Almaniam cæpto irrito redijt. Quapropter Regni Vngariæ ad Geisam plena administratio, regimenq; peruenit. Salomon verò tristis gemebundusq; sue infeli-

cis deplorat angustias, Pontifices Vngariæ quibus totũ ciuile distidium molestius visum est, & si sæpè tractassent concordiam, & Geisam ad cedendum de Regni fastigio induxissent, effectus tamen illius eorum Baronum, qui partes Geisæ sequebantur impediente studio, nunquam ad liquidum perduci poterat.

Liuore & maligno acti spiritu Boryl & Olech, aliâs Alexius Duces Russiæ, Barbaros Polowcones, vt terram Russiæ hostiliter ingressi deuastent, inducunt, quibus Wszeuoldus Dux Czernieiouien, 25. Augusti in loco qui Zicze dicitur, occurrit, prælioq; inito ab illis profligatur & vincitur, in quo conflictu miles insignis apud Rutenos Iwan Zirosławic, Item Tukic, Item Bokiei aduerso pectore concidunt, Triumpho obtento Borys & Olech Polowcorum robore freti, etiam Castrum Czernieiow conquirunt, & plurima execranda facinora fundendo sanguinem innoxium committunt. Wszeuoldus itaq; cum Wladimiro filio suo & clade, & sedis suæ Principalis proditione angustiati, & pressi, ad fratrem suum Zaslaum Ducẽ Kiouien diuertunt, gemituq; & planctu ingenti edito, suas illi, & gentis suæ calamitates & æruminas exponunt. Qui illos benignè consolans, bono animo esse iubet. Ego inquit, vobis in exemplum sim, qui omnibus spoliatus & exulas, in terris alienis stipe & fauore Polonorum aliquanto tempore vixi, quorum suffragio singula expost recuperaui, nec verbis solùm, sed & rebus illos confirmans, pollicetur se illis solatia contra hostes Borys, & Olech laturam. Coacta ita; militia vadit Zaslaus Dux Kiouien cum Iaropelko filio, & Wszeuoldus Dux Czernieiouien cum filio suo Wladimiro contra Czernew, in quod se Borys & Alexius Duces receperant. Abnuebat autẽ Alexius & Borys Duci persuadebat, ne in vltimum dimicationis veniret discrimen, dicens illi, non pugnemus contra quatuor Duces paternos, & fratres nostros, qui ferociores nobis sunt, sed missis caduceatoribus petamus æquis conditionibus pacem, & non acquieuit Borys, sed in superbiam elatus respondit. Non te aliqua de victoria sollicitudo teneat sed tantum modo hilaris & spe plenus belli euentum præstolare, & congressu facto interficitur Borys, filius Czeslai, qui pacem abnuebat, & multi hinc & inde ceciderũt interfecti, sed & Dux Zaslaus Kiouien; dùm iam prælio confecto, interpedites securus consisteret, ab vno militum Alexij, qui se proprium fingens peditibus ingesserat, inter scapulas percussus, & transfossus occiditur, & Alexio, & exercitu eius fugiente Castrũ Czernieiow Wszeuoldus recuperat. Corpus autẽ Zaslai Ducis in Kioviam delatum, & à filio suo Iaropelko deplanctũ, in Ecclesia B. Mariæ sepelitur. Fuit Zaslaus magnus cultor & administrator iusticiæ, & Vir excellentis corporis atq; staturæ, & successit illi frater Germanus Wszeuoldus in Kiouien Principatũ, velut natu maior filiũ suũ Wladimirũ locans in Czernieiow, alterum verò Iaropelkum in Turow,

ANNO Domini 1077. Grauem & intolerabilem Boleslai Polonorũ Regis continuè exuberantem sæuitiam, & in scelere abominando profundam

fundam demersionem Stanislaus Cracouien Episcopus vlterius non ferens, dùm Metropolitanum Gnesnen Petrum, cui correctionis & increpationis primarius honos officium & meritum debebatur, dissimulantius suam Regem ad deteriora quælibet in dies procliuum agere censuram consp xisset, ad se id officium, hunc honorem & meritum, hanc palestram, & pa mam pia credulitate existimans pertinere, sibiq; & non alteri fauore diuin seruatum esse, cùm & sedes sua Cracouien negligentia sui immediati pra decessoris Zulæ, alias Lamperti Archiepiscopali dignitate recenter fuit or bata, penè nihil à Metropoli Gnesnen differt, in his præsertim, quæ manu correptionis, & horum, quibus vniuersa Respublica atteritur, & tabesci tescisionem desiderant. Magno animo nilq; sibi conscio consurgens, Bo lesłaum Poloniæ Regem omnibus arbitris exclusis, blandè prius & pieta paterna manentibus, etiam vltrò lachrimis, quas magnitudo compassion & charitas effuderat, & verba interrumpentibus monet, corripit, & obse crat, ne dignitatem Regalē, & genus nobilissimum fœda peccati contra na turam cogitatione inquinet, ne, vt iumentum in suo stercore putrescens, se Deo & hominibus odibilem & inuisum faciat, ne gloriam suam, & victo riarum variarum ab optimo Deo largitarum titulos, ignominia sempiterna, sibi & suæ domui inurenda prostituat & commutet, sed si promissa volupta te carnali vti liberet, cum vxore sua potius procreandorū filiorum caula il lam expleat, & vt sæuire in milites & fœminas carnificinia & belluina truc lentia desistat, & si iniquitate detinentur notaria, libram iusticiæ adhibe at, idq; primum prouideat, ne plus iracundia quam iusticia in eos vsus vi deatur, vt subditis in exigendis stationibus, & imponendis exactionibus, & vectigalibus non sito onerosus, cùm subditorum clamor immoderata hæc a se exigi vociferantium, vsq; ad tronum diuinum vltionem expetens non du bitetur ascensurus, facile Deū si quieuerit, si ex toto corde ad Deum con uersus, in corde humiliato & contrito pœnitentiam egerit, omnibus suis sordibus & præuaricationibus, quantumcunque enormibus ignosciturum. Dùm hæc monita Regem Bolesłaum Stanislaus Cracouien Episcopus vide velut stipulam contempsisse. Baronibus aliquot coassumptis durius Regē, vt vitam suam corrigeret vt flagitium turpe à se penitus abdicaret, vt Pro uincialibus & subditis næces & grauamina non inferret, admonuit, pietatē diuinam scelere suo læsam & lędendam, sordes suas, propter quas quinque Regna perpetuo exterminio aquis supergradientibus, quod non credi so lùm corde, neq; auditu hauriri, sed visu quoque, si quis discederet, posset percipi, ob par icelus deleuisse, nullatenus toleraturam, & tàm ipsum, quàm semen suum exterminaturam, stirpi quoq; suæ Regium decus & gloriam adempturam, infallibilibus iudicijs edicens se insuper velut Pontificem, & speculatorem vitæ Dei positum non quieturum, sed Apostolica virga, quo rum esset diuina propiciatione successor, censura Ecclesiastica suas præua rications & vicia pro viribus coerciturum. Non mouit Bolesłaum Polo niæ Regem salubris, & medicinalis Stanislai Cracouien Præsulis ex pectore

sincera

sincera charitate, & Zelo optimo abundante profecta correptio, quinimò in vehementem iram contra B. Virum periculum sibi & suo semini denunciare solitum, in eam bilem accendit, vt & Pontificem Sanctū aula, in qua hæc gerebantur excedentem, probris & contumelijs lacesiret, tantam eius in se admissam audaciam, & temeritatem minaci vultu & sermone ingeminans pro posse vlturum, Baronibus ne quicquam Præsulem, ne grauius aliquid Rex in eum moliretur, à Regia iniuria defendentibus, sic continuis conatibus ad opprimendū virū Beatū recta sibi suadentē animū intenderat.

Alexander Papa II. cum Annis 11. Mensibus 6. diebus 25. sedisset. Romæ moritur, in cuius locū Hildebrandus natione Tuscus, patria Senen, propter eius laudabilē vitam, à Cardinalibus processu tēporis electus succesit; vocatusq; est Gregorius VII. Hunc cum Cintius Præfecti Vrbis filius, in Natali Domini ad Mariam maiorē cepisset celebrantem, & in turrim retrusisset, Romani rupta turri eum liberauerunt, eadem nocte Cintiū extra Vrbem eiecerunt. Ordinante deinde Henrico Imperatore, quē Gregorius pro inuestituris Episcoporū excōmunicabat, Gibertus Rauenaten Archiepūs, ab Episcopis Lombardiæ in Papā eligitur, & Clemens appellatur. Quem Henricus Romā deuectum in sede Petri locat, Gregorio cum Cardinalibus capto, & in Castro S. Angeli recluso, sed Robertus Guistardi Apuliæ Dux Romam veniens, Henricum Imperatorem secedere cogit, & Gregorium ac Cardinales liberat, fautoresq; Imperatoris proscribit, & necat, & Henricus Imperator à Gregorio deponitur de Imperio. Rudolphus verò Burgundiæ Dux, ab Imperij electoribus Gregorio Papa procurante eligitur. Cui à Papa Gregorio corona missa, cum hac inscriptione: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho, hunc Sigifridus Moguntineń Archiepiscopus benedixit Moguntiæ in Regem, & facta à Moguntinis seditione contra eos, Rudolphus cū Archiepiscopo nocte aufugit, & in Ratisponā se recepit, a qua iterū ab Henrico Imperatore pulsus est. Sub huius Hērici regimine Imperium grauissimè scisum est, parteq; Principum & Procerum illi rebellante, tota ferè Regni latitudo, ferro, flamma, cædibus, & spolijs inuoluta est. Hunc Gregorius VII. Anatemate ferit, qui hanc nouitatem amarissimè ferens, Episcoporū & Principum ex Italia, Gallia, & Germania, apud Brinorā, quæ nunc Briscia, Bauariæ ciuitatē Conuentū congregat. Vbi Gregorius à cætu Clericorum & Episcoporum sibi iam pridem infensorum, in fauorem Imperatoris deponitur, & Guibertus Raueneń Archiepiscopus denuò eligitur, & Clemens vel potius Demens appellatur. Imperator deinde copioso milite collecto ad Vrbem Romam vsq; progressus, Romani populi fauore adiutus Gregorio pulso, Guibertum sedi Romanæ præfecit, A quo benedictionem Imperialem Romæ suscepit.

Romanus Russiæ Dux conductis in sui solatiū Polowczys, venit hostiliter cōtra Wzeuoldū Kiouien Ducē, Principatū Kiouien occupaturus. Et licet Wzeuold Kiouien Dux occurrisset illi cū suis copijs circa Pereaslaw, cōmunibus tū Baronibus mediantibus pacificātur 2. die Augusti Duces, quod

Polowcy moleſte ferentes ſeditione in Caſtris exorta, Romanum interfecerunt, quod ipſis inconſultis pacem conſummaſſet.

Gregorius Papa VII. perſecutionem Henrici Imperatoris fugiens in Tuſciam venit, & à Mathilde Comitiſſa benignè ſuſceptus, ſententias maiores contra Imperatorē innouat, & plures Principes Almaniæ in eū concitat. Rudolphum inſuper Ducem Sueuorum ſiue Saxonum Romanorum Regem deſignans, ipſum Regio diademate inſignit.

ANNO Domini 1078. Terruerat pauliſper Boleſlaum Poloniæ Regem in Petri militis reſuſcitatione, à B. Staniſlao Pontifice editum, & per Regem viſum miraculum, motuſq; ſuos prauos, & actiones paululū ſtrinxerat. Poſtea etiam maiora prioribus adijciens, militibus & ſubditis plus ſolito grauem, & infeſtum, Viduis & Orphanis, cæteriſquè oppreſſis magis infenſum ſe gerere cepit. Sed quod his omnibus obſcenius deteſtabile huiuſq; in cæno fæditatis infandi vitij Sodomitici, non ſine plurimorum ſcandalo & execratione, Rex ſpurciſsimus ſalutaria B. Staniſlai contemnens monita, volutabatur. Videns itaq; Staniſlaus Cracouienſis Epiſcopus Boleſlaum Poloniæ Regem, pro eo tempore impium Regem, profunditate ſceleris demerſum, contemptum, & pertinaciam induiſſe. Nil de cætero cunctandum, aut diſsimulandum ratus, communicato Virorum ſpiritualium timoratorum conſilio, ceſuram Eccleſiaſticam, ſaluare, ipſum non perire cupiens, in eum extendit, & illum per ſe Pontificalibus indutus (cæteris omnibus metu Tyranni, à munere huiuſmodi ſe ſubtrahentibus) monet, & requirit, quatenus vicium ſordidiſsimæ Sodomiæ à ſe prorſus reijciat & abdicet, & ab exactione euectionum, quæ Poduodæ nominantur, ſe contineat, militibus bona, quæ Tyrannide illicita occupauerat, reddat, à ciuibuſque & ruſticis, tàm ſpiritualium, quàm ſecularium perſonarum, ſtationes non exigat, & in cæteris actionibus, Catholicorum Regum, & Principum moribus ſe conformet. Non tenuit choleram Rex, ſed in præcipitem iram quaſi in quandam rabiem verſus, monentem ſe Epiſcopum, & niſi monitis paruerit excommunicationis ſententiam proferentem, multis probris & contumelijs aſperſit, nec procul abfuit, vt mitiſsime replicanti Epiſcopo, & benignitate ſuauiſsima eum reprehendenti, manus inijceret monitionibus ſatellibus decurſis. Nihil Regijs minis, & per ſeipſum auditis, & per neceſſarios, crebrius in ſui auiſamentum ad ſe perlatis, deterritus, Boleſlaum Regem publicè in Eccleſia Cracouienſi denunciauit excommunicatum eſſe, & à fidelium communione, & grege præciſum, quem & in ſingulis Eccleſijs publicè excommunicari, & ab vniuerſis ſtatibus hominum ſuæ Diœceſis manuitari, arctius euitari. Tùm demum Rex Boleſlaus non ſtomachari ſolùm, ſed fremere contra Virum Dei Staniſlaum cepit, iuramento ſe obſtringens, quamprimum ſe illum vbilibet compertum, occiſurum. Milites inſuper ſicarios, & largitionibus & promiſsis corruptos, in eius pellicit & ſubornat necem. Vir autem Dei Staniſlaus, non vt imminens mortis declinaret diſcrimen,

(tali enim munere ſe beandum, dignificandumq; ſe lachrymoſis ſuſpirijs, ſupplicibuſq; obſecrationibus continuè precabatur) ſed ne ipſam ſuam venerandam Eccleſiam Cracouieñ Tyrannidi Regis, & morſibus exponeret luporum, quantum ſciuit & potuit, à Regio contubernio & communione ſe ſubtrahebat, & in ſecretis abditiſq; locis ſe recondens, fletibus immenſis & miſſarum ſacrificijs aſsiduis pro Regis conuerſione, & eius Tyrannidis mitigatione vocabat. Sicq; Regis & eorum qui Regis perſuaſione ac iuſſu in eius necem ſe deuouerant, anno pluſquam integro, ſollicitos conatus dextra Dei protectus eluſit.

Septimo Calēdas Maij, Geiſa Vngariæ Rex moritur, & in Eccleſia Waceinenſi, quam ipſe fundarat ſepelitur, in eius locum Wladiſlaus Germanus ſuus ſubſtitutus eſt, & in Regem Vngariæ coronatus. Licet Geiſæ eſſent liberi, & Salomon Rex nondum è vita exceſsiſſet, virtutum tamen mira excellentia in Duce Wladiſlao, iam tunc eradians omnium Vngarorum mentes adeò in ſe conuerterat, vt omnes illum renuentem Regnum ſuſcipere Diadema, cæteris omnibus neglectis, certatim precarentur, vnctione & coronatione apud Albam Regalem ſuſcepta, modeſtiſsimè ſe erga fratrem patruelem Salomonem Regem geſsit. Idq; ſibi primum curæ fuit, vt Salomoni ipſi nihil præter appellationem Regiam deeſſet. Eodem tempore prælium atrox inter Henricum Romanorum Imperatorem, & Rudolphū Ducē Saxoniæ, qui Imperium Henrici inuaſerat, fuit, in quo præfatus Rudolphus victus, & plures de ſuis militibus amiſit, incolumis tamen euadens ad inſtaurandum nouū exercitū animum intendit. Iaropelkus Dux filius Zaſlai olim Kiouieñ Ducis, ad ſuam grandem iniuriā referens Wſzeuoldū Ducem patruum ſuum, in Kiouieñ Principatum, Patre ſuo Zaſlao obeunte, ſucceſſiſſe, comparat exercitum, per quem Wſzeuoldum bello impetat, & de ſede Kiouieñ depellat. Quod dùm Wſzeuoldus perſenſiſſet frequenti conſilio aduocato, quid facto opus ſit, conſultat. Conſulit autē illi vnus è numero Conſiliariorum, diſſerens in hunc modum. Comparato exercitu, mitte filiū tuum Wladimirum contra Iaropelkum, & me ante illum præmitte, ego enim fallam Iaropelkum, & ſine armis debellabo illum. Quo conſilium huiuſmodi probante, venit fallax conſultor ad Iaropelkum, & dixit ei: Non confidas Conſiliarijs & militibus tuis. Omnes enim cum hoſte tuo Wſzeuoldo ſentiunt, & ſpoponderunt te illi prodituros. Auſculta itaq; fideli conſilio meo, fuge ad Boleſlaum Poloniæ Regem, qui quondam Patrem tuum Zaſlaum pulſum reſtituit, auxilia illius poſtulaturus. Credit Iaropelkus ſermoni doloſo, & fallaci, ac deſerta Ruſsia fugit in Poloniam, habens omnes Conſiliarios, & milites ſuos ſuſpectos. Locat autem vxorem, Matrem, & filios cum familia in Caſtro Lucko, præcipiens eis, vt quàm fortiſsimè poſſent, quouſq; cum Polonorū exercitu rediret, hoſtibus reſiſterent. Quo in Poloniam diſcedente, venit Wladimirus filius Wſzeuoldi cum exercitu ad Lucko, cui protinus nulla facta reſiſtentia Caſtrum traditum eſt, in quo Matrem, Vxorem, filios & familiam Iaropelki Ducis reperiens, in Kiouiam

captos pertrahit, & familias venundat. Boleslaus autem Polonorum Rex, non valens Iaropelko ferre personale subsidium, propter scysma inter illum & milites exortum, copias tamen de gentibus suis Polonis, mittit cum illo, quorum robore stipatus, primũ Lucko applicat, & Wladimirus filius Wizeuoldi, non audens illi & suæ potentiæ resistere, missis Nuncijs pacificatur illi, & non solùm Lucko & alia Castra Iaropelkonis, quæ receperat, sed omnia quæ pertinebant ad Iaropelkonem, aut tunc restituit, aut se restituturũ spopondit. Pace autem confecta, Wladimirus sedem suam Czernieiow repetijt. Iaropelk verò exercitu Polonorum remunerato, & in Poloniam remisso; dùm ex Wladimiria in Zmigrod vehiculo veheretur, à familiari suo Nieradzec 22. die Nouembris quiescens obtruncatur, & fugit in Nieradzec ad Ducem Burik. Corpus verò Iaropelkonis in Kioviam deductum est, cui obuiam à Wizeuoldo & duobus filijs suis, Wladimiro, & Rostislao, Item, à Ioanne Metropolito & Boiaris Kioviensibus, vniuersisque Kioviensibus Ordinibus ium est. Planctu autem magno super næce sua edito, in Ecclesia S. Demetrij sepelitur, qui viuens crebrius gerebat in votis; vt pari morte, quemadmodum Proaui sui Borysz & Olech, quos Rutenorum Sanctos colit Ecclesia, excedere illi è vita contingeret, Vir mansuetus & fratrum amator, soluens decimas de omnibus frumentis, pecoribus, armentis, & de omni substantia sua omnibus Annis vitæ suæ.

ANNO Domini 1079. Ruenti Boleslao Polonorũ Regi, in omne scelus nefasque, & ad quælibet deteriora prolabenti, dum censura rũ quibus à Viro Dei Stanislao Cracouiensi Episcopo feriebatur, vigorem irridens, diuina suo in Ecclesias ingressu profanaret mysteria, & sanctionem authoritatemq; Ecclesiæ irrisioni, & contemptui deputaret. Vir Dei Stanislaus Zelo cœlesti, vt alter Phineces incensus pro lege Dei sui, & pro grege sibi commisso animam positurus, Regem ipsum Anatematisat, & Ecclesiæ suam Cracouien ingredienti occurit, prohibens autoritate Omnipotentis Dei, & suã, ne Ecclesiam Anatematisatus introeat; alioqui cum fœdiori ignominia illius denunciat le à Diuinis cessaturum. Quam contra prohibitionem Viri Dei, Rege cum militibus suam temeritatem mulcentibus, irrumpente, illicò Episcopo Stanislao mandante, Clerus tacens ceptum Officium intermisit. Tum verò Pontifex Stanislaus ad Regem accedens, his eum verbis conuenit. Qua, inquit, fronte, qua audacia, in altissimi conspectum, & templum, spurcissimo facinore Sodomitico inquinatus, & à me Anatematizatus, manus habens sanguine innocentum polutas, ingredi non exhorruisti? Patientia fortasse Dei, & meæ humilitatis respectus, te ad maiorem pertinaciam inducunt. Sed crede mihi, lentum hunc in te vltionis progressum, pœnæ infligendæ grauitate, diuinitatem compensaturam. Proinde si sapis, si nondum omnem à te sensum rationis abiecisti, antequam supernæ in te vindictæ telum datur arcus, acquiesce paternis consilijs, & monitis meis; & sceleribus tuis, deprauatisque actionibus renuncians, te altissimo, à quo, & pietatem, omnemq;

nentiamq; Regalem, & amplissima in pluribus nationibus trophæa, multaque alia gratuita dona accepisti, reconcilia facile omnium præuaricationũ tuarum in Deum, & sordium, si tantummodo quieueris, & pœnitentiam egeris, relaxationem percepturus. Tam paternæ & misericordi Boleslaus Rex ne quicquam respondens admonitioni, verba sapientis viri non sustinens ore, & manu Viro Dei minitans, & totus furore & indignatione fremens de Ecclesia se eiecit, & in Castrum Regium templo vicinũ se recipiens ad nœcem Viro Dei inferendam animum, & singulos conatus intendit. Et dissuadentibus plurimis Ecclesiasticis, & secularibus proceribus, male sixam animo sententiam exequi ire pergit. Cuius etsi nota foret Tyrannis nemo tamen credere poterat, quod vsq; ad parricidium prolaberetur. Ità audaciæ & temeritatis præsumptione progressus & impulsus, vt vertice desperationis ascenso, animi sui plusquam barbarum & ferinum motum sequeretur. Tertio Idus Maij, in quintam tunc cadens feriam, illuxerat dies, cùm debitum, vt solebat, Stanislaus Cracouien Episcopus, satagens exhibere Sacrificium Christo ad Ecclesiam de Rupella S. Michaëlis, & omnium Angelorum nomini dicatam, Missarum solennia celebraturus, & pro Regis, ac populi peccato intercessurus (veritus ea perangressum Regis Boleslai, si ipsis in maiori Ecclesia intendisset impediri) comitantibus eum Clericis, descendit. Ea tunc in campestribus, & pratorum planicie, in editiori tamen rupe, & in coronæ modum, prout & in præsentiarum cernere licet emunita, patentem habens à singulis partibus prospectum, facile B. Virum Stanislaum ad eam progressum Regi Boleslao per crebros Nuncios, vbinã locorum Stanislaus Cracouien Episcopus esset exploranti, & Tyrannidem suam eo die in ipso explere cupienti prodidit, correpto raptim gladio, militibus quoq; frequentiori agmine quàm solitus erat, se sequi iussis, illuc ire obtruncaturus Virum Dei pergit. Nondum Pontifex Stanislaus Rege locum contingente, Missarum solennia expleuerat, quæ res Regẽ Boleslaum ne præceps in Ecclesiam irrumperet, continuit. Dum tamen illa omnis mora molesta & prolixa nimis videretur, mittit milites, qui Episcopum Stanislaum etiam sacrificantẽ interimant. Affugit illicò virtus diuina, quæ quantum esset cælestis potentia, terrena superior, demonstrauit. Carnifices siquidem Virum Beatum præcepto Regis necaturi in Ecclesiam ingressi, dùm strictis mucronibus Virum Dei nituntur, contingere. Concidunt retrorsum in terram, & reptantiũ more ex Ecclesia euoluti à Boleslao Rege, quod vacui redijssent, castigantur, tùm resumpto ferro, facinus etiam resumpturi, Ecclesiam reintrant, manus Sacrilegas Pontifici molientes injcere, pari itidem vt prius casu vibrati in terram resupini ruũt. Quos ab Ecclesia cæpto irrito reuersos Rex Boleslaus velut meticulosos corripit, imperatq; atroci verborum virtute, duplici ingressu neglectam nœcem maturare. Mirum in modum, Imperata Regis impleturi, Ecclesia repetita vehementiori casu, quam ante, tertio prosternuntur, nec Virũ Beatũ contingentes pauore nimio correpti, de Ecclesia iterum prosiliunt, & imbelles manus suas adirro-

gandam nœcem B. Epiſcopo, teq; diuina virtute tertio proſtratos, & repul-
ſo Tyranno demonſtrant. Indignum, vt arbitror, Dei prouidentia iudica-
te, vt Chriſtus Domini futuro dignificandus Martyrio á quoquam prius
quam à Rege, qui & ipſe Chriſtus Domini erat, deberet contingi. Nihil hi
quæ à militibus referebantur Boleſlaus Rex deterritus, & putãs eos ea, qu
de caſu ſuo trino retulerant, pauore conſternatos confixiſſe, vehementiu
illis iratus, obiurgat eos dicens: ô degeneres & ignaui, non milites, fœm
næ, non viri, tanta puſilanimitate & pauore perculſos vos intueor, vt vu
Presbyterum de Eccleſia trahere, & meas graues iniurias in eo vltum iri nõ
audetis. Gladio itaq; euaginato, ſibi & cuilibet alteri Regi, & præcellen
ti non ad irrogandas, ſed ad propulſandas iniurias & nœces innoxias, à ſe
perna pietate attributo, furibundus & æſtum vltionis in Virũ Dei ſpumati
frendens, & euomens, in Eccleſiam, quam ab omnibus oppreſsionibus ho
ſtium in Coronatione ſua tutandam ſe iureiurando aſtrinxerat, inſilit, &
non loco, non tempore, non Pontificali ordine deterritus, non diuinam, n
Sanctorum, præſentem veritus Maieſtatem Pontifici S. Miſſarum ſolenn
conſumanti, enſe vibrato ſanctum verticem diſrumpit, & Pontificalem cru
rem recentibus ſacrificijs permiſcens, Sanctum Dei Staniſlaum Epiſcopu
veniam ſibi, & ſuis cæteris percuſſoribus, & ſatellitibus deprecantem, Re
impius & ſceleratus proſternit, & interimit, Sponſum in gremio ſponſæ: Pa
ſtorem in ſuo ouili: Patrem in filiæ amplexibus, & filium in maternis pæn
viſceribus perimens, & obtruncans, & omnes laudes ſuas priores, virtute
heroica comparatas, in opprobrium, gloriam in ignominiam, famamq; in
infamiam, vno illo parricidij facinore commutans, & non tàm ſibi, quã
ſtirpi ſuæ, & Regno ſuo notam perpetui facinoris inurens. Sed neq; milites
de tribus domibus & familijs, qui ad peragendum ſcelus cum Rege adue-
nerant, quamuis virtutem diuinam vice triplici experti, abſtinendum ſibi à
contagione patrati iam à Rege parricidij cenſuerant, videlicet babatum eũ
cruce: Item Streparum, Item fluminis Srzeniawa cum cruce, qui ab ipſis
ſciſi ſunt, ſimplicem fluuium ſine cruce, qui ſe Druzina appellant, pro inſi-
gni defferentes, quorum progenies & ſucceſsio in hanc diem in Polonia
perdurat, quinimò quaſi priorem puſilanimitatem à Rege eis exprobratam
deterſuri, corpus Viri S. in terram à Regio ictu, cerebro rupto, defluens,
certatim mucronibus, & pugionibus inuadunt. Et qui in viuum potentia
ſuperna prohibiti ſæuire non poterant, in corpus exanime vnus alterum præ-
ueniendo, & impediendo, creberimos ictus edẽdo deſeuiunt, vt Rege ſce-
lus tantum inſpectante, is in ſuo fauore haberetur potior, qui crudelius in
Sanctum impegiſſet. Vnde factum eſt vt cadauer Sanctum minutatim in
mille particulas diſſecaretur, vt à membro quolibet ſingularem ſe exigere
voluiſſe pœnam declararet, & tot mortibus quod conciſionibus Virum Dei
plectendum cenſuiſſet. Hac Boleſlaus Rex rabie ſolita debiſcens, neque
crudeli nœce, neque crudeliori carnificio ſe ſaciatum declarans, in varia,
& remotius porrecta loca corpus diſſectum ſpargi, & vt à beſtijs, feris, &
nibus,

ibus, vulturibus, coruis, cornicibus, & cæteris alitibus ſanguipetis deuo-
raretur, memoriam eius nominis deleturus de terra, cuius iam vitam dele-
uerat, iubet exponi. Mox q; milites Rege ſpectatore iuſſa perficiunt, & cor-
poris S. partes per circuitum diſpergunt, & velut aliquod Heroicum decus
peregiſſent ſanguine Martyris aſperſi, in Regiam aulam cum Boleſlao Rege
reuertuntur. Anima verò Beatiſsima S. Staniſlai Cracouienſi Epiſcopi, tot
ictibus & tormentis carnificum à carne excluſa, Benedictæ Trinitatis ſpecu-
lum, pro ſui Martyrij ſingulari merito profundiſsima acie viſura, & inter
primos Martyrum ordines locum perceptura, miniſterio Angelico aduen-
tum eius Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus; Confeſſoribus,
Virginibus, & vniuerſis animabus, quæ iam ſempiterno æuo fruuntur, ſuo
occurſu honorantibus, Sub Gregorio VII. Papa in æternas & ſempiternas
mansiones euecta eſt. Nobile autem Viri Beatiſsimi Staniſlai, ferro impij
Regis conſummatum Martyrium, ingentibus & manifeſtis prodigijs San-
ctum Dei illuſtrantibus, probantibuſquè, extunc cepit vulgari, & elucesce-
re, nulla arte vel ingenio obliterandum. Cùm altera poſt occiſionem Viri
B. Staniſlai illuxiſſet dies, Boleſlaus Polonorum Rex, ſuiquè milites, & in
ſcelere in Pontificem S. patrato conſortes, cæteriquè, qui eorum aſſentie-
bantur facinori, corpus Beatum à ſe conciſum, & diſperſum, credidiſſent,
feris alitibns, & beſtijs conſumptum & deuoratum, è quatuor partibus
mundi rari corporis, raræq; magnitudinis viſæ ſunt aduolaſſe aquilæ, quæ
loca paſsionis, & artuum corporis Beati circumgirando ſublimius, & ſin-
gulari curioſitate, vultures, coruos, cæteraſq; beſtias, & alites, à contactu
corporis S. abigebant. Viſæ ſunt inſuper à quibuſdam timoratis, & deuo-
tis viris nocte occiſionem Martyris inſequente, miræ rutilantiæ cæleſtis
radij in vniuerſas corporis partes deſcendiſſe, & fulgorem ſuum vſquè in di-
ei ſub ſequentis diluculum continuaſſe, totquè in ſingulis locis ſupernæ ful-
ſerunt lampades, quot ſacri corporis diſperſæ ſunt partes, euidentiſsimo ſi-
gno demonſtrante altiſsimo, tot militem ſuum coronare Staniſlaum laure-
olis, quot illum mortibus Tyranni truculentia, quantum in ſe ſæuierat, de-
ſtinaſſe. Biduo itaq; hæc prodigia non rumore ſolùm, ſed publica aſſertio-
ne vulgata, & in admirationem & relligionem verſa, nonnullis deuotis pa-
tribus Eccleſiæ Cracouienſ, Prælatis & Canonicis, iniecerunt curam, de-
deruntq; auſum, vt partes S. Corporis colligerent, & honeſta conderent
ſepultura. Nil itaq; deterriti atrocitate Regis, quem vouerant Pontifici
S. Staniſlai Corpori de ſepultura non fauiſſe, & ne prouenire poſſet, per ar-
tuum diſiectionem prouidiſſe, ad locum paſsionis accedentes, partes cor-
poris varijs locis diſperſas, & vſq; in corum aduentum ab aliquis ſcrupulo-
ſè cuſtoditas, accuratè recolligunt, & dante diuina prouidentia mẽbra lani-
ata, & in roſæ liliorumq; morem candentia, & rubentia, apto, & congruenti
online, partem iungendo ei, aqua exciſſa eſſe credebatur, parti corpus la-
cerum componunt. Stupendum dictu, ſed ſuperno artificij, & æterno ſuo-
rum atletarum remuneratori facillimum. Vix dùm ab artuum compoſitio-

ne ceſſa-

ne cessauerant, cùm subito Corpus Sacrum cælesti medicamine in singulis partibus solidissimè sine omni cicatricum nota redintegratum conspicium. Cuius rei tam spectaculo benigno exhilarati, minus cunctanter corpus Sa- crum ad Ecclesiam S. Michaëlis de Rupella, in qua Sanctus Martyrium per- tulerat, veriti, ne in cæteras Vrbis Cracouien Ecclesias Regis Boleslai edi- ctum illud vetaret, inferri, cum debito honore, & summa omnium, qui hu- ic officio adesse meruerant, alacritate deferunt; vt ante fores Ecclesiæ re- propatulo, & sub dio, ne ex Ecclesia Regis nondum quietata Tyranni Illud mandaret eijci, in tumba aromate referta recondunt. Et quam reinte- grationem in S. Corpore oculis viderant, reuersi cunctis stupentibus, enar- rabant. Varios Sanctos, varijs legimus à propitia diuinitate miraculis & vir- tutibus, pro suis actionibus & meritis fuisse illustratos. Huius autem Vir S. Stanislai Cracouien Episcopi, & in vita, & in morte meritum, & Sanctitas tot prodigijs, & miraculis declarata & illustrata est, vt pænè humanã cre- dulitatem excedant. Quis enim non miretur Virum Beatum Petrum mili- tem post triennales cineres suscitasse! & Boleslai Regis milites ad mactan- dum Virum S. ter destinatos, ter retrorsum abeuntes corruisse? cùm & La- zarum à Christo Domino resuscitatum quatriduanum legimus fuisse, & Iu- das Iscariotes, cùm Iudæis Dominum nostrum IESVM CHRISTVM tradi- captiuaturus esset, semel tantummodo retrorsum abiens cecidit? Quis in- super non stupeat Martyris B. Stanislai Corporis scissi millenas partes, non Aquilarum sed Angelorum ministerio à quolibet ferarum contactu nocte, & interdiu custoditas, supernis luminaribus irradias fulsisse, & S. Corpus, tàm immensis concisionibus distractum, perfectam reintegrationem, etiã sine nota cicatricum resumpsisse? Quapropter pia credulitate obseruari con- uenit, quod Martyr B. Stanislaus in omni vita sua Vir vitæ Angelicæ exti- tit, & tàm mente quàm corpore integram virginitatem gerens, Virgo vsq; ad consumationem Martirij permanens, & pro Dei & Ecclesiæ, & populi iniuria, cæteris Episcopis Prouinciæ Polonicæ dissimulantibus, omniũ alte- rorum vicem & negligentiam suppleturus, in aciem discriminosam se ex de- uerso ponens, & vsq; ad mortem pro veritate & iusticia agonisans, tàm su- blimibus ab Omnipotente Deo meruit mirificari prodigijs. Vnde non im- meritò vniuersa Ecclesia Catholica per orbem terrarum diffusa, in ipsius amplissimam decantat laudem. Veri solis radius, medicus cælestis. Meri- torum Martyris autor est & testis: In splendore corpois castitatem signãs. Quod integrum reddidit, amorem designans. Trabea autem Carnis tàm inclyto Martyrio peracto, athleta Dei inuictissimus S. Stanislaus solutus, & Angelicis manibus vsq; ad thronum altissimi perductus, poterat vnigeni- tum Dei filium supernorum ciuium spectante & admirante agmine, de re- bus à se in mundo gestis, differendo his verbis conuenisse. Videsne, qualia patiuntur (ô verbum Dei) reprehensores criminum nefandorum? Ecce Boleslaus Poloniæ Rex, increpationem meam non ferens, & Petri militis ab inferis post triennium reuocatione, & casu trino suorum militum me oc-

cidere

cidere suo iussu venientium, tuæ insuper maiestatis potentia, ne quicquam territus, non loco, non tempori, non ordini, non dignitati suæ, & meæ deferens, sed ausu sacrilego me ad aram pro sua, & populi ignorantia immo- lantem, dextris suorum militum tua virtute prostratis corripiens, sanguinẽ meum tuis sacrificijs miscuit, & caput meum manu truculenta amputans, corpus etiam in duodecim frustra dissecat, & feris deuorandum eijcit. Ac- cepit autem Regis æterni, cui militauerat, tale responsum: Vidi certamẽ, vidi agonem tuum, & non solùm spectator, sed & adiutor aderã. Et quo- niam pro meo nomine & veritate non exorruisti prælium, victorẽ & Marty- rem glorioſum vniuerso orbi, Polonis verò Protomartyrem, & Patronum magnificum te decerno. Corpus tuum nouis radijs & luminaribus cælesti- bus illustratum, absq; cicatricum nota redintegro, Angelorum illi deputo custodiam, geminata laureola te adorno, virgineo corpore referente ex ho- stetriumphum. Tam lugubri & crudeli in Sanctum Dei per Boleslaum Re- gem Poloniæ deprompta occisione, ad noticiam Summi Pontificis Gregorij Septimi, varijs nuncijs & literis perlata. Summus ipse Pontifex Gregorius, & vniuersus suorum tunc Cardinalium cœtus in flebilem lamentationem ruens, & qua rigiditate Boleslai Regis, & militum Poloniæ, tàm insolens paricidium plectendum esset, matura deliberatione tempus terens, tan- dẽ Petro Gnesnensi Archiepiscopo, & omnibus Poloniæ Ecclesiarum Epi scopis per specialia scripta dedit in mandatis, quatenus in patrati per Regem Boleslaum, & suos milites facinoris, execrationem & pœnam, generale in terdictũ in vniuersa Gnesnensi Prouincia obseruarent. Regem insuper Bo- leslaum, & Regnum Poloniæ omni honore, dignitate, & excellentia Rega- li priuauit; & omnes Barones, Milites, Principes, Vasallos, & subditos, ab eius ditione absoluens, obedientiam, & subiectionem solitam sibi, exhiberi vetuit. Filijs insuper & Nepotibus eorum Militum, qui Boleslao Regi au- xilium, consilium, & assensum in facinus peractum præstiterant; ascensum ad quælibet Ecclesiastica officia, beneficia, dignitates, & honores, vsque in quartam generationem interdixit, & beneficijs habitis & habendis, priua- uit. Inhibens eidem Gnesneñ. Archiepiscopo, & suis Coëpiscopis, ne aliquã cuiuscunque gradus, præeminentiæ, & status personam, in Poloniæ Regem coronare & inungere audeant, sede Apostolica inconsulta. Archiepiscopus autem Gnesnensis Petrus, & omnes Poloniæ Ecclesiarum Episcopi, manda- tis Apostolicis acceptis, etsi grandia & amara videbantur, præuaricari ta- men Summi Pontificis Mandatum non ausi, Interdictum Summi Pontificis publicant, & in Ecclesijs singulis obseratis, laudum diuinorum organa, non sine suo graui, & populi eiulatu, suspendunt. Reuelatum præterea fuit non pullis deuotis, & religiosis viris diuino oraculo, pro patrato in Virum Dei Stanislaum per Boleslaum Regem & suos Milites scelere, Poloniæ Regnum, & prouincias ei subiectas, in tot diuisionũ monstra scindẽdum fore, in quot Boleslaus Rex perse & milites corpus sacrum, in duodecim frustra dismem- brasset, & post aliquanta secula per populorum humiliationem & contriti-

onem placato & propitio Deo, in morem Præsulis Sancti, omni noramine cuiuslibet cicatricis vacui, retintegrandum. Cuius quidem oraculi dem ciationem tunc notitiæ humanæ præstitam, & verificatam succedens ætas dit, nostra quoq; nunc videt, & futura præstante Christo Domino est visura.

Nouo & diro certamine, Henricus & Rudolphus pro Romanorum Regno in loco qui dicitur Fladechein conflingunt, & multis hic inde occisis, victoria Henrico cessit, Rudolpho euadente. Qui nihil secunda clade territus, arma rursus in tertiam expediebat.

ANNO Domini 1080. Licet autem Boleslaus Polonorum Rex Summi Pontificis Gregorij Septimi autoritate & decreto, omni dignitate & honore Regni Poloniæ pro scelere in Sanctum commisso, fuisset priuatus, & subiectio obedientiaque subditorum, eodem Apostolico Decreto fuisset ademptа, Regem tamen se gessit, & singulos suis imperijs parere cõegit, quærens se, & Regnum suum in iusto Decreto perculsum, neq; pro occisione vnius dementis & temerarij Episcopi, culpa sua necati, tot pœnis mulctandum. Adijciebat quoq; his vnà cum militibus, sceleris sui consortibus & proposito suo fauentibus, in Sanctum Dei conuicia, frequentique vsurpatione sermonum, crimen commissum apud idiotas & simplices extenuaturus, Præsulis S. famam lacerare non puduit, agens illum fuisse Prolificem, non Pontificem: pistorem, non Pastorem: oppressorem, non Præsulem: Opiscopum, & opibus deditum, non Episcopum: Speculatorem, non Speculatorem: non cordium, (sed quod dictu quoq; nefas est;) renum scrutatorem; & pro sua tegenda nequitia, aliorum libidinibus fræna laxauisse. His & alijs criminationibus, licèt Sanctum Dei Rex insectatus fuisset, nullam tamen sanctitati suæ obducere poterat, in eorum præsertim pectoribus, qui vitam, & conuersationem S. nouerant, caliginem, cùm & luminaria superna ad sepulchrum Viri Sancti, sæpissimè à fidelibus descendere visa, variæque ægritudines & morbi, ad sui nominis inuocationem depulsi, ab huiusmodi probris & contumelijs Sanctum Dei efficacissimè vindicabant. Sed & ipse Boleslaus crebro rumore de luminaribus supernis ad tumbam Viri Dei descendentibus, ad se delato percitus, & an verus cõfictusue esset; experturus, in speluncam Arcis Cracouiẽsis conscendens, luminaria superna descendere, & corpori Sancto venerationem impendere; claro visu deprehendens, & Sanctum probris lacessere destitit, & sibi vehemẽter pro admisso in eum parricidio, molem sui facinoris tùm primùm recognoscens, timere cepit, præsertim, cùm & contemptus in dies glisceus suorum eum affligeret militum, & execratio non ignota exteriorum illum torqueret. Qui etsi in primordijs regiminis sui solidum & stabile, visus sit, in defendenda propagandaque patria, in liberalitate exercenda, qua sola tantùm valuit, vt solus inter Poloniæ Reges liberalis, & largus, Anthomasicè nuncuparetur, virtutis esse fundamentum; vitiorum tamen molle, singula sua facta confundens, quòd strenuitatis in illo fuit, profunditate flagitij spurcissimi extinxit: quod

liberali-

liberalitatis altero paricidij facinore deleuit. Et quærens maiorum suorum æquare, & transgredi gloriam, adeptus est turpem sibi, & posteritati suæ ignominiam. Et satagens Regni sui propagare terminos, iusto Dei permittente iudicio perdidit propagatos, & crasso tenebrarum fuscatus attramento; gloriam domus suæ amisit, decusque & nomen Regni eneruauit.

Tertiam pugnam Rudolphus cum Henrico Romanorum Rege, iuxta fluuium Elestram conferens, vsque ad internecionem multis Saxoniæ Principibus, & militibus interfectis, profligatur; & manus illi amputatur, in Marburgque delatus, moritur ex vulneribus. Non tamen res Imperij pacificantur eo mortuo & absumpto. Hermanus enim Lotaringiæ Dux illi suffectus decertare, & ipsi noua militia parabat, sed à nonnulis Henrico fauentibus occisus, finem tumultibus fecit. Rudolphi sepulchrum cùm aliquãdo Henricus Imperator accessisset, dicens sibi quodam milite. Cur eum, qui Rex non fuerat, tàm decoro sepulchro fungi permitteret? Henricus verò respondens: Vtinam, inquit, omnes hostes mei tàm honorifico conderentur Mausoleo.

ANNO Domini 1081. Felicem & Regni sui Poloniæ viridem suum statum Boleslaus Poloniæ Rex, ad magni opprobrij, & improperij specimẽ, propter S. Præsulis Stanislai næcem videns recidisse, cùm & pleræq; Prouinciæ Rutenicales, præsertim ab eo subiugatæ, iugo subiectionis abiecto, tributa illi & vectigalia consueta negarent, & à proprijs Baronibus dietim sibi crescceret odium & contemptus. Ad eam insuper pannositatem, & egestatem, magnitudo quondam excellentiæ suæ defluxerat, tamque miserabili sorte, diuinitate illum pro demeritis suis feriente, pessundatus erat, vt Primores Regni in illius & eorum, qui criminis in Sanctum Dei commissi participes extiterant, næcem, aut captiuitatem coniurarent, non aliter se Regi diadematis decus, & diuinorum relaxationem habituros, præterquam eo næcato aut capto posse existimantes. Verùm dùm quod pepigerat, pigrè & cunctanter agunt, coniuratione detecta, Boleslaus Rex cum militibus suis sceleris participibus, quorum mors iuxta ac Regis quærebatur in Vngariam, Ducens secum vnicum filium Miecslaũ iam annum 12. ingressum, veritus ne se absente indignatio Baronum quicquam in illum grauius consuleret, celerrimo cursu, comprehendi á coniuratis metuens, effugit, & ad Wladislaũ affinem & alumnum suum iam in Vngaria regnantem, plerisque militibus illum commitantibus, & his præsertim, qui næcis in Sanctum Dei commissæ conscij fuerant, diuertit. A quo condigno honore exceptus, & aliquanto tempore pro sanguinis & hospitij præstiti, & præstandi vicissitudine (Boleslai enim potentia, & impensis se in paternam hæreditatem profitebatur restitutum) iusto fauore tractatus, multa & varia S. Stanislao Dei Episcopo impingens facinora, & iure illum à se cæsum allegans, in Regis Vngariæ & suorum audientia extenuando magnitudinem sceleris deducebat. Tandem suam excellentiam Regiam apud Regem Wladislaum & Vngaros, propterea quod exul esset & paricida, clandestina submurmuratione, in suas interdũ au-

res penetrante, non ferens diminui filio Miecislao & militibus, qui secum transmigrauerant, illis apud Regem Wladislaum Vngariæ relictis, ipse in Corinthiam vno tantum seruo comitatus, chlamide abiecta, ne prehendi posset, discessit, & in quibusdam Monasterijs à suis Protauis fabrefactis, & fundatis, & signanter in Monasterio Vilthina propè Isburg, in Prouincia suæ regionis Athelis tractu iacentis, in arcta pœnitentia coquinæ squalori bus se mancipãdo omnibus suã conditionẽ, & stirpẽ ignorantibus, delictum & scelus, quod in Sanctum Dei Stanislaum admiserat, Sacramento pœnitentiæ expiauit, A nonnullis verò asseritur, dum in Vngaria apud Regem Wladislaum consisteret, in amentiam versum, tamdiu cruciatum, & molestias dementiæ, donec animã 12. Calend. Aprilis exhalaret, pertulisse, à canibus proprijs in siluis Pannonicis deuoratum esse, & pro reatu paricidij pœnã tam miserabilem à superno vltore inflictam pendisse. Exultatione autem sua, & morte Boleslai secuta, fulgor & decor Regni Poloniæ sensim pessundari, & extingui cepit, culmine quoq; Regio, quod in quatuor tantuũmodo duratu Regibus, abrogato, Polonia à iure Regum, quod illi virtus & probitas Boleslai Chabri Primi Polonorum Regis quæsierat, scelere tetro in Præsulem Dei Stanislaum admisso, quod patrator eius Boleslaus defendere, & extenuare, quàm expiare maluit, in iura Ducum detrusa est, multò disparem sortem sub Ducibus, quàm sub Regibus habitura. Non immeritò autem Boleslaus Poloniæ Rex in suis actionibus, & successibus à se diuersus, admirationem quadam me percellit, vt in ea parte, qua iure laudatur, neminem potè Protauum suum Boleslaum Primum Polonorum Regem æqualem habeat; in ea verò qua reprehendi meretur nemo fædius, nemo scelestius inter Poloniæ Reges Deum læsisse, & Rempublicam pessundasse conuincitur. Dum enim Russiam, Vngariamq; tropheis suis implet, dùm fines patriæ propagat, dùm in omnes liberalitatem depromit, Boleslaum Chabri exprimit: Dum verò in abominandum Sodomiæ scelus lapsus, tyrannidem in fœminas, & in milites agit, dùm reprehendi atq; corrigi dedignans, in Sanctum Dei fœuit, eoq; trucidato, scelus defendere pergit, alterum se Pompilium Polonis obtendit. Et quidquid per transactos Reges & Principes nobilitatis & decoris Poloniæ quæsitum fuerat, confundit.

Salomon Vngariæ Rex Cunnonum auxilijs fretus, Wladislaum Regem bello petit, sed fusus ad Bulgaros fugit, à quibus etiam pulsus in peregrinatione vitam finiuit.

Salomon Vngariæ Rex priscam Regni potestatem & gloriam recuperaturus, in nœcem Regis Wladislai Vngariæ moliri cepit. Quo deprehenso, in carcerem Wissogradensem coniectus, & exinde pietate Wladislai Regis Vngariæ solutus, ad Cunnos, tùm Vngaris infestos, confugit. Præerat tùm Cunnis Kustek Dux, hunc sibi ad ferendum auxilium Salomon pellicit, promittens se eius filiam ducturum, & Transiluaniam regionem iuris sui effecturum. His promissionibus barbarus incensus, Vngariam inuadit, sed à Wladislao Vngariæ Rege certamine inito, amissis plurimis, ad extremum

& Salo-

& Salomon Rex & Dux Cunnorum Kustek, fugatus fususque est. Quo malo perculsus, ad Bulgaros concessit, Vbi dùm cum suis, qui eum sequebantur rapto, in dies viuens Prouincialibus molestus esset, à Bulgaris & Græcis pænè omnibus suis trucidatis, fugatus est. In qua anxietate positus, dùm ad quandam siluam fugiens venisset, comitibus se operiri iussis in loca interiora abiens, de cætero nusquam apparuit, sed omne residuum vitæ tempus vitæ in peregrinatione & vita religiosa traduxit. Ad Polam deinde Istriæ ciuitatem, in littore maris Adriatici sitam, in habitu peregrino delatus, illic mortuus requieuit. Nullum ipse Salomon, sed nec Dauid frater suus hæredem femoris sui reliquit, Deo semini Andreæ Vngariæ Regis hãc dignitatem iusto iudicio inferente. Qui pro nanciscendo Regno & ritus gentiles ac prophanos innouari, & Sacerdotes ministrosque Dei trucidari Vngaris potentibus consenserat.

Wasillio Roscislawic Russiæ Dux pro comperto habens Boleslaum Poloniæ Regem ex Polonia profugisse, & Regnum Poloniæ magna commotione pessundatum esse, inducit in animum ad vastandum illud, & conductis mercenarijs militibus, tàm ex Polowcys, quàm ex alijs Nationibus Regnum Poloniæ ingressus, igne ferroque vastat illud, & aliquibus munitionibus conquisitis, cum præda & spolijs Russiam reuersus est.

Annus hic apud Polonos & Vngaros duorum Regum, videlicet Boleslai & Salomonis fuga insignis feruoreque solis ingenti memorabilis, quo multæ siluæ incensæ, & plura loca paludinosa, à caumate cœlesti siccata arsere.

Andreas Crusuicien Episcopus annis 25. Crusuicien Ecclesia administrata, senio grandæuo confectus moritur, & corpore prædecessoris sui Vincentij additus, in Ecclesia Parochiali in Parkanie sepelitur. Cui Baptista Primus natione Romanus, per Gregorium Papam VII. electioni Capitulariũ Wladislauiensiũ, & suffragio Wladislai Poloniæ Regni Ducis & monarchæ subscribentem, surrogatur.

FINIS LIBRI TERTII.

IOANNIS DŁVGOSCH SEV LONGINI CANONICI CRACOVIENSIS.

Historiæ Polonicæ.

LIBER QVARTVS.

ANNO DOMINI 1082. Refluxuro mihi ad præscribendas Respublicas à Regibus in Duces, & stilus ex se etiam tardus fatiscit, & ingenium plus solito hebetius fieri incipit, molestia singulari deturbatum. Ab eo siquidem tempore, quo Viri B. Staniſlai Cracouiensis Episcopi occisio per Boleslaum Poloniæ Regem, & suos milites patrata obuenerat, & honor Regius Poloniæ detractus est, & ipsa in plures Principatus multipliciter, Ducum successione, diuisa, corporis robusti & vniti formam amisit, & in conditionem depressam & seruilem transijt. Boleslao etenim Polonorum Rege, siue metu, siue patratæ in virum Dei næcis conscientia agitato, in Vngariam decedente, Prælatis & Baronibus, ad formandum Reipublicæ nouum statum conuersis, Wladislaus ex filijs Regis Cazimiri reduus, & Boleslai Regis Germanus, cognomento Hermanus, consensu omnium concordi, in Boleslai locum suffectus est. Qui etsi inprimis, vt Rex habitus & cultus sit, & licet ab omnibus Regis appelletur nomine, ipse tamen sibi titulum & decus Regium non vsurpare duxit, siue quod maiorum more coronatus & vnctus non erat, Pontificibus Regiam illi benedictionem conferre, ne Apostolicum præuaricarentur mandatum, detrectãtibus, siue quod fratrem suum Boleslaum Regem aliquando sperabat redditurum, & tamen non Ducem tantummodo Poloniæ, sed Regni Poloniæ hæredem se titulauit, tanquam fasces Regiæ, & decus Regium homini, non Prouinciæ tributæ essent. Principatum autem Regni Poloniæ vniuersorum approbatione sortitus, cùm esset Vir spectatæ deuotionis & relligionis, primum id agendum curauit, vt interdictum Ecclesiasticum, ob non ita pridem à fratre suo patratam super B. Staniſlao Pontifice næcem positum, à Regno Poloniæ, & à Cracouiensi Ecclesia orbitas & viduitas, qua in eam præmebatur diem, nemine tam dignissimo Sancto Staniſlao, in tot rerum fluctuatione succedere auso, toleretur. Et quia interdicti censura ex sedis Apostolicæ auctoritate peruenerat, Nuncios solennes Ecclesiasticos & seculares Romam ad Gregorium VII. mittit. Quorum humillimis, & sedulis precibus Gregorius VII. motus, cùm & Boleslaum Regem S. Viri occisorem pro comperto accepisset de Poloniæ Regno exulasse, & fratrem suum Wladislaum Principem raræ deuotionis successisse, & interdictum hactenus in Ecclesia

Polonica

Polonica sustulit, & Lampertum Polonum natione, Virum sibi à pluribus annis cognitum, & in negotijs officijsq; curiæ Romanæ sincerè versatum, genere nobilem de domo & familia Habdank, Cracouiesi Canonicum, via scrutinij à Capitularibus electum, in Cracouiesi Episcopum præfecit & ordinauit. Cepit insuper Wladislaus Dux Regni Polonici gubernationem in cæteris prudenter dirigere, stratas publicas pacificans, & pro imbecillibus defensionem suam contra potentiores opponens. Nonnulla insuper Boleslai Regis Poloniæ fratris sui Germani decreta retractans, & ad mitiorem formam reducens,

Prælium eo Anno inter Wratislaum Bohemiæ Ducem, Fratresq; suos, Conradum & Ottonem ab vna, & Leopoldum Austriæ Marchionem partibus ab altera, ob iniuriam ab australibus Morauis sub Conradi & Ottonis ditione consistentibus, illam, gestum in Morauia est. In quo ab vtraq; parte multis cædis & vulneratis, victoria Wratislao Duci Bohemiæ & Fratribus suis Conrado & Ottoni, Marchione Austriæ, Leopoldo fuga saluato, obuenit. Wratislaus spolijs onustus in Bohemiam reuersus.

ANNO Domini 1083. Stirpe Regum Poloniæ ad vnum tantummodo Wladislaum Ducem Poloniæ redacta, vniuersali Prælatorum & Baronũ Poloniæ requisitione, & prece, ne domus & Prosapia vetus, & illustris, in totum deficeret. Wladislaus Dux coniugales inire tædas compellitur. Qui in omnibus voluntati Consiliariorum deferens Virginem Illustrem Iuditam non forma solùm, & genere ingenuam, sed moribus & virtutibus excellentem, & insignem. Wratislai Bohemiæ Ducis filiam ex prima vxore Adleida Regis Vngariæ Andreæ nata susceptam, accepit in vxorem suadente & instigante, etiam ad id germano suo Wladislao Poloniæ Duci Suiantochna Ducissa Bohemiæ Wratislai Ducis in altero matrimonio consorte. Quæ probè familiari experientia Iuditæ Virginis à se educatæ, morum honestatem nouerat. Qua à Patruis suis Conrado & Ottone Morauiæ Ducibus & Primis Baronibus Bohemiæ Cracouiam deducta, nuptiæ cum magna celebritate peractæ sunt. Hanc & in mariti Ducis Poloniæ Wladislai, & Patris Wladislai Bohemiæ Ducis honorem, & ob virtutum, excellentiam, & raritatem Reginam sermone vniuersali, & literis comperimus appellatã. Quam adeò & gentem & Regnum Polonorum memoria proditum est dilexisse, vt pro eius amplitudine, atq; instauratione multos labores subijsset, vt non in Bohemia, sed in ipsa Polonia nata atq; educata crederetur.

Peste seuissima apud Rutenos & eorum Regiones exorta, vtriusq; sexus mortales deleti sunt. Absumitur etiam Epidimiæ morbo Wszeuoldus filius Iaroslai, & Nepos Wladimiri Kiouiesi Dux, 13 die Mensis Aprilis, & in Ecclesia S. Zophiæ in Kiow per filios Wladimirum & Rośćislaum, quos reliquerat, sepelitur; Amator pauperum & spiritualium. Cui Pater Iaroslaus, ob illius humilitatem moriturus benedixerat. Post mortem autem Wszeuoldi Wladimirus filius suus natu maior ea cogitatione agitabatur. Sic ac-

cepero

cepero Kiouieñ. Principatum, sedem Patris mei, restat mihi cum Suátopelkone filio Zaslai bellum gerendum, quoniam Sedes patris sui erat. Et cùm hæc apud se, missis nuncijs, Swãtopelkonem accersit, & ei de sede Kiouieñ cessit, solus verò iuit in Czernieiow, & frater suus Roscislaus in Peresiaw. Swãtopelkus autem dum in conductu Paschæ Kiouiam aduenisset, à Kiouiensi occursu, & muneribus exceptus est, & in solio Patris & Patrui eius tunc consedit.

ANNO Domini 1084. Turpe sibi & domui, familiæque suæ, Wladislaus Polonorum Dux ratus, Nepotem suum Miecslaum filium fratris sui Polonorum Regis, & S. Stanislai occisoris, in exteris terris exulis more, contineri, mittit in Vngariam ad B. Virum Wladislaum Nuncios, qui tàm Nepotem Miecslaum, quàm cæteros milites cum eo exulantes in Poloniam reducãt. Miecslaus Dux iam apud alfinem suum B. Virum Wladislaum Vngariæ Regem, post Patris discessionem, integro biennio moratus, donis naturalibus, gratuitis, & acquisitis, cùm sibi in Beati Wladislai Ducis, & Fratrum suorum Geisæ & Lamperti conspectibus fauoris gradum extruxerat, vt in filij educaretur loco. Agilitate insuper & robore corporis adeò omnes non coetaneos solùm, sed altioris quàm ipse fuerit ætatis, hominesque Polonos & Vngaros anteibat, vt omnium Vngarorum gratiam, & admirationem quòcunque ire pergeret, in se inclinaret, & charissime ab omnibus diligeretur, ac veneraretur affectu, omnes tùm hos & alios nodos, natura & amor reuisendi patriam potentior expugnauit. Venientibus itaque Patrui Wladislai Poloniæ Ducis ad repetendum & reducendum eum Nuncijs, relicto Vngarorum Contubernio derelicto, se illis iunxit. Et vt cum fauore & gratia remitteretur, nutritorem & affinem suum Wladislaum Regem Vngariæ, cui à patre Rege Boleslao commendatus fuerat quique solicitam illius curam in eam diem egerat, flagitare cepit. Qui etsi adolescentem admirandæ virtutis & indolis priuata sanguinis necessitate, sibi strictè coniunctum, molestè pateretur, à se disiungi, ad extremum tamen ardore suo, quem pro redeundo in patriam hausisse viderat, conspecto, equis, & vestibus, armisq; ac clenodijs muneratum ad patruum eius Ducem Poloniæ Wladislaum remisit. Redijt & cum eo Borzywoy filius Miłæ, Sbilutus, Dobrogostius, Paulus, Zema, Odolon, & Andreas, cæteriq; omnes milites, qui cũ Boleslao Rege in Vngariam effugerant. Quibus Wladislaus Dux Poloniæ omnia Bona eorum immobilia vniuersali decreto Cameræ fisco Ducali, propter næcem B. Stanislao illatam, & propter transfugij crimen applicata, ad plenum restituit.

Henricus Romanorum Rex cum Coniuge sua Berta in die Paschæ à Clemente Papa, quem ipsemet Henricus in Papam constituerat. Imperialem accepit benedictionem, verum Papa Hildebrando renitente & exulante. Qui Clemens ante Guibertus Rauennensis Archiepiscopus dicebatur.

ANNO Domini 1085. Rebus publicis quæ ex B. Stanislai Episcopi occisione, & Boleslai Regis discessione turbine grandi, inuolutæ & in-

crustatæ erant, Wladislaus Polonorum Dux, ordine quo poterat reintegratis & refectis, sterilitatis vehementius quàm sat erat, cepit angi incommodo. Ducissam enim suam Iuditam, quia tanto tempore vterum non implesse nouerat, perpetua credebat sterilitate infœcundam, prosapiamq; stirpis suæ in se cruciabatur extinguendam. Ducissa itaque ludita infœcundatis opprobrium euasura, in relligionem versa, in Ecclesias, pupillos, egenos, viduas, peregrinos, omnesque miserabiles personas profusas errogat donationes, quotidianis insuper suspirijs, obsecrationibus, & fletibus dari sibi fructum boni germinis & masculinæ prolis à Deo Optimo Maximo precabatur. Crebris eorum singultibus & acerbitatibus, Lampertus Cracouien. Episcopus, cùm natione Gallus esset, remediũ præstiturus, ita apud vtrumq; disseruit. Habet, inquit, Franciæ Regnum in Prouincia Prouinciæ contra Austrum iuxta Massiliam, vbi Rhodanus miscetur Oceano, corpus precioli Confessoris B. Ægidij in Monasterio suo nomini specialiter dicato, in quo & deuotorum Monachorum sub Regula B. Benedicti militantium habetur frequentia, tàm præstanti virtute & meritò apud altissimum refulgens, vt nemo salutare & iustum aliquid in suo nomine petens, repulsam vlus est habuisse. Illum vobis propitium repromitto, si ad eum confidentes recurritis habueritis, pro quo me & vadem pono, desideratam fœcunditatem, & prolem sua prece obtenturum. Hac consultatione aliquantulum ad spem depellendæ sterilitatis erecti, & imaginem infantis effigiem præferentem, & calicem raræ magnitudinis de puro metalo auri industria artificum fabrefactam, Item B. Ægidij auream & ponderosam effigiem, Item vasa præter hæc aurea & argentea, vestes quoque aureis laminis, & oltro intextas, & multa alia, quæ Lampertus Cracouien Episcopus suaserat, aggregabant, & per insignes Nũcios ex statu Ecclesiastico & seculari lectos, quorum Petrus Canonicus Cracouien Principalis erat, in Prouinciæ Prouinciam ad honorandum S. Dei Ægidium Monasterio suo tradenda, transmittunt. Qui cùm incolumes ad locum destinatum peruenissent, & Monasterij Abbati, fratribusq; Wladislai Ducis Poloniæ, & suæ consortis Iuditæ nomine oblatis, cum omni deuotione S. Ægidio allatis muneribus, postulationes, vota, & desideria, cæteraque mandata exposuissent, triduanum Monachis per Abbatem indicitur ieiunium, sub quo Omnipotentis Dei clementiam instantius obsecrari iussit, vt præclara sui Confessoris Ægidij merita apud peregrinos, & remotas nationes, pro sui nominis dilatando honore declarans, vota peregrè fatigatorum impleret Polonorum, & virili prole vterum Ducissæ Iuditæ sua largissima dignitate ac benignitate fœcundaret. Nec dùm triduo ad affligendum ieiunio animas instituto exacto, vni cæteris relligione & vitæ integritate Monacho præstantiori reuelatum est, B. Ægidium sua prece sterilitatem depulisse, & fœcunditatem Duci Wladislao & consorti suæ Iuditæ impetrasse. Proinde Poloniæ legatis per Abbatem certissima spes facta omnia, pro quibus S. Ægidium precaturi aduenerant, diuinitatem largitam esse. Alacres Nuncij tàm certo & ad optato responso accepto, efficax & ve-

rax fuisse denunciatum sibi per Abbatem oraculum, Ducissamq; Iuditam vterum impleuisse,& gratiarum actionem in Deum & S. Ægidium pro concepto fœtu, celebrare, domum reuersi comperiunt.

Frequenti exercitu Polowcy barbari Rutenorum hostes infestissimi congesto, ad vastandum terras Russiæ animum intendunt, præsertim cùm dicerentur Wszeuoldum mortuo Suantopelkum Zaslai filium in Principatum Kiouien succesisse. Præmittũt tamen Nuncios ad Suãtopelkũ, qui monerent vt pacem cum illis paterno more obseruet, & de tributis neglectis illis respondeat. Suãtopelkus verò Nuncios Polowconũ legationẽ eorũ moleste ferens, captiuauit, quod dum apud Polowcos percrebruisset, versi in superbiam terram Russiæ crudelissimè vastare cæperunt. Suantopelkus verò intelligens se nuncios Polowconum captiuando iniquè egisse, solutis ac remissis nuncijs pacem, quam prius respuerat,à Polowcys flagitare cæpit. Quam cùm negarent, milites in arma cogebat, cum Polowcys summè cupiens decernere. Et dùm parum sensati milites propositum animi sui laudarent, cæteri quibus altior inerat sensus, damnabant. Asserentes, si copijs eorum etiam octo pugnatorum milia accederent, non se tutò cum Polowcys signa collaturos. Suggerentibus autem militibus, mittit Suãtopelkus ad Wladimirum Czernieiouien, & Roscislaum fratrem suum Pereaslauien Duces petens sibi succuri: Qui coadunatis exercitibus veniunt in Kiow, Suãtopelkonemq; Ducem acriter carpunt, quod contra Ius gentium nuncios Polowconũ violasset. Consiliarijs verò suadentibus, vt postquam Polowcy sine cessatione terram affligerent, Iurgijs aliud reseruaret tempus, & defensioni terrarũ potius vacarent, exercitum in campestria contra hostes educunt, & primis Rutenis ad Getropolie habitis ad flumen Stuchnia perueniunt. Vbi militum animos, si decernere vellent, explorant, & sententijs diuersificatis Wladimirus Dux suadebat, transito flumine agere cum hostibus de pace. Quod cum multi probassent Kiouien sermo displicuit, qui negabant sẽ cum Polowcys aliquam pacem inituros. Qua sententia ab omnibus accepta, flumine Stuchnia tunc aquis impletò transuadato acies ordinatas dirigunt contra hostes, Roscislaus leuum, Suantopelk dextrum cornu, Wladimirus mediũ eorum tenebat,& 26. Maij die pugnam committunt. Polowcy Sagittarijs ante se præmissis, Rutenorum exercitum inter duo fossata consistentem inuadunt. Inprimis autem Suantopelkum & exercitum eius in cornu dextro confligunt, cuius militibus in fugam versis, & ipse Suantopelk fugiens sequutus est illos. Irruunt deinde Polowcy in Wladimirum & Roscislaum, profligantq; eos, & fugiunt ambo Duces cum militibus, qui supererant, periclitabaturq; Roscislaus in flumine Stuchnia aquarum vorticibus illum præmentibus. Cui laturus auxilium Wladimirus, frater suus parum abfuit, quin & ipse aquis suffocaretur. Et suffocato Roscislao, & pluribus militibus, Wladimirus cum paucis tranato flumine in altera ripa constitit, flens fratrem suum Roscislaum, & milites, qui in prælio & vndis vnà secum perierant. Exinde fugit Suantopelk in Kotropol, & ad vesperam illic vsque commoratus, sub

tus sub caligine noctis subsequentis peruenit in Kiow, corpusq; Roscislai in aquis repertum, in Kiow delatum est, & in Ecclesia S. Zophiæ in paterno sepulchro sepultum, Polõwcy victoria potiti, populationem quantò longius possunt, extendunt. Castrumque Torcz circumsedent. Et premente obsessos fame, petebant sibi à Suantopelkone succurri, asserentes se diutius ni succuratur, famem non tolleraturos. Et licet Suantopelk miserit victualia, non tamen poterant ad Castrum importari, hostibus vndiq; obsidẽtibus vias. Quindecim autem diebus obsidione ad Castrum Torcz Polowcy bipartito agmine continuata, cõsurgit vna pars, & vadit contra Kiow, altera in obsidione permanente. Exiuit autem Suãtopelk Polowcys obuiam, & commissa pugna multis vtrinq; cadentibus, prævalent Polowcy, & Suãtopelk duobus tantummodo comitatus in Kiouien arcem, militibus suis occisis aut captis, refugit. Reuertuntur itaque Polowcy in Torcz cum spolijs Rutenorum & captiuis,& fit planctus magnus apud obsessos,postquã ex ostentatione captiuorum Ducem suum Suãtopelkum intellexerunt, succubuisse, & non valentes se vltra propter famem retinere, dùm spes de subueniendo nulla foret, dedunt Castrum Polowcys. Quo Polowcy accepto, succendunt illud, magnumq; populi Rutenici numerum in captiuitatem abducunt in regiones suas. Vbi plures numero hyemis austeritate extincti sunt,cæteri incedunt squalidi & semiuiui. Factoq; mutuo scrutinio, de qua stirpe, regione, aut villa, forent, captiuitatem suam & seruitutem ploratu intenti & lamentis deplangebant. Die 16. Nouembr. Roscislaus illius Mscislai nepos Zaslai moritur, & in Ecclesia S. Mariæ in Desiebniow sepelitur.

ANNO Domini 1086. Sub omni autem tempore, quo cõceptam munere diuino & S. Ægidij meritis sobolem Iudita Ducissa Poloniæ gestabat, ieiunijs, vigiligis, deprecationibusq; vacans, in Ecclesias quoq; & ministros earum egenos, pauperes, & quosq; indigentes, postulans vt felicibus auspicijs partus proueniret, liberalitatis dextram, fœnore duplicato intenderat. Nec tàm humilem & deuotam Ducissæ Iuditæ supplicationem in cassum iri pertulit diuinitas. 20. namq; Augusti die pulcherrimum filium effundens, & oraculum à Monachis B. Ægidij editum impleuit, & fructum suorũ operum ac largitionum accepit. Ad partum prodigiosum & optatum Prælatis, & Baronibus confluentibus, & corrogatis, Ataui nomen Boleslaus per Lampertum Cracouien Episcopum vnda Baptismatis regeneratus puer, patre iubente accepit. Conuiuia insuper opipare habita, & ludorum magnifice institutorum apparatus conuiuas, & inuitatos pluribus diebus detinuit. Magna dehinc S. Ægidius cæptus est in Polonia veneratione coli, & à matronis steriles veteres habentibus, pro fœcunditate sobolis inuocari. Hinc in Cracouien Vrbe ædes illi, certum Canonicorum habens dotatum numerum, à Duce Wladislao Poloniæ, nouam æditionem filij gratificantis primum condita est: Deinde per vniuersum Regnum Poloniæ, in Oppidis, villis, vicis, & villa gijs in Tarszek, videlicet Pkanow, Klodawa, Kcinia, Krobia,

Krobia, Czernieiow, Gebultow, & Zborow Episcopali, & per Ducem Wladislaum & milites suos templa quæ & hactenus extant, fundata sunt. Dicissa posthæc Iudita filiũ editum Boleslaum tenerrimo affectu educans, breuiusculo tempore superueniens, in ipsa Natiuitatis Dominicæ noctæ fatis intercepta, & in vitam sempiternam (vt pia ex virtuosis suis operibus præsupponi potest credulitate) translata est. Cuius excessus & Wladislaum Poloniæ Ducem consortem suum, & Ecclesiastici secularisque ordinis viros quibus admodum chara extitit, singularibus luctus aculeis afflixit. In amboguo quoque Dux Poloniæ Wladislaus versabatur, orbusne consorte superstite esse maluerit, an genitor, tàm chara & prudenti vxore amissa. Puerum autem natum eò teneriori educari ordinauit cura, quanto illum manifestiori diuino munere, de sterili coniuge susceperat. Huius fœminæ benedictæ intercessione & suffragio Comitatus Chropi in Siradieñ terra, quæ nunc Pabianice appellatur; Canonicis Cracouieñ Ecclesiæ perpetuo donatum est, & Monasterio Tineceñ villa Xiaznice inscripta, & Ecclesiæ Wladislauieñ Cathedrali, Castellania Lagouieñ cum suo districtu in terra Sandomirienſi perpetua donatione concessa. Surgere quidem fecerat prouidentia diuina & mystica, Iuditam Polonorum Reginam, quæ diuinæ auida visionis, non minus quàm Salomonis Austriæ Regina fuit. Hæc cælitus diuini muneris largitate astitit Ecclesiæ Polonicæ beneficiorum varietate. Illa enim exploratrix sapientiæ Salomonis, venit de longe videre industriam terenæ ordinationis, hæc soler indagatrix, cælestis contemplationis meruit videre, & accipere dona salutiferæ operationis. Nam oblita domus paternæ traditionis, & acquiescens consilijs Euãgelicæ admonitionis, quicquid rerum habuit, ad decorem domus Domini liberaliter erogauit, & loca diuinæ habitationis multipliciter ditando insigniuit. Canonicis enim Ecclesiæ Cracouieñ, vt præmisimus, contulit Castellaniam de Chropi cum hominibus ascripticijs, qui per 30. Annos fuerunt in manuali possessione, vel qui astricti sunt glebæ soli propria professione, & originarijs, qui ex ascripticijs nati in ipso solo glebæ coaluerunt, & cum seuitutibus eorum & tributis, que constituunt in frumentis, melle, pellibus mardurinis. Obsequio igitur tàm deuoto subsidij temporalis prædicta Iudith meruit adiuuari perpetuæ orationis suffragijs. Nam prædicti Canonici ipsius Reginæ astricti deuotione, horas glorioſæ Virginis Mariæ peragunt. Monasterio verò Tinceñ eadem Iudith contulit Xiaznice cum suis appendicijs, scilicet cum villis supra Vislokam fluuium constitutis, & cũ hominibus easdẽ incolentibus ascripticijs & originarijs, cum seruitutibus eorum & tributis. Episcopo verò Cuiauieñ contulit Castellaniam de Lagow, cum seruitutibus eiusdem. His igitur & consimilibus in subsidia diuersarum in Polonia Ecclesiarum attributis, quidquid patrimonij vel dotalicij in auro, argento, gemmis, & cæteræ suppellectilis ornatu possedit, in pios vsus, & conseruationem pauperum orphanorum, & miserabilium personarum affectu compassionis erogauit. Quæ cùm tot beneficijs charitatis, thesauros immarcessibiles in cœlesti patria sibi cu-

mulasset, ad epulas Christi meruit inuitari. Nonis enim Calend. Ianuarij in Vigilia festi Natalis Domini, de ergastulo huius carnis soluta, ad festum æternæ iucunditatis euocata, feliciter migrauit, & diuinæ fruitionis desiderio non fraudatæ, in pace felici requiescens, æternæ beatitudinis, præmijs expectat insigniri.

Suantopelkus Kiouieñ Dux cladem geminato prælio acceptam, vtcũq; serius, quam expediebat, cũ Polowcys fœdus init. Pro cuius soliditate Tuhonkam filiam Ducis Polowconum accepit in consortem. Impetrato à Polowcys auxilio Olech Rusiæ Dux Castrum Czernieiow, & eius regionem impugnat, & Wladimiro Duce Czernieiouieñ mœnia tueri contento, Olech Monasteria, Ecclesias, vicos, & rura, in circuitu igne deuastat. Wladimirus aurẽ videṡ se plurimũ angustiatũ, missis caduceatoribus, pacem cum Olech concludit, & de Castro Cernieiow Olech excedens, in Pereaslaw se recepit. Nec tamen ob id Polowcy Olech permittente à vastanda Czernieiouieñ terra quieuerunt. In qua multi Rutenorum occisi, multi capti, multi in seruitutẽ abducti. Locustæ insuper in graui multitudine in terras Russiæ apulsæ, omnia germina deuorãt, & consumũt: Regioq; Rutenica hinc vastatione & clade barbarica, illinc locustarũ demolitione sub vno tempore vehementer afflicta est.

ANNO Domini 1087. Polonorum Regina Dobrognieua, alias Maria relicta olim Cazimiri primi Poloniæ Regis, & Ducis Wladislai genitrix, quæ vsq; in ea tempora vixerat, annis iam matura, & æuo, simul quoque de casu & ruina filij sui Boleslai Poloniæ Regis occisoris S. Stanislai, deinde & exilio contabescens, moritur, & in Ecclesia Cracouieñ Wladislao Duce manus suæ cohonestante exequias legitimo honore tumulatur.

Posnanieñ Ecclesiæ Episcopus Theodorus Primus, annis duobus & viginti in Pontificatu Posnanieñ exacto, febrem tercianam lenem, seq; diuturnam perferens moritur, & in Posnanieñ Ecclesia sepelitur. Cui Dionysius Primus Italicæ nationis vir, sed linguæ Græcæ gnarus ab Vrbano Papa suffectus, & Capitulo Posnaniẽsi, & Wladislao Principe, & monarcha Poloniæ, multipliciter abnuentibus, quorum vterque gestiebat prisco more abrogato, non Italum sed Polonum promoueri.

Henrico Quarto Imperatore Romanorum, anno eodem solennem Cũriam Principum Moguntiæ per dies plures tenente, Wratislaus Bohemiæ Dux ad illum accessit, & magnæ æstimationis atque ponderis in auro & argento vasis cælatis, gemmisq; oblatis muneribus se in Bohemiæ coronari Regem, & tempora sua diademate ornari obtinuit. Mandante siquidem Henrico Imperatore præfato, Engelbertus Treuireñ Archiepiscopus Pragã venit, & in Ecclesia Pragensi 17. Calend. Iunij Wratislaum Bohemiæ Primum Regem, consortem vero suam Suiantochnam, filiam Cazimiri Poloniæ Regis in Reginam Primam, coronis per Imperatorem Henricum decretis, solenniter astante magna Bohemorum multitudine, & de suæ gentis prosperitate, varia & frequenti modulatione exultante, inunxit & coronauit. Itaque pænè sub

vno & eodem tempore, & Bohemiæ Regnum cepit, & Poloniæ Regnum desijt, vtriusq; Regni continuationem, & progressum quasi natura in vna lingua inuidente.

Octaua Augusti Marco Ploceñ Episcopo 19. annis Pontificatu functo, mortem ex scabiæ oppetente, Stephanus Primus natione Polonus, Præpositus Ploceñ à Capitulo Italis neglectis, electus à Victore Papa III. aliquanto tempore cunctante. & Italum potius, quàm Polonum promouere cupiente Wladislao Duce & Monarcha, crebris literis instante sufficitur.

Sub idem tempus Iaromirus Pragen Episcopus Olomũceñ Episcopatum, cuius tunc ex obitu Ioannis Pontificis vacatio intercesserat, suo Episcopatui Pragẽsi rei ntegrari & vniri, germano suo Wratislao vnionem ipsam in fraternum fauorem, quam tamen alias detestabatur promouente, ab Henrico Imperatore impetrauit. Quæ res adeò illi maioris insolentiæ contulit fomentum, vt prælente Rege interesse diuinis contemneret.

Cùm multo tempore Gregorius Papa VII. cum Henrico IV. Imperatore ad inuicem certassent, & vnus alium Concilio conuocato deponere, Vltimo Imperator suum facinus recognoscens, ad obedientiam Gregorij redijt, Guiberto quem in Antipapã erexerat, mala morte cum suis obeunte. Veniens siquidem Henricus Imperator in Italiam ad Papam Gregorium, nudis pedibus super niues & glacies pluribus diebus stetit, & sic veniam impetrauit. Crucem quoque contra Saracenos Ecclesiæ quàm pertinaciter læserat, pœnitentiæ satisfacturus, assumpsit.

Exactis autem Gregorius in Pontificatu annis 10. moritur Salerni, & illic sepultus est, miraculis corruscando. Quo mortuo, Victor III. Abbas Casinen Desiderius ante vocatus, per electionem Canonicam succedit, & sub eius Pontificatu ordo Cartusiensium sub Patre Brunone cepit. Alijs placet, vt verius, Henricum quidem Imperatorem, recõciliationem cum Gregorio Papa fecisse, sed cito posthæc ad rebellionem redijsse, & suum Papam Guibertum Romam deduxisse. Quapropter Gregorius VII. Salerni in exilio moriturus fertur dixisse. Dilexi iustitiam, & odiui iniquitatem, propterea morior in exilio. Maius deinde discrimen in Ecclesia Gregorio obeunte, secutum est, Guiberto per vim sedem Romanam occupante.

ANNO Domini 1088. Charæ vxoris Iuditæ, Wladislaus Polonorum Dux orbatus destitutusq; solatio, alterũ matrimonij fœdus abhorrebat. Crebris tandem suorum Prælatorum ac Baronum persuasionibus expugnatus, B. Wladislao Pannoniorum Rege suo affine, id quoq; & sibi, & Reipublicæ expedire censente, Zophiam alias Zophoniã Vngariæ Reginam, Salomonis Regis Vngariæ relictam, & Henrici Tertij Imperatoris filiam, & Quarti Henrici tunc regnantis, sororem desponsat in vxorem. Hæc in Vngaria (Salomone Rege post infelicem pugnam, qua Humanorũ adiutus auxilio Duce Kustek gesit; in Bulgariam primum, deinde Istriam diuertente) morabatur, omnisq; ei honos à B. Wladislao Rege seruatus est, & donatio dotis no-

dotis nomine sibi de rebus & possessionibus, per Salomonem facta sincere, & integrè habita, & propter Prosapiæ excellentiam, & status Reginalis dignitatem. Eo quoq; beneficio B. Wladislao Vngariæ Regi obligata minus cunctanter, ipso B. Rege huiusmodi promouente matrimonium Polonorum Duci Wladislao nupsit, & in Poloniam frequenti & insigni comitatu deducta, haud contemnendam nobilium rerum, & Clenodiorum suppellectilem, secum in Poloniam attulit; Et licet prædicta Zophia Regina vxor Wladislai Ducis Polonorum, viuente primo marito Salomone Rege sterilis semper fuerit, ex Wladislao tamen Polonorum Duce fœcunda esse cœpit, tres quoq; filias tempore procedente edidit. Accepit & tunc Miecslaus Princeps Boleslai Regis Poloniæ filius, Epheborum ætatem parum iam transgressus Swantopelki Kiouien Ducis sororem germanam Eudoxiam nomine, Wladislao Patruo suo Polonorum Duce ordinante vxorem, quatenus Russiæ Regiones à patre suo subactæ hac affinitate magis sinceriores, & deuotæ in fide persisterent, magnusq; Cracouiæ Conuentus Principum & Baronum habitus est, & Wladislao, & Miecslao Ducibus Poloniæ celebritatem singularem exercentibus, pro accepto matrimonio geminato.

Victor III. Pontifex Romanus; dùm anno vno, mensibus 4. diebus 7. sedisset, per amicos Henrici Imperatoris sibi in calice venenum propinatum sumens, ventris profluuio fatigatus dissoluitur. Cui Otto, vel Oddo, qui prius Monachus Cluniacen, post Cardinalis & Episcopus Ostiensis fuit, Vrbanus II. nominatus succedit. Qui in Franciam vadens, aliquot Concilijs congregatis, Principes Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Nortmaniæ, Flandriæ, ad recuperationem terræ Sanctæ à Saracenis occupatæ, & plurimos Christi fideles Crucem assumere induxit, & sub eius Pontificatu, terra Sancta feliciter recuperata est. Renouatur autem Vrbano assumpto inter ipsum & Henricum Imperatorem, & Guilbertum Antipapam scandala, vno alium varijs censuris, & de honestationibus percellente. Grauisq; turbatio Ecclesiam Dei vexabat eo tempore, viris Ecclesiasticis (& quod execrabilius est) Pontificali dignitate præditis, se inuicem collidentibus, ac per contentiones & Zelos carnaliter sese emulantibus. Nullus nexus Spiritualis concordiæ, in cæteris inferioribus Italiæ prælatis poterat seruari. Hic Vrbanus II. in Concilio apud Clarum montem celebrato statuit, vt horæ B. Mariæ Virginis quotidie, officium verò Sabbati die solenniter implerentur, quod hoc Beata Virgo fratribus in Cartusia reuelauit.

ANNO Domini 1089. Decimi iam anni, ex quo Beatissimus Martyr & Pontifex Stanislaus Cracouien Antistes, Boleslao Polonorum Rege felici cruore damnatus erat, tempus agebatur, hominum tamen Ecclesiasticorum, quàm secularium illius temporis sua Curia, qui & Martyrium suum coram viderant, Sanctitatis sublimitatem nouerant, miraculorum ab ipso in vita, & post patratorum scientiam plenam habuerant. Corpus tamen B. ante fores Ecclesiæ S. Michaelis de Rupella, in eo cinere, quo primum humatum

matum fuit, patiebatur delitescere, donec S. Dei Staniſlaus, id ſibi præſtari imperauit officium. Dùm ſiquidem Nobilis quædam, & religioſa matrona, ipſo B. Staniſlao pro excellentia meritorum plurimum deuota Swiantoſlawa nomine, ſæpè nocte intempeſta, pro ſuis & aliorũ neceſsitatibus Sanctum Dei, á quo iam in frequentibus ſuis obſecrationibus poſtulatam impetrationem acceperat, interpellatura ad ſuæ ſepulturæ locum, crebras ageret excubias, in vnius noctis, quam illic in orationibus & precationibus tam ferè abſumpſerat, dilluculo verſa in Extaſim, Eccleſiam S. Michaelis de Rupella multorum luminarium, atque lampadum fulgore refertam ingreditur, officiorum diuinorum ſolennia auditura. Tùm ad Eccleſiam venerandus, vt illi videbatur, Staniſlaus Pontifex Pontificali amictu indutus, Venerabilium perſonarum munus miniſterij ſecum vnâ exequentium, in coronæ modum cinctus frequentia mannam quandam celebritatem expleturus aduenerat. Cumque ſingula ritu ſolenni expleta eſſent, ea vox à Pontifice S. ad matronam inſonuit. Indignum, inquit, prouidentiæ Diuinæ videtur, & maieſtatis ſuæ oculis ingratum, quòd paucus mihi debitus honos impenſus eſt, & oſſa mea decennio ferè iam exacto, vili conſiſtunt in puluere. Conſurge itaque filia, Deo & mihi deuota, & intrepida; Lampertum Cracouieñ Epiſcopum Succeſſorem meum, & Canonicos fratres meos adi. His quoque omnium quæ hic agi vidiſti, relatione fideli patefactis, manda illis, vt corpus meum in Eccleſiam maiorem non cunctanter transferant. Qua relatione Lampertus Cracouieñ Epiſcopus audita, cum Canonicis ſolenni proceſsione omnibus Vrbis Eccleſijs indicta, corpus Sanctum in Eccleſiam Cathedralem Cracouieñ S. Venceſlao dicatam intulit, & in medio Eccleſiæ nobilem tumbam, auro, & gemmis adornatam, qua & cineres & oſſa condita ſunt, fabricauit, hoſque verſus capitalibus literis in auro inſcripſit. Tumba Staniſlai cineres tegit, iſta Beati Regis Boleſlai, quia non fauet impietati, Martyrio meritas cœli migrauit in ædes. Felix cui Deitas merces, cui ſydera ſedes. Omiſit autem Wladiſlaus Regni Polonici Dux ſtudioſèq; diſtulit, pro S. Dei Staniſlai laborare Canonizatione, quamuis videret illum mirificis fulſiſſe, fulgereq; prodigijs, ſilentij latibulo opera S. Dei contegens, ſuo, & generis ſui, qui per Canonizationem B. Staniſlai illuſtrandus, detegendusque fuerat, parſurus pudori, ignominiæ, turpitudini, & dedecori. Exceſsit poſt tranſlationis huius paucos dies è vita Dux Miecſlaus filius Boleſlai Polonorum Regis, & S. Staniſlai occiſoris, nec aliquam prolem ex vxore, quam anno tranſacto ſuſceperat, reliquit, in quo ſemen Boleſlai Regis paricidæ deſijt, vt verbum S. Viri Staniſlai, quo illi in ſcelere perſeueranti orbitatem, & femoris ſui perpetuam extinctionem prædixerat, impleretur. Cuius vitæ breuitas nihil habet memoria dignum aliud, niſi quòd caligine ſubitæ & inſperatæ mortis inuolutus, declarauit, non plus certitudinis protrahendæ vitæ habere florentiſsimum adoleſcentem, quàm incuruum & veteranum ſenem. Habet nonnullorum ſcriptorum aſſertio factione certorum Poloniæ Baronum, eorum præcipuè, quorum autoritate,

& obiur-

& obiurgatione Boleſlaum Poloniæ Regem exulatum iri conſtabat, veneno Ducem præfatum Miecſlaum ſublatum fuiſſe. Nam cum ſupra ætatem, vegetior illi erat indoles, & tàm liberalitatis munificentia, quàm militaribus actibus, factiuitate, comitate, & induſtria, pluſquam illi conueniret ætati, patrem expreſsiſſe videretur, præfatorum Baronum improbitas, verentium ne paternas iniurias ſtatu & ætate maturante vltum iri pergeret, illam ſibi veneni peſtem aſſeritur procuraſſe. Qua non ipſe tantum, ſed & ſui nonnulli domeſtici familiares infecti, aut exhalabant animas, aut diuturno morbo correpti miſerè langueſcebant. Suſpectum etiam affectati Regni nonnulli ferebant Wladiſlao fuiſſe, ob idque mortem ſuam æquo minus tuliſſe, quod circa eum ingentem totius Polonici populi gratiam videret adoleſcere, & ob id de his qui illi nœcem ſubminiſtrauerant, neglexit pœnas inquirere. Obitum autem Miecſlai Ducis tàm miſerandum, quàm miſerabilem, quis iuſtus rerum æſtimator, ſola Dei iuſticia ſequutum dubitabit accidiſſe? qui ſcelera patrum vſq; in quartam puniens generationẽ, quod in patre ad integrum non puniuerat, in filio quindicauit, & non naturali, aut honeſta morte, ſed turpi, violenta, & venefica, ſcelus in S. Dei Staniſlaum digna retributione compenſans, illum occumbere permiſit, vitæque immaturæ iuſtè ſubtractus eſt. Cuius parens Pontifici Beato vitam iniuſtè ademerat. Quod & temporum vicißitudine luceſcere poterit, cùm pro eodem ſepore Boleſlai Regis vnicum pignus occidit, in quo Martyris Dei Staniſlai nomẽ & meritum, & tranſlationis honore, & ampliori veneratione áfidelibus ceptum eſt coli & venerari. Immatura autem Ducis Miecſlai mors, in Vrbibus, Oppidis, Vicis nunciata, omnes ferè Polonos in luctum & lachrimas impulerat, magnumque iuuenis deſideriũ in Polonorum pectoribus accenderat. Dum enim parentis ſui Boleſlai Regis numerarent victorias; dum ſubactas ab eo præcenſerent Prouincias: dùm vultum inſtruentis aciem & milites educentis in prælium, & exhortantis ad pugnam: dùm liberalitatem, factiuitatem, induſtriam, & alias dignas Rege virtutes, quas Miecſlaum filium ſuum plenius quàm patrem innouaturum ſperaueRant, certatim efferent, non gemere, non anxiari, non vacari mœrori & luctui, & fortunam ſuam non increpare ſibi, & ſtatui ſuo, atq; Poloniæ Regno, quod per virtutem Miecſlai inſtaurandum facilè crediderant, non tirere, & caſus ſuos in illius occaſu non dolere, non poterant. Quapropter ad funebrias illius in Eccleſia Cracouieñ habitas, non militum modò, ſed mechanicorum & agreſtium operibus intermiſsis magna multitudo confluxerat, & quoad licuit feretrum, in quo corpus exanimè portabatur Miecſlai ſequuta, inconditum emittebat flendo eiulatum. Miſeram inſuper Miecſlai Ducis Matrem, & Boleſlai Poloniæ Regis conſortem Wiſſeſlauam contumatus adeò priuatus, & publicus dolor in funere nati, quàm maximè poſtens vexauerat, ærumnas ſuas, & pro exilio glorioſi quondam mariti ſui Boleſlai Regis, & pro occaſu filij ſui ingeminans, vt velut exanimis, & mortua, de Eccleſia, dùm cadauer filij conderetur elata, finibus quoq; matronarum

aliquanto tempore fota. Vix tandem Pontificum Poloniæ, qui & ipſi offi-
cio funeris aderant, aquas frigidas in ora Reginæ exanguis & ſupinæ ſpar-
gentium compos mentis effecta eſt. Non exiguam enim Miecſlaus Dux
Polonis dederat ſpem, magni iuſtiq; Regis indolem, ſe ſubditis, ſi vita foret
extenſior præbiturum, & Regno Poloniæ decus ſuum reſtituturum. Et quò
fuerat deſiderabilior, eò & mors ſua habebatur ſuſpectior, & perijſſe factio-
ne primorum inſimularetur, eo reſpectu veneno ſublatus, ne non grauis ſi-
eret Dominator. Genitrix illius nullas conſolatorias, quæ ingerebantur ad-
mittens voces, mæſta per omnem vitam & lugubris in funere ſemel impoſi-
ta lugubria, nunquam exiuit, geminato vexata malo, & mariti exilio, & filij
fato, non multò poſt Quinto Idibus Martij fato ſubtracta.

Vniuerſis ferè Ruſsiæ Ducibus, & Regionibus à Polowcys aut vaſtatis,
aut ſubactis; Wladimirus de Pereaſlaw Dux ſolus reſtabat. Huic quoque &
regioni Polowcy cum duobus Ducibus, Kitano, & Itlar inferunt bellum.
Qui miſsis nuncijs antequam Principatus ſuus ab hoſtibus vaſtaretur, pacē
etiam ſub conditionibus iniquis acceptat, obligās ſe Polowcys ad annui ſo-
lutionem tributi. Super quo, & filium ſuum Suantoſlaum, nec enim aliter
pax conueniſſet, dare coactus eſt in obſidem Polowcys. Suggeritur inte-
rim Wladimiro Duci Pereaſlauieñ, & à proprijs militibus, & a Slauentà mi-
lite Kiouieñ, qui ad illum mandata certa perferens à Swantopelkone Kio-
uienſi nuncius venerat, vt Polowcios quietos, & hinc inde diſperſos oppri-
mat & obtruncet. Qui diu reluctatus, aſſerens id ſuo honori & fidei non
conuenire, victus tandem acquieuit, & Slauętæ ac alijs militibus negotium
demandat. Qui primum Suantoſlao filio Wladimiri obſide, (negligentius
enim à Polowcys aſſeruabatur) furtim ſublato, Kitanum vnum ex Ducibus,
& omnes virus, qui ſecum vnâ morabantur interficit. Alterum quoque Po-
lowcorum Ducem Itlar, apud vnum ex Boiaris Ruſsiæ Ratibor nomine
hoſpitantē, miſsis alijs militibus Wladimir, cum omnibus ſuis militibus ob-
trūcat. Eâ cæde expleta contrahunt Suantopelk Kiouieñ & Wladimiri
Pereaſlauieñ Duces; quantò maiores copias poſſunt, Ducem inſuper Olech
requirunt, vt illis laturus contra Polowcios ſolatia adueniat. Quo polli-
cente, ſed vafro ingenio in aliam diuertente viam, Suantopelk & Wladimir
ſtationes Polowconum nil hoſtile veritas inuadunt, & pluribus, qui reſiſte-
re audebant trucidatis, cæterā imbellem turbam fœminarum impuberum,
paruulorum puerorum, camelorum, pecorum, & equorum captiuant, & in
Ruſsiam deducunt. Indignati autem vehementer Duci Olech, quod pro-
miſſa ſua variando, fere illis auxilia diſtuliſſet, mittunt Nuncios qui eum
corripiant, accuſentq; quod contra hoſtes communes & infeſtos in com-
mune reſcindendum periculum non veniſſet, deinde rogant, vt filium vni-
us Polowconum Ducis Itlar apud ſe aſſeruatum, vt tradat illis, aut nęcet,
ſed cum vtrumq; non eſſe facturum reſpondiſſet, odium in ſe graue, tàm Du-
cum, quàm militum Ruſsiæ excitauit. Non quieuerunt poſthæc Polowcy,
ſed nouo exercitu comparato Caſtrum Vhrow Ducis Suantopelkonis atta-

te integra circumſident, & fuiſſet illis deditum, niſi Suātopelkus miſsis nu-
neribus Polowcos placatos diſcedere feciſſet. Succedunt Polowcys Pru-
teni, & 28. Auguſti terras Ruſsiæ in magna multitudine ingreſsi vaſtant illas.
Dauide Suiantoſlauic Duce Nouogrodeñ, ex Nouogrod in Smolensko di-
ſcedente, Miecſlaus Wlodimirouicz petentibus Nouogrodeñ venit ex Ku-
ſtow, & Nouogrodenſem occupat Ducatum.

ANNO Domini 1090. Fluxam & dubiam fidem poſt Boleſlai Poloniæ
Regis in Vngariam diſceſsionem terræ Ruſsiæ, (quæ & hæreditario, &
belli iure ſub regimine eiuſdem Boleſlai Regis in Poloniæ Regni Ditionem
conceſſerant) præferentibus, & propter Regni Poloniæ mutationem, in
rebellionem ſpectantibus, Ducis Miecſlai morte ſequuta, & apud Rutenos
vulgata, cui terræ illæ ex iure conſortis nuper ductæ, & paterno, & materno
iure debebantur, in rebellionem prodierunt apertam, ſolutoſq; ſe à iugo &
fœdere, quo vel Boleſlao Poloniæ Regi, vel Miecſlao filio ſuo deditos inge-
nuè fatebantur, in commune pronunciant, armiſq; correptis Capitaneos &
Præfectos Polonorum de Caſtris & munitionibus Rutenicis, quæ ſine præ-
ſidio fidelium militum tenebantur, exturbant, & depellunt. aliquos pecu-
nia corruptos, alios fame maceratos, de caſtris & munitionibus excedere
cogunt. Qui verò dolo, & fraudibus, aut largitione, peruinci non poterāt,
longa obſidione Rutenorum victi Wladiſlao Polonorum Duce vel diſimu-
lante, vel negligente, vel alijs bellis, & Reſpub. implicato, opem obſeſsis
ferre, dedendis Caſtris & fortalicijs cum Rutenis paciſcuntur. Itaq; ſub v-
nius anni tempore terrarū Ruſsiæ iuſta, & cōtinuata poſſeſsio propter Prin-
cipis deſidiam à Polonorum ditione ſubducta eſt, Rutenis non tàm ex iniu-
ſto & auaro regimine, quàm ex ritus in fide diſparitate Polonorum imperi-
um quàm maximè abhorrentibus.

Inter Behemiæ Regem Wladiſlaum & germanum ſuum Iaromirum ali-
as Gelhardum Pragen Epiſcopum quibuſdam ſimultatibus in dies gliſcen-
tibus, quas aſſentatorum, quibus aures Principum continuò pruriunt, pro
mouebat aſſertio, etiam ſopitum pro Eccleſia Olomūceñ, repullulat in-
cendium. Viſus ſiquidem Wratiſlao Bohemiæ Regi Iaromirus Pragenſis
Epiſcopus nimium ſuis votis & actionibus rebellis aduerſus, arrogans, &
inſolens, primùm in illius opprobrium & contumeliam Wiſſegradeñ, nulli,
niſi Apoſtolicæ autoritati immediatè ſubijcienda, fundata eſt Eccleſia, &
Olomunceñ Eccleſiæ ſola Regis Wladiſlai volūtate diſmembratæ, Præsby-
terum Curiæ Regiæ Wech nomine, in Pontificem præficitur. Depulſurus &
ignominiam & iniuriam Iaromirus Epiſcopus Pragen Pontificem Romanū
adire conſtituit, & in eundo ad Virum B. Wladiſlaum Vngariæ Regem ſuis
interceſsionibus & auxilijs cauſam ſuam fulciturus declinauit. Quem cum
Strigonij offendiſſet, ſubito languore correptus, ſub breui tempore dolore
graſſāte diem obijt, ex quo facilior Eccleſiarum Olomunceñ & Pragen Re-
ge Wratiſlao procurante, ſequeſtratio ſucceſsit. Et in vnius Iaromiri Pra-

genſis Epiſcopi locum, hi duo Pontifices, videlicet Andreas Olomũcẽſ & Coſmas Pragenſis ſuffecti ſunt.

ANNO Domini 1091. Defectio Ruſsiæ à Wladiſlao Polonorum Duce cum iniuria tolerata Pomeranos, Pruſſos, in ſimilem defectionem pertraxit. Qui obedientia ſubtracta, triputa ſolita Cameræ Ducali fiſco pendere interdicunt, eoſq; Præfectos & Capitaneos, qui vna ſecum non ſeruirent, aut necant, aut contumelijs affectos depellunt. Non ſecùs quàm parerat. Wladiſlaus Polonorum Dux, huiuſmodi commotus iniuria, bellũ contra Pomeraniam & Pruſsiam indicit, copiaſq; omnes ſuorum Principatuum pro feſto S. Ioannis Baptiſtæ in metis iubet conuenire. Quibus iuxta edictum conuenientibus, terram Pomeraniæ ingreditur, & Caſtra munitiones pleraſq; conquirens, agros eorum depopulatur, vicoſq; exurit. Pomerani cum barbaris Prutenicis iuncti, non placandum ſibi Dominum naturalẽ & hæredem, ſed bello aggrediendum decernunt, congeſtoq; valido exercitu Wladiſlao Duci, in feſto Aſſumptionis B. Mariæ circa Rzececz occurrunt, aciebuſq; diſpoſitis Ducis Wladiſlai exercitum propter feſti celebritatem, eo die pugnam detrectantem inuadunt. Ea neceſsitate impulſus Wladiſlaus Dux, ſuos & ipſe arma, in grandi ſe verſari conſpiciens periculo, iubet capeſſere. Atrox prælium initur, Pomeranos enim & Prutenos male prælium-pta accendebat defectio, Polonos indigna rebellio. Iam prælium in maiorem diei partem, vtraq; parte pro victoria incumbente, extractum erat, cùm ordines Pomeranorum & Prutenorum rareſcere, pedem ſubinde referre, & poſt paululum in fugam agi ceperunt. Fugientes, Polonus longiſsimo iternere perſecutus eſt; magnaq; cædes in fugientes, ab ira edita, cum magna iucunditate reſiduum diei à Duce Wladiſlao & exercitu abſumptum eſt. Omniſq; tunc obtenta victoria B. genitricis Dei ſuffragijs deputata. Hac pugna Pomerani & Pruteni fracti, ad obedientiam reuerſi, ſe ſuaque omnia Wladiſlao Duci tradunt, veniam certatim deprecantur. Quam ille facile eis conceſsit, exiſtimans illos fideles futuros, ſingulas tamen munitiones principales, & Caſtra, ab eorum poteſtate, & regimine auferens, ſuis ea probatis militibus regenda diſtribuit, nonnulla verò, ea præſertim, quæ in finibus terrarum conſiſtebant, quo maior adimeretur Pomeranis & Prutenis rebellandi occaſio, dirui aut incendi iuſsit, omnibuſq; debito ordine compoſitis ad ſedes ſuas cum victoria & incolumi exercitu redijt. Circa eadem tempora, tempore Celeſtini Tertij Papæ per operã Meinhardi Epiſcopi Liuoniæ, Liuonia ipſa ad fidem Chriſtianam conuerſa eſt. Cui ſucceſsit frater Bertoldus à Liuonis occiſus. In cuius locum Albertus ſubſtitutus, & reſiduum Liuoniæ ad fidei puritatem reduxit, Rigeñ Metropolim & Ciuitatẽ Gottorum, & aliquot Epiſcopatus in Liuonia autoritate Apoſtolica fundat & dotat, & ordinem Canonicorum Regularium in Eccleſia Rigenſi, in qua Annis 30. ſedit, inſtituit. Infectum validoq; exulceratum odio Wratiſlauius Bohemiæ Dux animum, contra Germanos ſuos, Conradum & Ottonẽ gerens, ea vel maximè ſuſpicione perculſus, quod Regnum Bohemiæ ſe mo-

riente filio excluſo, illos reb atur inuaſuros, portionem eorum Morauiã grauiagmine ingreſſus. Olomunc Ciuitatem & alia Oppida, quæ iuris Ottonis fuerant capit, filioq; ſuo Bretiſlao tenenda committit. Sub hac contentione Ottone duobus filijs Suentopelkone & Ottone relictis, morte ſubtracto, in Conradum Fratrem reſiduum ſeuiens crudeliùs Bruniam ſortem eius obſidere cepit. Sub qua filius eius Bretiſlaus Baronem maiorem Zderad, (cuius opera Wratiſlaus Rex in bello plurimum vtebatur) ob id quod ſibi ſtationem prope vndas, quibus laſciuè ſe abluere conſueuerat, dari, Regem ſæpe magis, quàm digeſto ſermone rogauerat, doloſè ad ſe accerſitum. Conrado etiam patruo, iuuenis ſuapte feruentem exacuente iram, interemit. Scelereque perpetrato paternam incanduiſſe ſentiens iram, in alteram partem fluminis ſequente ſe magna exercitus parte, ſua transfert tabernacula, & quamuis reconciliatio inter patrem & filium Vitpurga vxore Conradi agẽte, fuiſſet ſecuta, filius tamen parum illi fidens, verſus Grodek proceſsit. Pro qua re patre altius offenſo, & à Conrado fratre, pro Nepote ſe opponẽte, placato, Bretiſlaus ipſe non audens de patre amplius confidere, ad B. Wladiſlaum Vngariæ Regem confugiens, vſq; ad patris mortem in Vngaria prope Tenczyn, in diſtrictu Banow degit. Wratiſlaus quoq; Rex de filio viturus, Conradum fratrem ſibi in Regno ſucceſſurum ordinauit. Afflictioni terrarum Ruſsiæ quam illi Polowconum intulerat ſeueritas, Suantopelk Kiouieñ, & Wladimir Czernieuieñ Duces prouiſuri, Conuentum apud Kiow inſtituunt, Miſsiſq; ad Olech Ducem Nuncijs precantur, vt & ipſe illuc adueniat, arbitrio Epiſcoporum, Monachorum, & Boiarorum in ordine ſuper defenſione terræ Ruſsiæ à Polowcys conſenſurus. Qui Legatorum verba irridens, & cõtemptui habens; non adducetis reſpondet, vt Epiſcoporum, Monachorum, & vilium perſonarum Imperijs caput meũ ſubſternam. Quo reſponſo Suãtopelk & Wladimir Duces offenſi, in Olech primum, quam in Polowcos arma inferunt, qui à facie eorum ex Czernieiow fugiens, in Starodub ſe recepit, vbi à Suantopelkone & Wladimiro Ducibus vallatus & concluſus, 30. diebus obſidionem tolerauit. Fame tandem illum, & viros, qui cum illo erant, peruincente, pacem petit, offerens ſe in Ducum Suantopelkonis & Wladimiri pietate futurum. Qua miſericordia Ducum obtenta, & obſidionem ſoluunt, & vt germanum ſuum Dauid in Kiow abducat, illi præcipiunt. Qui non ſolùm obedienter, ſed & iureiurando cruce deoſculata, obtulit ſe imperata facturum. Interim Dux Maniak cum Polowcys venit contra Kiow, & multis ſpolijs & damnis commiſsis, curiam Ducalem in Bereſtow comburit, Tuhorka inſuper alter Polowconum Dux, & Suantopelkonis Socer, venit cum Polowcys contra Pereaſlaw, ſed Suantopelkone & Wladimiro defenſionẽ opponentibus, 19. Iulij ad flumen Truboſza pugna committitur, & victis Polowcys etiam Dux eorum Tuhortkai & filij eius occiduntur. Polowcy autem nihil hac territi, nouo inſtaurato exercitu, tàm ſilentij agmine in Kiow perueniunt vt parum abeſſet, quin Caſtrum Kiouieñ negligenter cuſtoditum caperent. Qui ſpe ſua fruſtrati, tem-

pla, Monaſteria, & rura incendunt. Præuaricato Dux Olech iuramento, in Conuentum Ducalem venire faſtidiens, exercitu congeſto Ducatum Moromoſz, qui ab Izaſlao filio Wladimiri Ducis Kiouieñ tenebatur, aſſerens illum ad ſe, velut paternam hæreditatem peruenire inuadit. Sexta autem die Sepembris, Izaſlaus cum militia ſua Olech occurens, conſligit, & vtroque pro victoria adnitente, Izaſlao occiſo, cedit Olech victoria, militibusque Izaſlai in varia loca diffugientibus, Olech Dux in Caſtrum à Moromoſzenſibus acceptus eſt, & iam Roſtow Caſtrum dedentibus ſe illi Roſtouieñ & tributa pendentibus, in ſuam retorquet ditionem; Potentiam autem Ducis Olech, eiuſdemq; Tyrannidem Mſciſlaus alter filius Wladimiri, & germanus Izaſlai occiſi, qui in Nouogrod reſidebat, veritus. miſsis ad Olech nuncijs offert ſe, & ſpondet illum, & patri Wladimiro Duci Kiouieñ & ſibi non obſtante, quod Wladimiri filium & fratrem ſuum Izaſlaum occideret, cui non ſolùm Ducum, ſed & Regum, & Cæſarum ſæpè cædes contingat, reconciliaturum. Olech autem Nouogrodeñ ambigens Principatum, & ſperans ſe Mſciſlaum facilè de eo pulſurum, Nuncijs Mſciſlai ablatis reſponſo remiſſis, hoſtiliter Nouogrodeñ Regionem inuadit, & Iaroſlao germano ſuo ad ipſa cula præmiſſo, ipſe in Turow cum exercitu conſiſtit. Iaroſlaus autem ipſa culandi gratia longius quàm fas erat progreſſus, à Mſciſlao, & eius militibus intercipitur. Quo euentu Dux Olech territus ſecedit in Roſtow, Mſciſlao illum perſequente. Cepit autem Mſciſlaus Caſtrum Sazdam, & incendit illud, Olech verò ſibi præcauens fugit in Moromoſz, cum quo Mſciſlaus miſsis Nuncijs, pacem componit, & exercitum ſuum diſſoluit, exiſtimans animum natura Tyrannicum, & in cedes procliuem ſua modeſtia tanaturum. Olech intelligens Mſciſlaum campum ſoluiſſe, fœdere violato, cum tuo agmine contra illum venit. Qui à facie Olech fugiens, militibus ad arma vocatis, Olech cum perſequentibus occurrit. Quatuor quoq; diebus congredi differens, in Caſtris ſe continuit, gentes ex Kiouieñ & Polowcys, & Fratrem Miecſlaum in ſui auxilium à Patre Wladimiro tranſmiſſos, de quo nunciatum erat, præſtolatus. Quibus aduenientibus cum Olech militibus Mſciſlai pedeſtrem pugnam cientibus congreditur; Et pugna acerrima inter vtrumq; feruente; Præualet Mſciſlaus, & Olech victus fugit in Moromoſz: Vbi Duci Mſciſlao, à quo victus erat per communes milites reconciliatus, non exiſtimans ſe, de cætero Ruſsiæ poſt plures dolos commiſſos tutum fore, cum nonnullis militibus in Reſanos profugit. Quem Mſciſlaus Dux perſequutus, & milites qui ſecum vnâ fuerant, & ipſum Olech Ducem verbis dulcoratis, plenam ſpem redolentibus, alloquitur. Turpè eſt, inquit, tibi, turpe nobis Fratribus tuis, turpe & militibus tuis, vt in alienis terris exules, calamitoſus delitеſcas, fabulam de te hoſtibus, & inuidis, his quoq; apud quos commoraturus es, facturus. Reuertere itaque in terram Ruſsiæ, vbi ſecurior poteris habitare. Non adeò maligni ſunt fratres tui Duces Ruſsiæ, vt tibi omnia mala, quæ in illos & terras eorum commiſiſti, dummodo facinorum tuorum te pæniteat, non ignoſcant. Quo huiuſmodi verbis

verbis pellecto, & acquieſcente, ipſum & milites ſuos ex fuga reducit, & reuerſus Olech Mſciſlao permittente, & fauente intrat Caſtrum Nouogrod, Wratiſlauieñ Eccleſiæ Epiſcopus Petrus Primus; cum annis vno & triginta in Eccleſia Wratiſlauieñ præſediſſet diem in bona ſenectute obijt, & in Eccleſia Wratiſlauieñ ſepultus. Ziroſlaum primum Wratiſlauieñ Præpoſitum, genere nobilem de domo Roza, in terra Cracouieñ ortum via ſcrutinij electum, habuit ſucceſſorem. Cui facile & Wladiſlaus appellatus, Herſinius Dux & Monarcha Regni Poloniæ filius Cazimiri, & germanus Boleſlai Poloniæ Regũ aſſenſus eſt, à Martino Primo Archiepiſcopo Gneſneñ anno ſubſequenti ipſe Ziroſlaus apud ciuitatem Kaliſz fuit conſecratus.

ANNO Domini 1092. Ferias ſibi Wladiſlaus Dux Poloniæ conatibus Pomeranorum & Prutenorum oppreſsis agere, Anno eo videbatur. Sed extemplo affertur illi Nuncium, Pomeranos & Prutenos obſtinatius rebellionem induiſſe, & peſte recidiua Capitaneos ſuos ac præfectos, aut ſupplicijs aut mortibus deſtinaſſe, paucis qui ſibi iuſtiùs benigniuſq; imperabant, vitam indulſiſſe. Atrocitate iniuriæ permotus Wladiſlaus Polonorum Dux, ea bili incanduit, & ſuorum iniuſtas neces vlturus, & Pomeranorum Prutenorumq; rebellionem oppreſſurus, cum parua militum, exercitatorum tamen manu (quoniam alios in tempeſtiuum tempus accerſiri prohibebat) in Februario Menſe ad Pomeraniam ſe intrepidus contulit; bipartitiſq; cum Setegio Palatino Cracouieñ, & militiæ principe agminibus, greſſu citato vniuerſam Pomeraniam peragrat, & Pruſsiam, ſpoliſq; & exuſtionibus vicorum milites iubet intendere. Integra illic ferè Quadrageſima moratus, militibus non cuſtodientibus, ieiuniorum legitima, magna vi captiuorum pecoris & ſpoliorum congeſta, Prutenis & Pomeranis in ſiluis & locis inanibus ſe continentibus, neque copiam bellandi facientibus, ex Pomerania Poloniam ingrediebatur. In locum quoque qui ab incolis Drzeñ dicitur, quem fluuius Nakel circumfluit, peruenerat, dùm ſpeculatores à tergo relicti denunciant, non contemnendam Pomeranorum & Prutenorum multitudinẽ ſuperueniſſe, nec longius quinq; miliaribus à Caſtris Ducalibus abeſſe. Paucitas ſiquidem in Ducali exercitu per Prutenos & Pomeranos conſpecta, vt arma viriliter corriperent, prædaſq; ſuas eriperent, & Wladiſlaum Ducem nuſquam aliter oportunius conſligerent, illis animos fecerat. Diu ſecum & cum his qui ordines ducebant, Wladiſlaus Dux deliberans, conſereret ne cum hoſtibus frequenti numero ſuas copias excedentibus manus, an ſe tẽpori meliori referueret diuerſis, (vt fit) varia ſentientibus, hæc tandem ſententia vicit. Satiuſq; vitium eſt honeſtè dimicare, & animas effundere, quàm inglorios, & de fuga notatos reuerti. Signis itaq; collatis, nonnullis debilioribus ad prædas & ſarcinas relictis, durum inter vtroſq; prælium feruebat. Anceps Mars neutra acie inclinata ſpectabatur ambigua ſpe, Poloniſne, an Pomeranis victoriam largiretur. Dum Pomerani in locum deficientium, aut ſauciatorum integris ſubmiſsis, pugnam in pluribus locis inclinatam renouant,

nouant, multitudineque suæ parti destinarent victoriam. Poloni militum pe-
ritia, obstinatisq; ad moriendum animis, impetum hostilem repellebant. In-
credibile id forte quod relaturus sum, pleriſq; videbitur, sed de eo omnes
Annalium Scriptores consentiunt, tantus vtrique parti ad consequendam
Triumphi gloriam fuit ardor, vt vsq; ad tenebras pugnatum sit, cum pugna
hora Tertiarum cepisset. Instante crepusculo Pomeranorum acies profli-
cta abijt, nemo tamen abeutem ex Polonis consecutus est, sauciatis ferè o-
mnibus, aut sesis; Plures quoque erant in tàm producta & intensa pugna
desiderati quàm capti; pro triumpho à Polonis habitum est non cessisse,
neque prædam partam è manibus dimisisse, memorabili pugna edita, diuina
prælij loco Wladislaus Poloniæ Dux cum suis deliberabundus, quid facto
opus esset, substitit, pergeretne quo ceperat, itinere in Poloniam ire, an re-
meare in Pomeraniam, pauidosq; & metu perculsos Pomeranos non dato
ad respirandum, sed nec ad consultandum spacio debellaret. Probatur hæc
à singulis posterior via, pecus tamen hosti ablatum, & frequentes in cæte-
ris rebus prædæ, vulneratorum quoq; in proximo certamine numerus, & mi-
litantium paucitas, adhæc insuper instans Dominicæ Resurrectionis dies ce-
lebris, & tempus intempestum redire in Poloniã, inclinarunt. Paucos tandẽ
dies in sedibus Ducalibus, sub quibus militum frequentior non ex Polonia
solùm, sed ex Bohemia numerus cõduci posset, immoratus, in Pomeraniam
cum potenti & numeroso remeabat exercitu, gestã pridem periculoso certa-
mine pugnam, si Pomerani & Pruteni decernere ausi essent, Non proprio
tantummodò milite, sed etiam externo (plures enim sibi milites laturi auxi-
lium donario accepto, ex Bohemia aduenerant) illaturus fidens humano
brachio à cælesti desertus, Pomeranis inter latibula se continentibus, & di-
scrimine pugnæ prioris fractis, cum nouo & recenti milite congredi fasti-
dientibus, Wladislaus Dux Polonorum inops consilij, quo ordine hosti-
bus bellum inferret, Iam enim propinqua, & remota terræ Pomeraniæ loca
ab hoste, & proprijs vexata, ampliorem vastationem non sumebant, Castrũ
Nakiel, (ibi enim plures didicerat Pomeranos, & ad tuendam munitionem
& ad faciendam in Poloniam irruptionem conuenisse) obsidione vallauit.
In qua obsidione Polonorum exercitus, noctibus ferè singulis vmbris qui-
busdam armatorum speciem præseferentibus, ludificatus consurgere coge-
batur in arma, somnoq; soluti milites, de improuiso turbabantur, quod om-
nia hostibus repleta crederent. Metus quoq; & tenebrosæ noctis caligo nõ
patiebãtur ludibrium dinoscere, & quod metuebat animus, præfigurabat
oculus, mentis quoq; pauor, fiebat imago visus. At ego ominor ex noctur-
no & lunari iubare, quod ferè tunc sempleno lucebat orbe, nocte concu-
bia, radioq; monstruosos fuderet, militumque Polonici exercitus feriendo
terga, longissimas præ se porrigeret vmbras. Vano singuli, re ad plenum nõ
discussa, neq; ad liquidum examinata, caperentur errore, crederentq; quas
ipsi faciebant vmbras, hostium iam superuenientium, & eos inuadere gre-
stientium esse turmas. Quo timore acti corripiebant arma, arcus, gladios,
telã,

tela & sagittas, quasi extemplo cum hoste discrimen pugnæ inituri. Cùm-
que diutius hanc ludificationem perferrent, noctium vnà eodem pauore
expergefacti, hostes consequuntur, ac quidnam rei in ludibrio esset, exper-
turi, certatim è Castris prosiliunt, longiusque, quàm obsidentibus conue-
niebat, progressi, nihil aliud quàm vmbras, & vana quædam phantasmata
se tandem consectari agnouerunt. Sub illo tamen eorum improuido de Ca-
stris egressu, hostes ex Castro Nakiel irruptione facta, igne instationes, &
tabernacula, quæ plerumq; stramine, aut gramine delicato operta erant,
immisso, grande excitarunt incendium, quo homines, aut res, plures peri-
re. Machinisq; & operibus Castrum quatientibus pernicies illata, inutiles
eos de cætero reddidit. Hyeme insuper, quæ in otis illis celerior, aspe-
riorq; prouenit, appetente, cùm nonnullos Bohemos fames affligeret, quos-
dam algor frigoris grauaret, Wladislaus Dux Castri Nakiel expugnatione,
cùm à Pomeranis egregiè defenderetur omissa, irrito cepto Gnesnam reddi-
dit. Ex quo mirum in modum Pomeranis creuerant animi, in magnamque
superbiam erecti, nihil de semel arrepta rebellione laxauerunt. Hæc autem
ignominiosa vexatio creditur tunc Polonis propter Quadragesimalem ie-
iunij fractionem gulosiùs quàm temporis ferebat qualitas, in carne, aut la-
cte edacitate intensa, prout quibusdam timoratis, & deuotis viris cœlesti
oraculo reuelatum est, contigisse.

Decima nona Augusti die, Petrus Gnesnensis Archiepiscopus, dùm an-
nis 24 præsedisset moritur; & in Gnesneñ Ecclesia sepelitur, pusillanimis &
cunctator. Cui Martinus Primus Nobilis genere; & relligione insignis, per
electionem Canonicam suffectus, & ab Vrbano Papa Secundo Wladislao
Duce & Monarcha Regni Poloniæ instante prouisus est. Febre valida Wra-
tislaus Bohemiæ Rex correptus, 19. Calend. Februarij Pragæ moritur, &
in Ecclesia Wissegradien, cuius ipse Primarius fundator extiterat, sepelitur.
Alij non ex Febre, sed ex casu ferunt illi mortem accidisse. Dum enim aui-
dus in venatione feram insequebatur, cadens de equo, fracta ceruice, in-
terijt. Germanus suus Conradus, iuxta illius, dùm viueret ordinationem
filio Bretislão, qui in exilio Vngariæ agebat, neglecto consensu Episcopo-
rum & Baronum, accepit Diadema. Hic quoq; cùm septem Mensibus, &
duobus de viginti diebus Bohemiam rexisset, 8. Idus Septembris eiusdem
anni absumptus est. Vtriusq; itaq; morte Patris videlicet & Patrui, Breti-
slaus audita derelicta Vngaria, Pragam adueniẽs, à Clero & populo debi-
to honore susceptus. 8. Calend. Octobris in regimen Regni substitutus,
non tamen in Regem est coronatus, relligionis Catholicæ primum se deuo-
tum cultorem gerens, omnes ritus, & superstitiones gentilium, omnes Thi-
tones, Phitonisasque, aruspices, ariolos, & sacrilegos erasit de terra, qui-
bus sub regimine Patris sui Wratislai Bohemia abundabat.

ANNO Domini 1093. Congesta Equestrium & pedestrium ex omni-
bus suis Dominijs valida manu, Wladislaus Polonorum Dux Pomera-

niam primo ætatis tẽpore repetit, & Castrorum, munitionumq; expugnatione omissa, agros vastans, & tecta, quæ vel relicta, vel deserta fuerant exurens, Pomerania vniuersa peragrata, ad Prutenos Pomeranorum auxiliatores diuertit, pariq; vastatione, & incendio Prutenos affligens, magnum & hominum captiuorum, & pecorum numerum illic conquisitum secum adduxit. Ea expeditione Pomerani & Pruteni singulis fortunis, quæ illis rebellionis spiritum ingesserant, exuti, adeò fracti, humiliatiq; sunt, vt missis ad Wladislaum Ducem Nuncijs, si eorum errori ignouerit, se plenam obedientiam & deditionem facturos se offerent.

Dux Wladislaus Poloniæ Legatis pro tempore benignè respondens, & bonum animum eos, ac cæteros, qui seditionis causa non extiterant, habere iubens, iussit, vt singuli ad eum conuenirent, reconciliationem illic fieri cum Domino, & hærede naturali, firmaturi. Quibus conuenientibus seditiosos omnes, & qui rebus nouis inhiabant, aut pœna capitis mulctauit, aut in alios tranſtulit Principatus, cæteræ multitudini pepercit.

Pomeranico bello Wladislaum Poloniæ Ducẽ Bretislaus Bohemiæ Dux occupatum intelligens, atq; ad interiora Prutenorum cum omnibus copijs transgressum, quanto maiori poterat exercitu collecto, Regnum Poloniæ, & eius terras hæreditarias, & naturales, Albæ fluuio conterminatos ingressus illas igne, & spolijs vastabat. Vacuas quoquè eas tunc militibus reperiens, cùm hostilitatem suam Wladislaus Dux Poloniæ minimè suspicatus, ex omnibus Principatibus suis milites in Pomeranicum bellum asciuerat, libertis vastationi eius intenderat. A Castro quoquè Grecz supra Albim sito, quod iuris Polonorum erat, initium sumens, vsque ad fluenta Odræ grassabatur. Causam licet falsè belli confingens, oram illam Daciam quandam debitam non pendisse, re autem vera spolijs regionis, ea tempestate, pecore opulente, suam & suorum esuriem, visa opportunitate impleturus.

ANNO Domini 1094. Pro temerario & iniusto bello per Bretislaum Bohemiæ Ducem terris Poloniæ Anno superiori illato, Wladislaus Polonorum Dux iustas concipit iras, paratq; exercitum, ex singulis suis terris, auxiliarem etiam mercede conductum, ex Vngaris Bohemisq; Bretislao Duci suapte infestis comparat manum; Quod bellum illi tractanti, & maius aliud, quod tàm Moraviæ quàm Bohemiæ inferre ea ætate parabat, in animo voluenti, subitus obrepsit morbus. Nihil tamen de vice Bretislao rependenda remittens, Setegium, qui Seciech Palatinum Cracouiensem, & Principem militiæ, Virum ea tempestate in armis & singulis operationibus Reipublicæ magni precij, cum comparatis conuenientibusq; Equestribus & pedestribus copijs in Moraviam transmittit, hæc enim vicinior, magisq; opportuna ad vastandum videbatur. Committit autem Wladislaus Dux Poloniæ Principi militiæ Setegio, vt Castrorum impugnatione & Ciuitatũ omissa, obuia quæq; igne, & vastatione conterreret. Hæc mandata Wladislao Duce Setegio danti Bolesłaus filius aderat, singulasq; instructiones &

monita

monita Patre edente scrupulosiùs quàm illi conueniebat ætati, notabat. Cùm verò ardorem gerendi belli, quam pectus adolescentis in infirma licet ætate hauserat, continere non valens, flagitare Patrem cepit, vt ad bellum Morauicum cum Setegio vnà mitteretur. Patre verò abnuente, vnicus enim & charus erat illi, & difficultates periculaq; belli, ad quas perferendas maiorem ætatem requiri declarante, satis, inquit, & annorum & virium mihi est, (nonum autem annum agebat) si tu optime genitor indulseris. Quo tàm faceto dicto expugnatus Pater, promittit illi ad bellum Moraicum cum Setegio eundi facultatẽ. Tanta enim Boleslai pueri in expeditione illa virtus, tanta disciplinæ militaris apprehendendæ sollicitudo, non à Stegio Principe tunc militiæ, cui cura iuuenis à Patre mandata fuerat, sed ab vniuerso exercitu conspecta est, vt sæpè inter milites nocturnas obseruantes excubias, somni, æstusq; patiens, integro vigiliarum tempore versaretur. Et si quando somno pressus foret, sagulo tantummodo militari opertus, nuda humo teneros componebat artus. Si verò quando aut hostes propulsandi, aut inuadendi essent, ad primos accurebat dimicaturus, nisi à Setegio summoueretur, ordines, pugnandiq; deposcebat munus, cuius nondum etiam erat spectator legitimus, Setegius, vt illi à Wladislao Polonorum Duce mandatum fuerat, vniuersa Morauia igne & spolijs vehementer afflicta, magnam secum vehens prædam, magnum quoque captiuorum numerum, (quippe in aliquot particularibus dimicationibus de Moravis Triumphans) in Poloniam cum nouo tirunculo Boleslao, vniuerso exercitu certatim tirocinium Boleslai efferente, reuersus est. Non solùm enim tunc, sed & in ipsa mox adolescentia Ducale & Regium fulgebat decus in Boleslao, euidenterque iam monstrabat expectationem de se futuræ domi & militiæ probitatis. Fortis quoq; & heroica natura, ne tum quidem in eo, quamuis Ephebo latuit. Quamprimum ex Ephebis excesit, prima militiæ arma, & graue Martis opus ad iustum Polonorum Imperium propagandum, regendumq; induit, verba, opera, cogitationes, ita moderare solitus, quasi Patrem vsquequaque adesse cerneret.

Horrenda & sine exemplo eo Anno Almaniam pestis inuadens, adeò in singulos status grassabatur, vt multæ Vrbes, vici, villagia, & Oppida sublatis habitatoribus deserta remanerent. Ea tamen Lues propitio Deo à Polonis & eorum Regionibus non sentiebatur. Ordinem pro defensione terrarum Russiæ, à barbaris Polowcys plurimum afflictarum posituri. Suantopelk Kiouieñ, Wladimir, Dauid, Hreorouicz, Wasilko, Roscislawicz, Dauid Swantoslawicz, & Frater Olech Duces Russiæ in Lubicz conueniunt, & suis ambitionibus, suisq; passionibus increpatis, quod bello intestino se collidendo inuicem, barbaros Polowcos efficerent victores, communi conclusione decernunt, quòd quilibet paterna sorte contentus, alterum in sua portione non molestet. Santiunt insuper, vt Suantopelk teneat Kiow, Wladimirus cum suo fratre Izaslao Wladimiriam, Dauid Swantoslawicz & Frater eius Olech Pereaslaw, Dauid Hrehorowicz, & Wasilko Roscislawicz Præ-

wicz Præmiſliam & Trebowliam. Iuxta quam Sanctionem fedus ictum, & iuramento firmatum eſt, communis hoſtis habendus, ſi quis illud fuerit prauaricatus. Ingenti gaudio Rutenorum milites exhilarati, quod Duces ſuos in tam iuſtam & vniformem concluſionem intellexerant conuenisſe, domos regrediebantur, ſed Satan illico nectit inter Ruſsiæ Duces nouum diſcordiæ ſeminarium. Suantopelk enim Kiouieñ Dux, ſuſpectam habens Waſilkonis Roſciſlawicz erga ſe fidem, cum Dauid Hrehorowicz conſpiratione facta, Waſilkonem ad ſe in Kiow in pace venientem primum captiuat, & diu lictoribus eum præmentibus reluctantem in Zmigrod deductum, vtroque oculo cæcat, ratus eo incolumi, non ſe, & filios ſuos tuto ſedem Kiouienſem poſſeſſurum. Fleuit autem Wlodimirus qui & Wolodor cæcitatem fratris ſui Waſilkonis fletu magno, aſſerens nunquam tàm execrandum nefas apud Rutenos contigiſſe. Conuentione tandem Wlodimir cum Dauid & Olech Suantoſlawicz facta, mittunt Nuncios ad Suantopelkonem Kiouienſem Ducem. Quàm grande, inquiunt, & quàm horrendum facinus cæcando fratrem noſtrum communem Waſilkonem patraueris, perpendere te non dubitamus. Qui etſi in te quàm grauiſsimè deliquiſſet, coegiſſemus illum apud nos conuentum, & conuictum ad iuſtificationem. Qui in ſui excuſationem conficto reſponſo, vſus aſtruebat, pro certa & explorata re diciſſe, Waſilkonem, & in ſuam necem, & in ſuorum Principatuum occupationem, conſpiraſſe. Quo reſponſo Wladimirus Olech & Dauid magis irati, quàm molliti, cum copijs gentium ſuarum contra Kiow, & Ducem Suantopelkonem, procedunt. Non ſuſtinuiſſet eorum aduentum facinoris conſcientia eum deterente Suantopelkus, fugereq; ad Polowcos parabat, niſi à Metropolitano & primis Kiouieñ bene ſperare iuſſus eſſet. Qui occurrendo Wladimiro, Dauid, & Olech, Ducibus, & exercitibus eorum humili ſupplicatione depoſcebant, vt armis depoſitis Suantopelkoni & Dauidi veniam tribuerent, deſinerentq; in propria viſcera graſſari. Fracti autem & expugnati Duces, ſermonibus tàm ſupplicibus nouo cum Suantopelkone Duce icto fœdere diſcedunt: Cæcatione autem Waſilkonis Dauid Hreorowicz non contentus, parat ſe ad inuadendum eius Principatum, ſed audiens ſibi à Wladimiro fratre Waſilkonis, ſi progrederetur, tenſas inſidias paratas, in Buskos ſe recepit. Vbi à Wladimiro Duce illicò obſeſſus eſt. Wladimiro autem eum increpante, quod poſt facinus in fratre illius admiſſum, non ad pœnitentiam, ſed ad aliud patrãdum ſcelus, animum conuertiſſet, licet Dauid omnem culpam in Suantopelkonem refunderet aſtruebat ſe, niſi fratem ſuum Waſilkonem, quem cæcauerat, ſolueret in eum animaduerſurum. Acquieuit enim Dauid, ſoluenſq; Waſilkonem cum Wlodimiro pacificatus eſt. Seditque Waſilko in Trebowla, Dauid in Wlodimir ſe recepit. Primo autem vere venit Wladimirus cum fratre ſuo Waſilcone cæcato, in terram Wolinenſem contra Dauid, Caſtroque Wſzeuolos conqueſito, incendunt illud, & plures numero homines in Caſtro Wſzeuolos repertos, vlciſcendo facinus in Waſilkonem admiſſum, crudeliſsimè peremerunt. Applicant deinde

deinde exercitum ad Caſtrum Wladimirienſe, & obſidione illud conſtringunt, miſsiſque ad obſeſſos Nuncijs, offerunt ſe omni multitudini parſuros, & obſidionem ſoluturos, ſi Waſilko & Lazarus eis dedantur. Qua conditione ab obſeſsis accepta, & impleta, Dauid & Waſilko obſidionem omittunt, Waſilkonem verò & Lazarum, quod cauſa cæcationis Waſilconis fuiſſe perhibebantur, in altum ſuſpenſos, frequentiſsimo ictu ſagittarum interimunt. Sumpturus autem Suantopelk Kiouieñ Dux de Dauid, qui illum coram Wolodor, Olech, & Dauid, Ducibus de cæcatione Waſilkonis inſpauerat vltionem, in Brzeſcie ſe contulit, & à Poloniæ militibus & Procerous in Caſtro Brzeſcie præſidio locatis, ferri ſibi auxilia contra Dauid flagitauit. Qui illo apud ſe in Brzeſcie degere, & bene ſperare iuſſo, Poloniæ Ducem Wladiſlaum interim, quid facere debeant, conſulunt. Dauid autem Dux aduerſarius Suantopelkonis, Polonorum ſuffragia præoccupaturus, quanta poteſt velocitate ad Wladiſlaum Poloniæ Ducem ire pergit, præſentataq; illi maſſa auri, ſuppliciter orat, ſibi auxilium contra Suantopelkonem à Wladiſlao Duce & Polonis impendi. Wladiſlaus Polonorum Dux cui præſtiturus ſit, auxilium, ex contendentibus plurimum fluctuans & diſtentus, congregato exercitu ex potioribus militibus, in Braeſcie pergit, ducens ſecum Dauid Ducem, ſperans ſe illum Duci Suantopelkoni reconciliaturum. Duce autem Suantopelcone ſtante in Brzeſcie Caſtro, Polonorum Dux Wladiſlaus ad flumen Bug ſtatiua ponens, Suantopelconem cum Dauid componere & pacificare, per tractatus ſecreto colloquio habitos laborabat. Quod dum facere nequiſſet, (in exulcerato enim Suantopelconis animo, odium graue contra Dauid inſidebat) honoratus magnis à Swantopelcone donis, in Poloniam reuertitur, neutri Ducum contendentium ſua auxilia præſtaturus. Mox ergo Suantopelk in Caſtro Wladimirieñ Dauid obſidet & oppugnat. Qui etſi obſidionem Septem Hebdomadis, ſperans à Wladiſlao Duce Polonorum auxilia ſuperuentura, tolleraſſet, ad extremum tamen Caſtro Swantopelconi dedito, ad Ducem Poloniæ Wladiſlaum fugiens, benignè ab illo exceptus, & habitus eſt. Caſtro Wlodimir conquiſito, Suantopelk Dux Kiouieñ exercitum contra Wlodimirum & Waſilconem producit, nec illi detrectauerunt pugnam, ſed ſuis quoque copijs ordinatis, quamprimum decernere ſtatuunt. Vtroque autem exercitu ad pugnam procedente, mittit Waſilco nuncios, qui dicant Suantopelconi. Num parum exiſtimas cæcaſſe me, niſi & animam de corpore excluſas? Quo nihil reſpondente, congrediuntur exercitus, & vtroque exercitu acerrimè pugnante, multis hinc inde cadentibus, ceſsit Waſilconi & Wladimiro victoria. Suantopelk cum duobus filijs ſuis, item duobus filijs Iaropelconis Ducis, item Suantoſlao filio Dauid Suantoſlawic, & alijs militibus, qui eum prælio enixè adiuuerant, non proſequente illos Wladimiro, neq; Waſilcone, neque exercitu eius, (verebantur enim inſidias,) in Wladimiriam peruenit, & Miſciſlao filio naturali ex concubina genito, in Wlodimir locato, alterum filium Iaroſlaum ad Vngaros, quæſiturus eorum contra

Wladimirum & Waśilkonem auxilia, transmittit, ipse in Kiouiam nouum exercitum aggregaturus contendit. Colomanus autem Vngariæ Dux, Ie roslai filij Suantopelkonis tam precibus, quàm promissis expugnatus, veni cum octo milibus pugnatorum, duos Episcopos habens secum, & Castru ad flumen Wiar positis, premisliẽ Castrum, in quod se Wladimir recepe rat, & expugnare, & obsidere cepit. Sub eodem autem tempore Dauid à Polonorum Duce Wladislao, apud quem cum vxore, & familia hospitaba tur, Russiam reuersus, vxore apud Wladimirum in Premislia relicta, ad Polowcos se contulit, subsidia, quæ ei contra Suantopelkonem à Polonis ne gata fuerant, à Polowcis petiturus. Regente autem fortuna obuiam habens Polowconum cum Duce suo Boniak turmam, eos in subsidium Wladimi ro, & his, qui apud Premisliam ab Vngaris obsidebantur, conducit. Sta tiuis autem haud procul à Premislia positis, consurgens nocte media, Bo niak Polowconum Dux vadit in propinquiores saltus & siluas, & vlulatu edito lupis concurrentibus; & vicissitudinarium vlulatum reddentibus Bo niak ad suos in Castra reuersus, armari illos & certa sperare ex signo, quod ex vlulatu luporum acceperat, iubet victoriam. Alteroquè die exercitu tri partito statiua, & exercitum Vngarorum prima turma, duabus reliquis la tentibus inuadit. Quæ congressu facto dùm iuxta Ducis Boniak instructio nem victam se simulans, in fugam agi cepisset, Vngarorum exercitus de bellatum credens, effusius, illam insectabatur. Tùm verò Boniak cum Ru tenorum & Polowconum Ducibus, residuis turmis interga Vngarorum i rumpens, eos confligit & prosternit. Plurimis autem Vngaris aut occisis, aut in flumine Wiar suffocatis, cæteri dùm in siluas, & montes diffugiunt, à Rutenis & Polowcis biduo illos persequentibus, aut occiduntur, aut capi untur. Inter quos & Episcopus vnus Vngariæ Cupranus nomine, & plures insignes milites desiderati sunt. Colomanus Dux incolumis euasit, quatuor millia Vngarorum eo die, quatuor alijs fugientibus cæsa referuntur, Castris Vngarorum Ruteni & Polowcy potiti, Iaroslaus filius Suantopelko nis cum paucis fuga euadẽs, ad Polonos in Brześćie, (neq; enim cum Vn garis habere pro ea tempestate contubernium satis tutum putabat) diuerti Dauid autem Dux ex ea victoria animo resumpto Castrum suum Wladimi rienſe recuperaturus obsidione vallauit. Vbi dùm inter obsessos & obsidẽ tes crebræ excursiones fierent, Mśćislaus filius Suantopelkonis, cui Ca strum Wladimir à Patre fuerat commendatum, sagittam in hostes ex Castro emittens, sub maxilla ab hostili sagitta percussus moritur. Cuius mors dùm quatriduo celata fuisset, quinto demùm die morte publicata, obsessi de dendum Castrum Dauid, neque amplius tabescendum fame decernebant. Metu tamen ne à Suantopelkone durius in eos animaduerteretur, illos de terrente, missis ad Suantopelkonem nuncijs, in quanto & ex morte filij sui Mśćislai, & ex penuria victualium versentur discrimine, & ni celeriter ili succurrat, dedituros se Dauid Castrum significant. Suantopelk periculo in tellecto Putatam Palatinum suum ad ferendam laborantibus opem mitto.

Qui Wla-

Qui Wladimirum cum exercitu, habens in suo Comitatu Swantoslam filium alterius Ducis Dauid, qui de singulis, quæ in exercitu Suantopelkonis ageren tur, sibi, Dauid opportune significabat, astrinxerat. Veniens statiuis pro pè Castrum positis, altero die silenti agmine Castrum ingressus, in Dauid, & exercitum eius quiescentem, & nihil prouidentem, faciens impetum vehe rentem confligit, & peruicit illum, stationibusq; illius potitus, soluit obsidi onem, & Basilio in Capitaneum constituto, Putata in Kiow, Suantosla in Lucko regrediuntur. Dauid verò ad Polowcos fugiens, auxilijs eorum im petratis, cum Duce Polowconum Boniak Suantoslam, qui eum fallendo cla dis acceptæ autor fuerat, in Lucko obsidet. Qui fame coactus de Castro Lucko excedens ad Patrem suum in Czernieiow contendit, Wladimiriam deinde expugnaturi Dauid & Boniak procedunt. Quorum aduentu Basili us Capitaneus Wladimirienſis perculsus, antequam venirent, Castro relicto, diffugit, & Dauid tàm Wladimirieñ, quàm Luceñ Castro facili impendio potitus est.

Cistercieñ Ordo cepit per Robertum Abbatem, & Albertum succes sorem eius, & videntur quasi secundarij Reformatores, Ordinis S. Benedi ct, cuius habent Regulam, iuxta quam simpliciter viuere ceperunt, curio sitati & abusionibus varijs abdicatis, creuitq; ipse ordo magnis incremen tis in breui tempore. Cuius Tertius Abbas fuit Stephanus, qui B. Bernar dum cum Fratribus suscepit.

ANNO Domini 1095. Morauico bello Boleslaus Dux infans, ius & scientiam tirocinij sub Setegio, alias Sicciecho Palatino Cracouiensi, x Principe militiæ Polonorum adeptus, dùm nũciatum foret Castrum Miedzyrzecz versus oram Saxonum situm, per quosdam Pomeranos fugiti uos interceptum fore, & ex illo vicinam Regionem prædis & spolijs pluri mum afflictam, petit sibi à Patre Wladislao Polonorum Duce dari exerci tum, ad Castri intercepti conquisitionem, non tironis solùm, sed Ducis of ficio se exhibet perfuncturum. Cùm diu Patrem nec quidquam reluctan tem multifarijs precibus flagitasset, tandem mitti se cum exercitu ad præ fati Castri Miedzyrzecz expugnationem peruicit, Setegio tamen militiæ Principi parere iussus; ne quid temerarium in his quæ ferro administranda erant, ætas lasciua admisisset. Fauore itaq; militari, cepta noui Ducis mul cente, Castrum Miedzyrzecz obsidione valatum est. Quod etsi naturali situ egregiè munitum fuerat, amplius tamen id Pomerani in eo conclusi, imminentem frustrati expugnationem muniuerant. Imperante autem Se tegio, Duce vero Boleslao milites adhortante Castrum, corona, trabibus, igniq; ingentibus vniuersorum consensu septum est, & bombardæ propi us admotæ. Quarum frequenti tormentatione, & Castri propugnacula in plensq; locis diruta sunt, & plures ex defensoribus latius procedente ruina, aut in vita, aut in membris mulctati. Crescente verò in dies obsidentibus spe Castri potiundi; obsessis verò desperatione, consilium magis necessari um, quàm honestum à Pomeranis initum est, de Castri deditione. Missi extemplò à Pomeranis ad Ducem Boleslaum & Setegium Nuncij de dedi-

tione, vt

tione, vt Pomeranis cum ſingulis Equis rebus ſarcinisq; ſuis incolumibus abire liceat, conueniũt. Caſtro Miedzyrzecz in poteſtatem redacto, pace quoq; Regioni reddita, Boleſlaus Dux cum militibus reuerſus à Patre Wladiſlao tàm altam & virilem indolem in filio admirãte, in hilaritate exceptus eſt. Quem cum tenerrimè diligeret, illius quoq; vernantem admirabatur indolem, ſæpius ſecum reputans, quorſum indoles tanta eſſet euaſura. Iam etenim in illo magni ingenij elucebat lumen, cuius poſtea in bellicis rebus, & militari diſciplina ſingularis & rara vigebat diſciplina & induſtria. In illa quoq; ætate iam vehemens admodum animi ac ſpiritus plenus elato animo, alta quæq; & eximia ſpectare notabatur. Augebatur inſuper in Boleſlao in dies virium robur, & animus in feruorem militaris diſciplinæ, & rerum bellicarum, cæterorumq; agendorum exæſtuabat.

Quarto Calend: Auguſti, B. Wladiſlaus Vngarorum Rex multis Religioſis & Sanctis editis operibus, cum Vngariæ Regnum Annis duo de viginti, ſanctè, & iuſtè adminiſtraſſet, moritur. Duo quoq; Regna, videlicet Dalmaticum & Caruaticum Vngariæ Regno adieciſſet, duplici iure in eum deuoluta. Vltimus enim illorum Regnorum Rex Zaromarus propinquus & affinis ſuus ſine liberis decedens, præfata Regina B. Wladiſlao legitima ſucceſsione reliquit. Germana inſuper ſoror B. Wladiſlai Coniunx Zaromari, quæ marito mortuo ea gubernabat, moritura, ea fratri delegauit, & in Waradienſi Eccleſia magna celebritate ſepulturæ tumulatur, in locum eius Colomanus filius Geiſæ Regis Epiſcopatus Waradien, ad cuius titulum conſecratus erat, derelicto, in Regnum ſuffectus eſt. Beato Wladiſlao nõ relinquẽte liberos, & Regnum Vngariæ cæteris fratribus morte abſumptis Summo Pontifice diſpenſante gubernabat.

ANNO Domini 1096. In Wladiſlaum Polonorum Prncipem vſque ad ea tempora felicibus ſucceſsibus regnantem, cùm & fæcunditate prolis & vitæ diuturnitate, opumq; gloria erat ſublimis, & frequentia militum, bellorumq; triumphali pompa euaſerat illuſtris, ſubitò aduerſa fortuna coorta eſt. Erat illi naturalis filius ex concubina, priuſquam Boleſlaus filius legitimus ex Iudita naſceretur ſuſceptus, nomen ex eo quod Ducilla Iudita ſcelus, & incontinentiam mariti peroſa, tàm pellici, quàm ex ea natæ proli, iuſta indignatione erat infeſta, Zbigneus, quod ſignificat iram euadens, ſortitus. Is in obſcuro & ignoto loco alitus & educatus, propter euitãdas ſororcales iras. Iudita Ducilla morte abſumpta, literis addiſcẽdis Cracouiam applicatus eſt, in quibus cùm aliquantulum profeciſſet, pro contegenda ſua, & Spurgij ignominia, & ne tempore procedente cum filio legitimo in participationem paternæ hæreditatis veniret, in Saxoniam Duce Wladiſlao ordinante, deductus, in Monachum tonſus, & Monaſterio traditus eſt, minus vituperij & improperij Patri Duci Wladiſlao, ſi extra Poloniam illum verſari, minus impedimenti & obſtaculi filio legitimo Duci Boleſlao, ſi Monachalis ſortis illum participem fieri contigiſſet, illaturus. Erant

præterea ex militibus Polonorum plures numero in Bohemia fugitiui & exules, qui vel ære alieno, vel in iudicijs pro ſcelere damnati, aut potentia, & liuore Setegij Palatini Cracouien pulſi. Qui autoritate pro ea tempeſtate apud Wladiſlaum Polonorum Ducem ſolus cæteris neglectis polebat arroganter & ſuperbè erga ſingulos vſus, multos Nobiles, quos ſuæ conditioni obſtare videbat, in iuſtis decretis, & iudicijs grauauerat, aut poſſeſsionibus exturbauerat, Bohemiam impleuerãt. Hos Bretiſlaus Bohemiæ Dux vir callidus in perniciem Poloniæ, tàm cõſilio, quàm largitione ſubornans, ſuadet illis, & facilis erat apud animos frementes, & exulceratos perſuaſio, quatenus Zbigneum filium Wladiſlai Polonorũ Ducis in Monaſterio non ſua ſponte, ſed imperio Patris contrauenire non auſo deliteſcentem aſſumant, ſibiq; pro Duce conſtituto, vicinam Bohemis Wratiſlauien oram occupant, non aduerſam aliquam impugnationem ex Bohemia, ſed fidem & efficax ſui propoſiti ſuffragium habituri. Callida & ſpecioſa prodio, quod Bretiſlaus Dux Bohemiæ in Polonos gerebat, magis quàm ſalubria, & tuta danti conſilia (quippe non aliter ſe de Polonia, quàm ciuili diſſeminata procella vltum iri arbitrabatur) vniuerſus fugitiuorum & exulum grex facile verbis doloſis ſpe impletus, aſſenſus eſt. Extemploq; Monaſterio in quo Zbigneus manebat, adito Zbigneo, & verſus Wratiſlauiam ad occupandam ciuitatem oramq; illius regionis ſecum conſentiret, ire ſuaderant, quem tandem perſuaſione huiuſmodi peracta, è Monaſterio Monachis ne quicquam aduerſantibus, extrahunt, &, vt Bretiſlaus Bohemiæ Dux ſuaſerat, ad Wratiſlauiam perducunt. Tenebãt arcem & oram Wrath. tunc milites, & Comes quidam Magnus nomine à Wladiſlao Polonorum Duce, cum etiam genus clarum inter Polonos duceret, & probitate eſſet conſpectior, ſibi commiſſam. Erat autem in Setegij Palatini Cracouienſis odium, propter multas ſimultates inter eos iamdudum conflatas & nutritas, & ipſe feruidus & procliuis. Ad hunc fugitiui & exules Zbigneum committantes nuncium mittunt, verbaq; tempori congruentia apud eum faciunt. Nouimus, inquiunt, Comes Magne, & generis maioritate, & virtutum claritate, te Setegio præſtantiorem fore, multaq; indigna ab eo, qui & exilij, & dedecoris noſtri autor eſt perpeſſum fuiſſe, maiora quoque niſi tibi & nobis, quin enim verò, & vniuerſæ nationi noſtræ Polonicæ, magna calamitate & ſeruitute à Setegio oppreſſæ, & penè ſub iugum miſſæ ſatis proſpexeris perpeſſurum. Eſt nobis Ducalis filius Zbigneus, & huius regionis quam gubernat, & cæterorum Poloniæ Principatuum Patre iam grandæuo per conſumptionem proximè decedente hæres & ſucceſſor. Hunc vna nobiſcum petimus à te in arcem ſuſcipi, & infami noſtro exilio, ne in eo nos conſenecere, aut deſperatione, ſi excluſi fuerimus, concepta, aliquid extremum patriæ, & generi noſtro indignum coſulere contingat, prouideri. Quod ſi ne noſtra miſerabilis non mouet calamitas, moueat ſaltem Zbignei Principis conditio, qui & ipſe conſilio Setegij eſt in Monaſterium detruſus, non minor nobis calamitate, & perpetuo exilio cenſetur. Cuius beneficio ſi

primitijs eius nunc ſuffragia tuleris, poteris extolli, & maior inter Barones haberi. Sed & Setegij, quem tu iuſtè oderis graſſantes in dies, & multis bonis perniciem afferentes conatus, & furiæ non aliter quàm Ducis Zbigneij & noſtra pro te ſuſceptione poterint aut reſcindi, aut inhiberi. Hac Legatione à fugitiuis, & exulibus, inter quos plures erant, qui ſibi ſtricta neceſsitate coniũcti erant, Magnus Comes Wratiſlauienſis Capitaneus, accepta longo tempore quid ageret, hæſitauit. Hinc enim eum vrgebat ſpes & odium, hinc repugnabat fides & honeſtas. In ambiguo itaque rotatus, accitis Wratiſlauienſi Regionis Primoribus, quid facto ſit opus, ſingulorum conſilia exquirit. At illi, vt erant in Setegium nouandarumque rerum ſtudium vehementer incenſi, veriti ne eorum regioni per Zbigneum Ducem, exulesque & fugitiuos, vis aliqua fieret, Zbigneum cum exulibus & fugitiuis ſuſcipiendum vnanimi voto decernunt, iureiurando tamen aſtrictum, vt nihil contra Patrem & Patriam moliatur. In hunc modum, Magnus Comes perſuaſus, vir alioqui fide & humanitate egregius, & multis artibus bonis præditus, partim ſibi, partim patriæ proſpiciens Zbigneum & vniuerſos fugitiuos, & exules excipit, & Ducali illum veneratus honore in arce Wratiſlauiocatus; ſingulorum illi victualium neceſſaria, & his qui ſecum vna venerant adminiſtrant, odio in Setegium hanc illi mentem aduerſus auaritiæ vitium, & ſugillationis notam minus prouidè ſuggerente. Suſceptione Zbignei Ducis, & fugitiuorum exulumque per Magnum Wratiſlauienſi Capitaneum facta, ad notitiam Ducis Wladiſlai perlata, vehementes in eum amaritudinis & indignationis concitauit aculeos, ſe contemptum apud ſuos ita & bellum ſibi à naturali filio, & à fugitiuis, exulibuſque Bohemorum auxiliaribus intermixtis moueri depromentem. Altius tamen omnis ira & amaritudo in pectore Setegij Palatini Cracouientis inſedit, qui ſui odio & inuidia, & multorum militum fugam exiliumque, & eam, quæ apud Wratiſlauienſes contigerat rebellionem, probè noueret celebratam. Pro ſingulis quoque huiuſmodi factionibus proſtratis, & patrandis, non inuidiam modo, ſed periculum ſui ſtatus verebatur, altius in dies militum in eum excandeſcente iuſta ira & ſeditione protendi. Mittitur ob eam rem in Wratiſlauiam à Duce Wladiſlao Nuncius, & temeritatem magni Capitanei, nobiliumque, & Ciuium Wratiſlauienſi pro admiſſo Zbigneo in arcem fugitiuis, & exulibus correpturus, & Setegij excuſaturus innocentiam. Is dicendi ſibi copia, adſtante ſibi Wratiſlauienſi multitudine, facta, mirari Ducem Wladiſlaum, & magis dolere declarat, cur eius hoſtes, videlicet Zbigneum in externas oras relegatum, & fugitiuos, exuleſq; ſuis ferè factis deprauatos, arce & vrbe exceperint, & domino ſuo naturali, & hæreditario deſerto, ac inconſulto illos ſibi coniũxerint, quærere & ſcire velle. Pro rebellibus, ne eos, & patriam communem Bohemi hoſtibus infeſtis prodere volentibus, an pro ſubditis & deuotis debeat æſtimare. A magno Capitaneo & Wratiſlauienſi Comite, reſponſum Ducali Nuncio datum eſt. Non ſe temeritate aliqua aut rebellione, ſed bono reſpectu permotus, neq; prodendæ Bohemis Patriæ gratia,

quorum

quorum hoſtilitatem, odium, & vafriciem, ipſi vicini experiri noſſent. Zbigneum filium Ducis naturalem, & exules fugitiuoſq; in ſuam communionẽ, vrbemq; recepiſſe. non vt Ducales, patriæq; hoſtes, ſed naufragij communis per Setegium procurati reliquias, ne in patriæ & generis Polonici vniuerſalem contumeliam, & ludibrium in externis oris ſtipem alienam efflagitare compelerentur. Se quidem ab obedientia & fide Wladiſlai Ducis, & filij ſui Boleſlai illuſtris, nullo pacto, nulla conditione, diſceſſuros, Setegij tamen improbitatem & arrogantiam Ducis ſui geſta & opera damnantis, & amplius ſuis caliditatibus deprauaturi diutius ſe ferre non poſſe. Cùm autem Ducalis Nuncius, vt ſibi imperatum fuit, factiones Setegij conaretur, diffuſo ſermone diluere, tantas iras odio Setegij in illum multitudo concepit, vt niſi Capitaneus Magnus cum primoribus interceſsiſſet, fuiſſet nuncius ipſe à multitudine, quæ iam ad lapidandum Nuncium ſaxa corripuerat, fædè violatus. Nuncio ex Wratiſlauia reuerſo, & omnibus, quæ ſecum acta erant, quæq; Capitaneus Magnus Barones & populus reſpondiſſet, ex ordine narratis, Wladiſlaus Dux quamuis iam annis militaribus quoque, & ciuilibus muneribus, grauis abſceſsiſſet: vigente tamen in ſenili corpore, animi, conſilijq; vi, non vltra cunctandum ratus armis correptis, & expeditione indicta gliſcentem in dies exulum, & fugitiuorum ſeditionem oppreſſurus, filio Boleſlao Cracouiæ relicto, Wratiſlauiam contendit, Caſtris & munitionibus, & eorum præſidibus in circuitu Wratiſlauienſi Ciuitatis conſtitutis, ad Wladiſlai Ducis ſui obedientiam & fidelitatem certatim occurrentibus, cùm poſtremo ad Wratiſlauiam ventum fuiſſet, Præſul Wrath. Zeroſlaus cum ſingulari Eccleſiarum ordinum & ſtatuum proceſsione, Wladiſlao Duci velut Domino ſuo patrono & naturali hæredi occurrit, & ipſum debito honore vſq; ad Vrbem deduxit. Patuit & arx, quam Magnus Comes tenebat, in eam quoque Wladiſlaus Dux cum omni militia ſua à Capitaneo eius Magno, cum omni humilitate & deuotione exceptus. Ex qua poſtridie Zbigneus ſingulique fugitiui & exules, non tàm Wladiſlai Ducis aduentum, cuius pectus clementia refertum nouerant, quàm truculentiam Setegij veriti, omnium Wratiſlauienſi, ipſiuſq; Magni Comitis ſubtracta ſibi videntes ſuffragia, in Caſtrum & ciuitatem Cruſuicenſi eatenus frequentia ciuium & populorum refertam, ab exulibus & fugitiuis occupatam perfugerunt. Pauco illic tempore Wladiſlaus Dux commoratus, Magno Capitaneo & Nobilibus, ciuibuſque Wratiſlauienſi, quod ſe inconſulto Zbigneum & exules fugitiuoſque recepiſſet, clementius obiurgatis. Magno Comite à gubernatione Caſtri, & Prouinciæ Wratiſlauienſi pro commiſſo facinore deſtituto, filio ſuo Boleſlao & Viſlao eius curatori eam dat tenendam. Citatoq; curſu filium Zbigneum & fugitiuos, exuleſque perſecuturus, exercitum in Cruſuiciam deduxit. Pomerani ſuapte Wladiſlao Duci infeſti à Zbigneo accitis, frequentes Cruſuiciam vt ibi bellum gererent, ciuili ferueſcente ſtridore, conuenerant. Prutenoſque & cæteros barbaros ſecum adduxerant. Lætus tanta multitudine Zbigneus, certum ſibi de Patre ac eius

exercitu nihilo ſuo ſuperiore portendebat victoriam. Quapropter nulla mora facta, Patri cum ſeptem fugitiuorum & exulum aciebus, & Pomeranorum Prutenorumque turmis obuiam procedens, ſignis colatis, ad lacum Goplo Kruſuiciæ contiguum dimicat. Exulibus autem & fugitiuis pro victoria adnitentibus, tantum cruoris illic fuſum eſt, vt lacus ipſe ſanguine, & cadentium cadaueribus fædatus, neq; ſe potabilem, neq; piſcem humano generi ad edendum aptum diu prebere potuerit. Paucis ex Wladiſlai militibus deſideratis, vulneratis autem plurimis, omne robur Zbignei exercitus cede immenſa confectum eſt. Zbigneus ipſe cum paucis in Caſtrum Kruſuicen diffugiens, viuus in poteſtatem patris venit. Vrbs Kruſuicienſis, quia Zbigneo tulerat auxilium, militi in prædam conceſſa eſt. Ab eo quoque tempore omni opulentia & fortunis ſpoliata, nihil de priſca gloria præter ſolum nomen ſeruat. Ex Kruſuicia Wladiſlaus Dux in Maſouiam diuertit, Zbigneum quoq; filium in carcerem coniectum, Setegio Palatino Cracouienſi in Caſtro aſſeruandum in cuſtodiam dedit, pleriſq; conſiliarijs conſulto id illi ſuggerentibus, prouidere, iam tunc magnopere ſatagentibus, ne cum viliſsimo corruptibili pignore, Boleſlao filio legitimo æquale fieret commercium, Paterna enim indulgentia in Boleſlaum magna extabat, nec minor omnium Optimatum & Procerum Poloniæ fauor & affectio ſperantium illum egregij animi virum, domi foriſque euaſurum. Erat enim tunc ferox ingenio, membris robuſtus, frigoris ac caloris iuxta patiens in inferendo bello non minus quam repellendo auidiſsimus, & vitæ prodigus, mortiſque contemptor, in ferrum vulnuſque præceps. Opportunitatem rei quam conflauerat Bretiſlaus Bohemiæ Dux, vt magis coaleſceret, ita animum recedentibus à ſe Polonorum fugitiuis & exulibus ſpoponderat, adiuturus, verſus Wratiſlauiam exercitualiter proceſsit, & ſub eo tempore, quo ad Kruſuiciam inter Patrem & filium dimicatum eſt, eam partem Poloniæ, quæ circa fluminis Niſſæ conſiſtit oram inuadens, ſpolijs & incendijs agreſtes affligebat, & Caſtrum Bardo ad Rippas Niſſæ ſitum, vacuum enim defenſoribus erat, occupauit, & igne conflagrauit. Reperta autem, haud procul inferius fluuium Niſſa deſcendendo, rupe, cuius moles in ſingulis circumquaque locis abrupta, velut turrita conſurgebat. Quæ dum in Ballo larga eſſet, ad ſublimitatem coartata, ſpeciem naturalitatis Caſtri effecerat. Hac Bretiſlaus Bohemiæ Dux lignorum conſtructione amplius communita, Caſtrum in ea extruxit, & Kamieniec illud, quod nomen in præſens retinet, cùm in Saxo ſitum ſit; appellat, præſidioque loco impoſito, quod poſtea virtutem Boleſlai filij Wladiſlai Ducis Polonorum admiratus reſtituit, Bohemiam vadit. Locus ipſe Monachorum ſub Regula S. Benedicti, Deo militantium frequentia celebris habetur, & inſignis multis poſſeſsionibus, Oppidis, Vicis, & Villagijs, per Boleſlaum alterum Wratiſlauien, Legnicen, & Glogouien Ducem deuotione, qui primus illic fundauit Deo Monaſterium, abunde dotauit. In Bohemiam autem Bretiſlaus reuerſus Marſzynam & Koyatam, generis Vrſouicen erant, qui apud Polonos Rauitæ nu-

cupantur,

cupantur, de Bohemia eijcit, inſimulans Polonorum rebus contra Bohemos ſemper, præſertim tamen in bello, quod tunc inter ſe & Polonorum Ducem Wladiſlaum agebatur, fauiſſe, & ſua ſingula ſecretò Polonis prodidiſſe. Bona inſuper eorum mobilia & immobilia occupat, & ſuæ Cameræ inſcat. Hi cùm in Poloniam nudi penè, pannoſi; & omnibus rebus exuti veniſſent, à Wladiſlao Polonorum Duce benignè excepti, & comiter tractati ſunt, & larga vtrique & familijs eorum poſſeſsio atributa.

ANNO Domini 1097. Gneſnenſis Eccleſiæ Polonorum Metropolitanæ, Martinus eiuſdem Archiepiſcopus, dilatam conſecrationem in eam dieñ moleſtius ferens, ad dedicandam eam primam diem Maij conſtituit. Quæ quo celebrior eſſet, Wladiſlaum Polonorum Ducem & Zophiam Duciſſam, Boleſlaum quoque filium Wladiſlai, & ferè vniuerſos Epiſcopos Proceresque, Barones, & Primores Regni Poloniæ, vt illam præſentia ſua honorarent, ad illam inuitat. Solita calliditate, quùm aperta vi nequirent, Pomerani vſuri, in dedicationis præfatæ Gneſnenſis Eccleſiæ vigilia, intelligentes propoſito ſuo tempus opportunius non fore, Duce Wladiſlao, & ferè ſingulis Polonis feſtiuitate dedicationis Eccleſiæ occupatis, Caſtrum Sanrok occupaturi. Iam enim pleroſque ex Polonis qui in eo morabantur, pecunia corruptos, deditionem illius, die ad id conſtituto facere pellexerant, intempeſta nocte ſilentio aduenium, & ſigno dato, de quo inter eos, & traditores conuenerant, funibus ad Caſtrum inuehuntur. Verùm dùm ſe Caſtro potites lætarentur, in interiora quoque Caſtri eos, qui à ſocijs proditi quieſcebant, captiuaturi, penetrare pararent, ſubitus illos quo vnusquiſque eorum velut ſaxum diriguit, occupat terror, Vir namq; armatus caballo nitido inſidens, eis viſibiliter apparens gladium dextra geſtatum manu in quemlibet eorum infixurus ni cederet, vibrabat. Diſcurrebant ex tunc miſeri Pomerani per ignota & noctis obſcurata caligine loca, quo quéque ſors & imminens ante ceruicem mucro depulerat. Fragorq; & ſtrepitus per gradus, & cæca loca à facie proſequentis dilabentium, exiſtimante vnoquoque ex Pomeranis ſe tantummodo perſecutore pelli, exortus, etiam ſoporatos Caſtellanos ſuo excitauit tumultu. Qui & ipſi nimio pauore expergefacti, agitare ceperunt, perculſos cæleſti verbere hoſtes, & pleriſq; trucidatis, reliquos omnes comprehendunt: Suam vitam & Caſtrum perditum, ſed protectione cæleſti cuſtoditum, meritis B. Adalberti Martyris & Pontificis glorioſi, prout dignum erat, adſcribunt. Hunc q; Albi equi inſeſſorem fuiſſe, qui Pomeranos Caſtrum intercepturos agitabat, veris indicijs conjiciunt, atq; in laudem & gloriam ſuam obſecrationes ædunt, & vota pro ſeruata vita & Caſtro emittunt, ſoluuntq; excelſi illum apud Deum coram vniuerſis offerentes meriti, qui ædibus ſuo nomini ſacratis nocte, tàm ſalubrem & neceſſariam opem præſtiterat Polonis.

Dedicationis Eccleſiæ Gneſneñ benedictione abſoluta, Wladiſlaus Polonorum Dux Martini Archiepiſcopi Gneſneñ, ſingulorumque Procerum &

Baronum Poloniæ, qui solennitati illius diei intereant, multifarijs precibus expugnatus, Zbigneum de carcere deuotum se amplius Patri, & in eius potestate futurum pollicentem, relaxat, & vtrunque filium dato illis freequenti exercitu in Pomeraniam trasmittit. Sed cùm ex Pomerania, nullo memorabili edito opere, discordiarum seminario inter fratres de Primatu & Imperio exorto, reuertissent. Pater amare filiorum certamen ferens, veritus ea morte sua secuta ampliori dissidio certaturos. Poloniæ Regnum inter eos diuidit, & Boleslao quidem legitimo filio Cracouiam, Wratislauiam, Sandomiriam, Siradiam, & quæ meliora cessura decernit. Zbigneo Pomeraniam, partemque Poloniæ Maioris, Lanciciam, Cuiauiam, & Masouiam assignat omnium prædictarum terrarum vsu, & administratione sibi ad vitam reseruata se abiumpto sine litigio suam quilibet sortem apprehensurus.

Wlodimir, Dauid, & Olech Duces Russiæ, Kiouien Ducatum vastaturi copias in campum eduxerunt, quibus statiua apud Horodecz agentibus Suantopelk Kiouien Dux occurrit, fortunam belli tentatus. Communibus tandem Baronibus agentibus de pace inter Duces actum est, qua æquis conditionibus confectæ, vnusquisque in propria redijt cum pace.

Quarta Octobris Cometes in occidente facem porrigens apparuit. Nimia aquarum inundatione autumnalis satio impeditur, quæ sterilitatem frugum induxit. Baptista Primus Crusuicien, siue Wladislauien Episcopus annis 15. functus Pontificali officio rebus eximitur humanis, & in Crusuicien Ecclesia sepelitur. Cui Paulinus Primus, natione Italus, ab Vrbano Papa Secundo suffectus est.

ANNO DOMINI 1098. Diuisione Regni Poloniæ, Wladislaus Poloniæ Dux inter Boleslaum legitimum, & Zbigneum naturalem filium facta in Masouien Prouinciam, eius enim situs & habitatio cæteris omnibus sibi placidior videbatur, diuertit. Interim illi velox nuncius allatus, Bretislaum Bohemiæ Ducem copias congregasse, clandestinè Poloniam, & Wratislauien regionem inuasurus. Id cùm Wladislaus Dux Boleslao, Wratislauiam & vicinam ei oram paterna indulgentia gubernanti insinuasset, & arma contra Bohemos resistentiam facturus expedienda mandasset. Paritum illico à Boleslao est, & exercitus ad confinia Regnorum deductus. In quo cùm Woislai Pedagoi absentia notata fuisset, ingens suspicio inter milites Boleslai primùm, subsequenter priuatum murmur, & tandem aperta vociferatio coorta est: vtroque semel ortam suspitionem augente, dissereníq; non absre Woislaum in suo Comitatu deesse, & alumnum suum Boleslaum Ducem in tam difficili necessitatis articulo deseruisse omniumque consona voce credebatur Woislaus Boleslao deserto ad Setegium Palatinum Cracouiensem defecisse, & vtriusque caliditate & ingenio ad agendum contra Bohemos bellum, apud quos missi exploratores quieta omnia nunciabant, Boleslao & tibi Setegij, & Woislai versutia, à Patre arma ad prodi-

tionem aut interitum Boleslai imperata fuisse. Grauis eatenus & infestus vtrique filio Setegius, grauior tamen & infestior Boleslao, quippè admirandam

tandam illius in singulis, virtutem, in suam tandem perniciem peruenturam. Patre mortuo formidabat, nec aliter quam hostis ab vtroquè est habitus fratre, cum omnium ferè Castrorum & munitionum distributarum illis Regni Poloniæ Prouinciarum, in suam suorumquè fratrum, aut eadem secum sapientium tenutam, Wladislao Duce consentiente rediens, interitum Ducalium filiorum, vt Principatum Regni Poloniæ ipse ageret, communi assertione, & fama ac effectu ingenij vafri, incertum est, vel ab inuidia coorta, vulgatus fuerit. Ad cuius frustrandos conatus Boleslaus, & Zbigneus fratres, stricto se fœdere & iureiurando astrinxerant, vnus alteri fideliter & sincerè auxiliaturos. Militibus itaque se, & Boleslaum non ad bellum gerendum accitos, sed ad periculum subeundum expositos inminatione continua quærentibus, bello ocius pro euitando machinato periculo discedere, & auxiliatorem Zbigneum placuit accersire. Quo iuxta pactum cum festinatione aduenient, ad Wratislauiensem Ciuitatem, ne ipsa à Setegio, vel suis occuparetur, agmine citato itum est. Vbi vniuersis Regionis & Ciuitatis Wratislauiensis conuocatis militibus, Boleslaus Dux ita apud illos concionatus est. Quàm latè, quamque callidè, & vafrè Setegij Palatini Cracouiensis grassaretur temeritas, vnicuique veltrum patefactum esse non ambigo. Qui Patre nostro siue illud caulet, suum grandæuum senium, siue Setegij dolus, & versutia ad omnia quælibet pertracto, & penè vincto, & intascinato facilè sibi Principatum Regni Poloniæ Castris & munitionibus sui iuris & potestatis effectis, Patre nostro absumpto repromittit. Et quod sine indignatione rei vix eloqui valeo, lachrimæ quoque ipsæ, quas dolor & acerbitas elicit, vt coram cernitis, (rigabat autem fletu immenso genas) testes sunt, quomodo vterque nostrum in spem Regni huius genitus intereat, magna prouidet cura, iuxtaquè nostra, velut immanium hostium, aut barbarorum licitatur capita. In hac Vrbe, quæ nondum sua Tyrannide attacta & infecta est, non saluari posse propter duram expertam fidem confidimus, in vobis, spes nobis suprema videtur redacta, vestram erga nos fidem percepturi, huc nos ex cæteris locis profligati contulimus, vobis sinceritatem fidei, nobis seruantibus tuti, donec super impendens Setegij furia tonat, quiescemus, reliquas sedes Regni Poloniæ declinare cogimur, comparatam nobis necem subituri. Si autem nec hic hæredibus manere licet, in externas oras abeundum est; vitaquè, quam Setegius eripere contendit, saluanda exilio. Commota erant omnium ad misericordiam filijs Ducalibus ferendam viscera, tantumquè apud vniuersos & miseratio adolescentum, & odium Setegij valuit, vt clamore sublato omnem fidem, subiectionem, & deuotionem, Duci Wladislao Patri eorum hactenus præstitam in eorum profectus, & commoda pollicentur conuersuros. Orant deinde vt omni mora circumscripta eum, quæ contra Bohemos collegerant exercitum, amplioribus copijs augendum, ad locum vbi Pater residet, ducerent, ad Setegij improbam audaciam, antequam fatis occupetur Pater contundendam. Interim dùm hæc Wra-

tislauiæ aguntur, Woislaus Boleslai Comes aduenit, & omnium quæge-
bantur ignarus, mitti se in Vrbem petit, sedulitatem suam suo alumno exhi-
biturus. Sed cùm illi propterea, quod Setegio propinqua cognatione iun-
ctus esset, & secum vnâ necem Ducis moliri, pro suspecto haberetur, acces-
sio Ciuitatis denegaretur, ille se è contra purgare, & non necem, sed hono-
rem & gloriam alumno suo summopere cupere, nihilq; sibi commune cum
Setegio fore differens, inquis auribus odio Setegij callentibus auditus à
consortio quoq; huius exercitus, qui ex Wratislauia versus Zárnowiec, ibi
enim Dux Wladislaus mansionem facere nunciatus est, procedebat. Cui
se Woislaus satagebat coniungere, exclusus non sine sui pectoris, nihil eorū
quæ in eum popularis suspicio confinxerat conscij afflictione perditum suam
fidem, suosque labores, & non cogitato scelere se insimulatum doluit. Et
Wratislauia in Masouiam vniuersus exercitus sub Boleslai & Zbignei ductu
penetrans statiua propè Zarnowiec vicum ignobilem, curiam illic Duce
Wladislao tenente posuit. Res quoq; inter patrem & filios non armis, cun-
cti enim id execrabantur facinus, sed alternis legationibus agi cepit. Om-
nem autem huius litigij molem in eo consistabat consistere, vt Dux Wlad-
islaus Setegium Cracouiensem Palatinum á se abdicet, & Castris munitio-
nibusque destituat, quem hactenus in suam ignominiam, & filiorum perni-
ciem perfusis largitionibus suapte inflatum in ampliorem superbiam erigen-
tibus, parauerat: se non hostes patri, quem omni studio publico & priuato
veneraturi essent, sed Setegij ferocis hostis sui capita eorum dùm ferro non
licebat licitantis, vltores aduenisse, obsecrareque patrem ne Setegij dolus &
perfidia, qua Respublica Polonorum ad internecionem vsque perducta est,
plus pensi apud illum, quàm filiorum & cæterorum Nobilium sincera fidel-
tas, & deuotio habeat, ne quoque de Castris Poloniæ filijs suis successori-
bus, minus quam Setegio confidat. His & pluribus alijs iustis rationibus,
Wladislaus Dux suggerentibus id sibi & magnoperè suadentibus Pontifici-
bus, & Ecclesiasticis personis, qui pro tollendo communi dissidio illuc
conuenerunt, animo deliberato cedens, & Setegium à se protinus abdicat,
& Sacramento se obligat, nunquam illum ad pristinum Magistratus & offi-
cij gradum assumpturum. Accedunt Patrem inermes filij, & pronis cerui-
cibus debito honore patri impenso, illum venerati, inuicem reconciliantur.
Discedentem post hæc Setegium Palatinum, & ad Castrum Siecicchow à
se erectum, suique nominis appellatum vocabulo; & pluribus fossatis, & pro
pugnaculis egregiè munitum, tutumq; esse illuc consistere ratum, declinan-
tem biduo, fratres Boleslaus & Zbigneus cum agminibus militum perse-
quuntur, extra fines Regni Poloniæ, si manus eorum effugeret, illum pro-
pulsuri. Non tulit Wladislaus Dux id filiorum & vniuersorum militum suo-
rum decretum, sed ad labefactandum illud in noctis medio, dùm in filiorum
Castris, & suo Ducali creditus est quiescere tabernaculo, patris persona e-
xuta, & priuati induta, tribus tantummodo secretioribus seruis comitatus,
& in vna cymba per alueum Vislæ, cuius illic aquæ inflatiores sunt, ve-

ctus, ad Setegium ire contendit, sua præsentia illius discrimen auersurus.
Consternatum ea nouitate Boleslaum & suum exercitum, & an ire contra
Setegium pergeret, an subsisteret consilij in opem, id consilium, ea cogita-
tio, militibus probantibus subijt, quatenus Regionum, sibi paterno decreto
pro sortibus distributarum, arces & capita, tàm Boleslaus, quam Zbigneus
curent apprehendere, minus negotij arcibus occupatis, patre mortuo,
cum Setegio si quid moliri vellet habituri. Et Boleslaus quidem Cracouia-
am, Sandomiriam, Siradiam, cæteraque suæ portionis arces illicò cepit.
Zbignetum à Plocensi Castro, quod magno militum tenebatur præsidio,
ignominiosè repulsum, (iam enim & Wladislaus Dux ad illud redierat)
cætera aggredi puduit. Coniunctis demum exercitibus, Boleslaus & Zbi-
gneus Plocen arcem & vrbem, Setegium à patre sequestraturi circumsi-
ent: Sed Martinus Gnesnen Archiepiscopus, vir licet grandæuus, medi-
atoris vicem inter patrem & filios aliquanto tempore, non fracti, & senilis
corporis fatigam gerens, prouidensq; ne ciuilis nubecula grandem aliquam
& pernicio sam procellam in commune cieret, cum filijs patrem superiori
conditione arctiori Sacramento & cautella obfirmata, de abdicando & nū-
quam reassumendo Setegio mitigatis vtrumq; guerris pacificat, & patre pa-
cta seruante, pellitur à filijs Setegius de Regno, & in Russiam exulat, Wla-
dislao quoq; Duci, sedes à Boleslao possessæ restituuntur. Qui quidem Se-
tegius, etsi annos plures in exilio delituerat, benignitate Ducis Boleslai re-
situi, suffragio Pontificum & Barohum obtinuerat, potentia tamen & au-
toritate, quo viq; ad inuidiam sub Duce Wladislao abundauerat, caruit. Se-
tegius hic Palatinus Cracouien, de genere & familia bipennium erat, ha-
bens ingenium callidum, & ad omnia versatile, factiuitate mixtum, habens
& plures Prosapiæ suæ fratres, cognatos, affines, & nepotes, habens & pos-
sessiones plurimas Ducali fauore & indulgentia sibi & suis donatas. Ob
quæ omnia magnam affectati Principatus, (siue id fastus proprius, siue in-
uidia aliena causabat) incurrerat suspitionem. Communis autem cuiuslibet
Monarchiæ custodia, nulla alia re præstantior est, quàm Virum aliquem
magnum non facere.

Vexationem quam Ecclesiæ Imperator Henricus IV. inferebat, Vrba-
nus Papa Secundus satagens rescindere, ipsum omni honore & administra-
tione Imperiali priuat, mandans electoribus Imperij filium illius Henricum
Ecclesiæ & sedi Apostolicæ fidelem & deuotum ad Imperium eligi. Qui
dùm iuxta mandatum Apostolicum Henricum filium Henrici Imperatoris
prædicti elegissent, electus ipse scandala, quæ in Ecclesiam Dei genitor suus
induxerat, & inducturus veritimiliter timebatur, summoturus, cum & pa-
te viuente suam electionem videbat recidere in derisum, patrem captiuat,
in carcerem recludit.

Castrum Wlodimir, & regionem Wolinen à Duce Dauid occupatam,
quantopelk Kiouien Dux recuperaturus, cum pedestribus & equestribus
copijs, primo vere veniens versus Wladimiriam procedebat. Cuius ad-

uentum Dauid Dux ueritus, cùm & in suis satellitibus fidei ambiguitatem probè nosset, Castro relicto ad Wladislaum Poloniæ Ducem cum vxore & vniuersa suppellectili diuertit, Suantopelk verò Castro Wlodimir potitus, processu temporis casu lugubri filio suo Suantoslao 12. Iunij à proprijs occiso, exceptus est.

ANNO Domini 1099. Pomeranorum furia ad lacessendum Poloniæ Regnum accurata diligentia semper intenta, quamuis illi superiores cedenatus male cessissent, quietis tamen impatiens, nouo nocēdi genere, aduersus Polonos vsura, contractis vtrisq; copijs ad Castrum Santok accedens, intercipere illud primum dolo & fraude, & tandem spe non respondente, vi aperta expugnare moliebatur. A irrito vtroquè cæpto respondente, quoniam & firmo præsidio militum, velut portus, & ostium Poloniæ Regni septum erat, & ad humanum firmamentum etiam situs naturalis qualitas accesserat, nihil aduerso euentu Pomerani deterriti, è Regione Castri aliud Castrum Polonis ex iusto ne quicquam resistentibus, in tam propinqua vicinitate, vt se mutuo loquentes exaudirent, & trabibus, & quercinis lignis, cæteraq; materia illic ad manum suppetente erigunt, & vallis fossatisque ingenti celeritate communiunt, maximum momentum rebus adiecturi, si tam Castro necessario Polonis adempto, incursiones pro libitu in Poloniam extenderent. Magnitudine periculi, quod à Pomeranis tendebatur, Wladislaus Princeps ad se perlata, motus, mandat filio Zbigneo, (ei enim ora illius portio obuenerat) vt quàm celerimè consurgat, & Pomeranorum abigat insidias, & munitionem nouam à Pomeranis extructam deijciat, Castroquè Santok, & his, qui in illo acriter oppugnabantur, opem ferat. Ille edi prima iussa exequendo illuc cum iusto exercitu accessisset, segniter tamen in singulis, quæ agi cum hoste oportebat, se gerens, re infecta, confirmatis hostium animis, suorum verò qui obsidebantur plurimum hebetatis, discessit. Quod vbi ferocis pectoris adolescens Boleslaus filius Wladislai Ducis legitimus, præruptæ iam tunc virtutis audaciæ, intellexit, fraternam deterſurus ignominiam, & patriæ obsessisq; succursurus, cum paucis admodum militibus illuc aduenies, magnos impetus edit. Egressos, siquidem ipsius pauoritate conspecta, Pomeranos paruo negotio fudit, fugatquè, & vsq; ad portarum limen, tàm auidè fugientes prosequitur, vt parum abfuerit, quin cum fugientibus Castrum irruerit. Pontem deinde à Pomoranis fabrefactum, aut disrupit, aut exurit, obsidentesq; paruo ante tempore Pomeranos, Ponte effracto & ablato, noua terruit constrinxitq, obsidione. Probitatem & ardorem infirmæ adhuc ætatis Pomerani admirati, magno illum certatim celebrant sermone, dignumque iudicabant, cui ferrum & arma tractanda committerentur. Zbigneum velut pusilanimem & hebetem, in sacerdotij sortem detracta militia arbitrabantur detrudendum. Castro deinde quod erexerant, amissionem illius veriti, incenso; sub noctis caligine diffugiunt. Auunculus illius Germanus Bohemorum Dux Bretislaus, spectata adolescentis virtute, coram se sæpius recitata delectatus, missis nuncijs, eum ad se venire

se venire inuitauit, charissimoq; affectu honoratum remisit. Arcemque Kamieniec prope flumen Moisza sitam, ei restituit, Ita Boleslaus vno egressu duplicem hostem confecit, Pomeranum quidem congressu, Bohemum verò suæ virtutis admiratione. Donis præterea quamplurimis Nepotem Bretislaus cumulauit, tùm propter singularem amorem, quo in eum fuerat incensus, tùm quia proculdubio indole & moribus Boleslai contemplatis; sperabat egregij animi Virum domi foriſq; euasurum. Abeuntem longa deductione prosequutus, monuit, vt Nepotis erga se & Principatum Bohemiæ seruaret amorem, nihil dubitans se sibi de cætero benigno animo responsurum. Ille graui & benigno responso reddito, in propria reuersus, dona quæ à Bretislao Auunculo acceperat, singula in milites distribuit.

Stephanus Plocensis Episcopus Annis XI. in Pontificatu Plocensi absumptis vita & ipse absumptus est, & in Plocensi Ecclesia sepultus: Cui Philippus Decanus Plocensis, genere nobilis, de familia Doleuitarum, per electionem Canonicam via scrutinij actum, vir consilio & æuo maturus succedit, quem ad petitionem Wladislai Ducis Poloniæ & Monarchæ, Paschalis Papa Secundus promouit.

Generali Conuentu Duces Russiæ 10. die Augusti in Wietice indicto, quatuor numero, videlicet Suantopelk, Dauid, Olech, & Wolodor, cum suis singulis Consiliarijs conueniunt, habitisq; inter se varijs tractatibus, pacem mutuam ordinant & concludunt. Ad quos illic agentes Dauid Dux literis eorum accersitus ex Polonia aduenit, & dicendi potestate facta quærit ad quid vocatus sit, offerens se cuilibet de se querulanti responsurum. Cui Duces per Wlodimirum respondent. Tu ipse per Nuncium rogasti nos, vt liceret tibi Conuentui nostro interesse, & de iniurijs, quas pateris queri. En sedemus æquis auribus te audituri, si quid habes propone. Quo se fua hæreditate Wladimirien, videlicet Principatu spoliatum quærente, secedunt Duces, & collatione habita, mittunt ad Dauid Nuncios ex parte Suantopelkonis putatam, pro parte Wlodimir, Ratibor, pro parte verò Dauid & Olech Thorcinum. Qui apud illum ita differunt. Non est propositum Ducum Russiæ, reddere tibi Wladimirien sedem, eò quòd frequenter terras Russiæ hostili gladio, quod nemo alius ante te memoratur egisse, vexabas, non intendunt in mortem, aut captiuitatem tuam, aut aliquod nocumentum machinari, & dùm sat est, culpam ignoscere, etiam beneficentiam, ne in externis gentibus in cui & eorum ludibrium exul & profugus vageris, adijciunt, Ostrog, Dubin, & Cartorisk, Wladimir centum marcas annuas, Dauid & Olech alias centum marcas similiter annuas pro suis partibus tibi consignat. Quo huiusmodi conditionem acceptante, sedit Dauid in Bozysko. Cui exposit Suantopelkus vltra possessiones priores etiam Drohobisch adiecit, vbi degendo absumptus est. Missi etiam sunt ex eodem conuentu ad Welodorum Nuncij qui monerent, vt Wasilkone cæco ad se recepto vnum agerent in Premislia Principatum. Quæ conditio ab vtroque repudiata est.

ANNO Domini 1100. Heroicos actus Boleſlai Principis ſua animola opera etiam apud vicinas nationes iam crebreſcentia, & ſonore vulgata, quibus futuræ ſuæ indolis efficaciam, & virtutem maximis indicijs ſignaq; inſinuauerat. Wladiſlaus Dux Polonorum honorare ſatagens, & ortens ex ſuo femore ſitus ampliori rutilantia illuſtrare, non ignorans, vllum alimentum honoris ad exacuandam ſolidandamq; virtutem æquè conferre, cingere illum militari balteo, cùm nunc ætatis annum 15. ageret, decernit. Aſſumptionis quoq; B. Mariæ Virginis diem in ciuitate, & in Eccleſia Plocenſi, cuius etiam honori Baſilica ipſa dicata eſt, conſtituit, Curiam quoq; ſolennem pro conferendo militari Sacramento Boleſlao indicit, ſingulos Præſules, Barones, & Primores Poloniæ ad ſollennitatem huiuſmodi cerrogans & inuitans. Iam ſolennitati huiuſmodi dies aduentauerat, deſtinata inuitatiq; & in Patris, & adoleſcentis honorem magnitudine apparatus, maximaq; pompa ludos celebraturi frequentes confluxerant, dùm ſubitò affertur nuncio. Pomeranos ingeniorum calliditate & opportunitate temporis ſemper vſos, etiam ex huiuſmodi opportunitate temporis, Caſtrum Santok grauibus copijs obſediſſe, ad eius quoq; expugnationem omnes ſuos extraneos conatus & curas intendiſſe. Rebantur ſiquidem Polonos & Boleſlaum, & conſtituta ad celebritatem militaris baltei die, & ſubſequentibus occupatis præſenti ſolennitate, & lætitia, & à cura defenſionis auerſis animis, omnem Caſtri defenſionem neglecturos, ſe interim Caſtra ſubuentione longius dilata potiundos eſſe. Tam audax Pomeranorum ceptum omni ratione ſalubriter compoſitum, virtus Boleſlai potentior diſſoluit. Honore quidem; quo eo die inſigniendus initianduſque erat, neglecto, quo illi poſt craſtior, ornatiorque perueniret, Pontificibus ne quicquam cum retinentibus, equo veloci conſcenſo, de ſingulis qui cõuenerant, ſequi iuſſis, ad Santok peruenit, & Pomeranos in tabernaculis quieſcentes ſoporeque in diluculo grauatos inuadit, & inopinato aduentu territos proſternit, fundit, & obtruncat, in paruoq; temporis ſpacio omnes Pomeranorum copias, paucis per fugam elapſis, aut occidit, aut captiuat, & ſubſequente ſe longo captiuorum ordine in Ploceñ Ciuitatem patre cum Epiſcopis & grandæuis, atq; emeritis ſolennitatem militibus inhoatam continuante, hoſtium cruore madens, aduenit. Prædaq; Patri oblata, primùm ipſe, demùm frequens Polonorum numerus, ex ingenuis, & coæuis ſuis viris, his quoq; qui vna ſecum militauerant, delectus à ſene Patre, & balteo cinctus & Sacramento militari addictus eſt, & dies illa cum ſequentibus progeminata lætitia, cum iuſto gaudio tradu&a. Laudis ſuper ætatem & modum cupidus, nullos labores, nullum fugiebat diſcrimen, omnia pericula ob gloriæ cupiditatem, & patriæ quietem, decus atq; propagationem vilipendens. Ignobili & miſeranda morte, Bretiſlaus Bohemiæ Dux 21. Decembris anni eiuſdem decedit. Dum ſiquidem ex venationibus, quibus aliquanto tempore vacauerat, rediret, & prope villam Stebnam conſiſteret, venator ſuus Laurentius Lorek vocatus Bozei ex Mutinæ Nobilium de Vrſzouiceñ alias Rauitis, qui à

Bretiſlao

Bretiſlao ipſo omnium bonorum mobilium & immobilium mulctati & exilari, in Poloniam diuerterant, largitione & promiſſo corruptus, lancea quã manu geſtabat, Ducem Bretiſlaũ adeò letaliter circa ilia proditoriè percuſſit, vt tertio die ex inflicto vulnere animã exhalaret. Huic frater germanus Secundo genitus Bratiſlai Borzywoi in Bohemiæ Principatum ſucceſsit.

Templariorum ordo ſub hoc tempore cepit, qui prius albis vſi ſunt mãtelia, poſt rubeam crucem ſubpoſitam portarunt. Cuius primi fundatores fuerunt. Hugo & Ganifredus, Beatus quoq; Bernardus Regulam dicti Ordinis fertur compoſuiſſe. Vrbanus Secundus cum annos 12. Menſibus ſex, diebus 15. ſediſſet, Romæ moritur, & in Baſilica B. Petri honorificè ſepelitur. Cui Paſchalis Secundus natione de Bleda Tuſciæ, qui Reginherius Tituli S. Clemẽtis Presbyter Cardinalis vocabatur, qui tres Antipapas vicit, Albertum, Arnolphum, & Theodoricum, in Cathedram Papalem ſucceſsit.

Iaroſlaus Iaropelczyc Dux Suantopelkoni Kiouieñ Duci inferens bellum, pugna inita ſuperatur. Quem captum & vinctum Suantopelk Kiouiam adductum includit ergaſtulo, hunc expoſt ad inſtantes peticiones Metropolitæ Kiouieñ & Monachorum ſolutum, & nihil de cætero moliri Suantopelkooni pollicentem dimittit.

15. Septembris Rutenorum Duces, Suantopelk, Wladimir, Dauid, Olech, & Iaroſlaus celebrato in Stakow, cum Polowconum Ducibus conuẽtu pacem confiniunt, quæ vt ab vtroq; firmius cuſtodiretur, dati inuicem obſides. Quartadecima die Aprilis, Wſzeſlaus Dux de Polocko moritur.

ANNO Domini 1101. Nouam Boleſlai Ducis militiam nouus & antehac inſolitus hoſtis excepit, Rutenorum namq; Duces, Wlodimir Nouogrodeñ, Dauid & Olech Pereaſlauieñ, Wolodor Præmiſlieñ. Et Iaroſlaus Iaropelczyc, abnuente & detrectante huiuſmodi expeditionem, Suantopelkone Duce Kiouieñ, ſuperiorum bellorum eis à Regibus Polonorum illatorum vltum iri cupientes iniurias, vt quæ conſtaret vires illorum ſic excreuiſſe, vt timendi magis cenſeri debeant quàm timidi, valido congeſto exercitu in Poloniam ingrediuntur, & quadrifariã agmine diſpartito, quo & prædatio populatioq; maior proueniret, & terror multiplicatorum exercituum diffunderetur, eam omni genere vltionis vaſtaret, prædantur, & affligunt, non paruum quoq; locorum ſpatium vſq; ad flumen Viſlæ emenſi, & prædarum ſpoliorumq; & captiuorum maximum conſequuti numerum, lamq; votis potiti, graui & tardo gradu, grauem trahentes mancipiorum, & pecorum, prædam in Ruſsiam remeabant. Cùm ſubito Boleſlaus Princeps, qui in colligendis accerſendiſq; in hoc bellum militibus, omne id temporis, quo Rutenſ in Polonia immorati ſunt, abſumpſerat, aduenit. Rutenoſq; iam Poloniæ Regni confinia tranſgreſſuros, & faſtu immani, atq; lætitia, quod expeditionem illam nihil aduerſi experti abſoluiſſent, inflatos conſequitur. Verùm cum ab exploratoribus, & per ſeipſum accepiſſet, vires hoſtium ſuis in notabili excedentia ampliores eſſe, & dimicationem futuram,

turam, militibus præsertim suis longitudine viæ fessis imparem, oportunitate temporis vtendum, (numero quidem plures hostes, robore verò suos superiores & pugnandi cupidos ac peritos) ratus, cum omnis cunctatio, hostes à conspectu abirent, & in munitiones se reciperent, alatura dispendium videretur, accelerationem optimam ducens. (Nam quo ijssent celerius, eo ipsos repertum iri imparatiores) in noctis conticinio, quam diei Dominicæ sequebatur, cùm Rutenos in soporem versos haberet exploratum, in illos irruit, iussisque militibus altius clamorem attolere, omnem eorum potentiam inuadit, & trementes atque pauidos, vt in tali casu solet accidere, Rutenos, ne quicqam paucis resistentibus, Ducibus primum, deinde militibus, cæterisque in fugam versis, fundit, sternitque Polonorum captiuis ceptam cladem Rutenorum magnopere augentibus. Ingenti strage edita, plurimis captiuis, & spolijs onustus, suis quoque Polonis in sexu virisque manumissione præstita, reuersus ad Patrem, & agrestium quos liberauerat, & militum, quos magna hostili præda ditauerat, efferebatur, sermonibus: Felicem fore Rempublicam Polonorum tali Principe, felicem gentem, cui imperauerint, felicia tempora, quibus Poloniæ Regno prisca gloria & omnis instauratio, decor & amplitudo forent, absque dubio prouentura, felicem & beatum virum, qui tàm strenuum & fortunatum effudit bellatorem.

Pro Bohemiæ Principatu, in quem anno transacto Borzywoy filius Wratislai ex Suantochna Casimiri Regis Poloniæ filia genitus successerat, res inter eundem Borzywoy, & Vdalricum filium Conradi Ducis quondã Bohemiæ filium ad testatas inimicitias & arma, re in controuersiam vocata, prodierat. Is namq; Vdalricus sibi velut maiori natu Bohemiæ Ducatum vendicans, etiam ab Imperatore Henrico, quem Ratisponæ conuenerat, de eodem Ducatu inuestitus & prouisus, cum aliquanto Teutonicorum exercitu, sperans plures Bohemos ad se defecturos, Bohemiam accesserat. Sed dùm Borzywoi fortiori agmine circa riuulum Wisplica illic occurrisset, & nulla accessio Bohemorum ad Vdalricum fieret, à Teutonicis apertum discrimen subire detractantibus, & temeritatis illum arguentibus desertus est, Borzywoy nouus Princeps Bozei & Mutinæ germani sui Bretislai percussoribus ex Polonia reuocatis, Oppida eorum Bozei Sancz, Mutinam, & Lewtomorzycz restituit.

Vigesima quinta Nouembris, Lampertus Cracouiensis Episcopus, & corporis B. Stanislai ex Rupella in Ecclesiam maiorem translator, absumptus est, & in Ecclesia Cracouiensi sepultus, cùm annis 20. Cracouiensem Ecclesiam rexisset. Balduinum primum, Gallum genere, Summo Pontifice Paschali Secundo, prouidente habuit successorem, annis 7. in Cracouiensi Ecclesia præsidentem, non tamen immediate Balduinus Lamperto successit, sed annis tribus vir Venerabilis Cziaslaus tenuit Cracouien Episcopatũ per Wladislaum Ducem Polonorum sibi collatum. Fuit hic Balduinus Canonicus Stobnicensis, & Boleslao Duci Monarchæ Regni Poloniæ in grã-

di necessitate subuenerat, eius itaque patrocinante suffragio in Cathedram Cracouiensem promotus.

Conradus Henrici Imperatoris filius Florentiæ moritur, & in altero anno Henricus Coronam Imperij à Paschali Papa sumit, nec multo post illum cum multis Ecclesiæ Prælatis capit, & carceri includit, vnde parum post liberatus euasit.

ANNO Domini 1102. Sexagesimum suæ ætatis vno minus annum Polonorum Dux Wladislaus Hermanus cognominatus impleturus, in grauem incidit languorem. Qui cùm illum vexasset diutius, Boleslaus tamen filius suus nunquam à languentis lectulo, nisi quantum Patris curandi vsus postularet, discedebat. Tandem viribus corporis debilitatus, animam de carne 5. die Mensis Iunij exclusit, affuit suo excessui Martinus Gnesnensis Episcopus, ipseque Duci decessuro, & Sacratissimi Corporis Christi viaticũ, & suprematn vnctionem præstitit. Cadauer quoque exanime, donec filij, Præsules, Barones, & milites ad iusta Ducali funeri exsoluenda conuenirent, vsque in diem quintam asseruauit. Scribunt & attruunt nonnulli annalũ Poloniæ scriptores, Wladislaum Ducem prætatum Poloniæ non naturali morte concidisse, sed à filio spurio Zbigneo, qui & Zbieg à Polonis cognominatus est, occisum esse per fraudem. Sed filijs confluentibus Zbigneus nõ de honore & iure Patri sepeliendo, impendendo, sed de Thesauro à Patre relicto curam intenderat. Solita quoque furia vexatus, litem grauem & pro tempore execrabilem, cum Boleslao fratre fletibus & mœrore occupato, & confecto, inchoauerat. Castrum Ploceñ, cùm suæ sortis esset & iuris, etiam thesaurum illic repositum sibi tantummodo integrum debere cedere. Qua intercessione Martini Gnesneñ Archiepiscopi, cæterorumq; Episcoporum & Baronum sedato, officio sepulturæ, per dies plures vacatum est. Ducis quoque mortui Wladislai corpus in Ecclesiæ Plocensis Choro, non sine Boleslai filij legitimi Prælatorum & Baronum Poloniæ luctu, debito honore conditum est. Thesaurus quoque prout ex dicto Martini Archiepiscopi, & Episcoporum Poloniæ conuenerat inter Boleslaum & Zbigneum ex æquo diuisus; quanquam iure Municipali minus perscriptum est, legibus tamen Imperialibus, & communi iure gentium sancitum, vt naturales filij, sortem hæreditatis in Regno non possint accipere. Zbigneo quoque in Masouia & Plocko, sibi enim sorte prouenerat, remanente, Boleslaus in sedes à patre sibi designatas abijt. Tum quoque primùm Polonici Regni Prouinciæ discerpi, atque scindi ceperunt. Tantam autem charitatem Boleslaus Princeps nobilis parentis, Nobilissimum veraxque germen in patrem mortuum monstrauit, vt eius excessum quotidie nouarum effusione lachrymarum, & habitu vestis atræ integro lugeret quinquennio. Laminam insuper auream & paternam imaginem, simul & nomen insculptam habentem, ceruici appendit, nocteque & interdiu gestauit, vt quasi Patrem coram cerneret, eiusq; aduentum ad singula sua agenda figuraret, vtq; præsentia sua in virtuosis actionibus consulteret erectior, crebro id apud se lamina aurea suggerente

ingemi-

ingeminans atque repetens, dictabat: Sermonem tuum antequam prodeat, (Pater enim illum exaudit) vt honestus & cultus sit, circumcide opera tua, iusticiam & veritatem redoleat: (Pater enim singulorum inspector adest) vt omnia iustè administrentur, via Regia vt in singulis quæ vel meditando, vel fando, vel operando egeris Deum & parentem magno metu sapientiam præstantem, reuerere. Talibus documentis, quæ sua sponte pectus genium spirabat, Boleslaus eruditus, breui in virum solertissimum, & precacissimum clementia Saluatoris illum dirigente euasit. Armorum, equitandi peritus, laborum vltra fidem patiens, eloquio nitidus, in iudicis strenuus, pietate præstantissimus, gubernatione Regni strenuus & principus, in bellicis actionibus & victorijs semper clarus. Vltra autem matris gloriæ laudes plurimæ in eo fulsere virtutes; fides, prudentia, & industria. In omnes charitas, & erga calamitosos ac inopes miseratio semper prompta, patri Wladulao non absimilis, cæterum disciplina rei militaris longè peritior, copijs, apparatuq; longè opulentior, instructiorque, liberalitate animi, facilitate morum, dexteritate ingenij copiosior.

ANNO Domini 1103. Egregiam operis nostri partem, in quam diuinitate propitia, vtcunq; peruentum est inchoaturus, id mihi primũ precari liceat, quod & plerosq; rerum scriptores in vertice suorum operum professos meminimus. Tempora me & bella memoranda egregiæ & ratæ felicitatis atq; virtutis, Ducis Boleslai Polonorum Monarchæ descripturum. Cuius aspectus tàm fuit ferox in aggrediendo, animositas tàm constans in agendo, celeritas tàm prompta, in conficiendo, liberalitas in largiendo, industria in prouidendo, modestia in deuictos, clementia in afflictos, commiseratio in calamitosos, vrbanitas in hospites, æquitas & pietas in subditos, quem admodum memoriæ multorum autorum literis proditum est, adeò ampla ac immensa, vt inter Polonorum Reges & Principes, neq; vir melior, neq; Dux peritior, neq; miles audacior, neq; victor felicior, neq; patriæ amator feruentior, neque iudex iustior illo vnquam memoretur extitisse. Septem & Quadraginta prælia constat illum confecisse. In quibus adeò prudenter & animosè versatus est, vt ferè in singulis insigni sua plerumque virtute triumphauerit, inerat illi in oris extremitate quædam ad gratiam magis, quàm ad deformitatem producta recuruitas, Ob quam Boleslaus Krywousty, videlicet indirectioris est agnominatus. Tantas autem præclaras in Principe virtutes sola credulitas viciauerat, cui etiam in apertis & expertis rebus tàm se obnoxium substrauerat, vt actionibus suis, alioquin gloriosis & magnificis, aut leuitatis notam inustam, aut confusionis ignominiam contrahat permixtam. Altero post obitum Patris Anno, Prælatis & Baronibus Poloniæ dum cunctantem renitentemque, & ætatem nondum maturam opponentem, cogentibus, vxorem Principis maioris Rusiæ filiam Suantopelkonis Ducis Kiouien nomine Zbislauam, virginem forma & moribus illustrem, (quamuis alter alterum quarto consanguinitatis gradu æquè contingeret) accepit, verentibus consiliarijs, ne tàm nobile germen, nos relictis fron-

dis frondibus excederet. Nuptiarum celebritatem Cracouiæ 16. die Nouembris acturus, Zbigneum fratrem naturalem, quem plusquam germano affectu diligebat, & in quem charitatis & veneratiõnis officium, quòd patrem præstare solitus erat, contulerat, ad illam inuitat. Qui etsi pro honore fraterno ad illam venire se promptum obtulerit, illicò tamen pecunia accepta ad Bohemiam se contulit, & tàm Ducem Bohemiæ Borzywoi, quàm neporem suum Suantopelk & parenti pecunia, & futura promissione ineptos arma contra Boleslaum sumere, & Ducatus suos inuadere induxit, nullum aptiùs tempus, eo quod Boleslaus Dux Polonorum nuptiarum solennitati vocauerit, de cætero ad inuadendum suos Principatus prouenturum. In fines copiæ Bohemorum peruenerant, cum murmur Bohemorum & indignatio exorta erat quærentium se ad iniusta bella, ex quibus ad solos Principes locupletatio, ad se tenuitas proueniret, cogi. Rem in sedition em verti, timentes & Borzywoi & Suantopelk Duces in Bohemiam (Zbigneo ignominiosè deserto, vana tamen spe impleto alio se tempore suis desiderijs morem gesturos) reuertuntur. Boleslaus impedimento hostili, quod illi inuidia fratris exciuerat, Bohemicorum militum seditione solutus, magno sumptu & Pompa nuptias egit 16. quoq; diebus integris quibus nuptiarum celebritas tendebatur, amplitudine sua digna munera inter conuiuas, & inuitatos distribuit, consanguinitatis impedimentum, quod inter Boleslaum Ducem & nouam sponsam vertebatur, Paschalis Papa Secundus Balduino Cracouien Episcopo procurante, Apostolica dispensatione sustulit. Bohemica repulsa Zbigneus accepta, ad alias rursum molitiones animum inducens, Pomeranos, Prutenosq;, & quoscunq; alios adire festinat, in bellum & arma illos contra Boleslaum Ducem Polonorum inducturus. Ambitio enim ad occupandum Poloniæ Regnum vniuersum, & liuor in Ducem Boleslaum, illos sibi subministrabat spiritus, cùm illum iusta Matrefamilias, se pellice ortum: illum fauore, & charitate Polonorum magnum, se inuisum & contemptibilem esse nosset. Nullam sibi itaq; spem ad adeptionem Regni nisi in scelere relictam ratus, ad id omnes, quos poterat, conatus intendit, & germanitatis obliterata memoria, non insidiatoris modò, sed ganeonis manifesti personã induens, noctes diesq; insidiari illis cepit. Callidus enim, & versutus natura Zbigneus, quo se inferiorem materno latere cernebat, eò studiosius per fraudes & dolos capitales insidias non desinebat extruere Boleslao, non aliter se, nisi Boleslai interitu dedecus originarium existimans depulsurum. Videns insuper fauorem & dignitatem Boleslai apud omnes validam fore, sibi nullam spem Regni nisi in scelere ratus, ad id vnum omnes cogitationes curasq; suas intendere pergit, nec illum metus à periculo aut ratio à furore reuocabant, subortiua viciatus sobole, qui de matre erubescere debuerat, Principatum appetebat.

Pacta cùm Rusiæ Ducibus firmata violantibus Polowcis, terrasquè Russiæ excursionibus & spolijs assiduis vehementer vexantibus, Conuentu

apud Kiouiam Ruſsiæ Duces octaua die Aprilis celebrato, expeditionem contra Polowcos æſtate non expectata gerendam indicunt. Milites autem Rutenorum, & ſi non conuenienter tempore hiberno geri bella aſſuerēt, & grauari ſe plurimum per iodictam expeditionem quererentur. Duce tamen Suantopelkone Kiouieñ diſſerente, cum eo ipſis hoſte bellum eſſe, qui nec quicquam obſeruatis temporibus aſsiduè illos infeſtat, & cui pro omni tempore reſiſti oporteat, expeditio huiuſmodi vniuerſali conſenſu accepta est. Ad quam communibus viribus & armis Rutenorum Ducum & populorum gerendam, Dauid & Olech Duces, qui Conuentu Kiouieñ intererant, cùm vocarentur. Dauid quidem vocationi paruit. Olech verò ægritudine simulata venire contradixit. Wlodimirum itaq; cum ſuis copijs procedentem Suantopelk Kiouieñ Dux, Dauid Suantoſlawicz, Dauid Wſzeſlawicz, Mścislaus nepos Hreorij, Wiſzeſlaus Iaropelczyc, & Iaropelk Wlodimirowicz Duces, vnuſquiſq; cum gente ſua equis & nauibus vecti, ſecuti ſunt. Egressi autem de nauibus conſcenſis equis, & aciebus ordinatis, veniunt in Schuten. Quorum apud Polowcos per crebreſcente aduentu congregantur Polowcy in maxima multitudine, cum Rutenis, quos iam viciſſe & ſubegiſſe crediderant, dimicaturi. Suaſit autem vnus ex Ducibus Polowconum Ruboſa nomine Polowcis, vt certandi animo omiſſo, pacem potiùs, cuius ipſi violatores extiterant, à Rutenis in grandi exercitu venientibus, flagitarent. Qui etſi ſalutaria ſuaderet, arguentibus tamen Ruboſam de ignauia & metu notantibus, cæteris auditus non eſt, profitentibus ſe & Rutenos qui aduenerant, debellaturos, & tàm terras, quàm munitiones eorum occupaturos. Nec ſupereſſe quenquam ea potentia proditum, qui Rutenos ab eorum inuaſione ſit ſeruaturus. Quo tàm ſuperbo & feroci dicto Ruteni & Duces eorum cognito pro conſequenda ex alto victoria, frequentibus votis promittendo templis & monaſterijs largitiones ampliſsimas Dei clementiam precabantur. Archonga autem vir in armis fortis & ſtrenuus, cum alijs non paucis ad ſpeculandum à Polowcys præmiſſus, à Rutenorum ſpeculatoribus interceptus, nullo valente effugere, cum omnibus Comitibus ſuis occiditur. Quæ res velut de ſumma belli pronunciaſſet Rutenos victores, Rutenorū animos erexit. Polowcis itaquè in magna multitudine, quā nemo Rutenorum poterat, aut circumſpicere, aut æſtimare, in aciem procedentibus, immittit diuinitas pauorem & terrorem in illos, & occupati pauore & trepidatione antequam in congreſſum cum Rutenis venirent, non ipſi modo, ſed & equi eorum ceſpitare, mœoremq; quendam præſeferre cœperunt. Rutenis è contra ordinanter, & cum magna alacritate equis etiā eorum in lætitiam effuſis, ſ. frequentius hinnientibus ad prælium prodeuntibus, Polowcy ſolo eorum conſpectu perculſi, & debellati, pugna omiſſa, terga vertunt. Cædes itaq; non certamen fuit, & fugientes Polowcos paſſim trucidant. 20. Duces Polowconum eo prælio occiſi, videlicet Ruboſa, Kocza, Harſlonopa, Kikalopa, Huniana, Chaſupa, Kurtaka, Czenehrepa, Surboz, & plures alij, multa milia cæſi, multa capta. Caſtris Polowconum

wconum Ruteni potiti, ex auro argento, gemmis, pecoribus, camellis, & alia varia ſuppellectilia illic recepta, Rutenicus exercitus affatim ditatus, onuſtus multis ſpolijs, & multos Polowconum captiuos ducens, victor in Ruſsiam rediit. Fecitque Deus in die illa magnam ſalutem Rutenis, graues & infeſtos hoſtes Polowcos tradendo in manus eorum. Procedente autem tempore eiuſdem anni, terræ Ruſsiæ à Prutenis & Lituanis vaſtatæ ſunt. Volunę & nonnulli Annalium Poloniæ Hiſtoriographi eo primum Anno & non 1065. quemadmodum in ſuperioribus narrauimus, Mieciſlaum Ducem filium Boleſlai Poloniæ Regis confirmata apud Cruſuiciam, vbi tenebat ſedem, Monaſterij in Mogilno, per Patrem ſuum fundatione ſimul cum Eudoxia Coniuge ſua 2. Idus Martij vi veneni, quod forte vna die ſimul hauſerant, extinctum eſſe. Cuius confirmationis apices originales in ipſo Mogilnenſi Monaſterio in Pargameno exaratos, ego legi, vidi, & tractaui.

ANNO Domini 1104. Hoſtilitate quam aduerſus ſe Boleſlaus Polonorum Dux affines ſuos Borzywoy & Conradum Bohemiæ Duces, ad Zbignei fratris ſui ſuggeſtionem machinatos, ſub diebus nuptiarum ſuarum agnouerat, vehementer offenſus, nec ſuggeſtori tantùm Zbigneo, quantùm Conrado (is enim Borzywoi Duce Bohemiæ, bellum Boleſlao inferendum declinante, ardentius id geri expetebat) iratus, milites magis præſtantes & veteranos in arma euocat. Et valido exercitu ex proprio tantummodo milite congeſto, præficiens illi in Ducem & Principem militiæ Comitem Zeſlaum in Morauiam, quam tunc Suantopelk velut ſortis ſuæ hæreditatem poſsidebat, tranſmiſit. Tanto autem ad vlciſcendum Suantopelkonis hoſtilitatem ferebatur ardore, vt tempore belli apto non expectato in Quadrageſimæ diebus expeditionem ipſam milites agere iuſſerit. Ne tamen expeditioni huiuſmodi intereſſet perſonaliter, ægrè à Conſiliarijs exorari potuit. Zeliſlaus itaque Princeps militiæ triplici agmine, ita enim erat illi à Boleſlao Duce imperatum, Morauiam ingreſſus, incendijs, ſpolijs, & prædis, non in Quadrageſimæ ſolùm diebus, ſed etiam feſtum Paſchæ ſequentibus grandi incommodo eam afflixit. Et vniuerſa ferè Morauia abſque aliquali reſiſtentia peragrata, prædarum & captiuorum magnis turbis, maximoque numero onuſtus in Poloniam remeabat, iamq; locis quæ Poloniam à Morauia diſterminãt, proximus erat, dùm & exploratorum & ſpeculatorum denunciatione certificatus eſt, Suantopelkonem cum exercitu frequenti, plus de pedite, quàm de equite habente ſe inſectari, ne plus duobus miliaribus à ſe Caſtra poſuiſſe. Siſtit illico gradum Zeliſlaus, & imbecilliores bus infirmiſq; cum captiuis, præda, & ſpolijs præire iuſsis, quatenus futura dimicatio expeditius iniretur, ipſe acies inſtructis, milites paucis, vt cæſis iuuantibus fortiter decernerent, hortatus, inſtatiuis heſterna die habitis Suantopelkonis aduentum cum vniuerſo Polonorum exercitu alacer operiebatur. Aduenit tandem Suantopelk Moraviæ Dux, & irarum, felliſq; pro ſortis Morauicæ exuſtione plenus, bellum animo infeſto concepit con-

ptu conferuit, suæ & suorum virtuti plurimum confidens, nihil casui relin-
quebat, secundos sibi destinans successus, quasi non & in altera parte viri ac-
que pugnaces fuerint, magno impetu ab vtrisque concursum est, maiori ta-
men vi vsq; ad vespertinam horam, cùm in tertijs cepisset pugna, gerebatur.
Et vtraq; parte pro victoria adnitēte, fuso vtrinq; multo sanguine, plurimisq;
hinc inde cadentibus, aut vulneratis, æquo Marte vtraque acies, hæc in
Poloniam, illa in Morauiam ex infesta palestra redijt, Suantopelkoni & Mo-
rauis vltra mœrorem, quem pro his, qui in prædicto prælio ceciderant, etia
his, quòd prædam à Polonis non excussérant, accesit. In hoc certamine,
dùm Zelislaus Princeps militiæ, & Ducis & militis officio egregiè functus,
in locis aliquot pugnam resistens manum dexteram amisisset, amputatorem
illius leua occidit. Pro qua illi ob virtutis insigne, Boleslaus Polonorum Dux
tua liberalitate ampla contulit munera. Nec oblatis fides defuit, quoniam
& donationibus mirificis illum locupletauit, & pro carnea amissa, manum
illi auream fabricauit. Cuius simulachro vsus fortitudinis suæ facinora,
magis quàm vera manu fiebat conspectior. Plures & alij Poloni in huius-
modi prælio, aut desiderati, aut vulnerati sunt; Quæ plaga creditur propter-
ea Polonis accidisse, quòd Quadragesimam esu lacticiniorū violassent, &
in die Resurrectionis quædam nefanda scelera patrauerant, maioremque
gloriam eius victoriæ quam lætitiam miles Polonicus habuit. Indignum ia-
quidem iudicauit, & deforme sibi Boleslaus Polonorum Dux, simulachrum
manus aureæ Zelislao Principi militiæ non reddere, qui pro suo impenso
fortissimè dimicans, in acie, veram amisisset. Omnes autem Ducalium fu-
orum introituum sumptus in nullam, vt cæteri, conuertebant, voluptatem,
sed ad equos & arma, & quamlibet aliam militiæ & artis Imperatoriæ sup-
pellectilem. Pro qua vna adipiscenda, maxima cura, studio, conatuq; adeò
flagrauerat, vt nulla ipsum vnquam occupatio auocauerit, labor distraxe-
rit, discrimen deterruerit, nec Poloni ad capessenda pericula alio Duce plus
audaciæ ostentarunt.

Suantopelkonem Morauiæ Ducem, Boleslaus Poloniæ Dux denuò in-
sectaturus, ea quæ Zelislaus & exercitus sibi commissus egerat, parum pro-
bans, alio rursum coacto exercitu, magis potenti Morauiam per Alpes con-
frontatas ingreditur, per quas etsi in eam diem vsq; quæuis itineratio fuit,
ipse tamen primus ferro, & igne iter illud patefecit. Ad illius aduentum
vniuersi agrestes fuga dilapsi, aut in munitiones se cum fortunis suis confe-
runt, aut in siluis & abditis locis pecus condunt. Intelligebāt enim Do-
minum suum Suantopelkonem priori certamine satis debilitatum, Boleslao
Polonorum Duci cum recenti & fortiori agmine aduenienti, decernereque
æstuanti, nullatenus occursurum. Liberè itaq; vastata Morauia, ampliori
etiam incendio afflicta, incolumis, & nullam Morauorum resistentiam ex-
pertus, cum exercitu nouis spolijs ditato, rediit.

Summi Pontificis Paschalis Secundi, Nuncius cum potestate Legati de
latere Gualdo, Episcopus Baluacen̄, in Poloniam Boleslao de Morauica ex-
peditio-

peditione redeunte, venit. Qui à Boleslao Duce comiter exceptus, Polo-
nia visitata, prout à Summo Pontifice iussus erat, Ecclesia rigore iustitiæ in
scleratos Ducis Boleslai illum animante accuenteque assistentia, duos Pro-
uinciæ Gnesnen̄ Episcopos, culpa exigente, damnauit, & suis per sententiā
depositionis priuauit sedibus. Qui tamen ipsi fuerint, & quarum Ecclesi-
rum Episcopi vario & diligenti in quibuslibet Annalibus scrutinio fac-
legisse me non meminerim. Reor tamen ex coniectura euidenti, quo
Episcoporum depositorum fuit Czeslaus, qui Cracouien̄ Episcopatum nul-
la Summi Pontificis autoritate, sed sola Ducis Wladislai donatione detine-
bat. Editus est à Ducissa Zbislawa consorte Boleslai in anni huius fine in-
fans egregius, quem præfatus Gualdo Episcopus Baluacen̄ cum alijs Polo-
norum Episcopis in Cracouien̄ Ecclesia de sacro fonte leuauit. Qui patre
iubente, auitum nomen Wladislaus accepit.

ANNO Domini 1105. Secretam & cautelosam expeditionem paucis
conscijs in Pomeranos terminos Principatuum suorum lacessentes, Zbi-
gneo eos ad id crebris, clandestinis tamen auisamentis & promissionibus
incitante, Boleslaus Dux Polonorum acturus, copias equestres tantummo-
do in Glogow speciem expeditionis in Bohemiam, quo & Zbigneum & Po-
meranos falleret, iussit conuenire. Omnibus tandem quæ illi expeditioni
rebantur sufficere comparatis, exercitum per quinq; integros dies, per silua-
rum opaca, & Colles inuios, ne propositum suum prodi posset, versus Golt-
berg ciuitatem ea tempestate opibus famosam duxit. Cumq; sextis statiuis
propius eam accessisset, militibus ex itinere fessis, quietem aliquam datu-
rus curare illos, primum animas sacro Eucharistiæ viatico, demùm corpora
iubet. Septima die quæ in Sabbato obuenerat, officio B. Mariæ, in cuius
deuotionem singulariter ferebatur, absoluto diluculo, ad Goltberg incau-
tos oppressurus accedit, flumenq; quod circa Vrbem decurrit, tunc influ-
tiores solido vndas habens, pontibus non requisitis, vt suus ab hostibus di-
nosci non posset aduentus cum vniuerso exercitu tranat, diuisoq; trifariam
exercitu duas cohortes in subsidijs locat, ne à Pomerano à tergo adorire-
tur, subita inuasione, ipse cum tertia Vrbem inuadit, aggreditur, & oppu-
gnat. Iam pleriq; milites effractis portis, iter cæteris ciuitatem irrumpendi
effecerant, se maiori parte militum ad diripiendam suburbanam prædam,
quàm ad Vrbis impugnationem magis discurrente & intenta, milites qui
ciuitatem intrauerant, conspecta eorum à ciuibus paucitate, obsistente ci-
uium multitudine, retrocedere non sine grandi periculo sunt compulsi. Po-
meranorum Dux qui tunc in Goltberg morabatur, ne in Boleslai manus vi-
uus veniret, inter hunc tumultum elapsus est fuga. Magnis expoti conati-
bus Boleslaus Goltberg expugnare adortus, castigatis militibus, qui præda-
briori occupati, opportunitatem bene gerendæ rei exequi neglexerant, in
pluribus locis impugnationem Vrbis instaurat. Fessis autem aut vulnera-
tis, nouos & recentes succedere iubens, circa oppugnationē ciuitatis cassos

labore, vsq; ad vesperam ciuibus constanter mœnia sua tuentibus, immoratus est. Videns autem conatus suos, militibus nequicquam proficientibus, ad vltimum fatigatis, recedere in irritum, receptui signo dato, suos ab oppugnatione Vrbis reuocauit. Suburbio quæ tunc primum militibus in prædam dato, illoque in locis pluribus in circuitu conflagratis, magnum captiuorum numerum secum vehens, in propria redijt, intelligens Oppidi Goltberg conquisitionem sibi fato tunc aduerso subductam. Breui quiete postquam à Goltberg reditum est ad expediendum arma, & curandum corpora militibus à Boleslao concessa, alteram in Pomeraniam cum eodem expedito milite, quo circa Goltberg vsus fuerat expeditionem acturus, dùm ætate illa nullo amplius belli munere, vacaturus crederetur, remeauit. Suantoborus oræ maritimæ Princeps, & Boleslai Vasallus, Boleslao quoque consanguinitate iunctus, à Pomeranis in captiuitatem coniectus, (sui siquidem hostiles, & subiecti iniustum eius imperium perosi, illum de Dominio exturbauerant, vinctumque Pomeranis velut hostibus infestis tradiderant, breuiorem exitum existimans apud Pomeranos extinctum iri,) expeditioni præfatæ secundæ in Pomeranos causam præstiterat. Hic siquidem longo tempore carcerales apud Pomeranos sustineret molestias, Boleslaum per literas & crebros nuncios suppliciter fatigat, vt sui misertus, calamitosum eum esse, & in horrendo carcere mori, per necessitatem communis sanguinis non sinat. Boleslaus etsi probè nouerat Suantoborum maioresq; suos & omnem progeniem, sibi & suis progenitoribus nunquam puros, sed semper in fide fluxos & vafros extitisse. Sua sponte tamen Pomeranis infensus, per occasionem liberandi Suantobori sui Vasalli Pomeraniam ingreditur, missis nunciis, qui (nisi Suantoborus reddatur,) Pomeranis denuncient bellum. Pomerani autem non denuciatione belli, sed aduentu post denunciationem Boleslai tàm repentino & insperato perterriti, vastationem sibi, & terræ suæ imminentem prouidè euitaturi. Suantoborum de carcere soluunt, & vsque ad Castra Boleslai perductum, Boleslao restituunt. Qui vitam & libertatem sibi à Boleslao præstitam, publica voce professus, dignationi suæ multiplices gratias agens, fidior de cætero in subiectione sua permansit.

Henricus V. Romanorum Rex, mandato & ordinatione Papæ Paschalis Secundi, Henrico Quarto Imperatore ob rebellionem in sedem Romanam deposito, suffectus, congregatis pluribus ex Imperij terris bellatoribus, Saxoniæ terram ingressus, eam suæ ditionis facit, & plures Principes, Episcopos, & Barones, Almaniæ, ab obedientia Henrici Imperatoris genitoris sui auersos, in suam ditionem inclinat, resistens destituit & expellit. Ad quorum restitutionem dum Imperator Henricus alterum exercitum contra filium comparasset, Regno quoque Almaniæ miserabiliter ferro, flammaque vastato. In ripa fluminis Rheni parricidale bellum commissuri, tàm Pater, quàm filius consederunt. Intelligens autem Henricus Rex patris sui Henrici præcipuas vires in Borzywoi Bohemiæ Ducem & Marchione Leopoldo consistere, magnis donis & promissis vtrumque

corruptu m

corruptum Patrem linquere, & sibi adherere coegit. Quibus abscedentibus Henricus Imperator decernēdi voluntate omissa, in arces, dissoluto exercitu, secessit, ab eo quoq; tempore res filij prosperari Patris sensim diminui ceperunt. Ad Bohemiæ Principatum obtinendum, dùm Conradus Moraviæ Dux filius Ottonis, filij Wratislai Primi Regis vehementer aspirans inducit in animum, vt Patruum germanum Borzywoi eius possessionem pacificam nactum ab illo deijciat; quod illi non solùm proprius ambitus, sed quorundam Baronum Bohemiæ, qui rebus nouandis studebant praua persuasio suggessit. Exercitu itaq; notabili congesto in Bohemiam ingreditur, pluresq; Bohemi Borzywoy deserto, ad illum deficiunt. Quorum defectione elatus, & totius Bohemiæ sibi Principatum destinans, celerius ad caput Bohemicum, ciuitatem videlicet Pragen apprehendendam festinabat. Respondisset autem spei suæ plenus effectus, nisi Borzywoy Pragam venisset, ex præsidio firmo in ea collocato, Castro quoq; Wissegraden fidei Hermanni Episcopi Pragen commisso, rebus suis tempestiuè prouidisset. Quamuis autem Suantopelk cum sex legionibus Pragam venisset, à Pragen tamen portas ei claudentibus exclusus, in Moraviam abijt. Quem etsi Borzywoy abeuntem fuisset consequutus, distulit tamen cum illo, quamuis superiorem se numero militum videret, decernere, ambiguitate fidei Bohemicæ, ne desertus in Nepotis manus incideret, deterritus.

ANNO Domini 1106. Vacationem militiæ & bellorum, Consiliarijs impellentibus, Boleslaus Polonorum Dux suæ tantummodo personæ assumens, & Ciuilia Diuinorum negotia pertractans, Scarbimirum tamen nihilominus virum in armis bene strenuum, & expertum, in Principem militiæ creans, ipsum cum equestrium & pedestrium copijs in Pomeraniā transmisit. Qui cùm quasdam munitiones Castella & Oppida ignobilia munita, primo impetu cepisset, magnum tamen inde captiuorum & spoliorum numerum congerens, in Poloniam deduxit, eodemque itinere, quo venerat Pomeraniam, reuersus, Castro Bitom, multum magna audacia conquisito, Vicis nonnullis prædatis & incensis, cum nemo ex aduerso appareret, magna Pomeranorum spolia in Poloniam intulit, ad Ducem suum Boleslaum cum nonnullis militibus, his præsertim qui ordines ducebant de rebus à se in Pomerania gestis, relationem acturus venit, Boleslaumq; ab vno ex suis militibus dedicationem Ecclesiæ villagij sui, & nuptias sub eius expensis agente, inuitatum inter conuiuas reperit, Boleslaus de Scarbimiri, & suorū militum felici reuersione repletus; lætitia prandio expleto benibus in conuiuio relictis, ipso Scarbimiro, & cæteris militibus iuuenibus assumptis ad silvas, (in quibus ferarum multitudinem constabat accubuisse) venationibus daturus operam, ne virtus ex ocio langueseeret, processit, sed ferociores feris Pomeranos illic reperiens, quippe post Scarbimiri recessum in interiora Polonorum furtim se & glomeratim diffuderant, & multos ex Polonis incautiores occupabant, in eorum penè augmen ni ex signis & equis cogniti fuissent, incidisset. Aduersus apparatum tot terribilium cuneorum,

tot distrin-

tot distringẽtorum gladiorum, rectos oculos tenuit, nec aliquid ex vultu & mutauit, quid tamen ageret Dux, inuictus, fugeretne, an pugnam cũ grauissima multitudine confereret, quoue gradum verteret, prorsus nesciebat. Cum tandem ferocem spiritum ad moriendum magis, quàm fugiendum destinatum esset, paucis comiter, ne se in ea necessitate desererent, sed potius honestam mortem secum vnâ oppeterent, cauerentq; ne animas inulti effunderent adhortatos, ipse primus ante suos omnem illam Pomeranorũ tribus milibus hominum constantem multitudinẽ adoritur, turmam perforat, scindit, & ensẽ hostium cede cruentato, vniuersum hostile penetrat agmen. Rem incredibilem ausus, quod nisi adiuuisset eum fortuna, plus temeritatis habitura foret, quàm gloriæ. Et dum altera vice eandẽ penetrationem geminasset, multoq; ex hostibus velut leo furibundus strauisset, tertio iam suis hinc inde aut fractis, aut dissipatis, & tantummodo quinque militibus secum relictis, dum eandem penetrationem vellet repetere, vnus de quinq; superstitum numero, equi Ducalis videns viscera in terram defluxisse, exclamat. Noli, inquit, Clarissime Princeps in apertum discrimen, non te solum, sed totam Poloniam perditurus, prodire, sed meliori tempori te reserua, parce tibi, parce & patriæ, quam si nunc tibi peperceris, cõseruas. Integro quoq; equo meo conscenso, ex manifesto te subduc periculo, me hic morari satius est, quã te sydus patriæ, in quo vita singulorum inclusa est, occumbere. Hæc vociferantem Ducalis equus moribundus sessorem suum inclytum Ducem Boleslaum quasi nouisset, quem tulisset, placidè deposuit. Qui equo militis conscenso, pedetentim in partem vix 30. militibus, saucijs tamen singulis ad eũ confluentibus, declinauit, Scarbimirum quoque Principem militiæ vulneribus confectum, & dextro oculo in pugna mutilatum reperiens, in locum, ex quo processerat, totus ad hostium cædem anhelans, & fremens, Pomeranis abeuntem sequi non ausis, regrediebatur. Quem omnis turba eorum qui in conuiuio residebant, pugna, quæ gerebatur, audita, ex conuiuio raptim armis correptis, suo Duci latura auxilium prosiliens, in medio itinere excepit, & cum magna hilaritate, quod saluum illum, quem captum, aut occisum putauerant, recepissent, in conuiuij locum perduxit. Sic temeritas victoriam inuenit, & euentus periculum in gloriam vertit. Cùm autem de clade taliter sequuta rumor quædam falsa veris immiscens fuisset intra Poloniam vulgatus, fit ad Ducem frequens omnium Ordinum saluum eum videre gestientium concursus. Cumq; ab omnibus certatim temeritatis argueretur (frequentes enim & in galea, & in armis, & in corpore ictus, diffuptiones, ruinæ, & sluræ, magnitudinem periculi, in quo versatus fuerat, eo etiam reticente depromebant) nihil, inquiunt, æstimamus viliús, quam fortitudinem tuam dimicatione temeraria confundi, & illic eam consumi, vbi non potest ostendi, indignum facinus & seculis relicturus fabulam, si in tàm ignobili dimicatione occubuisses. Aliud, inquit, Dux carpendi & obiurgandi me vobis suppetet tempus, nunc verò si vulneribus, & læsionibus, si morte meorum militum & fratrum vestrorum mouemini, omnes vos non re-

non requisitos modo, sed rogatus esse volo, vt armis quanto celerius induti in Pomeraniam mecum vnâ vos conferatis, gaudium si quod ex clade meorum perceperant Pomerani, diuinitate propitia illis erepturi in hanc vocem cunctis in domos ad induendum arma dilapsis, sub breuibus diebus ingens tam pedestrium, quàm equestrium multitudo ad locum à Boleslao designatum Pomeraniam ingressura conuenit. Nunciatur interim Bohemorũ gentem & Ducem eorum Suantopelkonem, qui patruo germano Duce Borzywoi iusto Bohemorũ Principe adiuuantibus illum primoribus Bohemiæ, profligato sedem Ducalem occupauerat, ad vastandum Poloniam armis accinctum esse, & tàm equestribus, quàm pedestribus copijs in vnum coactis, prope Klocko consedisse, Borzywoi quippè Bohemorum Dux, tutum sibi apud Boleslaum Polonorum Ducem sciens credensq; exilium, à Nepote Suantopelkone Poloniam se contulerat, benigneque à Boleslao Polonorum Duce cum suis omnibus recollectus, magnum odium Boleslao Duci, & Polonis in Suantopelkonis & Bohemorum exciuerat pectoribus, eam quoque iniuriam armis se minabantur vlturos. Ad quos igitur hostes primum iter Boleslaus faceret fluctuans, cum neque Pomeranorum vltionem differre, neque Bohemis interim oportunitatem Poloniam inuadendi volebat largiri, veriq; negotio satisfacturus copias diuidit. Quarum vna parte Scarbimiro attributa, illum in Pomeraniam destinat, ipse cum altera ad siluas Bohemiã a Polonia scindentes, quas Hercinias vocamus, accedit, sed Bohemi occursurum sibi intelligentes Boleslaum, acie dissoluta in domos regrediuntur, Pomerani à Scarbimiro incendijs & spolijs aliquot hebdomadis afflicti, iustas suarum inuasionum in Poloniam pendunt pœnas.

Duobus de viginti annis in regimine Posnanensis Ecclesiæ decursis, Dionysius Episcopus moritur: Cui Laurẽtius Primus Præpositus Posnanensis, Capitulo Posnanensi, & Boleslao Duce & Monarcha Regni Poloniæ instante, & aliquem ex Polonis promoueri gestiente, succedit, à Martino Archiepiscopo Gnesnensi ad illam prouisus, confirmatus, & consecratus. Hic Laurentius natione Polonus erat, de humili stirpe agrestium procreatus, virtus tamen & vita probe acta illum in nobilitatem coniecerat.

Moguntiæ Principum Almaniæ maximo Conuentu, cui & Apostolici Nuncij intererant, pro die Natalis Domini celebrato, Henricus Quartus Imperator, ad euitandum tollendumq; Schisma, quod sui occasione in Sacerdotio Imperioque contigerat, cedere Imperio, & Regalia tradere filio assensus est. Sunt qui credant, non ad damnationem, sed probationem eam tentationem accidisse, affirmantq; ipsum misericordiæ operibus meruisse, vt lasciua eius in Imperio conuersatio in præsenti puniretur. Imperialia ratibus Legatorũ sedis Apostolicæ Capiti Henrici imposita sunt, electio quoq; ista à Principibus Almaniæ tunc innouata.

Polowcys in terras Rusiæ clandestina & silenti excursione irrumpentibus, oramq; quæ Zarzecko appellabatur vastantibus, Suantopelk Kiouiensis Dux exercitum suarum gentium, præficiens illis Ioannem, alias Iwan-

konem,

konem, Zacharzyc, & Kozarzyna in Duces post eos mittit. Qui illos apud Danubium consequuti, spolia quidem per eos apud Zareczko rapta excutiunt & referunt, cum Polowcys autem non veniunt in dimicationem. Zbigneus interim frater naturalis Boleslai Poloniæ Ducis, a facie eiusdem fratris sui Boleslai propter fraudes & dolos in eum commissos, fugiens ad Suantopelkonem Ducem Russiæ in Kiow peruenit, sperans se per illum vel Boleslai Socerum gratiam Boleslai inuenturum. Vbi aliquanto tempore commoratus ad preces Suantopelki, venia illi á Boleslao Duce concessa est. Qua illico abusus ad Bohemiam se contulit, nouis dolis & ingenijs Bohemos contra fratrem subordinaturus.

Poloniæ Boleslai Ducis consors Zbiswa, eo anno fœcundata 12. Aprilis die filiam apud Cracouiensem Ecclesiam baptizatam, cui nomen datum Swantoslawa, enixa est.

ANNO Domini 1107. Vniuersis ferè Ciuitatibus, Castris, & munitionibus Pomeranorum, ad faciendam Bolesiao Polonorum Duci deditionem, inclinata, duo soli Albeñ qui Bialogrodeñ appellabantur, eo animactius resistendo, cæteros etiam à proposito auertisset, Boleslaus Polonorum Dux collectis tàm equitum quam peditum copijs, in Pomeraniam processit, & soluto more tecta vri, agrosque vastari, iubens tandem ad Albam copias deducens, ipsam obsidione vallauit, superbiamquè & contumeliam Albensium ex abundantia exortam, (Vrbs enim erat magnis referta diuitijs) suo calcaneo compressurus. Sperans tamen Albeñ ad deditionè compelli posse, missis caduceatoribus cohortatur illos, ne se ad vltimum reuocent discrimen, ne quoquè sibi necessitatem imponant, sanguine suorum militum Alba expugnata, Albanorum sanguinem diffundere. Ferre et caduceatores duos scuta, rubrum vnum, candidũ alterum, iussit, Albensibusq; si vtro vti velint, dare optionem. In punico excidium suum & suæ ciuitatis: in niueo & pacem & victoris mansuetudinem percepturi. Nil caduceatorum verbis Albeñ moti, in maiorem insuper pertinaciam erguntur, superbo quoquè caduceatoribus responso edito, eos vrbe excedere iubent, neutrius scuti delectionem se perhibent facturos, sed vtriusq; significationem complexi, & in repellendo Bolesiao à sua vrbe suisq; manibus album se scuturum, & in cede suorum militum si obsidere perseuerauerint, etiã se rubrum consequuturos. Tàm indigno responso Albensium Boleslaus calefactus, vineas agi, turres & propugnacula parari, & ad mœnia applicari iubet, conquatiquè turres, & muros ciuitatis, fossataq; Sarmentis impleri mandat. Omnibusquè ad expugnandam Albam maturè comparatis, copias educes, irrumpere debilitatos & dissectos muros, sagittarijs in coronæ modum, qui milites Vrbem aggredientes, tuentur, iussit; & ne quenquam segnities aut cunctatio detineat, ipse ante omnes militum ordines procedens portas ad portam principaliorem accurrit, vallibusquè, & fossatis superatis (incredibilem vim in vno in diuiduo cernens) scuto tantummodo operiens, crebris ictibus portarum valuas scindit, milites quoq; suos huiusmodi, [illegible] exemplo

exemplo ad similem operis ardorem accendit. Non illum saxorum supernè cadentium moles, non sagittarum densitas terret, non ciuium resistens, & picem aquamq; ferentem capitibus impugnantium superinfundens multitudo, non ante oculos suos palpitacio morientium, aut cadentium militũ timidiorem fecit, non prius imminenti periculo se subduxit, donec porta effracta, ciuitatem primus irrumpens, sanguine interemptorum vbiq; compleus, vniuerso exercitui suo aditum patefacit. Albenses qui primum occurrebant sternit, alios obtruncat. Cesserat siquidem hostis obsessus, missilibus exclusus, sed nec hi, qui tormenta retardabant diutiùs resistere poterant, & muro terno conuulso ariete peruium obsidentibus in obsessos iter prebuerat. Cædes ingens militi permissa permiscui sexus fuisset, ni Albenses sagaci consilio vsi, & terrore, Maiestatis Boleslai perculsi, armis abiectis cum matronis & paruulis proni ad pedes Boleslai, ignosci sibi deprecantes, corruissent in terram, neque suam necem, sed coniugum & liberorum, cæterorumque insontium, & impuberum, deprecantur, se pro superbo responso magis cruce & venia, quàm vita, definiunt dignissimos. Quanto submissius se gesserunt in recognoscenda culpa, tanto facilius vita donati sunt. Cunctis siquidem Proceribus & militibus Polonorum ad excidium Ciuitatis, & omnium permiscue necem, insuper & ad delendam Vrbem in eorum qui in oppugnatione ceciderant vltionem, vehementi conatu aspirantibus, Boleslaus Dux indulgentissima clementia in deuictos statuit vtendum, optimo vltionis genere vsus est, cunctos Albenses in gratiam suscepit, cunctis ignoscit, Albensibus quoque suis infestioribus hostibus, & vitam, & libertatem, & fortunam quæ ad victoris potestatem reciderant, simul donat, & ne quisquam Albensium à militibus suis violetur, aut in fortunis patiatur dispendium, prouidet. Qua quidem magnitudinis suæ in deuictos clementia plures Pomeranorum ciuitates cepit, quàm armis expugnauit, Is enim fructus in Albensibus demonstratus pietatis affectus, subita fama & rumore latius diffusus, effecit, vt Goltbergensium, Caminensium, Wolunensium, Cossomineñ, & aliarum eis mare sitarum ciuitatum, Primores & Præfecti cum amplis donis Boleslaum adirent, & venia petita, facileq; impetrata plenam & omnimodam Vrbium suarum deditionem prostrati facerent, astringentes se in illius subiectione fideliter permansuros.

Philippus Plocensis Episcopus sedem suam annis septem administrans, Febre terciana vno anno vexatus defungitur vita, & in Ecclesia Plocensi est sepultus. Simonem Archidiaconum Plocensem, genere nobilẽ Polonorum de domo Gosdauitarum, vita scrutinij electum habuit successorem, a Martino primo Archiepiscopo Gnesneñ Boleslao Duce & Monarcha Regni Poloniæ patrocinante confirmatus & consecratus. Huius Pontificis Simonis quanta probitas fuerit, Vincentius Kadlubkonis de villa Karwow Episcopus Cracouiensis in Chronica sua, quam de Polonorum gestis diserto stillo contexuit, monet ita scribens: Zelus nimirum Domus Dei aureo inscribendus calamo, Simonem & Alexandrum Plocensem Antistites armauerat, qui

vtroſq; hoſte s pernigili ſolertia ſtudioſiſsime ab arce Dominica arcere ſatagebant. Et in ſequentibus, Magnus quidem Alexander Epiſcopus Plocenſis, ſed maior vt video Simon Alexandro, qui Patriarchæ Abrahæ, & Legislatoris Moyſi animando Polonos contra barbaros ad prælium, & pro illis feruente pugna aſsiduè orando, donec vniuerſus contritus eſt hoſtis, in ſe virtutem expreſsit. Et poſt pauca adeſt Antiſtes Simon initiis & Inſulis Pontificalibus inſignis, non tàm luctu quàm precum, & ſuffragiorum miſerabile ſpectaculum proſequutus, qui eminus exclamat. In vno tantummodo filioli ſpes eſt vincendi, non in multis victoria, nec mortis eſt metuendi diſcrimen, maximè cùm pro ſalute proximorum agitur, quia mors corporis hominem non extinguit, ſed ad præmium virtutis admittit. Quo dicto animos pugnæ, ſeſe orationi committit, nec ceſſat donec omnis illa prædonum numeroſitas ſuccubuit, paucis admodum fuga elapſis.

Kozle Caſtrum verſus Morauica confinia loco magis, quàm arte munitum. Odra enim fluuius facit illud ſuo fluore, & ſtagnis robuſtum, dum fortuito conflagraſſet, nuncio conflagrationis Polonorum Dux Boleſlaus accepto, dolositate Bohemica credens incendium prouenisse, & arcem in Bohemorum ditionem ex hoc redigi debere, paucis militibus ſe ſequi iuſsis, illuc accurrit, arcemq; à fundamento reficere, adorſus, nulli laborum aut fatigæ ſe ſubtraxit. Veritus autem ne Bohemorum incurſionem in loco adulto & minus tuto opprimeretur, ad fratrem Zbigneum nuncios mittit, vt ibidem aliquot militum agminibus in præſidium veniat, vel ſaltem militum ſuam mittat, milites ſuos in Albenſium oppugnatione, & Pomeranica expeditione fatigatos, indignum ſibi ſubinferens viſum ad tàm paruum negocium obeundum eos accerſiri. Zbigneus verò iam tùm odij flammas in Boleſlaum propter eius vbique ſonoram gloriam, & ſucceſſuum felicitatem, vomens, arroganti dato reſponſo, etiam nuncios ipſos iuris hoſpicij oblitus, minus honeſtè tractat, & probris in fratrem acerbius ſparſis, redeuntes prope violat. Huius tamen contumeliæ fraternæ genus, Boleſlaus patiencia deuincens, & exuſtionem Caſtri Kozle celeri ſuppoſito ædificio in integrũ reſtituit, & ſuam ſuorumque nunciorum iniuriam diſsimulationis tollerantia abſoluit. Videns autem Zbigneus fratris ſui Boleſlai Ducis dignitatem, magno vbiq; per Polonos fauore, & honore coli, ſe verò ab vniuerſis, & ab his, quibus imperabat, contemptum iri, frequentius denique, quod ex vulgato corpore genitus foret, nec vllam ſpeciem, aut ſimilitudinem patris præſeferret, ſermone vſurpato carpi ratus, nullam ſpem potiundi Regni, & contumelias & oppobria, quibus diſcindebatur, ſupprimendi niſi in ſcelere ſupereſſe, ad id vnum omnes cogitationes intendit, vt Boleſlaum quoquo modo enecet, & diſperdat.

Sub eiuſdem temporis tempeſtate, cùm Polonorum Princeps & Monarcha Boleſlaus S. Ægidij Confeſſoris præcipuus cultor, vt pote cuius ex parentibus longo tempore ſterilibus & infecundis parentibus ſuis, & illius meritis obtentus fuerat ortus, Pomeranos in ſuam, & Regni ſui Polouiæ gendo

gendo ditionem Caſtrum & Oppidum Pomeranien Sczecino, poſitis Caſtris ſuorum exercituum obſiderat, & omni conatu ad illius expugnationẽ, quæ tandẽ & diuina & S. Ægidij opitulatione ſequuta eſt, adniteretur. Habebat inter alios ſui exercitus homines militem vnum Setegium nomine impigrum adoleſcentem, lingua promptum, & manu inter raros milites eorũ, & qui apud illũ Pincernatus officio fungebatur. Sed cùm primo expugnationis die poſt varia prælia ad mænia Oppidi, ſub oculis Principis Boleſlai commiſſa, in Caſtra ſub veſperam reuertiſſet, ſubito languore & terrore, quaſi altero die hoſtili gladio in expugnatione arcis interiturus, correptus eſt, ita apud aures ſociorum non clandeſtinè ſed aperte profiteri cepit, non ſe ad expugnationem arcis & Vrbis, niſi peccatis ſuis per prius confeſsis & diſlatis remeaturum, ſed die altero illucescente, dùm in oppugnationem à Boleſlao Duce & ſuis militibus iretur arcis & Vrbis, Setegius Pincerna poſtquam ſibi reſtitutus fuiſſet animus, ſponſionis ſuæ facile votum obliterans, in oppugnationem cum cæteris militibus confeſsione in expleta proceſsit, & rediens eodem metu & valetitudine perculſus votum confitendi priuſquam ſubiret mænia reſumebat, ſicquè per dies aliquot aſsidue, dùm ab expugnatione, tortus metu, pellebatur ſe ceſſaturum à facinoribus, & contritione ac confeſsione purgaturum, ſubſequenti die ſponſionem ſuam metu & ægritudine ſubſidente, præuaricatus eſt. Nam miles ille Setegius, quod & aliis vſu venit, vt emendationem polliceantur, metu infirmitateque ingruente, ſed redeunte prioris fortunæ indulgentia in eandem mentis inſolentiam, prauoſquè mores redeatur. Caſtro expugnato & Vrbe, hoſtibus ſubactis, obſidibuſquè potioribus ex Vrbe receptis, cùm in propria remearent, Setegius Pincerna præfatus benignitatem & longanimitatem patientiæ Dei, qua non ſubito ab eo feriebatur ducens in abuſum, apud comilitiones gloriari cepit ſe non inutiliter nec imprudenter pœnitentiam & confeſsionem diſtuliſſe, cùm dilatione vitam promeruit, quàm acceleratione pœnitentiæ admiſiſſet. Id dictum cùm nonnulli adminiſtrantes adoleſcenti, ad inſolentiam & ipſi proclives laudibus efferrẽt, viri prudentes & timorati deliramenta ſua peroſi, & aſpernati corripiendo illum abſcedebant. Cumquè Setegius nocte inſequenti corpori ſe dediſſet, beatus Ægidius Abbas canicie veneranda reſperſus illi quieſcenti apparuit, & quamuis nunquam à Setegio viſus, inſtinctu tamen ſuperno à Setegio recognitus ait. Tu quidem Setegi ex dilatione confeſsionis, orationis & pœnitentiæ mortem euaſiſſe gloriaris, at ego tibi interitum vicinum iam iamquè adeſſe prædico. Quo dicto & vox & viſio Setegium deſeruit, qui etſi viſione oraculi deterritus etiam in membris ſingulis languidatus foret, non ob id tamen emendatior effectus, Boleſlaum Ducem poſt dies quinquè venationes tractantem inſaltus de Vſoſin, quibus Zubrorum habebatur copia, eſt ſequutus. Cumquè Boleſlaus Dux multatis multis feris Zubronem vnum raræ magnitudinis, & ferociæ, aliarum aſpernantem conſortia, & quæ lingua eorum Odiniec, vnicus & ſingularis de cubili in quo latebat ex-

bat exturbasset, & fera rictus canum, venabulaque militum euasura, fuga se efficaci ex omnium insidijs eripuisset, in Setegium forte Pincernam incurrit. Qui cùm fugere aut se occultare Duce Boleslao, & cæteris commilitonibus inspectantibus, turpe ducens, equo deliliens, venabulo ægrè excipit feram, sed ferreo ne quicquam adacto humi cadit prostratus, feræ sæuitiam, vel ex prostratione euitaturus. Verùm Turus, qui sua natura & more in iacentes obstinatius grassatur, Setegium primum vngulis, deinde cornibus exceptum, & in aera altius ibidem proiectum iuxta ac quandam pilam frequentius ventilatum; ad extremum in fruteta & spineta confractum, & semiuiuum proiecit. Qui cùm inde fera discedente, familiarium manibus leuatus, panniſque inuolutus & constrictus, in proximam ciuitatem relatus, nullo sensu suum satis vigorem retinente, mentis insuper alienationem, quæ illi ex crebra feræ iactatione prouenerat passus, non secus à cognatis & familiaribus, quàm prope horam moriturus plangebatur. Verùm illi in extremo agone iam agenti S. Ægidius in specie, quæ sibi prius vigilanti apparuit, blandè super obstinata mente pœnitentiæque neglectione correptum illi dixit: Nisi me in aduocatum interpellaueris, mortem impendentem nullatenus euadere poteris. Setegius autem S. Dei Ægidium non secus quàm cognitum & sibi familiarem intuens, magno gaudio impletus, maximaque spe erectus in hæc verba prorupit. Supplex obsecro Sancte Dei primum bonam mihi valetudinem obtineas, deinde pro me apud clementissimum Dominum te Vadem & Aduocatum ponas, spondeasque vitam mores & actus emendaturum, & pro commisso iniungendam acturum pœnitentiam, pedibus insuper bustum tuum & Cœnobium quamprimum visitaturum. Ad quæ Sanctus. Ego, inquit, à te rogatus, suffragatorem me tibi & misericordem aduocatum apud altissimum, qui neminem perire, sed omnes saluare vult, exhibeo, iamque ex parte tuæ Maiestatis salubritatem integram reddo. Tu de cætero caue, ne tuos actus initiaueris, & pondus prioribus addendo te ipsum præcipitem dederis, duriori vltione percellendum. Mirum dictu, visione disparente Setegius Pincerna in singulis membris confractis, commutis & collisis, sentiens se mox sanatum absq; omni humano adminiculo & medella, cunctis familiaribus & cognatis qui aderant, nouitate rei in stuporem & admirationem versis, Prouinciam ad Monasterium in quo S. Ægidius quieuit, pedestri itinere prouectus, Sanctum Dei donis oblatis, supplici veneratione, & sui periculi curatorem & liberatorem recognouit, ac in propria remeans facinorum suorum fœditatem, in puluere corde contrito & humiliato deplangebat.

Molestè vt dignum & par erat, Boleslaus Polonorum Dux Legatorum suorum, quos ad naturalem fratrem Zbigneum pro subsidio sibi in Castri Kozle instauratione impendendo miserat, ferens, illatamq; eis iniuriam Castro perfecto ad animum reuocans, quid in hac re agendum foret ad consilium retulit. Neque enim primum ea iniuria quærebatur se à Zbigneo fratre suo naturali, sed & alijs pluribus grauibus & enormibus violatum. Iam

siquidem

siquidem publica noticia, publicoq; rumore proditum atque vulgatum erat, Zbigneum, Bohemos, Pomeranos & Prutenos, in fratris sui Boleslai, & suarum terrarum excidium, non verbis solùm & falsis suggestionibus, sed & factoribus cum illis iunctis, pecunijs, sumptibus, donis, & multifarijs promissis animasse. Iam insuper fama erat Zbigneum Pomeranis Boleslai terras irrumpentibus, auxilia, consilia, & receptacula dedisse, & in vnam voluntatem, actionem, & facinus, cum illis conspirasse. Pomeranos deniq; omnes captiuos de terris Boleslai venundasse, cæteros omnes de teris Zbignei qualiter correptos, vna cum rebus ablatis ad primum Zbignei nuncium aut chartam remisisse. Discurrebant insuper crebri inter Zbigneum & Pomeranos, aut nuncij, aut tabellarij, aut mutuas sibi deferentes fabulationes, aut quid ageret Boleslaus, quid quoq; contra Pomeranos prætenderet, aut vbinam terrarum esset, denunciantes. Mittebant insuper sibi vicissitudinaria munera, & omnium spoliorum atq; prædarum, quas in terris Boleslai Pomerani rapiebant, Zbigneum faciebant consortem. Quoties vero Pomerani aut alij hostes terras Boleslai inuadebant, toties Zbigneus ad alteros hostes Bohemos vel Prutenos se conferens, aut nuncijs, aut literis eos inuitans, ad inuadendum ex altera parte terras Boleslai Ducis magnopere solicitabat, ne fœdaque cum Bohemis, Morauis, Pomeranis, Saxonibus, pluribusq; alijs, scelerum pactiones societatesq;, excluſurus fratrem à Regno, conflabat. Quas hostilitates & fraudes contra Boleslaum fratrem & patriam; pro quadam virtute & vsu agitabat, cò quidem crebrius & audacius, quo magis videbat fratrem suum Boleslaum omnium facinorum tàm notoriorum sibi impunitatem & penè occasionem ad agendum tradidisse. Solitus enim erat Boleslaus Polonorũ Dux, tàm nefanda fratris Zbignei scelera, dum illi panderentur vltioni diuinæ reseruare. Vniuersis autem Consiliarijs Boleslai Ducis nefanda facinora Zbignei execrantibus, & his quæ à Boleslao Duce compendiosè deprompta erant, multò tetriora & maiora adijcientibus, consenserunt singulorum sententiæ, Zbigneum nullatenus in patria quam toties hostibus prodiderat, tollerandum esse, sed velut hostem publicum & pestem communem exterminandum, ejciendum, & vsq; in terrarum extrema extrudendum fore, omnibus terris quas ei paterna indulgentia donauerat, et ablatis. Nunciatur interim, Zbigneum Bohemos, & Pomeranos, pluresque alios hostes in Boleslaum & sua Dominia concitasse. Intercipiuntur & nuncij Zbignei cum literis, ex quarum lectione, & Nunciorũ relatione multa consilia, quibus Zbigneus contra Boleslaum vsurus, propositum exequi conabatur; reperta sunt. Quæres cùm in vnum tempus confluxissent, magnam Boleslao Polonorum Duci, & suis fluctuationem ingesserunt. Dubitat enim, Bohemis ne, an Pomeranis, aut fratri Zbigneo primùm occureret, Misit præterea in Rutsiam, Pannoniamque Nuncios, qui in auxilium suum quoscunq; voluntarios aut mercenarios milites accerserent. Significauit & socero suo Suantopelkoni Duci Kiouien, in quanto à triplici hoste circumsessus, versaretur periculo, rogans, vt personaliter illi cum quanto amplio-

ribus

ribus posset copijs, ferret auxilium. Prudentissimo autem vsus consilio, missis ad agmen Bohemicum Nuncijs eos sibi conciliat, & in Behemiam redire impellit, Ad Pomeranos autem cum illis congressurus contendit. Quo eius aduentu audito cuncti dissipati sunt, timore illius perterriti. Percussus, & Zbigneus magno pauore, cùm intelligeret tàm notoriam, atque tàm grandem noxam, nullatenus sibi Boleslaum ignosciturum, ex terris Maioris Poloniæ, (illic enim collegerat contra fratrem exercitum,) velut criminis maximi conscius, in Masouiam confugit, illic se ratus tutum aduersus fratrem iram permansurum. Boleslaus verò Metropolim Zbignei Dominij & Principatus Gnesnam vna cum arce in fra dies paucos obtinuit, deinde Spicymierz & Lanciciam castra, quæ ditionis Zbignei erant, recepit, & suos illic Præsides & Capitaneos proposuit. Quæ illi agenti, exercitus Vngarorum & Rutenorum auxilia præstiturus aduenit, cum quibus Visiam versus Masouienses terras transgressus, Zbigneum velut Principatus sui perniciem, inde lis se occultantem, eliminare disponebat. Tùm verò Zbigneus in desperationem versus, non tàm de retinendo Dominio, quàm vita cepit esse sollicitus, & mediantibus inter Zbigneum & Boleslaum Balduino Episcopo Cracouiensi, & communibus Baronibus, Zbigneus coram adductus est. Vbi cùm omnia scelera quæ in se admisisset, Boleslaus enarasset. Zbigneus supplicitèr orare cepit, vt sui misertus vitam sibi, & aliquam Regni portionem concederet, iuramento corporali astruens nunquam se illi aduersaturum, sed in omnibus, vt miles suo Domino & Principi obediturum. Motus Boleslaus illius precibus & fletibus, Masouiam duntaxat, vt remotior à Pomeranis & Bohemis consisteret, reliquit. Quod Zbigneus ad magnam gratiam computauit. Reconciliationeq; in hunc modum inter fratres composita, vterq; exercitus, Vngarorum videlicet & Rutenorum in sua remeauit, attrahens nihilominus ex confidentia callidi, quod sortitus fuerat, ingenij, si sibi facultas tribuatur, purgandi, facilè se de omnibus, quæ in illum iactabantur sceleribus, purgaturum. quamuis ardua & insueta loquenti, nullam sibi præstitum rei fidem notabat, quis esset, ad quem se conferret, vt non tanquam ad scopulum propter suas calliditates & figmenta allideretur, & varijs tellis federe solitus, nulli fidus, pro transfuga habebatur, plenus dolis & fallacijs, plenus vafricijs, inconsideratissimæque ac dementissimæ temeritatis audax, callidus, in scelere vigilans, manu & lingua promptus.

In Parochialis Ecclesiæ Spiczymierz Diœcesis Gnesnensis Oratorium, Martinus Gnesneñ Archiepiscopus auditurus Diuina, Gnesnensi Archidiacono Nicolao secum vna parente, iter illac faciens descenderat, Pontificaliq; more cum Præsbyterio officium Missæ celebraturo, confessionem generalem explebat, dùm subito à ministris nunciatur, hostes Pomeranos in vicum illum irruisse. Ab exploratoribus siquidem docti. Martinum illic Archiepiscopum venisse, ex Castris vicinis ad ipsum comprehendendum, (propterea quod ipsos idolatriam relinquere, & religionem Catholicam tincerè colere, decimasq; & primicias reddere cogebat,) gressu concito ue-

nerant. Pauidum Archiepiscopum Martinum, & quid ageret cespitantē, neq; enim familiares suos multitudini Pomeranorum, si dimicatio iniretur, pares futuros, qui, & ipsi visis hostibus dispersi se occultarant, intellexerat. Archidiaconus suus in Ecclesia stare perseuerantem, & Dei pietatem maioribus fletibus, quàm vocibus pro sua liberatione exorantem, foras prorumpens, saluare & ipse quoque fuga satagens, deseruit. Hunc Pomerani, splendidè enim vestitus erat, Archiepiscopum Martinum rati, fugientem comprehendunt, magnoq; ouantes gaudio, honestè & debita veneratione habitum vehiculo imponunt. Ad Ecclesiam deinde ingressi, cæteros suos comites requirunt, sed nullum illic reperientes, ocius ex illa Ecclesia Spiczymirensi suis sacris spoliata, & spe optata, contenti exeunt, & in Pomeraniam citato gradu, ne & ipsi præda Polonorum fierent, abeunt. Gnesnensis siquidem Archiepiscopus Martinus timore subministrante, quas iam ætas grandæua abstulerat, vires, dùm Archidiaconi sui Pomerani captiuationi intenderent, sublimius tectum oratorij inter laquearia conscendit, illicque se occultauit, sacerdos verò officiaturus inter altare & templi frontem se abdidit, In hunc-que modum Pomeranis, nullas oratorij partes occultiores, scrutantibus, vel, vt pia credulitate supponi potest, miseratione diuina & precibus Archiepiscopalibus Lethargica passione obcæcatis, manus eorum Archiepiscopus Martinus euasit. Res stupenda, sed quam fas non est ad scrupulum incredulitatis redigi, multorum enim scriptorum autoritate celebris est, accidit. Singuli Pomerani, qui aut Ecclesiæ Spicymirenſi vasa contingerant, aut ea inhonestis vsibus applicanda disposuerant, aut in insaniam alienationemque mentis versi, aut morbo Epileptico acti rotabantur, nec ipsi solùm, sed & eorum coniuges, propinqui, affines, & liberi simili peste percussi, velut dementes ac deliri, nunc ferro, nunc saxis, se inuicem obruebant, notos & necessarios ædibus exturbabant. Quos cùm contingere non possent, seipsos dentibus & vnguibus discerpebant, plures ex illis huiusmodi peste confecti & exanimati sunt. Hac itaq; inflictione penè deterriti, & intelligentes sibi eam ob scelus in Sacra Dei, & in Virum Dei commissum, inflictam, seorsìm singula sacra in manus & potestatem Archidiaconi restituunt, idololatriæ renunciantes, fidem sanctam suscipiunt, & ipsum sanum & incolumem libertati & patriæ reddunt. Sed & solutionem primitiarum, & decimarum hactenus negatam propensius, & perpetuo se reddituros deuouent. Itaque felicibus auspicijs eo anno res in Pomeranos acta est. Duplex quoque triumphus ex Pomeranis relatus, licet postremum illustriorem crediderim, vnus Boleslai armis, alter Archiepiscopalibus suffragijs, qui tàm diu in eodē oratorio fletibus & orationibus vacans perstitit, donec Archidiaconum suum cū sacris redditis saluum accepit.

Borzywoy Bohemiæ Ducem iniuria de Ducatu suo, factione Nepotis sui Suātopelkonis, & quorundā Baronū Bohemiæ pulsum, in Polonia exulantē, frater suus germanus Sobieslaus, multiq; Barones & Nobiles Bohemorū Tyrannicam & iniustam Suantopelkonis occupationē perosi, in Poloniam secu-

ri sunt. Quos omnes Boleslaus Polonorũ Dux mira benignitate etiam apud quoslibet suos hostes admiranda suscipiens, & animum illos bonũ habere iubens, singulorum necessitatibus Ducali munificentia prouidebat. Sumptibus deinde suis, & liberali largitione, Dux Bohemiæ Borzywoi prouisus, & aliquorum Baronum prudentia comitatus, fratre Sobieslao in Polonia relicto, ad Imperatorem Henricum ex Polonia profectus est. Cui in Saxonia reperto occupationem Ducatus Bohemiæ à se legitimo iure possessi, indignũ quoq; exilium, & quod non ipse solũm, sed & frater suus Sobieslaus, plurelque Bohemiæ Barones per Suantopelkonem pulsi, precario & stipe Polonica viuant; exponit. Imperatoremq; Henricum calamitate sua & promissionibus ad misericordiã flectit. Misso itaq; vno ex militibus Imperator Suantopelkonem accersit, qui vocationem ipsam propter occupationis facinus suspectam habens, collecto exercitu, & in potestatẽ fratris Ottonis tradito, ad Imperatorem proficiscitur. Quem venientem illicò Imperator vinctum iubens, Borzywoy in Bohemiam (mandans Bohemis, qui cum Suantopelkone vna venerant, hunc & non alium pro iusto Principe coli) transmittit. ad Castrum Donin Borzywoy cum suis & Almanis peruenienti, & versus Pragam tendenti, Otto Dux frater Suantopelkonis iam de captiuitate fratris certificatus, cum eo, quem habebat exercitu, occurit, Castrumque Donin obsidione cingit. Ex quo Dux Borzywoy fauore Bohemorum cum suis omnibus incolumis dimissus, & in Poloniam rediens Ottonis manus euasit. Suantopelk interim decem milium Marcarum argenti quantitate Henrico Imperatori promissa & reddita, sponsione quoque, vt cum omnibus copijs Imperatori in Vngariam contra Colomanum, ad subijciendum illum Imperio, ituro, solatia ferret, præstita; Imperiales carceres euasit, obsidemque Ottonem fratrem Imperatori dare coactus est. Qui & ipse dùm dissimulantius asseruaretur, fuga elapsus, Bohemiam repetijt. Pro exsoluenda verò decem milium Marcarum argenti summa Suantopelk, & Ducale ærarium, emungere, & Ecclesias Bohemicas sacris & Clenodijs spoliare, Clero quoque & populo tributum inponere coactus est.

In Autumni huius anni tempore, Boleslaus Polonorum Dux parũ contentus, Albam & cæteras Pomeranorum orarum ciuitates in suam redegisse potestatem, Castrum & Oppidum Czarnkow, quod tunc iuris & ditionis Pomeranorum erat obsidione aggressus, constructis in circuitu eius quatuor turribus altitudinem Castri & Oppidi superantibus, tàm sedula & forti impugnatione Castrum & Oppidum non destitit impetere, donec obsessi caduceatoribus missis deditionem Castri & Oppidi facerent. Quo in suam potestatem redacto, Boleslaus Dux Polonorum Castri Czarnkow, Dominũ & hæredem Gnieuomirum nomine, cum omnibus suis nondum pura fide iniciatis Baptismum sumere persuasit, ipsoq; Gnieuomiro de fonte leuato, insigne filiationis contractæ, & quo eum sibi magis fidum redderet, Czarnkow Castrũ & Oppidum sibi restituit, & noua largitione donat & inscribit.

Clades suas per Rutenos & Duces eorum inflictas Polowcy resarciunt,

terras

terras Russiæ in magna multitudine cum Boniak Sarukan, & alijs pluribus Ducibus Polowconum, irrumpentes statiua sua circa Lubnia ponunt. Contra quos Suantopelk Kiouieñ Dux Wlodimirus, Olech, Suantoslaus, Mscislaus, Wiszeslaus, & Iaropelk Russiæ Duces, cum potentijs gentium suarum egressi, flumine Sula transito, in Polowkos, & stationes eorum 12. Augusti irruunt improuisè. Qui timore grandi consternati, neque acies constituere, aut expedire, neq; in ordines ire poterant, sed aliqui equis tumultuariè raptis & conscensis, alij verò pedestres ex Castris in siluas proximas diffugiebant. Ruteni in fugientes maiorem quàm pro numero ediderant stragem, plurimis Polowconum captis, quousque ad domicilia illorum persequebantur. Germanus Ducis Boniak Dux Tasza cum multis alijs cæsus est, Castris Polowconum & omni suppelectili Ruteni potiti, in sedes & ciuitates suas cũ magna gloria & iucunditate reuertebantur.

Henricus Quartus Imperator Regalibus filio suo Henrico resignatis, ex Rege opulentissimo & fortissimo miserabile mortalibus relinquens exemplum, egens factus, ad Coloniam primum, deinde Leodium se contulit, & ab vtraq; ciuitate non vt exul, sed vt Imperator Cæsareo habitu est susceptus, vbi se fraude circumuẽrum, & ad relinquenda Regalia coactum declamabat. Quem collecto exercitu filius sequutus circa Mosam consedit, sed inde ab Henrico Duce Bulgarum propulsus, ad instaurãdum nouum exercitum solicitudinem intenderat. Interim verò Pater Leodij moritur, & inspiram relatus, iuxta patrem & auum tumulatur. Henricus itaque V. Patre mortuo, liberè regnans, res in Germania & Gallia per bellum intestinum deformatas, sollicitè componit, & plures Episcopos à suis sedibus in Schismate pulsos restituit. Vnus autem ex Baronibus Almaniæ præcipuus; Henrici Quarti aduersarius, à muribus in conuiuio repente inuasus, qui illum per ignes & pelagus sequebantur, & nulla vi arceri poterant, corrosus est. Quod factum ideo hic scribere volui, vt propter conuenientiam & paritatem narrationi nostræ, quam in superioribus de Pompilio Duce Polonorum scripsimus, posit adstipulari. Hic Henricus armis strenuus, totum Imperium adeò in breui suæ subiecit ditinoni, vt omnes eius subditi snbiectionis iugum æquanimiter ferrent, & vicini metu ab armis quiescerent.

ANNO Domini 1108. Pannoniorum Rex Colomanus satis compertam habens Henrici Imperatoris aduersus se hostilitatem (satis etenim fama rumoreque vulgatum erat, & amicorum exploratorumq; auisamento pro certo perditum præfatum Imperatorem Henricum magnum ex Almanorum nationibus, comparasset exercitum, & Suantopelkonis Bohemiæ Ducis, cæterorumque vicinorum Principum auxilia asciuisse) arma & ipse Pannonica, quibus Imperatori resisteret, expediebat. Belli autem quod Henricus Imperator Colomano Vngariæ Regi & Vngaris mouebat, iusta causa erat. Quoniam Vngari multos Almanos cruce signatos per Pannoniam in terram Sanctam, & eius subsidium proficiscentes extinxerant, captinauerãt, afflixerant, spoliauerant, varijsq; cõtumelijs aut mortibus quassa-

uerant. Alnius quoquè Colomani germanus, ab eo ex Vngaria pulsus ad Henricum V. se contulerat. Cuius restitutionem Henricus procuraturus in Pannonias se processurum parabat. Quæsiturus & Colomanus Vngariæ Rex contra potentiam Cæsaream externorũ auxilia, cùm singula in circuitu aut aduersitate suspecta viderentur, horrentq; vniuersi contra Cæsarem pro Vngaris arma sumere similem hostilitatẽm, quæ in Vngaros edebatur, Cæsare veriti. Prælati & Barones Vngariæ in tàm ardua difficiliquè necessitate à Polonis auxilia imploranda censebant, eos enim sibi semper amicos fidos, & puros, cæteris vacillantibus nullatenus in eo casu defuturos. Huic consultationi Colomanus Vngariæ Rex quàm maximè assensus, versus Poloniam se conferens, & conueniendi colloquendiquè copiam à Duce Polonorum Boleslao, per nuncios petens, in Scepusien territorio, prout per nuncios tractatum erat, cum Polonorum Duce Boleslao conuenit. Causis conuentionis expositis, petit Colomanus Vngarorũ Rex, vt Boleslaus sibi contra conatus Cæsareos assistat, æquam vicissitudinem in pari necessitate ab eo percepturus. Post multos tandem tractatus, per communes Consiliatores ventilatos, Rex Colomanus & Boleslaus Dux inter se fœdus ineunt, contra quoslibet hostes sibi mutua auxilia præbituri, fœderi etiam affinitatem adijciunt. Colomanus Vngariæ Rex filio suo natũ maiori Stephano filiam Iuditam Boleslai Polonorum Ducis desponsat in vxorem, Prouinciã Scepusiensem, quæ tunc iuris Polonorum fuerat, & pars eius non modica intra Cracouien consistebat, Boleslaus filiæ in dotem consignat. Ab eo quoq; tempore sequestrata à Polonia in proprietatem & ditionem Vngarorũ transijt, Boleslaus Polonorum Dux, ex dieta huiusmodi reuersus, aliam rursus dietam cum Zbigneo fratre tenendam per nuncios componit. Ad quam cum ambo fratres cum Prælatis & Consiliarijs Regni Poloniæ conuenissent, frequentes & dolosæ iniuriæ per Zbigneum attentatæ, per Boleslaum Zbigneo obiectæ sunt. Quas purgare aut inficiando, aut excusando aggressus, penè in omnibus succubuit, vt prorsus intelligeretur etiam in maioribus, quàm de quibus accusabatur, deliquisse. Et dùm communes Consiliarij ad tollendam tàm infestam pestem virus suum continuè diffundentem maximi laborarent, Boleslaus omnibus transgressionibus Zbignei amplius ignoscere non valens, eum & de Mazouia precario illi concessa, & de vniuerso Regno suo, quod tunc redintegrationem acceperat, eijcit, depellit, & exturbat, vt fortius subsidium Colomano Regi Vngariæ promissum proueniret. Boleslaus quoquè Dux vt cum potentia & eminentia, tùm futura cum hostibus gerenda de Zbigneo suo insidianti Calcaneo, assecuratus, felicius obiret bella, potentiarũ suarũ vires domesticis non distrahentibus insidijs.

Henricus Imperator Pannoniam sibi & Imperio subacturus, cum magnis & frequentibus variarum nationum populis ingreditur. In cuius auxilium Suantopelk Dux Bohemorum cum gente Bohemica secundum pollicitationem iureiurando firmatam (duos Barones quibus amplius fidebat, Wackonem & Mutinam pro gubernatione Bohemiæ relinquens) aduenerat. Dùm

rat. Dum autem Colomanus Rex Vngariæ copiam pugnandi non faceret, sed Imperatoris exercitum in locis opportunis maximis afficeret incommodis, Imperator Ciuitatem Præsburg obsidione valauit. Sed cùm in eius obsidione tempus inaniter absumpsisset, Vngariæ præsidio egregiè ciuitatem defendente, copijs diuisis, Vngariam in pluribus locis incendijs, & vastatione aggressus, eam oram, quæ inter Danubium & Wag fluuios sita est vastã effecit. Nullaq; memorabili re patrata in Almaniam, multis de suis amissis, crudelitatem Vngarorum expertis, redijt. Boleslaus interim Polonorum Dux iuxta fœdus Colomano Vngariæ Rege percussum, & augmen nobile de Nobilibus militibus egregijs Colomano in Vngariam misit, & ipse cũ exercitu expedito & potenti, habens in suo comitatu Duces Bohemiæ Borzywoy & Sobieslaum fratres germanos, & plures Bohemiæ Barones & Nobiles, qui propter Tyrannidem Suantopelkonis exulauerant, Bohemiam inuasit, temeritatem Suantopelkonis, qui & patruos germanos iustos Bohemiæ Duces & Barones suæ Tyrannidi aduersos expulerat, & Imperatori Henrico contra suum affinem, & confœderatum Colomanum Vngariæ Regem auxilia tulerat, vlturus Wacko & Mutina gubernatores Bohemiæ, dùm in confinibus Ducatuum Boleslao in siluarum, quæ Bohemiam à Polonia disiungunt, medio occurrerent, pugnam conserunt, paruo que negotio ab ipso victi fusiq; Pragam refugiunt. Polonorum Dux Boleslaus in interiora Bohemiæ, singulis à conspectu eius diffugientibus, progressus aliquot Castra & Oppida vi capit, & magna parte Bohemiæ peruastata, frequentem prædam Bohemicam secum ferens, in Poloniam vna cum Borzywoy & Sobieslao Bohemiæ Ducibus, cæterisq; eorundem fidem sequutis, redijt. Qua nouitate Suantopelkus Bohemiæ Dux perculsus, Henrico Cæsare in Vngaria deserto, veritus ne vniuersa Bohemia in ditionem aduersariorum veniret, ad Bohemiam, Henrico Cæsare contra Boleslaum Poloniæ Ducem magnas iras concipiente, remeabat. In cuius mœroris solatium Henricus Imperator iureiurando astringit, & obligat se in Duce Boleslao Poloniæ ac Polonis eam iniuriam quam primùm vlturum. Reuertenti ex Vngarica expeditione Suantopelkone, & non tàm Polonis, quàm suis Vicarijs Wackoni & Mutinæ pro vastatione quæ Bohemiæ contigerat, irato, Wacko omnem culpam in Mutinam reijciens, illum illius vastitatis fuisse autorem & ministrum astruit. Comprehensus itaque à Suantopelkone Mutina, & causa neque examinata, neque dicta illicò capite damnatus est, Vnislaus insuper & Domislaus, & duo filij Mutinæ. Item Bozei cum filio suo Borzak, singuli de genere Vrsouicen capti, decreto Regis truncantur, cætera Vrsouien cognatio in Poloniam (deleri quippe vniuersam Suantopelk iusserat, percussoribus præmium bona eorum proponens) celeri gradu se contulit. Vbi benignum & liberalem Dominum Boleslaum Poloniæ Ducem nacta, in magnam & immensam familiam, & sui germinis propaginem, & ciuitatem, Castrorum, atq; villarum ampla possessione se diffudit. Vrsouien tamen veteri nomine abrogato, Rauitarum vocabulum sortita est Co-

Iomanus insuper Vngariæ Rex, Henrico Imperatore de finibus Regni sui discedente, vltionem de Suantopelkone Duce Bohemiæ petiturus, Moraui ingreditur, & feroci atq; exulcerato animo populationem latius iubet extendi, & cuncta flammis vastari. Tam fædam dominij sui vastationem Suantopelk prohibiturus, cùm interim copias ægrè eduxisset in vnius siluæ situ, ramo fortiter arboris in oculum suum fortuito impingente, violatus atque excæcatus, remeare cum exercitu coactus est. Morauia quoq; tanto iuiorem diuturnioremque Colomani Regis Vngariæ vastationem ferre cocta est. Redeuntem de Bohemica expeditione Boleslaum Polonorum Ducem, duplex casus illi denunciatus, graui mærore turbauit. Nam & Conors sua Zbislaua Ducissa fatis intercepta erat, & Castrum Vscie à Pomenis Gniewomiro, quem Boleslaus de fonte sacro leuauerat, cuique Castro Czarnkow expugnato, perceperat, illudque sibi liberali animo reddiderat plurimum ad id cooperante, (erat enim vir facundia magis quàm fide melior,) occupatum fuerat. Sentiens siquidem Pomeranorum versutia negligentius illud asseruari, & milites pro eius præsidio & custodia relictos in Ducis Boleslai absentia, ex illo ad priuata negotia obeunda discessisse, ad obsidendum illud, quasi ad certam diripiendam prædam vnus alterum cohortati accurrunt. Cumq; obsessis continua desperatio propter paucitatem defensorum crescceret, amplior etiam illis à præfato Gnieuomiro ingesta est. Callidi siquidem caduceatoris ministerio vsus, suadebat obsessis, ne extrema subituri pericula defendendi Castri sectentur pertinatiam, ab experto se nosse Boleslaum Ducem illorum, & à Bohemis cum omnibus suis profligatum & captum Imperatoris Henrici captiuitati traditum esse. His mendacijs & figmentis obsessos sua sponte perterritos, Pomeranis Castrum Vscie incolumitate personarum & rerum concessa, coegit tradere. Fremitu itaque ingenti directiori quo poterat itinere ex Bohemia ad illud repetendum, cum paucis voluntarijs militibus, cæteris Bohemica expeditione fatigatis, in domos diuertentibus Boleslaus contendit. Cuius expugnationem etsi sibi videbat magis impossibilem, quàm difficilem Pomeranorum tamen pluribus captiuatis, & eorum vicis atque possessionibus incensis se neque victum, neque captum fuisse, sed magis victorem & incolumem redijsse, pænasque debitas à Pomeranis exacturum fore, certa insinuatione & eorum, quos comprehenderat, & fauillarum, quæ in ora cæterorum vicis fumantibus recidebant, monstrauit. Paruo deinde spacio, in quo quies militibus data fuit, exacto, illico Pomeraniam Boleslaus, vltionem eorum, quæ Pomerani in absentem egerant, nullatenus dilaturus, regreditur, fratre etiam Zbigneo cum nonnullis Mosauiæ militibus sibi ferente personale subsidium comitatus. Neq; Castrum Vscie recenter per Pomeranos interceptum. Nouerat enim valido illud præsidio munitum esse, sed Castrum Wielun, Gniewomirum, (ibi enim se abdiderat,) oppressurus, aggressus est, & magno conatu nocte & interdiu ad eius expugnationem intendebat. Sub ipso autem obsidionis tempore, Pomerani obsessis opem laturi, Zbigneo clandestinis auilamen-

tis eos instigante, nocte, exercitum Boleslai oppressuri aduenium. Zbigneo hostilem exercitum præcedente. Qui dùm in exercitum Boleslai cum magno impetu irruissent. Boleslaus in ipsa nocte more solito faciens excubias, Pomeranos à tergo inuadens dissipat, sternit, captiuat, & in fugam vertit. Cùm quoq; inter alios Zbigneus captus, & galea detracta, quis esset cognitus fuisset, reseruatur in crastinum, sub quo tempore præparare se animo atq; colligere cepit, quibus modis criminationi occurreret, vulgiumq; facinus & notorium extenuaret. Tandem cùm dies refulsisset; concione aduocata frequenti, vt fraus & dolus Zbignei à singulis cognita esset, quo genere pœnæ mulctari debeat, consultantur. Palatinus Cracouiensis Setegius sententiam dicere iussus, in hunc modum disseruit. Non expedit, inquit, Princeps illustrissime, Vosque Viri optimi, qui adestis Publicam Zbignei, qua nos, & exercitum nostrum, teq; primum Principem delere machinatus est, proditionem & malignitatem in dubium reuocare, cùm iniquissimum facinus illius, quo nos nisi beneficio Dei & Principis nostri cura seruati fuissemus, consumpturus erat, doli eum manifestissimè etiam nobis sentientibus, conuincat. Noctem siquidem quietam nos agere pro comperto habens, Castris nostris egressus, hostes nos oppressuros induxit, antecessit, arma, vestes, & equum mutauit, vt si hostes vicissent, gloriam victoriæ sibi vel ut præcessori & Duci vendicaret, si vincerentur, aut fuga euaderet incognitus, aut si caperetur, denunciaturum se præcessisse hostium aduentũ caute nobis, prout illum id commenturum reor, mentiretur. Ad hanc amentiam à natura prodiga productus & fornicatoria, paterna beneuolentia, & liberali educatione incitatus, nostra verò pacientia animatus est, vt mendacijs & falacijs non secus, quàm præclaris artibus gaudeat excellere, & omnes suas colorare sceleratas actiones. Sed si ad originem primùm, & deinde ad omnem vitam suam extendatur consideratio, omnia in illo pessima intelligemus confluxisse, qui & ex fornicatione satus, & inter Bohemos Almanosque educatus, adeò malignis fraudibus illic inescatus, atq; imbutus est, vt & patrem plurimis iniurijs lacesserit, & in fratris Boleslai exterminium, vt solus in Regno succedens dominaretur, Bohemos, Almanos, Pomeranos, & Prutenos, frequentius subornauerit, ducens ab impietate & scelere inauntis ætatis commendationem. De quo cùm varia extent testimonia, solus dies hodiernus, postquam cætera sua maleficia tulimus, saltem nos mouear, vt communem pestem amplius non feramus, non prius quieturam quam cladem, aut excidium nostrum videar, quod nullo beneficio nostro infuso sanguine vinci potest. Cumq; omnes proditorem non ferro solùm laniandũ scindendumque, sed dentibus discerpendum acclamatione continua deposcerent, tumultu vbiq; coorto, à Principe Boleslao vix sedato, & indignum pretendente hominem inauditum damnari, Zbigneus dicere causam iussus, callidissimo figmento facinus suum tegere excusareque & purgare cepit, non se cum hostibus venisse aut sensisse, sed eorum aduentum nunciaturum præcessisse, commonens, rogans, & obsecrans, ne ad delationes calumnio-

osas &

fas & conflictas, disseminatasq; & vulgatas præsumptiones per eum diluendas, damnationis periculo illum subijcerent, obijcerent contumeliæ dederent exiliationi, pluribusq; alijs pro tempore vtens verbis, quæ illum versutum, fallacem, dolosum, & vafrum demonstrabant. Ad quem Setegius Patinus dirigens sermonem. Quousque tandem, inquit, Zbignee nostra patientia abutere, quàm diu dolis tuis & falacijs non lacesses, quem ad finem sese tua isthæc temeritas efferet? Quousque nostra vexatio, direptio calamitas tibi erit libera & impunita? Quam verò gratiam, & quam indignam, tùm fratri tuo Principi clarissimo, tùm nobis refers? Attende qui te ex illecito natum connubio prauis studentem actionibus, nulla virtutum cõmendatione cognitum, maternam redolentem infamiam, stirpem, & semen malorum hominum, mente scelerata ac nefaria præditum de pernicie populi Polonici, de exitio Regni nostri, acerba & crudelia exquirẽtem studia, non modo nullis, ac meritus eras, non affecit suplicijs, aut interrarum vltimis, velut portendum monstrosum non detrusit, sed in Participium & commorationem Regni admisit. Etquamuis apertè constitisset mentitum Zbigneum esse, non tamen, vt meruerat, morte, sed perpetuo exilio mulctatus in Bohemiam se contulit. Fatigati deinde vigilijs & continua resistentia Pomerani, & vltima desperatione fessi, dùm plures ex suis quotidie interfecti aut iaculati caderent. Nuncij insuper ad primos Pomeranorum à Wielunsibus missi, nihil in eis præsidij esse retulissent, portas Boleslao aperiunt, pacti, & in signum pactionis chirotica, de dextera Boleslai sibi dari petita; ne quid hostile paterentur, cùm signa Boleslao mandante in Castrum referrentur, parci quoque deditis Dux voce Preconis pronunciasset, murmur primùm, deinde clamor militum est sublatus, indignum querentium facinus, potiorum suorum indignas mortes cicatrice esque, & continuos & asperimos, non ætate solùm, sed hyeme perpessos labores, premio victoriæ frustrari, Pomeranorum verò perfidias vafram & fluxam fidem, & pactorum violationem impunè transiri, omnes passim Pomeranos in Wielun repertos, ipso Duce Boleslao, ne quicquam iram militum potentiorem tunc, quàm Imperium castigante interimunt, & suorum indignis mortibus iustiori cæde parentant. Captus & tunc est Castro Wielun obtento Gnieuomirus, qui Duci & exercitui suo, obtentæ victoriæ geminauit lætiçiam, iubente quoque Boleslao, & inspectante exercitu pro perfidia, quam exercuerat, & mendacijs, quibus Pomeranos a fide Boleslai alienauerat, fuste capite decusso, interit. Virum probus, atque in exiguo ponens mendacia, fraudes, & proditiones. Satagebat autem Boleslaus Polonorum Dux suo instituto misericordiam exhibere in deuictos, sed iusto alioquin militum dolori Imperator clemens resistere nequiuit. Benignus itaque ex sua natura apparuit, sed ex inobedientia militum seuerus.

ANNO Domini 1109. Omnem culpam male à se in Pannonijs gesti belli, Henricus Imperator in Boleslaum Poloniæ Ducem referrens, quod & Colomano Vngarorum Regi militum suorum præstitisset auxilia, & Regem Pannoniorum enixius validiusq; adiuuisset, & per se ipsum Bohemiam graui vastitate afflixisset. Duces insuper Bohemiæ Borzywoi & Sobieslaum hospites receptos Ducatum Bohemiæ illis restituturus, sumptibus suis & gentibus in Imperialis iuris & dignitatis contumeliam adiuuisset, ac præterea Polonico Regno graui odio infensus, in vltionem tantarum iniuriarum, expeditionem Saxonibus, Bauaris, Sueuis, Turingis, Francombus, Misneñ & aliarum nationum gentibus indicit. Suantopelkone Duce Bohemiæ, & Sbigneo Fratre naturali Boleslai Polonorum Ducis, qui in odium suum à Suantopelkone fouebatur, sua sponte exulceratum Cæsaris animum, amplioribus suggestionibus inflammantibus. Adijciente Sbigneo quòd plures ex Polonis ad ipsum velut legitimum hæredem essent defecturi, & Castra ac munitiones absq; negotio tradituri. Itaq; primo æstatis tempore Henricus Imperator cum validissimo exercitu Suantopelkone Bohemiæ Duce, & in fauorem Cæsaris, & in odium Boleslai Duceis, tàm pedestri quàm equestri milite in magna frequentia Cæsaris exercitum augente, Poloniam inuadit, & eam oram Poloniæ quæ nunc Silesia & Saxonia dicitur incendijs, prædis, & depopulatione contorquet, Castrum magnum ea tempestate & forte Lubusz, obsidione (id enim sibi primum ex Almania procedenti occurrerat) cingit, sed cùm & situ, & defensione militum difficilem illius expugnationem animaduertisset, obsidione soluta, aut iuxta aliquos expugnato, & perpetua donatione Archiepiscopo Maideburgensi donato, & inscripto, in Poloniæ vlteriora processit, & continuo gradu ad territorium Bitomieñ peruenit. Vbi Oppidum Bitomieñ plus arte quàm situ difficile contemplans ad expugnandum, illud per deditionem conquirere tentabat. Sed militibus qui in præsidio erant continuas excursiones & duella adeò, vt etiam Cæsari admirationem inijcerent contra suum exercitum facientibus, toruo oculo Sbigneum intuens Cæsar, Siccine, inquit, verificari video promissa tua, quibus Vrbes, gentes, & Castra tui contemplatione in meam ditionem venitura promittebas, infesta quippe nobis & aduersa omnia video, & singulos Polonorum erga Boleslaum Fratrem tuum vnius fidei vniusq; tenoris experior. Ex eo tempore æstimatio Sbignei in Cæsaris pectore perempta est. Boleslaus Poloniæ Dux, & si de Polonis exercitum non spernendum collegisset, Bohemorum quoq; milites, qui de Bohemia exulauerant, in Castris haberet, multo tamen & ferocior ac superior exercitus Cæsareus sibi visus est, qui cùm non posset iusta acie pugnam sine suorum discrimine conferre, sæpè tamen periculi, quòd imminebat oblitus, neq; suis, neque hostium pensatis viribus decernere æstuabat, nisi militum suorum graui obiurgatione fuisset distentus, differentium, suis Casis militibus, Ducisq; exercitu profligato Poloniam externis seruituram. Non quieuit tamen vastus ac ferox Ducis Boleslai animus, sed Cæsareum exercitum ab eo tempore quo Poloniam ingressus est, continua infestatione nocte & interdiu diuersis in locis per equites suos in hostes palantes, qui aut

prædatum, aut pabulatum ibant, faciens impetum & incurſiones, laceſſebat. Nam & eos qui agmen paululum deferebant continuò comprehendebat, & eos, qui paſſim per agros vagabantur, trucidabat. Frequenter inſuper cuſtodibus exercitus Cæſarei, vel captis vel inſcijs ad exercitū Cæſareum intempeſta nocte accedens, pluribus interfectis & captiuatis, vniuerſum exercitum tàm graui confuſione diſturbabat, vt Cæſar numerum militum pro cuſtodia exercitus duplicaret. Gentes inſuper Imperatoris gratia pabulandi longius ab exercitu progreſſas dietim inuadens, & vſq; ad ipſa Caſtra Cæſarea fugans & cædens, non prius ſequi deſiit, donec vniuerſum exercitum contra ſe vidiſſet proſilire. Et tunc quidem cedens, & in abdita velut locorum peritus ſe recipiens, eandem inuadendi & exercitus & pabulantium ſæpiús non ſine multorum de exercitu Cæſareo diſcrimine, reſumebat. Sed & in exercitum Cæſareum milites noctē deſtinans, plures aluum purgantes intercipiebat. His & multiplicibus alijs excurſionibus inuaſionibuſq;, adeò exercitum Imperatoris vexarat affixeratq;, vt nemo pabulatum, nemo ſpaciatum, nemo longius à Caſtris prodire, ſine frequenti armatura, auderet. Quodlibet nemus, ſiluula, aut rubus ſuſpecta habebatur. In omni vmbroſo & condenſo loco Boleſlaus Poloniæ Dux ſtare credebatur, vniuerſi quoq; milites Cæſarei in aliquod munus militiæ, aut pabulatores protegere iuſſi ire, illum ſibi figurabant occurſum. Sed nec eos fallebat opinio, quam primum enim aliquas turmas de Caſtris Cæſareis exire agnouiſſet, illicò illas vel conflixit, vel in turpem fugam conuertit, maioremq; ſui & timorem, laudem huiuſmodi clandeſtinis, crebris tamen inuaſionibus diffudit, quàm li acie iuſta & integra decertaſſet. Nam & in exercitu Cæſareo fames, pabulatione deficiente, coorta, multoſq; equos, multoſq; inſuper & homines tabe confecit. Deoperibus quoq; Boleſlai tàm fortibus & animoſis cantilenæ ab Almanis compoſitæ in illius gloriam, in Cæſareis verò ignominiam, in vniuerſo Cæſareo exercitu ſonora voce canebantur. In vicis quoq; & Vrbibus propter maximam ſuæ virtutis gloriam Heroico robore partam, canentium vocibus celebrabatur, donec publico edicto Cæſar pœnam capitis & bonorum confiſcationē omnibus interminatus eſt, quicumq; carmina ipſa depromere auſi forent. Erat tamen in ore omnium militum Cæſareanorum, atq; in ſermone frequenti Boleſlaus Poloniæ Dux, ſummas in eum laudes accumulantium, & miris laudibus ſuam ſtrenuitatem celebrantium. Nec mirum, hoſtes enim quacunq; arte ſibi præſumpſerat capiendos, occultis inſidijs, fraude, dolo, fallendos, furto, rapiniſq; exhauriendos, nil deniq; prætermittens, quo tàm fortis exercitus debellari poſſet. Magna parte Sileſiæ peragrata, vaſtataq;, nō nullisque munitionibus ignobilibus captis, Caſtro etiam Rzeceń expugnato, & per ignem demolito, Henricus Cæſar ad Vrbem Polonorum Glogouiam quam Odra vnus ex principalibus Poloniæ fluuijs præterfluit, cum copijs ſuis in die S. Bartolomæi peruenit. Et quamuis Boleſlaus Poloniæ Dux poſitis

poſitis militibus vada Odræ, & eius Ripas vbiq; communiſſet, obſtruxiſſetq;, tranſitum Cæſari omni niſu prohibiturus, Cæſar tamen propè Glogouień ciuitatis mænia vadum, nunquam etiam antea indigenis cognitū reperiens, fluuium Odra ſuperauit, multam pecorum, hominumq; prædam, ſed & nonnullos Boleſlai milites, qui paſsim vagabantur, inopinate detinuit. Eam cùm obſidione cinxiſſet, & multorum dierum interualło, proiectione bombardarum, Ciuitatem humiles muros & debiles turres, atq; propugnacula tunc habentem conquaſſaſſet: Veriti ciues ne in poteſtatem Cæſaris victi capta Vrbe venirent, & excidium ſuum, & ſuorum experirentur, de Vrbe dedenda ſub cæteris conditionibus, ſi videlicet Dux Boleſlaus intra quinq; dierum ſpacium obſſeſis non ſuccurat, miſſis nuncijs, cum Imperatore paciſcuntur. Imperator non quinq; ſolum dies, ſed & plures ſe illis conceſſurum reſpondet, certus Boleſlaum Poloniæ Ducem ſecum decernere nullatenus auſurum, dùmmodo in ſpē futuræ deditionis filios eorum ciuium, qui natu maiores in ciuitate habebantur, pro obſidibus & in pignus futuræ deditionis ſibi cōſignent. Neceſſitate vrgente Glogouień filios ſuos Cæſari pro obſidibus tradunt, & Cæſar certus eos pacta ſeruaturos, ab oppugnatione vrbis milites ceſſare iuſsit. Mittunt interim Glogouień ad Ducem & Dominum ſuum Boleſlaum, Poloniæ Regni Monarcham & in quanto verſentur periculo, niſi ſaniori conſilio pactis vſi fuiſſent, denunciant, ſupplicantq; vt aut illos ab oppugnatione obſeſsioneq; hoſtili liberet, aut pacta rata habens impleri ea permittat. Iam Boleſlaus Polonorum Dux maioribus copijs exercitum refertum habebat, quippe ex Maſouienſi, Sandomierienſi, & Lublinenſi, terris, magnus numerus pedeſtrium & Equeſtrium ad eum defluxerat. Rutenorum quoq; copiæ aduenerant, plenuſq; ſpe occaſionem pugnandi cum Cæſare inueſtigabat. Collaudatis itaq; Glogouień nuncijs & ciuibus, quod prudenti vſi conſilio, ciuitatem maturè perituram, in eam diem ſeruaſſent, diſcretiſsimè prohibet, ne quicquam de his quæ cum Imperatore pacti erant, obſeruent, mallintq; filijs, quam ſe, & patriam libertate orbari, ſe in tempore adfuturum, & obſſeſis opem laturum, reſpondet. Et quo conſtantiores eſſent, ſi prohibitionem ſuam in dedenda Vrbe Imperatori tranſgrederentur, iurat ſe illos & cùm filijs Imperatore diſcedente exterminaturos. Mandato Boleſlai Ducis Poloniæ per nuncios ad Glogouień relato, dùm vniuerſa ciuitas grandi mærore conſternata eſſet, (nā hinc metus, hinc pietas, hinc charitas pignorum obiecta, quid agerent conſilij inopes collidebantur) publicam tamen pietatem ſingulis approprians magis quàm priuatam, Boleſlao Duci ſe parituros, & mortē potius ſubituros, quàm deditionem pactam ſeruaturos, deuouent. Non horribilium illos terret impetus, non laboris frangit aſperitas, nec filiorum auertit pietas, omnibus in commune, vnus eſt animus patriam & Vrbem ſanguine tutari. Quapropter ab vniuerſis in commune ad ruinas inſtauran-das tanta cura, tanta diligentia concurſum eſt, tantaq; ſedulitas in reſtau-

ratione collaptorum monſtrata, vt intra biduum, quo induciæ à Cæſare datæ nondum expirauerant, omnis neceſſaria inſtauratio abſoluta fuerit. Cæſar cùm die quinta Vrbem ſibi iuxta pacta dedi requiſiuiſſet, exiſtimauit ſe ciuibus vltrò portas aperientibus ciuitatem ingreſſurũ. Cùm verò offenderet contra, atq; ipſe ratus, reſiſti, aduerſarios infeſtos Glogouienſ habiturus, quos iam deditos crediderat, more ingenij humani pacta in ſpem meliorum ſucceſſuum variantes, à ciuibus contrarium ſponſum accepiſſet, in indignationem non mediocrem verſus, quia pacta non reſeruaſſent; ad expugnandam Vrbem armari vniuerſum exercitum iubet & ab omni parte oppugnationem diſponit, credens & ciuitatem ſe facile capturum, & tranſgreſſoribus pactorum dignas pœnas illaturum. Magna itaq; vi ab Almanis & Bohemis ciuitatem vndiq; Imperatore ſpectante, & adhortante milites impugnantibus, non minori vi ab Oppidanis reſiſtebatur. Credens autem Imperator pietate filiorum nullatenus ciues in ſua pignora telis aut operibus ſæuituros, ſed charitate obſidum obſeſſos magis, quàm armis expugnari poſſe, filios Glogouienſes in propugnaculis de aſſeribus ordinatis, quò milites ad oppugnationem tranſituri appetebantur, diſtendi iuſsit. Sed cùm nec ſic Glogouienſes moliri poſſe videt, ſed in eos filios qui diſtenti erant ſudes & iacula emittere, & egregie in quoslibet tela contorquere, propter quod Cæſarei temere ad mœnia ſubeuntes de ſuperioribus locis percuſsi cadebant, Imperator verò innocenti ætati miſertus, illo genere expugnationis velut crudeli & infami omiſſo, milites muros ciuitatis, & turres ſubire, & expugnationi tota die vacare iuſsit. Maximo conatu atq; labore vtrinq; certatum eſt, Cæſareos milites indignatio ex violatione pactorum orta, & frequens militum continuè ad pugnam profligatis recedentibus, & ſanis ac integris pro ſaucijs ſuccedentium numerus, Oppidanos extrema deſperatio animabat. Tantus autem vtriſq;, his quidem conquirendi Vrbem, illis defendendi, ardor iniectus erat vt nullum genus, vtrinq; aut hoſtes expugnandi, aut ciues repellendi omiſerint. Et cùm Almani & Bohemi audacius ciuitatis mœnia ſubeuntes, proiectione lapidum ſupernè obruerentur, aqua tamen & picę feruenti plures læſuram incurrerant, multi qui ſcalis appoſitis muros conſcenderant, ciuium robore exinde præcipitati; animas (inſpectante Cæſare) exhalabant. Glogouienſi quidem erga Boleſlaum Principem ſuum tàm feruido cordis ferebantur affectu; & tàmfirmam conſtantiam fidemq; monſtrarunt ſinceram, vt maluerint & perſonas & chariſsima pignora grauiſsimis ſubijcere periculis, quàm ad hoſtilem deditionem detorqueri, vnde non immeritò eorum fides & ſincera deuotio, etiam in hanc diem apud Polonos honorificæ ſydere fulgent. Dùm autem pluribus diebus huiuſmodi continuaſſet expugnationem, plureſq; inſignes ex Baronibus Bauariæ, & Saxoniæ cecidiſſent, referri eorum cadauera in Bauariam & Saxoniam Cæſar iuſsit, & pro iuſto honore à ſuis ſepeliri, ab oppugnationeq; Vrbis quæ eum tot

præclaris militibus ſpoliauerat deſiſtere, ne & alijs eſſet in perniciem coactus eſt. Bohemi verò qui circa expugnationem ciuitatis deſiderati ſunt, cæpeſtrem haud longè à Caſtris exceperunt ſepulturam. Rogabant autem Boleſlaum Poloniæ Ducem ſui milites, vt in certamen illos cum Imperatore deducat, omni conatu pro victoria adnixuros, præſtare ſibi aut gloriosè vincere, aut honeſtè mortem oppetere, quàm tot ſuorum tectorum incendia ſpoliaq; & dedecora ſub conſpectu perferre. Boleſlaus verò militibus benignè pro opera de victoria nauanda commendatis, ad ſua quemq; redire munera, & tempus aptum pro certamine ineundo, dùm ſignum ipſe dederit, iubet cum ſilentio operiri. Se enim conſilio ac prudentia, non animi impetu pugnas gerere conſuetum, pugnam committere, ſi illud & vtilitas maior & opportunitas loci temporiſq; ſuaſerit non neglecturum. Glogouienſ obſidione durante nulla dies abſumpta eſt, ſub qua Boleſlaus Polonorum Dux, nunc à dextra, nunc à ſiniſtra, nocturnis pariter atq; diurnis horis, graui moleſtia, continua aggreſsione, Imperatoris caſtra non afficeret. Propter quod Imperator nunquam cum vniuerſo exercitu ad Vrbem expugnandam potuit intendere, ſed maiorem partem militum in Campeſtri ſtatione, ad pugnam ordinatam, ne Boleſlaus à tergo Caſtra inuaderet, opponebat, certus enim erat, niſi hæc prouiſiſſet, ſe à Boleſlao diſcrimen incurſurum. Solitus autem erat Imperator huiuſmodi exercitui, Suantopelkonem cum gente ſua Bohemica adiungere; & eum Ducem vtriq; populo, in euentum futuræ dimicationis, præficere. Eodem tempore cùm proſpera ac læta in exercitu Cæſareo viderentur omnia, periculum horrendum à Boleſlao Polonorum Duce dudum meditatum ſuperuenit, quod ſuo momento robur Cæſareum magna in parte languidauit, Boleſlaus enim dùm infirmiorem ſe perpenderet quàm qui cum Cæſareanis & Bohemicis copijs acie iuſta contendere poſſet, in Suantopelkonem Bohemiæ Ducem iras vertit, infeſtior illi quàm Cæſari, inducitq; in animum quolibet modo obtruncare illum, ingenio & aſtu ſuo, & ſuorum propulſaturus, poſtquam vis aperta parum proſederet, infeſtiſsimo reſpectu ad id impulſus, quod & patruos ſuos iuſtos hæredes de Bohemiæ Regno eiecerit, & eorum Dominia occupauerit & quod contra ſe Bohemica Matre fatum ſibi etiam propinqua cognatione iunctum, & contra gentem Polonicam eiuſdem pœnè linguagij, & eiuſdem nationis armia in auxilium Almanis tulerit. Sæpè autem de hac Suantopelkonis iniquitate apud ſuos quæſtus percuſſori eius præmia magna proponit, ac multis huiuſmodi munus aggredi, & hoſtem patriæ deleri cupientibus, Ioannes miles Nobilis, filius Czyſtæ de genere Vrſzoſzieñ ſiue Rauitarum ortus facinus præoccupat. Nil eorum, quæ Imperator cum Duce Bohemiæ, & ſuis moliebatur, Poloni neſciebant. Quippe & per exploratores, & nonnullos in exercitu Cæſaris Bohemos, acta ſuorum prodentes progreſſum omnem & ſtatum hoſtilem inueſtigatũ habebant. Itaq; oportuno explorato tempore Ioannes Czyſtes miles in Cæſa-

reum exercitum perueniens, Duciſq; Bohemiæ Suantopelkonis militem ſe fingens, cùm & plures haberet in exercitu Suantopelkonis cognatos & Fratres tempus ad occidẽdum Suantopelkonẽ Ducem obſeruabat. Cæſar autem die 21. Septembris Suantopelk Dux Bohemiæ, in papilione Cæſaris conſiſteret, Ioannes præfatus in Ducem ipſum ſtantem ante Cælarem lancea acutiſsima tàm fortiter impegit, vt eius vtrumq; latus proſcinderet, & Suantopelkus Dux in terram illicò palpitãs, nec vna voce quidem emiſſa expirauit. Qua nece patrata Ioannes miles ex tentorio exiliens, equum ad id apparatum conſcendens, fugere cæpit. Quem etſi nonnulli Bohemi proſequuti fuiſſent, pluribus tamen propenſius perſequentibus, aut victis, aut vulneratis, integer & incolumis ad Ducem ſuum Boleſlaum peruenit, & pro auſu tàm celebri ab eodem Boleſlao Polonorum Duce maximis præmijs videlicet Caſtris, Oppidis, villis, & poſſeſsionibus, quæ & in hanc diem genus ſuum poſsidet, eſt muneratus. Cadauer autem Suantopelkonis Bohemiæ Ducis per ſuos milites ex papilione Cæſareo in Caſtra Bohemica & in Ducale tabernaculum relatum. Fremitus deinde ingens, & commotio in vniuerſo exercitu Cæſaris cohortus omnes milites Cæſaris iuſſu nocte tota inſequenti in armis tenuit. Excubiæ quoq; campeſtres crebriores habitæ, ſingulis Almanis pro certo deſtinantibus Boleſlaum Polonorum Ducem nocte cum ſuis copijs ſuperuenturum, & belli fortunam tentaturum. Ioannes miles filius Czyſtæ propatrato in Ducem Suantopelkonem facinore, non ſecus, quàm Mutius Scæuola Romanus & propriorũ & hoſtiliũ militum laudatus eſt, & celebratus ſermone. Suantopelkone Bohemiæ Duce totaliter, vt præmiſimus, occiſo, & exercitu Bohemico in Bohemiam remeante Henricus Imperator conſilio aduocato, an in obſidione vrbis Glogouieñ perſiſtendum, eſſet vel in Almaniam redeundum, deliberat. Sed cùm ſinguli probaſſent, obſidionem cladibus & funeribus magis quàm victorijs inſignem omittendam eſſe, neq; in bello male auſpicato diutiùs commorandum. Nuncij Polonorum Ducis Boleſlai (miſit quippe illos Boleſlaus, ſperans Suantopelkone Duce Bohemiæ interfecto, facile animum Cæſareum ad pacẽ inclinaturum) adueniunt, petẽtes vt Romanorum Rex & obſidionem Glogouieñ tollat, & ab agro Polonico exercitum abducat, Ducem ſuum Boleſlaum præter meritum Imperiales hoſtilitates hactenus perpeſſum eſſe quem contra infidelium nationes continua bella gerentem, conuenientiſsimum erat auxilia Imperialia non expugnationem meruiſſe. His à Cæſare reſponſum eſt ſi Polonorum Dux Boleſlaus & Poloni imperio & tributis ſubiecti eſſe volunt. Sbigneumq; ad portionem ſuam reſtituere, petitionem eorum Imperator facile eſſet admiſſurus. Sed cùm Nuncij Ducem ſuum Boleſlaum, & Polonos, nullo pacto ditioni ſuæ ſeruituros, & tributa penſuros, ſed neq; Sbigneum velut hoſtem infeſtiſsimum patriæ in gremium ſuum certam perniciem iterum illi allaturum, aſſumpturos reſpondiſſet, multa Henricus Rex coram Nuncijs de potentia & diuitijs

Imperij

Imperij diſſerens, etiam illis theſaurum quem ſecum in Caſtris habuerat, vaſa quoq; & elenodia concupiſcibili auro & gemmis ornata monſtrat, ſubinferens hunc ſolùm ſufficere ad eorum Ducem & gentem domandã. Erat huius legationis fortè Princeps Nobilis, quidam Comes Skarbek tres tracturas æquales in ſtellæ, quæ ab Aſtronomis Gaſipia appellatur modum, pro inſigni deferens, qui Cæſari theſaurum oſtentanti, & de potentia ſua differenti, reſponſum aliquod conueniens, editurus, annulo aureo quem in articulo geſtabat detracto, in eius quem Cæſar oſtentabat theſauri medium proijciens, ait. Aurum iungatur auro. Henricus autem Rex cùm eſſet perſpicacis ingenij, facile intelligens, quod legatus Boleſlai & proiectione annuli & adiectione verborum contemptum ſtantarum Gazarum ſignificare vellet, contemptum quem notabat excluſurus, in Almanico reſpondit, Habdank quod ſignificat habeo gratias; quaſi his paucis verbis exprimeret. Et ſi tu theſauro meo contempto, etiã in ampliorem eius contemptum paruam auri quantitatem adieciſti, & de hac ego quidem tibi habeo gratias. Legati Ducis Boleſlai á Cæſare infecto negotio dimiſsi, redeuntes, ſingula ex ordine, quæ eis reſponſa fuerunt, exponunt, legatuſq; ille, & ſua omnis ſucceſsio, ac poſteritas appellationem ſuorum armorum, & domus Habdank in diem hodiernum accepit. Maior indies in exercitu Cæſareo diſceſsione Bohemica terror augebatur, ob quem in Caſtris Imperatoris duplicatæ excubiæ & Imperatori receſſus ab amicis magnopere perſuaſus, ne & ipſum inſidijs Boleſlai circumuentum iri in exercitu ſuo contingeret. Quæ quidem conſultatio facile ab Imperatore accepta eſt, vt potè in cuius iam pectus altiùs, quàm quiſquam ratus erat obtruncatio Suantopelkonis Ducis Bohemiæ e infuderat, deteriorìq; conditione ſe a Bohemis querebatur deſertum, hoſtili potiùs fauore non neceſsitate, quàm ſi ab initio ſubſidia illi non tuliſſent.

PAVCIS poſt hæc diebus, dùm Boleſlai Polonorum Ducis legatos pacem petentes dimiſiſſet, in obſidione Glogouieñ Cæſar moratus obſidionem (victus ſuorum prece & conſilio) diſſoluit, & verſus Wratiſlauiam proceſsit, expugnationem Wratiſlauiæ ſi fortè illic ſibi melior proueniret fortuna, tentaturus. Sed dùm ad vnius miliaris ſpacium à Wratiſlauia ſtatiua poſuiſſet. Boleſlaus Polonorum Dux omnibus potentijs dominiorum ſuorum, quanta potuit celeritate, ordinatis, magna inſuper agreſtium, (vt ſpeciem validi exercitus hoſtibus obijceret) auctus turba, agmen exercitus ſui curſus magis quàm itineris modo perſequendo Imperatorem ducit, adeo, vt nec nocturna quidem quiete à diurnis reficerentur laboribus. Henricum Romanum Regem perſequi, & cum illo decernere ſtatuit. Quem cùm in dictis ſtatiuis vno tantummodo miliari à Wratiſlauia diſtantibus conſecutus fuiſſet, ordinatis aciebus, paucis milites adhortatus. Quatenus ſuæ nobilitatis & originis memores, quàm fortiſsimè pro patria ac libertate dimicarent, perpetuam gloriam, ſi orbis

terrarum

terrarum Imperatorem veterem eis libertatem adimere & tributis eos
bijcere conantem, sternerent, & de vastitate eorum regioni irrogata, se
vindicarent, & ipsi habituri, & posteris magno fœnore eam relicturi, hanc
diem qualis, cuiusq; sit virtus, ostensuram. Concurrunt validissimo im-
petu & clamore vtræq; acies, & vtraq; pro victoria adnitente, durissimo
Marte dùm mane pugna cœpisset, vsq; ad vesperam certatum est. Cade-
tibus ex vtraq; parte pluribus mortalibus sæpenumero Cæsareani milites
cum numero iuperiores essent, etiam in pugna prævalebant. Nutabat Po-
lonica acies, plericq; ex pugnatoribus Polonis spectabant ad fugam, nisi so-
licite Boleslaus quælibet loca circum iens, & nouos fessis substituens su-
orum in locis aliquot labentem pugnam restituisset. Et confirmatis ipsis,
pulsis aduersarijs, erectis militum animis, prælium ex integro reparatur.
In ipso autem feruore pugnæ, Silesianorum militum acies, quam in subsi-
dijs Boleslaus locauerat eius iussu erumpens, in latus exercitus Imperialis,
quàm fortissimè potuit, impegit, & ordines Almanorum disrumpens, ca-
teris militibus, pugnatoribusq; viam ad irrumpendum in hostes & ad com-
prehendendum victoriæ brauium aperuit, Ab hostibus enim ex improui-
so conspectus pectora illorum effecit timidiora, dùm cætera omnis
multitudo Polonorum, non militum solum sed & agrestium partam vi-
ctoriam effecit. Cæsar suorum aciem inclinatam perpendens, illicò fuorũ
monitu, in fugam se (insignibus Imperij, ne fugientem proderẽt abiectis)
cõuertit. Post hæc magis trucidatio quàm pugna fuit. Omnibus Almanis
vario itinere fugientibus quorum etiam magnus numerus in fuga com-
prehensus, Boleslao redditus est, quos in honore iusto habuit semper
magnam in illis exhibuit clementiam, ac humanitatem. Tanta autem
fuit in loco certaminis cadauerum copia, vt ex omni propinqua regio-
ne multitudo canum illuc ad vorandas humanas carnes concurrens, pe-
riculosum aliquanto tempore omnibus paruo comitatu illac proficiscẽ-
tibus iter efficeret, vnde & locus ipse in hodiernũ vsq; diem caninus cam-
pus vocabulum sortitus, argumentum relatæ tunc per Boleslaum de Cæ-
sare tàm famosæ victoriæ sua nuncupatione renouat & conseruat. Et quã-
uis clades ipsa fatalis & ignominiosa extiterit, non secus tamen apud illos,
& alias finitimas gentes post relatum de Cæsare triumphum Boleslaus
Dux Polonorum celebratus est, quàm Marcus Marcellus post deuictas hi-
racusas & diruta Nolana mœnia & Annibal post pugnas ad transimeni
lacũ & Canensem, ex quo planè constat, nil quæstuosiùs, nil vberiùs vir-
tute. Hæc quoq; Boleslai victoria nomen eius glorioſum inclytumq; red-
didit, gentiq; Polonicæ gloriam dilatauit, Heroica quoq; Boleslai vbiq;
vulgata ferebantur facinora. Præclarum enim visum est sub vno eodẽq;
tempore, & Imperatorem armis, & Bohemum astu superasse, Admiran-
dusq; propterea Boleslaus Polonorum Dux apud proprios & exteros e-
fulsit, sapientia præstans & re militari, pro singulari sua virtute, prudentia,
audacia, belli peritia, militari disciplina, & suorum & hostium vno ore

Dux

Dux atque Imperator vigilantissimus decantatus. Eo triumpho omnibus
locis maximè celebratus, nec iniuria, nam si sincero affectu circumscripto,
animaduertes, & non Cæsarem solùm Henricum & eius exercitum, sed v-
niuersos Almaniæ populos profligatos fuisse, vno illo eximio prælio fate-
bere. Super nece Suantopelkonis Bohemiæ Ducis, dùm nocte occisio-
nem suam insequente planctus verusnè an simulatus à Bohemis celebratus,
incertum est. Altera die Henricus Romanorum Rex ad tentorium, in quo
cadauer Ducis Suantopelki iacebat, adueniens, tristem & ipse vultum
super illius tàm improuisa & indigna morte ostendit. Et quo mors sua Bo-
hemis minus molesta esset, permittit illi, vt quem velint de natis suis du-
obus, Henricum videlicet, vel Venceslaum, in Patris locum surrogent,
asserens se in fauorem eorum eam, vel quamcunque aliam eorum electi-
onem confirmaturum. Bohemiæ autem Barones vtroque filio Suanto-
pelkonis perterrito, Ottonem secundo genitum, Wratislai germanum di-
ci Suantopelk, temerato iuramento, quo se post mortem Suatopelk non a-
lium quàm Wladislaum filium Wratislai tertio genitum ax Swantawa, &
germanum Borzywoy assumere astrinxerunt, in Ducem deligunt, & sur-
rogati Ducis gaudium funesto funeri miscuerunt. Qui etsi ab Henrico Im-
peratore approbatus fuisset, Pragamque in possessionem accepisset, infra
tamen paucos dies Ottone excluso & reiecto, præfatus Wladislaus à singu-
lis Bohemis in Ducem assumptus est, facileque possessionem totius Bohe-
miæ sortitus. Bohemicus exercitus Duce suo Suantopelkone occiso, remit-
tis ad propria magnis instantijs expetebat, veritus ne per exules, Duces Bo-
rzywoy & Sobieslaum res in Bohemia nouarentur.

Henricus autem Romanorum Rex discessionem Bohemorum mole-
stè ferens, retinere illos omnimodè æstuabat, persuadebatque vt aliquibus
Baronibus Bohemiæ cadauer Ducis Suantopelkonis in Pragam referentri-
bus, cæteri omnes in Castris suis subsisterent, & eum in Polonicam gentem
agentem expeditionem defertum iri non sinerent; plures incursiones, inua-
siones que & pericula ab eo hoste, qui neque nocte, neque interdiu nouit
quiescere, perpessurum. Verùm Bohemis tàm infelicem militiam, in qua
Ducem suum obtruncari contigerat, magnoperè obtrectantibus, & non se
amplius in bello parùm auspicato, sine Principe, sine capite, perseuerare vel-
le respondentibus, suo illos Cæsar arbitrio relinquere, & in Bohemiam di-
scedere coactus est. Remanere in Castris Cæsareis, Bohemicis copijs di-
scedentibus Zbigneus frater naturalis Boleslai Ducis Poloniæ, veritus, quip-
pe qui sibi omnes Almanorum Principes, ipsum quoque Henricum Re-
gem nouerat infestos, cum Bohemis vna discesit, sortem suam intelligens
Ducis Suantopelkonis occisione vehementer debilitatam & attritam.

Septima Mensis Septembris Balduinus Episcopus Crac: natione Gal-
lus moritur, & in Ecclesia Crac: sepelitur. Cùm annis septem Ecclesiam
rexisset, in eius locum per Papam Paschalem Secundum alias Blasium Se-
cundum Maurus ordinatus, Boleslao Polonorum Duce eius ordinationem

Vu acce-

acceptante vir genere Italus Romanus, ex familia nobili ducens genus.

ANNO Domini 1110. Cladem apud Wratislauiam in Psiepole vico ignobili Henricus Rex Romanorum Imperator acceptam, etsi molestissimè ferret alteram quoque in Poloniam meditaretur agere expeditionem, ignominiam suorum detersurus, negotijs tamen Imperij, & itinere quod pro suscipienda Imperiali Corona anno futuro Romæ faciendum erat, auertebatur, simul quod Boleslai Ducis Polonorum animum expertus probè nouerat, aut secum congressurum, aut si congredi propter imparitatem metueret, exercitum suum grauibus dispendijs & incommodis clandestinis, & subitis incursionibus lacessiturum. Verebatur insuper ne se absente Boleslaus Polonorum Dux suas & Imperij terras naturales Regno Poloniæ vicinas, in vltionem belli à se contra Poloniam gesti inuadens vastaret atque exureret. Multorum etiam sui Imperij nobilium militum, qui superiori bello per Boleslaum Ducem Polonorum captiuati erant, ipsum vexabat detentio, quos, anteqam Romam iter soluere magnopere, ne eorum captiuitas in maiorem suam ignominiam recideret, satagebat. His curis maximè velicatus atque distentus, secundiorem compendiorem què partem assumens, pacem à Boleslao Polonorum Duce superiori anno petitam, & à se negatam dare eidem, suadentibus id Consilijs disposuit. Quòd vt honestiùs proueniret, per communes egit amicos, vt Boleslaus Polonorum Dux mutatum animum Cæsaris intelligeret, & ad se in Bamberg personaliter veniret, neque pacem, neque amicitiam, neque quicquam aliud se dignum sibi negaturum. Diu ad Cæsarem ire Boleslaus Dux Polonorum deliberans, multis tamen suis & Dominij sui vtilitatibus qui ex profectione sua sequuturi erant, pensatis, in apparatu suo pulcherrimo ad Henricum Romanorũ Regem in Bamberg venit, & verbis honestis, atque ad persuadendum compositis, eam pacem petijt, quæ sibi, & genti suæ, non in infamiam, sed in gloriam & decus verteretur, se de sanguine Regum Poloniæ satum, omnia communia cum Regibus præter nomen retinuisse. Scire se & Poloniam, & eius Reges atque Principes nunquam tributis seruiuisse, sed plena semper libertate vsos in eam diem fuisse, pro qua tenenda conseruandaque, & arma necessitate impulsum sumpsisse, & contra Cæsarem dimicasse, prius quoque omnia se, & gentem suam extrema passurum, quàm Regnum suum & gentem tributis dediturum. Sed nec Cæsarem eam expeditionem contra se, nisi falsis Suantopelkonis Bohemiæ Ducis & fratris sui Zbignei suggestionibus accensum, cùm ipse Imperium Romanum in nulla re offendisset, incepisse. Orabat deinde Boleslaus Cæsarem vt illum amicum Imperij sui potius, quàm hostem haberet malit. Henricus Rex Boleslao benignè appellato, & omnem indignationem ab inuidia, contra illum apud se concitatam se illi offert liberalitèr remissurum, & eum inter Principes Catholicos iusto honore, velut suum & Imperij amicum habiturum, & quæcunque honesta petere vellet, largiturum. Ad hanc tàm munificam & fauorosam Henrici Romanorum Re-

gis re-

gis responsionem, Boleslaus Polonorum Dux, sororem Regis sibi in sponsam, filio vero suo Wladislao ex Rutena genito, filiam Regis Henrici Cristinam nomine, virginem forma venustam, cepit petere in vxorem. Quæ omnia Henricus Rex sine cunctatione concessit, & celebratis in Bamberg nuptijs cum sorore Cæsaris tàm nouam nuptam sibi, quàm filio Wladislao virginem Cristinam iuuenculam cum dote duplici Comitatus militibus Cæsareis, in Poloniam deduxit, & omnes captiuos Almanorum in Prælio & guerra captos Henrico Regi Romanorum remisit. Magnaquè extunc & deinceps pacis charitatisquè amœnitas inter Dominia Imperij & Polonorum terras eorumquè subditos viguit, & Henricus Romanorum Rex Castris & terris in Polonia conquisitis, & signanter Castro Lubusz, quod ab eo in dominationem perpetuam Maideburgen: Archiepiscopus accepe-rat, expressè renunciauit. Audiens Bohemiæ Dux Borzywoi filius secundo genitus Wratislai primi Regis Bohemiæ, quem ex Regina Suantaua susceperat qui cum germano suo Sobieslao & pluribus Bohemiæ Baronibus in Polonia apud Boleslaum Poloniæ Ducem annis aliquot exulabat, fratrem suum natu minorem Wladislaum post occisionem nepotis sui Suantopelkonis Bohemiæ Principatum, qui nulli alteri, nisi ipsi Borzywoi iusto iure debebatur, Ottone etiã fratre Suantopelkonis de eo depulso, assumpsisse, suplicat, Boleslao Polonorum Duci vt illi pro recuperatione Ducatus sui dignetur ferre auxilium; & aut cum eo personaliter vadat, aut gentem expeditam transmittat. Boleslaus autem Polonorum Dux conditionem suam Ducalem animaduertens, cum robusta militum suorum manu, ipsum versus Bohemiam, comitantibus illum pluribus Baronibus Bohemiæ, qui secum vnâ exulauerant, suo sumptu omnibus prouidens conducit, Sobieslao altero fratre in Polonia remanente. Et cùm iam in metas Bohemiæ, & siluam Herciniam, quæ Bohemiam & Poloniam diuidit, deuenissent, plures Bohemiæ Barones cognito Borzywoi Ducis sui aduentu, ei obuiam eunt, ipsumque cum magna lætitia excipiunt, precanturque, vt Dux Boleslaus Polonorum in Principatus suorum redeat, daturos se operam, quod sine bello Dux suus Borzywoi Ducatum Bohemicum possideat, Victus itaque Boleslaus Polonorum Dux, tám Borzywoi Ducis, quàm Bohemiæ militum precatione in Poloniam regreditur, & nihilominus cum Borzywoi Duce insignem suorum Polonorum militum cohortem destinat. Borzywoi itaque Pragam à suis deductus, & solenni processione susceptus, illicò eius & Castri Wyssegradiensi plenam, Frater enim suus Wladislaus in Pilzno tunc agebat, nanciscitur possessionem, & Hermanum Episcopum Pragensem comprehensum damnat in carcerem. Fabianus verò Capitaneus Wyssegradiensis omnibus relictis, de manibus Borzywoi elapsus aufugit. Plures & alij ciues Pragenses qui sibi erant conscij, quique partem alteram tuebantur, relictis vxoribus, filijs & possessionibus, ad vicinas regiones diffugiunt. Fit magnus in vniuersa Bohemia tumultus, & rumor, villarum vicorumq; incensio, vastatio, & prædatio. Otto interim

rim Suantopelkonis frater cum Wackone Barone qui tunc potens in Bohemia habebatur, congregatis militibus, Pragam ingredi tentant. Castrum que Wyssegradiensem à Pragæ repulsi obsidione cingunt. Wladislaus Dux occupatam à fratre Pragam & Wyssegradum dolens cum gentibus Pragam venit, ad quam petenti negatus est ingressus. Mittit proinde nuncios ad Henricum Romanorum Regem, de expulsione sua qræritur, petens, vt sibi autoritate sua Ducatum ademptum restituat. Qui in Bohemiam duobus Ducibus Curiæ suæ Dipoldo & Berengario destinatis, pacem mandauit inter dissidentes super Ducatu fratres reformari, & omnes dissidentes, ad se personaliter venire plenam decisionem super quæstione recepturos. Qui cùm ad eum venissent, Wladislao quidem Ducatum Bohemiæ reddendum decreuit, fratrem verò illius Borzywoy in captiuitatem coniecit. Wladislaus verò Ducatu Bohemiæ suffragio Henrici Regis Romanorum potitus, plurimos Barones nobilesquè Bohemiæ, & ciues Pragenses quos fauisse fratri suo Borzywoy intellexerat, varijs pœnis, exilijs, & tormentis affecit. Nepotemquè germanum Ottonem suspectum habens, ne illum in Ducatu supplantaret, ad se pacificè in Saczka accersitum captiuauit, quem primùm in Castro Wyssegradieñ deinde in Krzywoklad triennio detinebat, Wackonis Baronis consilio ad id plurimum animatus & permotus.

ANNO Domini 1111. Captiuitatẽ fratris & alumni sui Borzywoy Bohemiæ Ducis per Wladislaum fratrem eiusdem Borzywoy, & Ducatus Bohemiæ occupatorem, Boleslaus Polonorum Dux molestè ferens, validissimo congregato exercitu cum Sobieslao Duce Bohemiæ, Ducis Borzywoy fratre apud se exulante, Bohemiam circa festum Sancti Michaëlis ingreditur, fratres ipsos aliquibus honestis conditionibus, per quas & Borzywoy Dux à captiuitate ablolui posset, pacificaturus. Sed dùm Wladislaus Dux pluribus nunciis & litteris à Boleslao Duce Polonorum inuitatus, vt ad se securè in pace veniret, decisionem controuersiæ in ter se, & fratres suos Borzywoy, & Sobieslaum, ipso eorum communi fratre & amico arbitro, super Ducatu Bohemiæ recepturus, nullatenus vocationi & inuitationi huiusmodi acquieuit, sed in vocatione & inuitatione præfata dolum latere prætendens, & nuncios cum iniuria repellit, & exercitum Ducis Polonorum inuadere decernit. Quod cùm Boleslaus Dux Polonorum sensisset, omnem oram circa flumen Albim multis Primoribus Bohemorum diffugientibus, incendijs & spolijs vastauit, prætatoquè Wladislao Duci occurrens, ipsum graui cæde 8. Idus Octobris circa flumen Cydina, multis Primoribus Bohemorum, aut occisis, aut captis, conflixit, & fugere in Pragam coëgit, multisquè spolijs & exustionibus in Bohemia patratis, incolumem, victoremquè exercitum suum, & Sobieslaum Bohemiæ Ducem in Poloniam sanum cum ingenti præda reduxit. Quæ clades Bohemis tunc per Polonos inflicta, etiam Bohemorum Annalibus apud incredulos & dubios potest ostendi. Vehementi dolore Suantaua Wratislai relicta Bohemiæ Regina Boleslai Polonorum Ducis quondam filia, super filiorum suorum Borzywoi, Wladislai & Sobieslai, collisione mutua afflicta, dùm vnum captiuum, alterum exullem, tertium victum videat, mediatricem se posuit, & pluribus sanis & prudentibus tractatibus interpositis filium Wladislaum, quod fratribus suis Borzywoi & Sobieslao paritatem in Ducatu habentibus, aduersus & infestus esset, correctum cum fratre Sobieslao in Polonia exulante, verita ne ampliores strages inter ipsos consurgerent, pacificauit. Reuocatus igitur Sobieslaus tàm maternis quàm fraternis Nuncijs, & literis ex Polonia in Bohemiam venit, & Zacen, Ciuitatem cum suo Districtu & Prouincia, ita enim inter eos Szuantawa mater eorum composuerat, in possessionem & hæreditatem accepit. Pontifex Ecclesiæ Cracouiensis alias Wladislauiensis Paulinus, cùm eandem Ecclesiam annis duodecim rexisset, debitum carnis in ætate matura soluens, moritur, & in Ecclesia Cruszuicensi sepelitur. In cuius locum Balduinus Gallicus de consensu Boleslai Ducis Poloniæ velut Patroni ordinatur. Victorijs superioribus de Polowcys relatis, Rutenorum Duces animati, qui ægrè Polonorum bella repellebant, ad inferendum vltro Polowcys bellum eriguntur. Expeditione itaq; indicta Suantopelk Kiouiẽ Dux cum filio Iaroslao, Wlodimir cum filijs, & Dauid cum vno filio, Ruthenæ Duces, secunda Quadragesimæ Dominica copias equestres & pedestres iola spe in Deo & Angelis eius repositа, in campum educunt. Superatoq; flumine Sula, veniunt in Chorola, vbi currus instruunt, & acies ordinãt. Ab inde ad flumen Olha, peruentum est, & aliquod diebus statuis habitis ex Olha ad aliud æquè magnum flumen Wolha trajciunt. Quibus quidem fluminibus superatis ad flumen Tanais, quod Don appellatur, magnitudine rara priora flumina excedens, exercitus peruenit, illicq; arma induens, & signa militaria extendens, agmine composito, iuxta ac si in conspectu hostis esset, incedebant. Ad Castrum deinde Rukanie applicans, à viris, qui in illo erant, piscibus, & vino exceptus, ad aliud Castrum Smuron pertigens, illud exurit, & interim ad flumen Tanaim peruenit. Polowcy itaque suarum Regionum vastationem non ferentes, Rutenorum Ducibus & agminibus occurrunt, prœliumquè conferunt. In quo adhortantibus se mutuo Rutenorum militibus, & mori potius quàm fugere deuouentibus, primis Polowconum aciebus cæsis, fusisq; reliquæ diffugiunt. Post paucos verò dies, nouo & fortiori exercitu Polowcy ex multis legionibus instaurato, fortunam tentaturi, ad congressum veniunt, Sed parem priori referendo fortunam, à Rutenis & Ducibus eorum certamine inito, conflicti & victi sunt, fugientesq; Polowcos Ruteni in plurima miliaria persequuti, quatuor diebus Castris eorum, equis, pecoribus, camelis, vxoribus, & paruulis, & omnia alia suppellectili potiti, duplici prælio victores in Russiã reuersi sunt, maximo honore & gaudio processioneq; à suis excepti.

ANNO Domini 1112. Quietem quæ hactenus Pomeranis & Prutenis Boleslao circumuicinis bellis assiduè occupato peruenerat, Pomerani

& Pruteni non ferentes clandestinis & secretis prius habitis inuicem & celebratis Conuentibus contra Polonorum Regionem decoquunt & assumunt bellum. Et quoniam Boleslaus Polonorum Dux Partes Posnanien & Cuiavien crebrius solito tunc incolebat, in Pomerania quoq; plura Castra valido præsidio superimposito, in suam ditionem redegerat, potentiam suam resistentiamque barbari velut fulmen veriti in remotiores Prouincias, ad quas non accedebatur, eorum incursionis aduentus bellum conuerterè, clandestina & secreta, & nunquam alias denunciata hostilitate, Prouinciã Masouiæ inuadunt, prædis, spolijs, conflagrationibus, vicorum, villarum, & ædium tumultuario bello patratis, antequam Boleslaus Polonorum Dux noscere posset, eorum incursionem & irruptionem in sua cubilia rotenisi. Aliter tamen quàm illi rebantur, spes illis respondit, regebat siquidem pro ea vice Masouien Regionem magnus Comes, quẽ in superioribus Wratislauien oram rexisse monstrauimus. Is quamprimùm Pomeranorum & Prutenorum in contra se & Regionem suæ fidei, & regimini commendatam sensit aduentum. Nullatenus illas prædas & spolia ex Masouia efferre, aut incendia & populationes agere permisit, sed exemplo cum omnium Masouiensium nobilium & popularium manu, quos sub tanta celeritate cogere potuit, eis cum spolijs & prædis procedentibus occurrit, illosque quiescentes, & quieta omnia suis exploratoribus denunciantibus esse existimantes, inopinatè priusquam illucesceret agressus, tanta clade soporatos oppressit, victrix, vt pauci, qui aut occiderentur, aut caperentur, euaderent. Subitò enim aduentu atque insperato hostes perterriti, neque consilij habendi, neque arma capiendi spacio dato veluti dedecores & inulti, non secus quam pecora trucidabantur, sexingenti occisi, mille ducenti capti, eo prælio hostes referuntur. Simon Plocen Antistes raræ vitæ probitatis & deuotionis, victoriæ Polonorum ex Prutenis & Pomeranis tunc relatæ, maximum creditus est adiumentum præstitisse, qui sub omni tempore, quo hostes Pomerani & Pruteni patriam ingressi sunt, continuis singultibus, ieiunijs precibus, & lachrymis vna cum Clero suo obsecrare pietatem diuinam, pro victoria Polonis danda non destitit, sed nec prius mentem ac corpus ab oratione, ieiunio, & obsecratione laxauit, donec certificatus est magnum Comitem & Masouien plenam & magnificam victoriam de hostibus retulisse. Quæ tàm feraciter & abundè prouenerat, vt Pomerani & Pruteni tunc à Polonis victi & debelati, qui se in siluis & nemoribus abdiderant, fugiendo, pluribus diebus, ne dum à viris, sed matronis & puellis gratia legendi fraga siluas frequentantibus, caperentur, & armis exuti vincti ligatiq; à tergo in victoris ducerentur conspectum. Eadem fortunæ facies apud Silesien affulsit, qui Zbignei milites & satellites predas & spolia apud eos agentes & incendia, singulari certamine superatos, aut extinxerunt, aut in captiuitatem diram coniecerunt. Henricus Romanorum Rex inter Imperatores Quartus, sed quantum ad Henricos, Quintus, cum Tusciam cùm magno exercitu triginta videlicet millibus armatorum Co-

ronam imperialem recepturus aduenisset, Nuncios ad Paschalem Papam Secundum, inuestituras Episcoporum refutando, & illis se perpetuo abdicando præmittit, sciens aliter sibi Papam munus Coronationis nullatenus impensurum. Expost Romam veniens, cùm ab omnibus processionibus Ecclesiarum honorificè susceptus esset. Paschalis etiam Papa cum Cardinalibus ad gradus ei occurrens, ad portam argenteam eum deduxit, & osculo dato Imperatorem designauit. Verùm postquam ad portam Porphiricam ventum fuisset, & Papa super abdicatione inuestiturarum Episcopalium iuramentum ab Henrico requireret, Henricus Rex de consilio suorum Paschalem Papam cum Cardinalibus, & tota curia sua captiuauit, & Vlrico Aquilegensi Patriarchæ custodiendum tradidit, & in carcere duobus mensibus, donec petitioni de abdicatione inuestiturarum renunciasset detinuit. Liberatus ergo Papa & solutus, in die festo Paschæ Henricum coronat, & in Almaniam redeuntem, noua censurarum fulminatione, vt se inuestituris Episcoporum abdicet, percellit, Henrico Imperatore toto tempore, quo Paschalis Papa vixit in pertinacia perdurante. Captiuitatis Paschalis Papæ autor fuisse dicitur Albertus natione Lotaringus, qui postmodum Moguntinensis Archiepiscopus fuerat, tunc verò Regis Cancellarius, quem post reditum Rex captiuatum, & in carcere positum diuersis tormentis & incredibili famis inedia afflixit, & pro amicissimo pestiferum hostem tenuit, diuino iudicio hanc illi iustissimè inferente vltionem. Nonnulli insuper scelerati filij ex Clero Romano per Imperatorem inducti post liberationem Paschalis tres Hereśiarchas, videlicet Arnolphum, Albertum, & Theodoricum in Papas eligere præsumpserunt. Qui etsi Paschali Papæ multas intulissent molestias, ad extremum tamen ab eo prostrati & deiecti sunt. Sexta decima die Mensis Aprilis Suantopelk Kiouien Dux, & Socer Boleslai Ducis Poloniæ in Kiow moritur, & in Ecclesia S. Michaelis in Kiow, quam biennio ante sumptuoso opere deauratum ei fabricando vertice, fundauerat, sepelitur. Cuius morte secuta missi sunt à Kiouiensibus Nuncij ad Wladimirum germanum Suantopelkonis, quem monerent vt veniret, & sedem Kiouien paternam & auitam susciperet. Eo verò in ludo occupato venire tardante, milites in seditionem versi. Curiam primum Putatæ Palatini Kiouien, viri ea tempestate locupletissimi, deinde singulos Iudæorum in Kiow consistentium inuadunt, & diripiunt. Noni itaq; Nuncij ad Wladimirum vt non mutaret aduentum, missi, quæ spolia, quæ mala apud Kiow emerserint, edicunt, simulq; denunciant veteri Kiouien, si venire negligat, militarem furorem & licentiam in templorum & monasteriorum, & Ducalium Curiarum spoliationem grassari. Quibus rebus Wladimir Dux non secus quàm par erat motus, cum magna festinatione ad Kiow proueniens, à Kiouien, suppliciter susceptus ortam & orituram militarium seditionem tuo aduentu oppressit. Iaroslaus autem filius Suantopelkonis, & germanus Zbislauæ Polonorum Duciss, in Ducatum suum Wladimirien diuertit, gentem Iacwingorum, molestam infestamque per

frequentes excursiones Rutenis, Suantopelkonis Kiouien, olim Ducis filius Iaroslaus Wladimirien, Dux oppressurus, cum exercitu illic irepergit. Qui illorum Regione in parte notabili vastata, copias etiam eorum prælio inito fudit, victorque rediens filiam Mscislai & neptem Wladimiri accepit, 11. Maij in consortem. Gens autem Iacwingorum natione, lingua, ritu, religione & moribus, magnam habebat cum Lituanis, Prutenis, & Samogitis conformitatem, cultui idolorum & ipsa dedita, cuius Principalis & Metropolis Arx Drohiczyn.

ANNO Domini 1113. Pomeranorum & Prutenorum clandestina in Masouiam irruptione Boleslaus Polonorum Dux, graui indignatione offensus, parum putans eos pro sua socordia à Magno Præfecto Masouiæ pœnas pendisse expeditionem in Pomeraniam indicit. Et copijs equestribus & pedestribus, in vnum coactis, primùm ad Crusuicen Oppidum peruenit, vbi vniuerso exercitu inspectante, & statiua sua ex Crusuicia mouente, adolescens quidam formæ venustissimæ in pinaculo Oraculi S. Viti, quod in Vrbe Crusuicen consistit, apparens, cuius mirandus splendor non Oppidum tantummodo Crusuicen, sed etiam eius vicinia campestria illustrauerat, omnium in se, præcipuè verò Boleslai Polonorum Ducis conuerterat aspectum. Cumque miro modo & stupperent & mirarentur, adolescens ipse motis Castris pinaculo desiliens exercitum præcedebat, & recto itinere ducens, exercitu vniuerso Ductum illius sequente ad Nakiel peruenit, pomumque aureum, quod in manu gestabat, vibrans, & versus Vrbem Nakiel proijciens, disparuit, capiendæ Vrbis certam spem relinquens. Qua fiducia Boleslaus Dux & exercitus eius plurimum animatus, & exhilaratus, Castrumque & oppidum Nakiel, quod tunc à Pomeranis tenebatur, & ex quo plurima Regno Poloniæ inferebantur damna, inuasiones, & spolia obsidione valla, atque expugnanda machinarum proiectione crebra vius & ariete, cæteritq; expugnationum generibus illa inuadens omnia præstantia Castri & oppidi fundamenta euodiruit, aut debilitauit. Cumque Castellani & oppidani se à Boleslao, quamprimùm exercitum ad mœnia admouere, comprehendendos vidissent, ne cogerentur capta Vrbe extrema experiri, postquam iam essent extrema desperatione fessi, promissum quoq; à Principibus Pomeraniæ subsidium, tanto tempore præstitum non esset. Caduceatoribus ad Boleslaum in Castra missis, secum pacisc untur, vt infra dies 15. Castrum & Oppidum, si à suis Principibus requirendum interim subsidium non acceperint, dedant. In hunc modum inductijs concessis, ab oppugnatione Castri & Oppidi cessatum est, & nuncij à Principe Pomeranorum & Prutenorum missi, cum festinatione, eos iamparatos, & in armis congregatos laturos obsessis suffragium conueniunt, in quanto versentur periculo, edicunt, & quæ cum Boleslao de dedenda Vrbe & Castro

potestatem deuenturam ni feratur auxilium, agnouissent, qua amissa multa sibi de suis commodis detrahenda, & Polonis adijcienda opinabantur. Accedebat ad indignationis cumulum, quod Oppidum Nakiel ea tempestate capitalis principalisque Vrbs apud Pomeranos habebatur, qua adempta, se graue dispendium & dedecus Metropoli sua exuti subituros querebantur. His & pluribus alijs respectibus incensi, certatim se deuouent ad pugnam. Et quo certior proueniret victoria, tàm à veteranis, quàm à Tyronibus nouo Sacramento iuratum est, cum magnam multitudinem, non ingenuam solùm, sed agrestium in id bellum exirmassent, non se ex acie pro liberanda Patria, nisi Victores redituros, Nuncijs itaque Nakiensium remissis, & de suffragio illis, priusquam dies quindecima labere tur, ferendo, bene sperare iussis ipsi de modo & ordine gerendæ cum Boleslao pugnæ consultant. Et quamuis recensitis suis bellatoribus supra quinquaginta millia armatorum se habere comperissent, in pluribus tamen prælijs Boleslai Polonorum Ducis virtutem & felicitatem experti, etiam de tanta multitudine diffidebant, astu quoq; dolo, & stratagemate non viribus, aut armis de hoste tàm felici, audaci, & exercitato referendam sibi victoriam concludebant. Celeritas & clandestina præoccupatio ad id primum conferre ostendebatur, vt & inopinatè & celeriter aduenirent, priusquam hostes illos conuenisse præsumerent, vt incautos & imparatos hostes facilius opprimerent. Equos insuper relinquere domi, & pedestri certamine pugnam inire placuit, quatenus adæquato periculo fiducialius pertinaciusque prælium ab vniuersis gereretur, & fugæ spes nullis subesset, simul quoque ne equorum hinnitu aduentus eorum apud hostes prodi posset. Silenti itaque & composito agmine, ex Castris media nocte signo dato, egressi, omni itinere publico; campo & planicie euitato, per siluas, boras, & nemora gradientes tandē ad Nakiel tàm improuisè & latenter peruenerunt, vt quoslibet exploratores Boleslai fallerent, & eius custodias circumuenirent, tantò diligentiori explorantes omnia cura quantò nocturna caligo, (neque enim tunc lucebant sydera) amplius sibi prouidenda ademerat. Et quanquam non venit tàm audax inceptum ad destinatum finem, tamen haud omninò vanum fuit. Agebatur tunc S. Laurentij Martyris glorioſi, qui apud Polonos magna colitur veneratione, solennis dies, & Dux Boleslaus, vniuersusquè exercitus suus, quod & induciæ essent, & hostium nulla suspicio, auditione diuinorum occupati, arma exuerant, dùm subito exercitus Pomeranorum, Duce & Polonis sacerdotali susceptā benedictione, in tentoria diuertentibus conspicitur, magis quàm nunciatur aduenisse. Plures tàm inopinatus hostium aduentus ex Polonis terruit, tumultuarioquè more ad arma induenda à singulis Duce Boleslao conspecto, concursum est. Apparebat is insperatus aduentus Pomeranos extēplo fore victores, si eadem celeritate, qua ceperant, Boleslaum inuasissent. Verùm quò tutiores aduersus hostes cōsisterent, loco satis sibi tuto & apto, quo decernerent electo, etiam illum vallo fossisq; communiunt, sudes insu-

per præacutas & oblongas igne in extremitate duratas, tàm in fronte, quàm à lateribus denso & frequenti ordine terræ infigunt, quæ vniuersum Pomeranorum exercitum egregiè a qualibet inuasione tutabantur. Eo opere Pomeranis occupatis, Boleslaus interim spacio dato ægrè ordines, aciemq; tumultuariè magis quàm deliberatè explicauit, exercitumq; suum longè hostibus numero imparem & inferiorem in duo tantummodo distinguens agmina, vnum Scarbimiro Palatino Cracæ qui & Princeps militiæ tuæ tunc erat commisit, alterum ipse ducebat, militibus non paucis, qui & machinas & opera, castraque, ne ab obsessis intra tempus pugnæ irruptione facta violarentur, custodirent relictis. Paucissimis autem verbis pro temporis breuitate milites allocutus. Non subest, inquit, milites spacium, quo vos vt solebam pugnaturos, alloqui possim, hostis enim quem sæpè vicistis in conspectu vestro præsens, multa me loqui non sinit. Animo non verbis opus est, si sincere velimus, nihil me verbis meis vobis additurum reor, si probitas vestra vos deseruerit. At ego de probitate vestra dudum mihi cognita & experta certis; certam mihi victoriam repromitto, quam vt eripiatis hosti in multitudine & feritate sua confidenti, præsens etiam necessitas & amor patriæ monet. Si agrum quem colimus, si patriam, si penates, si vxores, si templa, si labores, & quæcunq; charissima salua volumus, Pomeranorum & Prutenorum hostium infestorum nobis, sanguine inundare oportet. In sola diuinitate, & B. Martyris Laurentij, in cuius honore celebramus sibi dicatũ diem suffragio spes omnis, atq; in audacia fingenda nobis est. Ego Deo propitio, & B. Laurentio, vel pulcherrima, & insigni morte pro vobis hodie defungar, vel si vos adniti volueritis, gloriosam victoriã de superbo & idololatro hoste, apud posteros etiam famam & nomen habituram, reportabo. Omnibus moriendum esse, aut vincendum repromittentibus, nominisq; S. Laurentij inuocationem, vt suis succurrere dignetur, crebra & varia supplicatione ingeminantibus, Boleslaus ad hostem ducit. Quem cum vidisset vallo fossatis & præacutis sudibus, hastis, lanceisq; transuersaliter defixis in terram, & in altum cuspide porrectis, vndiq; munitum, antequam ad teli iactum veniret, gradum premere, paululumque ne à sagittis hostium, in quibus hostes maiorem vim suæ fiduciæ locauerant, viderentur, suos iussit consistere, cum paucis quoque vbi ad penetrandum agmen hostile miro modo glutinatum, glomeratum, & pressum esset aditus, considerabat, obequitans atque girans. Ingens & euidens periculum, si à fronte vel latere hostis inuasio fieret, imminebat, animaduertit tergum hostilis exercitus sudibus, lanceis, & hastis tectum non esse, irruptionique locum patere. Quo non sine alacritate notato, Scarbimirum eum agmine sibi commisso inuadere tergum hostile iubet. Cùm ego, inquit, in frontem & in primas hostium turmas impetum fecero, & in certaminis ardore meo re senseris, tunc tu quoq; tergum inuade, & perclusis signa inter, dissipatos enim & ocioso raros quibus ferrum in manu sit, inuenies, quos priusquam aduertere, & se reuoluere possint, cæde pauidos, cruentamque illis inuasio-

nem redde. Deinde quasi cum hoste commissurus, aciem sui agminis in hostem reflexit, vt hostem à Scarbimiro in se conuertat. Scarbimirus imperata executurus, mira celeritate & cursu ad terga hostilia deuectus, quanto maiori potuit impetu, terga penetrans irrumpit, valloque & fossato superato hostes inuadit, truncat, dissipat, Boleslao frontis aciem, & iacta ab hoste tela sustinente. Clamor illicò ab his qui à Scarbimiro à tergo cædebantur sublatus, omnes de Pomeranico & Prutenico exercitu, qui contra Boleslaum à fronte pugnaturi, iacula sagitasq; emitebant, vehementer turbauit, diuq; quid ageret, quoue se verterent, succurrerentne suis laborantibus, an ex vallo fossisq; contra Boleslaum prorumperent, consilij inopes detinuit. A Scarbimiri interim exercitu magna cædes & trucidatio in Pomeranos & Prutenos confusis ordinibus, vno alterum impediente, facile edebatur, breuiquè ad spem euentus respondit, postquam & imbecilliores tyrones que à tergo locati essent, nec ex primis ordinibus possent auderentq; ad postremos laturi auxilium recurrere. Magna iam parte hostilis exercitus per Scarbimirum cæsa, Boleslaus moræ impatiens, dolens se & ipse in dimicationis parte non esse, equo concitato, periculoq; sudium, lancearum, & hastarum, ne quicquam pensato, in hostem à fronte irruit. Vbi sudibus, lanceisque aliquanto tempore non sine periculo certatum est, nonnulliquè milites insignes, qui ordines ducebant, iniquitate loci & sudibus hastisque ab hoste de exercitu Boleslai obtriti sunt, equorumquè transfossus & necatus numerus, equites in pedestrium conditionem redegit. Succedentibus deinde nouis, & recentibus militibus, & periculo superato, dum hostes & à fronte, & à tergo circumuenti impeterentur, sustinere vim Polonorum non valentes, coniurationis & voti obliti, passim in omnes partes, quo quemlibet sors ferebat, diffugiunt. Omnibus vna cura fuit propinquores siluas petere, & earum velamento vitam saluare. Hærebant integro fugientium Poloni, fugientesq; etiam in nemora persecuti, magnam stragem de hostibus peregerunt, plures tamen & locorum præsertim periti, nemore & frondibus tecti, fuga saluati sunt. Quadraginta millio hostium Prutenorum & Pomeranorum cæsa, & duo capta. Eo die S. Laurentij nonnulli in paludibus, stagnisque & limosis locis, ne in persequentium venirent manus, periêre. Tàm magnæ hostium cædis, tantæque victoriæ tunc relatæ, congeries, haud paruum collem efficiens, in quam hostium cadauera, ne ex tetore contagio sequeretur, congesta & sabulo obruta sunt. Extat in hodiernum diem monumentum etiam certaminis ipsius locum demonstrans, & effectum renouans. Omnis victoria tunc parta propitio Deo & suo venerando Martyri Laurentio attributa, in quem vniuersus exercitus pro collato triumpho, & euitato periculo, gratiarum actiones celebrans, cum iucunditate resonabat. Castrum illico Nakiel cum Oppido & Castellanis & Oppidanis, qui omne suorum robur concidisse viderant, in potestatem, Boleslai Ducis deditum est. Traxit & hæc clades in Pomeranos tunc edita, sex alia Oppida viciniora in similem deditionem. Strage enim suorum au-

dita missis nuncijs se suaquè Oppida & munitiones in ditionem Boleslai & Polonorum plenariè dederunt. Castrum autem Nakiel & Oppidum, sexq; alia Oppida sibi tunc dedita, Boleslaus Dux Suantopelkoni Baroni, & Consiliario suo, vni ex Poloniæ Primoribus enixius partes suas adiuuanti in tutelam & gubernationem suo nomine tenenda fauorabiliter, sperans eum sibi & Regno suo purum & fidum fore, concessit. Præstabat enim cæteris non tàm generis nobilitate & diuitiarum opulentia, quàm dexteritate facta & fide. Nam & generis illi origo ex domo Griphonum familia veteri Polonicæ gentis, lingua promptus & manu, pluribus se probitatis, & virtutum meritis, ipsa quoq; dimicandi, & militaris disciplinæ peritia in frequentibus certaminibus & pugnis Boleslao Polonorum Duci charum gratumq; effecerat. Nec fraudis & suspicionis venenum in tàm generosa & probata propagine poterat præsumi, in quam plurimæ bonæ actiones, & artes nobantur concurrisse. Verùm ille dominandi principandiq; studio ardentior cepit confestim videri, quàm naturali accessui, conditioni, & moribus is conueniret, impatientiusq; se atq; superbius gerere varias exquirens vias, quibus & iugum subiectionis excuteret, & in principando, imperandoquè neminem ferre cogeretur, potestatis suæ superiorem vel consortem.

Sobieslaus Bohemiæ Dux ex multorum Bohemorum sibi fauentiũ auisamento intelligens, Wladislaum Bohemiæ Ducem fratrem suum, qui tunc in Bohemia Principalis habebat, sibi infestum esse, & de consilio & suggestu Wacek Baronis captiuitatẽ suam concluisse, positis insidijs Wackonem obtruncat. Verituq; Wladislai Ducis propatrato in Wackonem nece facta, per Serbiam in Poloniã cum suis omnibus tentauit confugere. Sed cùm per Ekembertũ Castri Domin Præfecti, quod tũc nomine Imperatoris tenebatur, inuitatus, & in dolo captus esset, diffugientibus ab eo in Poloniã militibus, ipse ad Saxoniã vinctus delatus est. Sed cùm vno lapso mense de captiuitate fugiens euasisset, in Poloniã ipse venit, & à Boleslao Polonorũ Duce cum suis omnibus benignè exceptus, & liberaliter habitus, fotus & tractatus est.

Singularis etiam deuotionis & zeli in Deum & religionem Christianam Comes Mihael natione Polonus, de domo & familia Habdank fundato, & dotato, de bonis proprijs Monasterio in Lubien Ordinis S. Benedicti, moritur, & in eodem Monasterio sepelitur. Eodem etiam anno Monasterium de firmitate fundatur.

ANNO Domini 1114. Ferox Boleslai Polonorum Ducis pectus cuiuslibet quietis impatiens, & ad externa à domesticis se conferés Pomeranis & Prutenis superiori bello & clade domitis ad Bohemos se conuertit, quamuis domestica necessitate externa voluntate bella gesserit. Sobieslaum quidem Bohemiæ Ducem aũnem suum in Bohemiæ Ducatum, vndè à fratre natu minore, solertiore tamen, & magis militaribus & popularibus grato, expulsus erat, suis potentijs, suis impensis, suo brachio reducturus, copias ex militibus, animo, & manu promptis comparat, ac cum illis habens secum in comitatu Sobieslaum Bohemiæ Ducem, & omnes Bohemiæ fugitiuos, in Boheniam descendit. Missisq; ad fratrem Wladislaum Bohe-

miæ Ducem nuncijs, sollicitat & requirit illum, quatenus fratrem Sobieslaum in fauorem & gratiam resumens, portionem etiam illi paternæ hæreditatis iusta diuisione cessuram largiatur. Wladislaus Bohemiæ Dux contra respondet, se illi amplam gratiam, quam seruare nesciuit præstitisse, & notabilem sortem largitum esse, nihilquè à se aduersi passum, principaliori suo Consiliario & Barone sub specie colloquendi euocato neci impiæ & dolosæ tradito, ex Bohemia in Poloniam cum consortibus facinorum aufugisse, & omni gratia & fauore se abdicasse, & indignũ reddidisse. Nuncijs verò Boleslai Polonorum Ducis iuxta instructionem scelus Sobieslai Bohemiæ Ducis purgantibus, & eum maiori quàm ante fauore pro eo, quod eum qui inter fratres lolij discidium seminare, & vnum contra alium suo sermone incitare solitus erat, iusta ira prouocatus extinxerit, dignum censentibus, respondet: Non magnopere recusaturum se fratrem Sobieslaum in fauorem & gratiam recepturum, si & Boleslaus Polonorum Dux Zbigneum fratrem suum naturalem apud se in Bohemia exulantem, in parem gratiam acceptare concesserit. Diuisionem verò Bohemiæ Ducatus Cæsarẽ inconsulto sibi cum fratre celebrare non licere. Quo respõso Boleslaus accepto, dùm constaret Wladislaum Bohemiæ Ducem nullam æquitatem exhibere velle, Boleslaus Polonorum Dux exercitum in vlteriora Bohemiæ promouit, agrosquè vastari, vicos, villa, & Oppipa incendi Sobieslao Bohemiæ Duce, ne huiusmodi conflagratio patriæ suæ fieret intercedente oranteque, iussit. Eam populationem & exustionem Wladislaus Bohemiæ Dux prohibiturus in campum, & ipse copias deduxit. Castraq; haud longè à Castris Boleslai Poloniæ Ducis posuit. Subsequuta quoq; certa dimicatio inter Duces & eorum exercitus fuisset, nisi flumen Cibina limosum alueum habens, vtrumq; separasset, cùm Poloni illum supra & inferius vadare tentantes, profunditatem illius Bohemis, qui cum Polonis erant, periculosam asserentibus extimuissent, eo enim obstante, nulli partis sine euidenti periculo patuit transitus per illud. Rogabat deinde Boleslaus Polonorum Dux missis nuncijs Wladislaum Bohemiæ Ducem, vt vel cum copijs suis eo permittente fluuium securus transiret, vel sibi & suo exercitui eandem conditionem præstaret. Vtrumq; verò Wladislao Duce Bohemiæ abnuente, Boleslaus Polonorum Dux Castris motis, versus Albim contendit, nec longe á flumine Alba fluuiolo Cibina sine iactura sua & exercitus sui superato, cum festinatione ad loca, vbi statiua Bohemorum dimiserat, perrexit. Sed cùm Bohemos ex Castris illis discessisse, sola quoq; Castrorum & focorum vestigia comperisset, densæ siquidem nubes, fulmina & tempestates horridæ abscõderant diem, quam oportunitatem Wladislaus Dux Bohemiæ fortitus, silenti agmine discesserat. Simularitne id Wladislaus Bohemiæ Dux, quo improuisò grauior accederet, an mobilitate ingenij pacem atq; bellum mutare solitus diffugerit, parum exploratum est. Sequendine Bohemi essent, an in Poloniam redeundum, vastandane Bohemia esset, frequens consilium adhibuit. Et cùm singulorum sententiæ requisitæ variarent, se-

morefq; post tot Ducatus Bohemiæ vastationes, post tot quæsita & nusquã requisita prælia, maturam reuersionem, inuenies non nisi vniuersa Bohemis vsque ad Pragam vastatu peragrataquè & hoste contuso, debellatoque redeundum censerent. Assensurus iuuenum consilio Boleslaus videbatur, nisi omnium quæ secum ex Polonia ferebant commeatuum nunciata defectio, animum Boleslai ad sebuendum senum consilia diuertisset. Reuerentia itaq; senẽtiam complexus, licentiam hactenus ad petitionem Sobieslai Bohemiæ Ducis suspensam, populandi agros, & exurendi vicos, permittit, populationemquè & exustionem iussit quàm latissimè extendi. Cùm autem ad Oppidum Klocko ventum esset, portas Oppidanis claudentibus, Boleslaus suburbia eorum incendi iussit, ex quorum inflammatione & Ciuitas Klocko ab igne vicino, vento flante contacta, quamuis Oppidani deditionem offerrent, penitus conflagrata est, reliquiæ verò eius in prædam militibus datæ. Largitionem siquidem prædæ, quam & tunc, & crebro alias Boleslaus Polonorum Dux militibus permittebat, comitate insuper vniuersis benigna, adeò militum suorum animos deuinxerat, vt mira audacitate pugnam certamina què sub suo auspicio deposcerent, & singulos labores atque pericula impauidi subirent, comitate, liberalitatequè Boleslai Polonorum Ducis ad huiusmodi labores & pericula accensi.

Oppido Klocko & villis, vicisq; in circuitu igne consumptis, rectior via in Polonia itum est, depopulatioquè agrorum & villarum non intermissa, militum speciali caterua eos, qui ad populandum agros, vrendumq; tecta discurrerent, prouidè tutante. Iam ad siluas, quæ magnæ vocatur, Poloniam à Bohemia disterminantes (ea enim via per quam Boleslaus in Bohemiam intrauerat, & pleræquè aliæ succisis arboribus clausæ nunciabantur) peruentum erat, dùm noctis conticinio Boleslao solitis orationibus incumbente, factus coortusquè rumor, & strepitus de aduentu hostium, vniuersum exercitum clamore ab vno sublato in metum trepidationemquè quasi extemplo pugnandum esset, concitauit. Ad quem sedandum Boleslaus illico ex papilione, in quo orationi vacabat, prosiliens, & in locum eminentiorem, vt ab omnibus exaudiri posset, ascendens, suos milites bono animo esse, pauorequè quolibet fallo magis quàm vere vulgato, sublato, strenuos & audaces in præsens & futurum imminens cum hostibus certamen esse iussit, orationeq; prudenti & audaci gliscentem tumultum sedauit. Cumq; altera illuxisset dies, appareretq; Bohemos, & suspicione euidenti, & exploratorum speculatorumquè relatione, siluarum loca obsedisse habita opportunitate ex loco æquo Polonis iniquo pugnaturos. Missa in tortius exercitus Polonici conspectu ordinante Boleslao Polonorum Ducorius exercitus Polonici conspectu ordinante Boleslao Polonorum Duce solenni cantu celebrata, & prædicatio vulgaris habita est, pluresquè milites, tanquam de craftina pugnaturi confessione suorum peccatorum facta Eucharistiæ diuinissimo Sacramento procurati sunt. Tùm quoque exhortatio Boleslai Ducis in hunc modum ad exercitum subsecuta est. Certos, inquit, vos arbitror, quibus ex causis in Bohemicum bellum, etiam domesti-

domesticis interea neglectis, vobiscum me vnâ contulerim, vt videlicet Sobieslaus Bohemiæ Dux nobiscum præsens de portione Ducatus sui exclusus, me reduci, & vobis illum nanciscì, Bohemorumque superba iactantia, crebro terras nostras cum Zbigneo fratre meo, patriæ nostræ hoste infestãtium aliquando reprimi, & ellidi posset. Et quidem si verum fateri oportet, is noster præsens in Bohemiam ingressus, eaq; quam fecimus agrorum depopulatio, villarumque & Oppidorum exustio, etiamsi superiora quæ aduersus illos gessimus bella non extarent, sufficienter omnia damna, & iniurias per eos nobis crebris inuasionibus illatas compensant, cùm nos terras eorum girando, plures districtus, villas, & vicos, vel spoliauimus vel exussimus, signisque collatis, si ausi decertare fuissent in certamen illos procauimus. Nunc verò ex iniquo loco vobiscum pugnaturi feruntur adgressi, siluasq; quas transituri sumus obsedisse. Itaq; vnumquemq; Vestrũ non segnem non cunctatorem, non dissimulatorem, non somnolentum aut pigrum, sed animosum, strenuum, & ad singula pericula, bellaq; subeunda paratum esse volo. Cùm Bohemi non nisi in vestra segnitiæ & secuntate suam victoriam positam habeant, sed & hodierna dies, qui iustius arma induerit, velut certissimus arbiter dijudicabit. Nostram erga illos puritatem, humanitatem, beneuolentiam, charitatem, amicitiam, & fidem, illorum verò erga nos parentesq; nostros continuas inuasiones, odia, despectum, fastum, superbiam, & elationem, vltionemq; Deo nobis propitiante, vindicaturi. Sed & prælio inito, consertoque memores, estote oculisque vestris obuersetur, quas prædas in patria nostra sæpè egerint, quanto spolio Gnesnẽ Ecclesiam matrem & Metropolim nostram afflixerint? quantis eam thesauris despoliauerint, quot captiuos in Bohemiam abduxerint? quantos contumelijs, stupris, & violationibus matronas nuptas innuptasque effecerint? quoties nos cum externis hostibus pugnaturos à tergo inuaserint, irritauerint, offenderint. Et dum horum memoria mentem subierit, quanto forcius ferociusq; illos aggrediemini, tanto glorioſius de infesto hoste, aut magnificam referetis victoriam, aut animam effundetis. In hunc modũ cùm apud suos Boleslaus non sine amaritudine bileq; Sobieslai Bohemorũ Ducis, eorumq; Bohemorum, quos hospitio fouebat dissensisset, Polonosque ad subeundum quodcunq; periculum in vltionem earum iniuriarum, quas à Bohemis pertulerant, animasset, in interiora siluarum itum est. Et agmine quidem magno, in quo & fortissimi quiq; milites à tergo & à fronte, & in medio infirmior ætas, & impedimenta locata erant, præcedente, cæteriſq; subsequentibus Scarbimirus Palatinus Cracouiẽ Princpes militiæ, cum expedita cohorte sinistrum latus, Boleslaus ipse dextrum expediti & ipse milites habens, à tergo distantia aliquali interposita tutabantur. Substiterat paululum cohors vna, quæ Gnesnẽ vocabatur, (milites enim eius Regiones sub ea militabant) maiori parte siluæ transita, planicieq; reperta, Ducis sui præstolatura aduentum pausam agebat. Quam Boleslaus dum in ea loca peruenisset, hostium ratus, parum abfuit, quin illam extemplo inuaderet, nisi signa cognita errorem monstrassent. Siluarum extrema

pars

pars iám reſtabat, dùm Bohemi certi de victoria Polonos exiſtimantes ni
fine ſiluarum ſolitum ordinem & diligentiam remiſiſſe in Polonos in loc
varijs faciunt impetum, & tàm Scarbimiri quàm Boleſlai cohortes, illud
quod præcedebat agmen adorti pugnam diuerſis conſerunt locis, magn
vi ab vtraque parte bellum geritur & Scarbimiro quid apud Boleſlaum ma
iuſq; agmen, Boleſlao quoq; quid apud Scarbimirum ageretur, itidem igno
rante, vtraq; pars pro victoria admitebatur. In Boleſlai tamen cohorte Bo
leſlaus ante omnes progreſſus, eum, qui primus ex Bohemis occurrerat,
haſta confodiens interimit. Pincerna Ducalis Derſlaus, Ducem ſecutus,
alterum ante aciem progreſſus ex equo deijciens occidit. Qua re cæteror
rum militum ardor incenſus eſt adeò, vt primis & melioribus de exerci
Bohemico audaciſsimè confectis, Boleſlai cohors prior hoſtes deuicerit,
inſtrumentumq; vt cæteræ vincerentur fuit. Dùm enim Wladiſlaus Bohe
miæ Dux, qui in eo certamine aderat, ſuos tàm fædè vidiſſet cecidiſſe, ve
ritus eandem fortunam cæteros ſubituros, ſignum receptui dedit. Quo ac
cepto illico vbique fuga non receptio Bohemorum fieri cepta eſt. Retulit
ſe pedem Bohemos ex induſtria non ex pauore, nedum fugam ſed ſeceſſi
onem rati, fugientibus primum non inſtant, conualle quadam inter Po
lonos & Bohemos, media, ſuſpicionem magis ſeceſsionis, quàm fugæ apud
Polonos augente. Poſtquam verò ambiguitate depulſa vera fuga compe
ta eſt, tùm Polonorum primi milites in tergis fugientium hærentes magnũ
numerum, eorum præſertim, qui equis deficientibus fugere non valebant,
occidendo, captiuãdoq; impleuerunt. Elapſus eſt & tunc hoſtis patriæ ſuæ
Zbigneus, naturalis frater Boleſlai Ducis fuga, qui ad interitũ occiſionemq;
Polonorum cum his qui eius temeritatem ſequebantur, laturus Bohemis
auxilium venerat. Dux quoq; Bohemiæ Wladiſlaus cum militibus ſuis atq;
Baronibus ex acie fugiens, fuga ſalutem acquiſiuit. Boleſlaus ea victoria
obtenta, ſauciatos ſecum vehens, Bohemiam repetijt, & maximis prædis,
ſpolijs & incendijs iterum iterumq; patratis, onuſtus præda ingenti, & lon
gum captiuorum ordinem de Bohemis ſecum trahens, humiliato ſuperbo
rum faſtu & ceruice, victor glorioſus iubilans Deo cum omni exercitu ſuo,
de præſtita ſibi victoria canticũ gratitudinis & lætitiæ in Poloniã cũ Sobie
ſlao Duce redijt. Tertio nonas Febru. Colomanus Pannoniorum Rex mo
ritur, & in Alba Regali honore conditus ſepelitur. Hic tantæ crudelitatis
perhibetur fuiſſe, vt Ducem & conſanguineum ſuum propinquum Almum
occidere machinatus, dùm effectus machinationis non reſpondiſſet, & Al
mus in Poloniam in exilium abijſſet, filium eius Belam de materno gremio
extractum, in infantuli ætate poſitum, ne filijs ſuis in ſucceſsionẽ Regni Vn
gariæ impedimentũ afferat, excecari iuſsit, vt ineptus & calamitoſus ad ſu
ſcipiendam Regalem coronam redderetur. Cui filius eius Stephanus, ge
ner Boleſlai Polonorũ Ducis filiam eius Iuditam, ex prima vxore genitã ha
bens conſortẽ, ſucceſsit in Regno, & à Strigoneñ Archiepiſcopo Laurentio
cæteriſq; Epiſcopis & Baronibus Regni Vngariæ coronatio eius apud Al
bam Regalem in Regem & Iuditæ conſortis eius, in Reginam profecta eſt.

ANNO

Epiſcopis & Baronibus Regni Vngariæ coronatio eius apud Albam Rega
lem in Regem & Iuditæ conſortis eius in Reginam perfecta eſt.

ANNO DOMINI 1115. Ad inferendum alterum Bohemiæ Duci
Wladiſlao bellum, Boleſlaus Polonorum Rex expeditionem militibus
indixerat, non prius quieturus, donec Sobieſlaus alter Dux Bohemiæ a
pud eum in Polonia exulans, in Ducatus Bohemiæ ſortem æquo iure ad
miſſus eſſet. Quod cùm Wladiſlaus Bohemiæ Dux agnouiſſet, neq; enim
eũ pluribus Bohemis in Polonia pro exulibus manentibus futuri belli Bo
hemiæ inferendi latere poterat apparatus, mittit ad Boleſlaum Polonorũ
Ducem Nuncios, offerens pacis æquas conditiones, & pollicens ſub illis
Sobieſlaum Fratrem ſuum, ad certam ſortem Ducatus Bohemici admiſſu
ri, petens poſtremo ſuorum Bohemorum, qui in prælio in ſilua habito ca
peti fuerant, manu miſsionem. Boleſlaus autem Polonorum Dux tractatu cũ
Sobieſlao Bohemiæ Duce, & his, qui partes ſuas ſequebantur Bohemis, iu
per hac re habito, pacem ſe reſpondit ſuſcepturum, & captiuos dimiſſurũ,
dummodo Sobieſlaum Ducem Bohemiæ certificatus fuerit, portionem ſui
patrimonij adepturum. Quod vt felicius proueniat, Nuncij alij à Boleſlao
in Bohemiã ad Wladiſlaum, qui pacem huiuſmodi ſub certis cõditionibus
componãt, mittuntur. Gratus fuit Wladiſlai Bohemorum Duci illorum
aduentus, honorificèq; illis habitis pacem cum illis compoſuit, portionẽ
que iuſtam Sobieſlao ſe daturum, omnibus odijs, iniurijs, damniſq; hinc in
de illatis, perpetua obliuione deletis, iuramento firmauit. Ad horum
conſũmationem, cum de die & loco inter Wladiſlaum Bohemiæ Ducem &
Nuncios Boleſlai Polonorum Ducis conueniſſet, pro die S. Procopij ad flu
men Niſſa, tàm Wladiſlaus Bohemiæ Dux, quàm Sobieſlaus cum Boleſlao
Polonorum Duce conueniunt, pacemq; ſtatuunt, firmant, & corporali in
terpoſito Sacramento roborant. Accepit tunc Sobieſlaus Bohemiæ Dux
pro ſorte ſibi debita Hrodecz Oppidum cum alijs quatuor Caſtellis, cum
eius Prouincia & diſtrictu in Bohemia, & Olomunceñ Prouinciam & ciui
tatem in Morauia. Reconciliationeq; mutua tunc ſolenniter celebrata &
peracta, captiuiſq; omnibus ſolutis, & donis inter ſe largitis, & exulibus re
ſtitutis cum magna animorum hilaritate in domos reditum eſt. Rata autẽ
& tenuis, & nonniſi ſub hybernali tempore ab armis interponebatur quies
a bellicoſo Duce, nec res vlla amplius ſibi voluptatis afferebat, quàm bel
lum, vt illum tantummodo ad Martis opera edenda diceres à natura pro
ductum. Ne autem poſt pacem cum Bohemis confectam marceſceret o
cio militum virtus, Boleſlaus Polonorum Dux hyeme huius anni, cum le
ui militum armatura Pruſiæ oram ingreſſus eſt, cùm propter lacus & pa
ludes, & loca limoſa in æſtate non tàm conuenienter potuiſſet adiri, & pri
ſco quidem effuſis populationibus diripi incendiq; iuſſerat Prutenorum
fines, deinde Regionem interiorem ingreſſus, Caſtris militem tenuit, di
micandum cum hoſte ratus, audierat enim Prutenos in armis eſſe. Dùm
autem vniuerſam Pruſsiam peragraſſet, & Pruteni in ſiluas, montes, Pa

ludes, locaq; inuia ſecedentes pugnandi copiam, quam Boleſlaus magnopere requirebat, non facerent, viderant enim ſe ad decertandum multò Boleſlai viribus inferiores, Boleſlaus mutata belli gerendi ratione, indenſionem vicorum & villarum, & agrorum populationem milites latius extendi. Cùmq; nec ſic poſſet barbaros elicere, ad pugnam, aut deditionem, iuſsit milites prædas non pecorum ſolùm ſed hominum præpuè agere. Cumq; milites dicto parentes maximum hominum de vtroſexu numerum coaceruaſſent, Boleſlaus cum ingenti hominum & pecorum præda, vniuerſis ferè Oppidis, vicis, & villis in Pruſsia concrematis, in Poloniam feliciter reuerſus, Prutenos tunc captos per colonias ad operandum terras diſtribuit, pluresq; villas ex Prutenis, quibus etiam ex nomine gentis appellatio tunc indita, in eã diem, manet, populauit.

Imperator Romanorũ Henricus V. ſumpto Diademate e- Italia diſcedens & proceſſu dierũ Belgas ingreſſus Reginaldũ Comitem in Caſtro Bara obſidione longa anguſtiatum in deditionem, Lotargiũ võ Saxoniæ Duce nudis pedibus coram eo procumbentem in gratiam ſuſcepit. Curia deinde Moguntiæ inſtituta Virginem Matildam Henrici Angliæ Regis ſibi matrimonio copulauit & Regio apparatu nuptias Moguntiæ celebrat.

ANNO DOMINI 1116. Succiſam vbiq; ſpem de recuperanda aliqua in Polonia ſorte, Zbigneus naturalis frater Boleſlai Polonorum Ducis via belli perpendens, cum omnis inuaſio ex Bohemia, in qua tunc degebat, & auxilium à Bohemis ferendum, in quibus reſidua ſua ſpes ſita erat per fœdus anno ſuperiori cum Wladiſlao Duce Bohemiæ ad Niſſam fluuium ictum ſibi noſſet interdictũ, Pomeranos quoq; audierat graui cæde à Boleſlao debellatos, cæteraſq; machinationes, & ſpes ſuas ad irritum videns recidiſſe, ſolam ſpem in clementia & propitiatione fratris ſui Boleſlai Polonorum Ducis relictam fore, Mittit in Poloniam Nuncios Boleſlao pro venia ſupplicaturos. Qui cùm dicendi poteſtate conceſſa verba facerent profunditate miſeriarũ, & extrema pauperie, quam Zbigneus, poſtquàm in exilium meritum delegatus erat incurrerat, quamq; annis pluribus non ſine ſui & Boleſlai Ducis grandi ſugillatione pertulerat, declarata ſupplici ter orabant, vt exilio ſuo finem imponeret, & eo in Poloniam reuocato aliquam portiunculam in Regno Poloniæ, ne pannoſus, inops, & exul, in externis regionibus delitefceret de mera gratia & pietate, largiri dignaretur, pollicentes Zbigneum de cætero in omni ſubiectione, fide, manſuetudine, & humilitate Boleſlao Polonorum Duci, velut Domino ſuo gratioſo ſeruiturum. Veritatem & efficaciam nunciorum verbis ineſſe Boleſlaus ratus, continuò ad miſericordiam flexit animum, pluribus quoq; periurijs, proditionibus, & tradimentis, quibus in eum & gratiam quàm grauiſsimè deliquerat, commemoratis, & coram nuncijs illius ex ordine recenſitis, etiã ſub ea vice, Conſiliarijs ne quicquã improbantibus & diſſuadentibus, ignoturum, & diſtrictum aliquem in poſſeſsionem dum-

modo

modo pœnitentiæ & humilitatis veræ reconciliationiſq; & probitatis integra ſigna de ſe monſtrauerit, largiturum. In hãc ſpem nuncij dimiſsi, Zbigneum de gratia & clementia Boleſlai Polonorum Ducis ſecurum in Poloniam reducunt. Qui ad conſpectum Boleſlai Ducis acceſſurus, ſiue naturali, ſiue maleuolorum acquieſcens & ſeductus conſilio, omnium eorum, quæ nuncij ſui eum facturum ſpoponderant oblitus, in faſtu & pompa, cũ ſuperbiaq; arroganti aula præcedente, modulãtibus & cãtãtibus, tubijs, organis, tympanis, cæteriq; generis muſicis pſallentibus, modulantibus, ac ſonantibus, gloriosè & magnificè ingreditur, vt prorſus declararet, non faſtu tam elatò, non de exilio, ſed de triumpho, non caſtigatum, ſed electum, non humiliatũ ſed ſtomachabũdum, non ſeruiturũ ſed regnaturum, non pariturũ ſed imperaturum, non precario ſed neceſſario in Poloniam rediſſe, & ſingulis proditionibus, atq; hoſtilitatibus, quibus aliâs Poloniam afflixerat, ferocius vſurum eſſe. Geſtus quoq; ſui illi noning ra- ſolùm atq; deliri, ſed & arrogantes cunctis videbantur. Incertumq; erat dignoſcere, an in ſe, an in patriam, an in fratrem ſceleratior extiterit, & extare debuerit in futurum. Boleſlaus autem Polonorum Dux etſi Zbignei ſuperbam arrogantiam prudenti diſsimulatione tegens, benignè illum excepiſſet, tractaſſet, illicò tamen animo premi dolore ſubeunte cepit vehementer, quod virum doloſum, & ſuæ vitæ atq; fortunæ inſidiatorem, cuius mores, ingenium vafrum, & hoſtile probè multiplici experientia doctus poſſet in gratiam aſſumpſiſſet. Exulceratum ſua ſponte Boleſlai animum contra Zbigneum fratrem Conſiliarij & Barones, quibus Zbignei reuocatio ſemper moleſta, acerba, & ſuſpecta erat, accendentes longo ſermone, nacta occaſione ex ſuo ſuperbo & arroganti ingreſſu, amplius exulcerati, & inflammati. En inquiunt, accepiſti fructũ credulitatis & clementiæ tuæ qua nobis abnuentibus, Zbigneum in Poloniam reuocaſti, quem potius debueras in vltima terrarum, velut omnium litium, diſsidiorum, proditionum, guerrarum, & tradimentorum ſatorem domeſticũ relegaſſe. Qui aſſuetus fraudibus, argutijs, mendacijs, artificio ſimulationis eruditus, veterem in te & nos ſuæ malignitatis morem, donec viuet, obſeruabit. Quieturum ne illum à flagitijs quibus hactenus nobilitatus eſt, & furorem quo rapinis, dolis, & omnibus exitijs publicis plurimos perturbauit, & mores ſuos atq; ingeniũ à natura illi traditũ depoſiturũ credis? qui nec pro eo tẽpore momento, quo ſe ſibi exulem humilitatis more offerre debuit, potuerat illud abdicaſſe. Qua ſpẽ illum ſub tua ditione, & imperio credis victurum? qui æqualem principatum non tulerit? Nonne eam indolem eum à iuuenta geſsiſſe? iam ſpe & ambitione vniuerſum Poloniæ Regnum complexum, vt in ſenectute te ſuperiorem & dominum laturus videatur? quid illum, dùm amplius temeritas ſua excreuerit, dùm omnium malignorum mentes & animos ſibi conciliauerit, facturum cenſes? Nempe in tuum tuorumq; natorum excidium omne ingeniũ ſuũ clandeſtinè poſtquam apertè non licet, vt ipſi ſoli Regni tui cedat ſucceſſio conuerſurum, & in tuam necẽ

cuiuſcunq; ſortis hominem, qui te veneno aut ferro ex rerum natura tollat, ampliſsimis promiſsionibus te occidente implendis ſubordinaturum, quod bello & aperta vi conſequi non poterat, licitacione conſecuturum. Neq; à nobis ſatis dici, & explicari poteſt, quantis illesceleribus, quantis exitijs mentem in tuum & patriæ excidium inquinatam grauidatamq; exhibeat. Peſtem itaq; iſtam, quam hic in te, & in nos omnes iam diu machinatur, ipſum retorquere, & non tàm pernicioſum fratrem, quàm acerbiſsimum hoſtem, furiam & facem luctuoſam, exitioſum prodigiũ, priuſquàm te, & nos ab eius fallacijs oppreſſum iri contingat, ob ſcellera plurima, & in te, & in patriam ab eo edita, opprime, vitamq; ſuam iuſtis ac debitis ſupplicijs eripe, & hominem bonorum omnium inimicum, hoſtem patriæ, latronem Poloniæ interfice, à ceruicibuſq; tuis atq; noſtris impendentem facem depelle, idq; celerius age, ne per fugam elapſus fiat infeſtior. Nec vt hoſtis modo tibi & nobis habendus eſt, ſed vt veneficus proditor geminato afficiendus ſupplicio, quandoquidem difficilius eſt cauere ab occulta, quam ab aperta peſte, & pernicioſius ſoleat comparare periculum vafer proditor, quàm hoſtis publicus. His Boleſlaus Polonorum Dux ſermonibus certatim incenſcatus & coargutus, à miſericordia in iram & indignationem verſus & procerum ſententia in dolorem accenſus, ira quoque extunc longius efferuescente Zbigneum quod diutius diſtulerat eo tempore necare ſuadentibus, aſſenſus eſt, & in mortem deſtinat non aliter ſe patriamq; ſecuram fore ratus, donec bellua tàm immanis & pernicioſa occidiſſet, inſanabile illius procœperto habens ingenium, vanum, callidum, à nouandis quoque rebus & exercenda perfidia nunquam ceſſaturum. Etſi nonnulli procerum Poloniæ viri religioſi & timorati ipſum deprecarentur, vt naturæ contemplatione leuaret conceptum indignationis furorem, fratriq; ignoſcens, ius naturæ pluris quàm vltionem eſtimaret, atq; neceſsitudini daret, quod debebatur dolori. Quidam exhorrendo ſcelus fratricidij conſulebant, vt in vltimas relegaretur regiones, ſuſcepturus alibi fatum ſuum. Milites itaq; quibus negotium mandauerat Boleslaus, capta loci & tẽporis opportunitate, Zbigneum aggreſsi, facinoribus, quibus Poloniam vexauerat, exprobratis, contentione ſuborta, Zbigneum, fidem & defenſionem Fratris Ducis Boleslai ne quicquam implorantem, interimunt. Sunt quidem qui illum non necatum, ſed exoculatum ſcribant, & perpetua caligine damnatum, abomnibuſq; deſertũ non poſt multos annos diem obijſſe. Boleſlaus poſt Zbignei interitum merore angebatur ingenti, quod fratris occiſione & vitæ & rebus à ſe geſtis crediderat, non mediocrem maculam, à ſe diutiùs vitatam iuſsiſſe, feliciorem ſe arbitratus, ſi illud facinus peroſus, mundas manus a fraterna cæde ſeruauiſſet. Itaq; parum conſentaneum videtur, parumq; ciuile & humanum Principem, alioquin magno animo præditum, tàm cetrũ & crudele in fratrem facinus accepiſſe.

Ad vndas fluuij Olſzei Vngariam & Morauiam diſterminantis dũ Stephanus Vngariæ Rex & Wladiſlaus Sobieſlaus Otto Bohemiæ Duces par-

ces, parte ab altera, ex compoſito pro reformandis quibuſdam diſsidijs inter ſubditos hinc inde exortis, & pace vtrinque firmanda conueniſſent, Sataneæ Suggeſtione, paucis tractatibus per nuncios habitis, vna pars alterius ſermoni ampuloſo non deferens, in aciem pugnatura armis correptis, tàm ſubito venit, quaſi non pro pace conſumanda, ſed pro certamine indicto illos crederes conueniſſe. Dùm autem ſtrage magna plurimi ab vtraque parte cecidiſſent, & Wladiſlaus Bohemiæ Dux ab Vngaris profligatus in Bohemiam refugiſſet, Sobieſlaus & Otto in altera parte pugnantes prælium reſtituunt, ac Vngaris victis, & in fugam verſis Caſtra eorum & ſpolia diripiunt. Stephanus Vngariæ Rex beneficio ſui Archiepiſcopi Strigonieñ Laurentij ſeruatus in Vngariam ſoſpes redijt.

ANNO DOMINI 1117. Victis Pomeranis & Prutenis Populis inter ipſos quoq; victores bellũ exortum eſt, Scarbimirus ſiquidem Cracouieñ Palatinus & militiæ Ducis Boleſlai Polonorum Princeps, quo ea tẽpeſtate inter Poloniæ Barones, genere, conſilio, ingenio, & manu nemo maior habebatur, duarum victoriarum, quarum ex Bohemis vnam in ſilua magna, alteram ex pomeranis ad Nakiel ſub auſpicijs tamen Boleſlai Polonorum Ducis retulerat inſolens factus cepit Domino ſuo Duci Boleſlao cõtumax & rebellis eſſe, clandeſtinis ſub murmurationibus illum ſugillando, gloriam ante actorum triumphorum ſibi vendicando, deducens ſe vno nõ exiſtente, victoriam de Bohemis Pomeranis & Prutenis prouenturam non eſſe. Poſtquam verò Scarbimirus Palatinus clandeſtina ſugillatione non contentus, Ducem Boleſlaum frequentibus probris carperet & aſpergeret, adeò atteſtatas inimicitias, cõtrouerſias, & odia, res perducta. Adeò quoq; Scarbimiri aſcenderat intumueratq; temeritas, vt in auctoritate ſua & amicorũ; fratrum, conſanguineorũ & horum quos beneficijs deuinxerat, aſsiſtentia, confiſus in apertam rebellionem & hoſtilitatem contra Boleſlaum Dominũ ſuum prodiret, aperta acie cum his, quos in ſui adiutorium adunauerat, cõtra Boleſlaum, ſi quid mouere vellet, dimicaturus. Boleſlaus autem communem perniciem deuitans, Scarbimirum Palatinum Cracouieñ iuſsit vinciri, & aliquantis diebus ſeruatum in carcere cæcari. Quo facto ſuper impendens, omnis procella, quam Scarbimirus factione ſua exercitaturus erat, illicò conquieuit, Magiſtratu inſuper videlicet Palatinatu Cracouieñ illum priuat, & pro crimine leſæ Maieſtatis Palatinatus titulum, qui prior fuerat, Caſtellanatui poſtpoſuit.

Quinta die Martij Menſis Maurus Cracouieñ Epiſcopus dùm annis ſeptem Eccleſiam Cracouieñ rexiſſet, moritur & in Eccleſia Crac. ſepelitur, Radoſz Polonum genere, à Paſchali Papa ſecundo ordinatum habuit ſuctorem. Hic Eccleſiæ Cœnobioq; Andreouieñ nondum fundato & dotato fabricato tamen in conſecratione Eccleſiæ per ipſum factæ contulit decimas manipulares menſæ ſuæ Cracouieñ in villis Mirouice, Przemieſlawice, Konari, Miechowo, & Węgielno.

Borzywoi Bohemiæ Dux à captiuitate quam apud Henricum Imperatorem annis octo pertulerat, ſolutus, fratrem Wladiſlaum natu minorem, Principatum Bohemiæ occupantem, & qui eius captiuitatem procurauerat plurimum terruit, ne eum Boleſlai Ducis Polonorum & fratris Sobieſlai, qui in Morauia Princeps erat, aſsiſtentia, & à Ducatu Bohemiæ excluderet, & in ſimilem quam ipſe ſibi texuerat, conditu ceretur ſeruitutem ſeu captiuitatem. Ad cõponendum itaque diſsidium inter eos Boleſlaus Polonorũ Dux, ab vtraq; parte arbiter electus, Bohemiæ Ducatu inter eos diuiſo ita vt Wladiſlao ora Aquilonaris verſus Albim ſita cederet, reliquam omnem ſortẽ Borzywoi Dux adminiſtraret, eos pacificat.

Wlodimir Ruſsiæ Dux qui germano ſuo Suantopelkone Duce Kiouien obeunte, ſedem Kiouieñ acceperat, ſuſpectum habens Iaroſlaum filium Suantopelkonis, Nepotem germanum, ne illum ex ſede Kiouieñ expelleret, opprimere illum quamprimum ſtatuit. Et Dauid Waſilkone, Roſtiſlao Wolodorowicz, filijs quoque Oiech armorum auxilia ſibi præſtantibus, vadit contra Iaroſlaum, & in Caſtro Wlodimirieñ, neq; enim cum tot Ducibus tutum putabat decernere, ſe continentem, obſidet. Iaroſlaus autem cùm nihil ſibi conſcius eſſet ex Caſtro ad Ducem Wlodimirum, exteroſq; Ruſsiæ Duces veniens inermis, verbis pacificis & modeſtis Wladimirum ſibi aſſentatorum falſa ſuggeſtione infenſum, placat & reconciliat. Qui continuo obſidionẽ ſoluens, in Kiow reuerſus eſt. Iaroſlao tamen pluribus ſermonibus prius obruto & obiurgato.

ANNO Domini 1118. Parantem in Pomeranos Boleſlaum Ducem Polonorum expeditionem, iam ſiquidẽ intellexerat Suantopelkone Duce in cuius fidem Nakiel Caſtrum cum ſex Oppidis & munitionibus commiſerat, ad vacillationem temerato, quòd ſibi præſtiterat iuramento contra uenire, imbres & pluuiæ tenuere, dùm enim veris tempore cepiſſent, ne nec in æſtate remittebant; continuaq; pluitione & deſcenſu, non ſolùm Poloniæ Regnum, ſed & vicina Regna, atq; prouincias quamplurimis vexarunt incommodis, & inundatio ſine exẽplo in vniuerſa terra, ex aſsiduis tempeſtatibus ſequuta, & agros ſeri, & ſata meti in pleriſq; locis prohibuit. Ea tamen loca huiuſmodi inundatione, quæ fluuij maiores circumfluunt, aquis vltra ſolitũ inflatis, & ripas egredientibus fuerẽ oppreſſa & afflicta. Eodem inſuper anno poſt ſolis occaſum cælum totum in tantam rubedinẽ verſum eſt, & velut ignis vel flamma tribus horis colluceret. Quæ res in prodigium & admirationem apud multos verſa, magnum aliquem effectũ productura, tunc inſinuaſſe credita eſt. Nec multò poſt tanti imbres, deſcẽderunt in terrã tantæ coortæ ſunt pluuiæ & tẽpeſtates, tãta deniq; creuit fluuiorũ inundatio, vt alterũ cataclyſmũ aliqui pertimeſcerent prouenturũ.

Martinus Primus Metropolitanus Eccleſiæ Polonicæ Gneſneñ. Põtifex, dùm Annos ſex & viginti ſediſſet, moritur & in Eccleſia Gneſneñ tumulatur. In eius locum Iacobus primus ex Oppido Zwiniacz parentibus conſularibus ortus, per Calixtum Papam ſecundum ſuffectus eſt Kioui-

Dux

Dux Wladimirus maioribus ſuggeſtionibus inuidorum, ira graui contra Nepotem ſuum Iaroſlaum Wladimirieñ Ducem, quaſi illi mortem & exſulſionem de Sede Kiouieñ machinantem, concepta, eum ad ſe in Kiow ueris & Nuncijs accerſit. Qui non aliter ſe venturum denunciat niſi iuramento Wlodimirus firmet, nil ſe hoſtile illi illaturum. Et quamuis Wlodimirus huiuſmodi ſuſpenſionem de ſede Kiouieñ pro maiori ſecuritate Iaroſlai feciſſet, Iaroſlaus tamẽ Cõſiliarijs & militibus Wlodimiri Kiouieñ Ducis, de periculo & laqueo, qui illi imminebat, vere ne, an ſub dolo incertũ eſt, venire in Kiow negauit. Deinde falſo & vafro ſuorum militum eductus & perſuaſus conſilio, cum vxore, filijs & omni ſuppellectili Caſtro Wladimirieñ militibus commendato, in Poloniã ad Boleſlaum Polonorum Ducẽ ſororis ſuæ olim Zbiſlauæ maritum confugit, A quo benignè & humaniter exceptus quadriennio illic manſit, Boleſlao Polonorũ Duce ſingula ſibi ſubminiſtrante neceſſaria. Infra id autem tempus Caſtrum Wladimirieñ Wlodimiro Kiouieñ Duci per milites Iaroſlai deditum eſt. Verentibus autẽ Rutenis ne eo Poloni potirentur, ad principandum illic filium ſuum Romanum tranſmittit, quo 14 die Ianuarij mortuo, alterum filium Andream, Wladimirus Dux Kiouieñ ad regendũ in Wladimiriã ſurrogauit.

Imperator Henricus in Italiam reuerſus abſente Pontifice Paſchali ingreditur Romam, ibiq; concedente populo & aduerſantibus Primoribus cum ritè coronari non obtineret, Mauritium ſuæ partis Archiepiſcopum ſuocauit, & ab eo ſibi coronam imponi iuſsit.

ANNO Domini 1119. Dilatam anno ſuperiori in Pomeranos expeditionem Boleſlaus Polonorum Dux, non obſtante, quòd eo etiam anno tempeſtate inquieta ventorum vis fortiſsima multa diſrumpens & comminuens ædificia flare cæpiſſet, continuaturus, militiam ſuam armari iubet, & copijs conuenientibus in Pomeraniam exercitum deducens, quicquid vel reparatum, vel relictum fuerit, iubet demoliri, & incendi. Congerunt itaque Pomerani & Pruteni validum exercitum, & vniuerſa iuuentute armata, coactis etiam agreſtibus Boleſlao occurrunt fortunam tentaturi, nec Boleſlaus, decertandi auidus, diſtulit pugnam, ſed quamprimùm Pomeranorum & Prutenorum acies apparuerunt, ſigna canere, & acies ſuas ex aduerſo procedere iuſsit. Et cùm ex vtraq; parte magna vi, magnoq; animo acies conueniſſent, æquo marte aliquanto tempore pugnatum eſt. Poloni pectus iræ plenum habentes ferociam ſingularem in certando deprompſerunt. Verùm dùm Pomeranorum primis victis ad iuuentutem deuentũ eſſet, acies illicò Pomeranorum inclinari cæpit. Quod vbi Boleſlaus aduertit, nouam militum cohortem, in perculſos induxit, frequentioriq; pugna Pomerani conturbatis ordinibus contriti, in fugam verſi ſunt. Capi autem non cædi fugientes, & parci iuuentuti & agreſtibus, vt eſſent, qui terram incolerent, Boleſlao mandante plures numero capti, & ad Boleſlaum reducti, clementiam ſuam experti ſunt, plures ſiquidem dimitti etiam veſtitos iuſsit. Eo prælio Pomerani & Pruteni, velut fatali, & extremo victi, quod

ti, quod ingentem luctum simul & pauorem apud eos concitauerat, quippè in eo quod floris, quod roboris in restante iuuentute erat, amiserant, re in gratiam Boleslai Ducis Polonorum dediderunt, nec ausi sunt vltra calcaneum suæ rebellionis contra Boleslaum mouere, ex eo quoq; tempore Dux vsq; ad vitæ suæ tempora vtramq; terram Pomeranicam videlicet & Prutenicam possedit. Gente Pomeranica & Prutenica Boleslaus Polonorum Dux debellata, subacta, & in deditionem accepta versus Nakiel ad Suantopelkonem opprimendum, qui famosus, & inter suos ob temeritatem & flagitia notior, Boleslao insuper Duci, & Polonorum Proceribus magis inuisus habebatur, quod Pomeranos aduersus Boleslaum arma moturos incenderat, contendit. Nakiel quoq; Castrum & Oppidum obsidione cingens, etiam Suantopelkonem in eo inclaudit. A festo autem natiuitatis S. Mariæ vsq; ad festum Natalis Domini, niue, frigore, & pruina crebro militem affligente, obsidionem ipsam produxerat. Nec sub tanto tempore Nakiel, quamuis Boleslaus & miles suus plurimum adniteretur, poterat, resistente Suantopelkone cum suis expugnari. Clade enim Pomeranorum & Prutenorum audita, & rebellionis, temeritatisq; iurisiurandi in Boleslaum conscius, viris, armis, & commeatibus in annum & amplius suffecturis, peroptimè arcem & ciuitatem communiuerat. Nec ea sibi singula quietem securitatemq; præstabant quin nocturnis diurnisq; meditationibus & angoribus vexaretur, ne aliquo casu Vrbs, & arx in potestatem Boleslai recideret, & ipse supplicio capitali pro fraude & perfidia in Dominum & benefactorem suum admissa, meritò mulctaretur. Quod euitaturus frequentibus nuncijs fatigabat Boleslaum, vt sui misertus, gratiam illi & veniam concedere dignaretur offerens de cætero sinceriori fide maleficium suum compensare, data, quam Boleslaus imperaret, pecunia datis itidem & obsidibus. Abnuebat primum & iterum, iterumq; Boleslaus Poloniæ Dux Suantopelkonis preces, neq; ei miserationem dignum impendi respondebat, qui semetipsum ea indignum affecisset, cum quod proditorem & fide fragum frangi & lacerari, tùm quod sagitta ipse de Oppido vulneratus, vltum iri vulnus suum æstuabat. Dùm verò spes expugnandæ vrbis & arcis effectus non responderet, cùm & mænia munitionesq; egregiè defensa essent, & machinas, bombardasq; illuc conducere, tempore præsertim hyemali terra ex resolutione, in locis præsertim paludinosis limosis & lubricis dehiscente, oneroſum & parum vtile videretur, milites insuper non solùm æstiuo tempore, sed & hiberno se in bella trahi, & multorum dispendiorum perferre iacturam quererentur, etenim cum multis in ea ipsa obsidione vrgerentur incommodis, nulla tamen res æquè, vt vigiliæ sub die & noctibus hyemalibus, & protensis actæ conficiebant. Precibus itaq; Suantopelkonis assiduis, fidem & correctionem afferentibus, Boleslaus Polonorum Dux expugnatus, magis tamen querella militum suorum militium pro eo tempore detractantium fractus, veniam Suantopelkoni pecunia, qua illum pro scelere perfidiæ mulctauerat,

& filio

& filio suo pro obside in pignus conseruandorum promissorum pro prius receptis concedit, & obsidionem soluit.

Cùm Romanam Sedem annis decem & octo, mensibus, quinque, & diebus Decem, Paschalis Papa Secundus rexisset Romæ moritur, & in Ecclesia Lateraneñ sepelitur, Qui etiam Albertum Arnolphum & Theodoricum, qui Papatus dignitatem diuersis temporibus vsurpare nitebantur, Et qui postea mala interierunt morte, habuit hostes, & in Papatu competitores. Et in eius locum Ioannes Cardinalis de Gaieta natione Campanus per electionem Cardinalium est substitutus, & Gelasius Secundus vocatus. Qui dùm Imperatoris Henrici persecutionem formidaret (conabatur enim sua electione, cùm tunc in Italia agebat, quòd obsq; suo scitu & cõsensu peracta esset irritafacta, alium sufficere) in Gaietã se contulit. Quo Henricus Imperator audito maiore furore actus, Hilpanum quendam Burdinum nomine in Papam assumit, & eum Gregorium, cæteris eum Antipapam vocitantibus, appellat. Quod intelligens Gelasius in Gaieto trans mare cum Collegio Cardinalium fugit in Franciam, venienſq; in Cluniaceñ Monasterium illic infirmatur, & moritur, in eodemq; Monasterio sepelitur, dùm anno tantũmodo vno, & diebus quinq; sedisset.

ANNO DOMINI 1120. Suantopelkone Pomeraniæ Duce & Nakleñ præfecto pacta violante, quæ se seruaturum iureiurando, & filio in obsidem Boleslao Polonorum Duci dato, astrinxerat, Boleslaus perfidia sua & tot periurijs motus, ea ætate exercitum iterum in Pomeraniam deduxit perfidiam Suantopelkonis vlturus. Verùm quia intelligebat hostem paruas vires habere, & Pomerano s debellatos, & sub sua iam ditione consistẽtes illũ non adiuturos, lustrato exercitu, & infirmis, pannosis, & tenuibus in domos, remissis, cum expedita tantũmodo militum veteranorũ, & exercitatorũ manu fortalicia, munitiones, & Oppida quæ à Suãtopelkone tenebãtur aggressus expugnare contendit. Et primum quidem ad Oppidũ & munitionem Wissegrad perueniens, & diebus 16. in eius expugnatione moratus, illud vario genere tormentorum, Machinarum, & missilium, peruincens capit, & in suam redigens ditionẽ octo diebus illic, dando quietem militi circa oppugnationem continuam fesso statiua habuit. Præsidio deinde militum frequenti Wissegrado imposito, ad alia rursum Oppida, Castra, & munitiones itum est, & Nakiel Castrum & Oppidum, cuius anno transacto expugnatio non poterat expugnari, obsideri ceptum. Dùm autem prima luce mænia corona cingere aggressus esset, credens pauore animos Oppidanorum & Castellanorum concutiendos, dedituros se esse. Constãtius tamen quã illos Boleslaus facturos destinauerat, viris mænia defendẽtibus, fœminis omnis generis telã, picem feruentem, aquam bullientem, & saxa afferentibus, frustra deditio tentata est. In pluribus itaq; locis admotæ bõbardæ, muros & structuras quatiebãt, nec à Naklensibus quicquã quo aut opera aut hostis arceri posset, prætermissũ est, aut enim prodirutis noua reficiebant munimenta, aut eruptionibus subitis, in opera hostium, st-

tiones

tiones decurrebant. Turres deinde altitudinẽ mæniorum excedentes, Boleslaus extructas propè muros, fossis primùm terra ligniſq; completis admouit, hostes magna sagittarum missione ex illis afficiens, & ne in mænijs consistere possent, submouens, Castrum & vrbem se capturum prætendebat, Castellani verò & Oppidani Suantopelkone, qui intus aderant, eos adhortante, ne viui in manus Boleslai venirent, ad dispellendum imminens periculum, congeriem lignorum pinaticorum & ardorum ad turres comportant, proiectioneq́ue frequenti lardi, picis, butiri, & aliæ materiæ, qua solet ignis foueri, ignem subijciunt. Actic Polonis ne quicquam incendium satagentibus depellere, materia pingui conatus Polonorum peruincente, turres consumuntur. Nouis in contiguratorum turrium locum Boleslai sollicitudine & opera illicò surrogatis, dùm eodem animo, & adnisu eadem quoq; prouidentia & arte à Pomeranis simili ingenio fuissent succensæ, & exultæ, tertiæ rursum eadem celeritate, qua & Primæ, secundæq; à Boleslao surriguntur. Illis quoq; per Pomeranos igne depastis, quartæ rursum tàm propinqua locatione mænijs admotæ sunt, vt manuale personaleq; inter obsessos & obsidẽtes fieret certamen. Atrox quoq; pugna sepiùs coorta Pomeranis ignes injicientibus, Polonis prohibentibus turrium conflagrationem, in maiorem diei partem producta vtrarumq; partium studio accensa feruebat, per quam non parua strages aut vulneratio quotidie in Polonis, maior tamen in Pomeranis edebatur, tàmq; obstinatæ à Pomeranis resistentia opposita est, vt plus in destris, quàm in mænijs spei esse facile appareret. Pax deinde à Boleslao, vt obsessis liceret abire incolumibus petita est, quam dùm petentibus abnuisset, treugæ in dies aliquot magna instantia deposcebantur, sed cùm hasquoq; Boleslaus maiori renitentia denegasset, Pomeranisq; iam vires, iam tela, iam victualia, iam ante omnia animus ex Boleslai cõstantia deficeret, in desperationem animis omnium spectantibus, rursum nuncijs ad Boleslaum missis, vt saltem vitam illis donare dignaretur. Precibus eorum Boleslao acquiescente deditionem faciunt. Suantopelkus verò viuus in Boleslai manus traditus perpetua captiuitate est damnatus, Nakiel Oppidum captum, Cætera Oppida & munitiones spontaneam fecerẽ deditionem. Sanctumq; ab eo tempore est, non Castra, non Oppida, non munitiones, aut Castella Suantopelkoni, aut filijs ipsius velut hominibus dolosis, & fluxæ ambiguæq; fidei committenda. Ex eo autem tempore in Boleslaum Ducẽ Polonorum milites propensiori incitati sunt amore, quòd viderant illum nullum formidare discrimen, nullũ laborẽ, sed nec bellorum genere fatigari, consequutum, præterea esse patientiam in re qualibet administranda, industriam in prouidendo, celeritatem inconficiendo.

Exiguo tẽpore inter Borzywoi ab vna & Wladislaũ Bohemiæ Ducẽ germanos, partibus ab altera, qui Ducatus Bohemiæ regimen inter se, circa tẽ Borzywoi, velut natu maiorẽ Principatu remanẽte, partiti erãt, cõcordi vigente, rursus cùm ad priores cõtẽtiones, lites & dissensiones Bohemis

dia alterius

dia alterius in alterũ, assentatione aut suggestione suggerentibus, res redisset, Borzywoi de fratris sui Wladislai ira feruida iam certus, veritus ne in se grauius aliquid improbitate suggerentium per fratrem consuli contingeret, Bohemia deserta, in vetus suũ hospitiũ Poloniã ad Ducẽ Boleslaũ cõcessit. Cũq; illic aliquãto tẽpore moratus, & à Boleslao comiter habitus fuisset, in Vngariam deducendi tẽporis causa transuectus, illic diem obijt.

Gelasio Papa cùm tantummodo vno anno & Quinque diebus sedisset in Cluniaco mortuo, Cardinalium vniformi electione in Cluniaco celebrata. Guido natione Burgundus, Comitis Burgundiæ filius, & Archiepiscopus Vienẽn, Calixtus Secundus vocatus, in Papam assumptus est. Qui ex Cluniaco Romam cum fauore omnium pergẽs Burdinum pro Papa se gerentem in sutrio conclusum capit. Quem super mula auersa ad caudam facie impositum, caudamq; mulæ pro freno tenentem Romam deductum, & in turrim coniectum, in squalido carcere mori fecit. Hic cùm Vir animosus & ciuilis esset, & vniuersis propter suam affabilitatem charus, Imperatorem Henricum in Inuestituras Episcoporum se ingerentem, anatemate nouo percellit. Quem cùm videret Henricus Imperator, & propter amicorum & populi fauorem vinci non posse, inuestituris Episcoporum perpetuò renunciaturus, apud Wormaciam concilium frequens germaniæ Principum indicit. Et veritus propter anatema Imperium à se deficere, iam enim senserat plerosq; Principes aduersus se coniurasse, patris metuens exemplum, inuestiturarum Episcoporũ legato sedis Apostolicæ Lamberto, qui postmodum in Papam suffectus, Honorius dicebatur, exigente resignauit, per eumq; anatematis vinculo solutus est.

Ziroslaus Wratislauien Episcopus soluens naturæ debitum Wratislauiæ moritur, & in ecclesia Wratislauien sepelitur, cùm annis Octo & viginti Ecclesiam Wratislauien prouidè & modestè rexisset, in eius locum per Calixtum Secundum Heymo alias Imislaus natione Polonus de domo Leszczytarum alias Aceruorum succesit, Duce Polonorum Boleslao eius personam per nuntios & literas, velut vnico patrono promouente.

Apud Zninã Ordo Præmõstrateñ cepit, cuius fundator Nortberius Vir Dei de partibus Lotaringiæ oriũdus, genere ac nobilitate clarus, primarius pater atq; fundator extitit, qui in breui tẽpore magna religione fulgẽs, multos habuit ex viris illustribus fundatores, qui progressu tẽporis dùm magnoperè germinasset, tandẽ nostris tẽporibus videmus illũ, & præcipuè in Regno Poloniæ in magnã ariditatem corruisse. Hoc etiam tẽpore ordo D. Iohannis Baptistæ Hierosolymitani inchoatur à venerabili viro Raimundo, operibus misericordiæ dedito, & in breui tempore multum creuit.

ANNO Domini 1121. Annos nubiles Cristina filia Henrici Imperatoris Quinti dùm impleuisset. Quam Boleslaus Polonorum Dux filio suo Bolesto maiori primi Matrimonij Wladislao desponsauerat, quamq; in Poloniam ex Almania deuectam, decennio iam exacto nutrierat, eo tempore Boleslaus Poloniæ Dux diem designans nuptiarum, Stephanum Vngariæ Re-

gem generum suum cum Baronibus Vngariæ ac Primoribus Iaroslaum Ducem Wladimirien̄ Socerum suum, Item alios Principes Russiæ, suiq; Regni Poloniæ Prælatos Barones & Proceres ad huiusmodi nuptiarum solennitatem, nuncijs & literis inuitat. Quibus in frequenti numero Crac. conuenientibus, munificentiam, potentiam & gloriam suam Boleslaus ostensurus, in dies plures protraxit conuiuium, & singulos inuitatos necessarijs omnibus abundè tractauit, singulis etiam dona mittentibus digna remisit. Ludos plures hastarum præcipuè & gladiorum, ad lætificandum & honorandum conuiuas præmio victori proposito instituit & cum magna omnium hilaritate & comitate solennitatem huiusmodi consumauit. Præfata autem Ducissa Christina ex fastu & superbia communionem singulorum Polonorum aspernabatur, à mensa quoq; & conuictu illos abijciens. Teutonicorũ obsequijs ad singula quæq; officia vtebatur, asserés Polonos olidos esse & in conspectu suo fetere, nec habitum amictus eorum, fere posse. Sacerdotes insuper Polonicos non secus quàm seculares pertesa, nullo honore illos dignans, nullam illis reuerentiã exhibebat.

Mẽsibus tribus cõtinuis Martio videlicet, Aprili, & Maio, validissima siccitas & æstus terrarum presit, propter quam non æstiuales solùm, sed & hyemales segetes extenuatæ & arefactæ annum illum effecerunt, apud Polonos annonæ, caritate, pressum, & sterilem, vicinæ quoq; Prouinciæ & Regiones eandem siccitatem & sterilitatem expertæ, fame & inedia aliquanto tempore præmebantur.

ANNO DOMINI 1122. Nuptiarum primæui filij Wladislai solennitate transacta non inferior alia solennitas, cumulatura, vel potiùs renouatura gaudia sequuta est. Ducissa enim Atleida consors Boleslai Polonorum Ducis filia Imperatoris Henrici Quarti, & soror Quinti Sterilitate, quam decennio pertulerat, in fæcunditatem commutata filium feria quarta ante festum Assumptionis B. V. Mariæ produxit, de cuius natiuitate miro modo pater Dux Boleslaus exultans, in Crac. Vrbem pluribus Prælatis & Baronibus conuocatis, solennitatem Baptismi, magno sumptu, magnaq; pompa exegit, & infante per Radoltonem Episcopum Crac. in Ecclesia Cracouien̄ sub frequentia multorum Procerum & plebis baptisato nomen suum & auitum cooptans Casimiri nomen imposuit.

Terminos Polonorũ Wolodor Duce Præmillien̄ ex Castro Przemisl crebro infestante, prædamq; agente. Boleslaus Polonorum Dux missis ad Wladimirũ, & alios Duces Russiæ Nuncijs, de iniurijs, quæ Regno Poloniæ per Wolodor inferebãtur, apud eos quærebatur, sed videns suarũ iniuriarũ grauamina à Russiæ Ducibus dissimulatũ iri, mãdat militibus & præfectis suis, vt iniurias suas amplius inultas esse non sinant, Wolodoro itaq; Polonorum fines spolianti, milites, quibus id à Boleslao Polonorum Duce munus mãdatum fuerat, occurrunt, & prælio inito insignioribus militibus suis occisis, vincunt, prædam quam ex Polonia tulerat, eripiunt, fugientem etiam

persecuti in loco, qui Wyssokie appellatur, comprehendunt, & captiuum Cracouiã ad Boleslaum Polonorum Ducem perducunt, vbi vincula aliquanto tempore sustinuit. Processu autem temporis nuncij Wasilkonis Przemisliẽ Ducis, Cracouiam aduenium, & cum Boleslao Polonorum Duce qui pro liberatione Wolodori 80 millia marcarum argenti petebat de soluendo Wolodoro agentes de viginti millibus marcarum argenti pro solutione Wolodori dandis conueniunt, datisq; tunc duodecim millibus argẽde soluendo residuo Iaroslai filium obsidem ponunt. Postea verò quinquaginta vasis argentis, Scutellis videlicet, picarijs & ciphis de opere Græco Latis, plenam solutionẽ impendunt. Wolodor itaq; solutus Boleslao Polonorum Duci reconciliatur, & tàm cum illo, quàm Colomano Regis Vngariæ fratre fœdere icto, & iureiurando firmato Wolodor reuertitur Przemisliam 22. die Mensis Iulij.

ANNO DOMINI 1123. Grandis commotio in Bohémia inter germanos Wladislaum & Sobieslaum Duces cohorta, grandem dimicationis procellam inter vtrumq; exciuit. Dùm siquidem Sobieslaus Morauiam obtinens Wladislao Bohemiam obtinenti subesse detrectaret, Wladislaum insuper multis probris & querellis, propter alium fratrem Borzywoi in exilium actum, & in exilio iam tunc senescentem, sugillaret, carperetq;, in apertam hostilitatem inter illos creuit commotio æmulationis. Ad arma quoq; ab vtroq; concursum est, infestisq; signis, velut inter hostes seuissimos, non sine interitu multarum personarum est dimicatum, victumq; Sobieslaum, & fuga elapsum Morauiæ exuit possessione, & Morauiam inter Lentoldum quondam filium Conradi senioris & primogeniti fratris olim Wratislai Primi Regis Bohemiæ, & Ottonem atq; Suantopelkonem filios Ottonis fratris prædicti Wratislai, Consorte etiam Sobieslai fratris in maius odium & punitionem inde electa, diuisit. Sobieslaus autem acie à Wladislaõ victus in Almaniam ad Imperatorem Henricum Quintum auxilio suo cladem acceptam reparaturus confugit. Verùm cum preces suas crebro ad Imperatorem fusas aspernatum iri aduertisset, se insuper in fauorem Wladislai fratris, & hostis sui capi, & ab Imperatore detineri pertimescente, Almania deserta in Poloniam cum suis omnibus ad Boleslaum Polonorum Ducem diuertit. Qui calamitosum & profugum Ducem recolligens, & singulis rebus necessarijs, quæ illi & suis deesse videbantur, munificè reficiens, collapsum erexit, & diffidẽtẽ, vacillantemq; de auxilio sibi ferendo repromisso confirmauit, pessima vicissitudine hæc, & tanta Boleslai Poloniæ Ducis sibi & fratris sui Borzywoi in necessitatis articulo præstita beneficia, vt in sequentibus narrabimus, pensaturum. Coniunx verò Sobieslai Almusa nomine à Wladislao Duce Bohemiæ electa, cùm esset Stephani Regis Vngariæ consanguinea, in Vngariam se conferens, illic omne tempus exilij egit.

Affinem suum Iaroslaum Wladimirien̄sem DVCEM quadriennio propè in Polonia commoratum, Boleslaus Polonorum Dux ad

Principatus suos, & Dominia restituturus, exercitu ex Polonorum militibus comparato, in Ruſsiam ire pergit. Cui circa Præmiſliam ſtatiua agéti, Colomanus Vngariæ Regis Frater, & ipſe Iaroſlao exuli contra Wladimirum Kiouieñ Ducem auxilia laturus, cum notabili Vngarorum exercitu aduenit. Duces inſuper Ruſsiæ Wolodor & Waſilko Præmisslieñ, item Wlodimir Wlodorowicz Iaroſlai partibus ſuffragantes, Colomano Vngarorum & Boleſlao Polonorum Ducibus, ſe adiungunt cum ſuis copijs. Dicitur autem Iaroſlao Wladimirieñ Duci ex Polonis & Vngaris ſeptem equeſtrium millia, cum quibus exercitum Colomani & Boleſlai quadrigis & impedimentis grauem anteibat. Vallata autem ſunt ab exercitu præfato Belz, Czerwien, Wladimiria, & alia Caſtra Iaroſlao per Wlodimirũ Kiouieñ Ducem ablata, quæ paucis diebus obſidione parum pertollerata Iaroſlao reduntur. Quibus in poteſtatem ſuam redactis ad Metropolim Rutenorum Kiow ad opprimendum Wladimirum omnes copiæ traductæ ſunt. Iaroſlaus autem Wladimirieñ Dux, dùm iuxta morem Colomanum ad Boleſlaum cum militibus ſibi adiunctis diebus aliquot in Kioujam præceſsiſſet, cum pedeſtribus ex Kiow contra eum eggreſsis pugnam committit. Quos deuincens, vſq; ad portam, quæ Polonica appellatur, illos perſequendo ſternit, capit, & obtruncat. Nouis autem peditibus in eorum, qui ceciderant, ſupplementum, in maiori quantitate occurrentibus, inſtauratur pugna, & pluribus Polonorum & Vngarorum militibus, qui Iaroſlaum comitabantur à cohorte peditum Kiouieñ occiſis, equus etiam Iaroſlai Ducis multis telis conficitur, quorum acerbitatem non ferens, Iaroſlaum Ducem ſeſſorem ſuum deiecit, in terram. Rutenis autem capere illum, Polonis verò Vngaris de periculo eripere ſatagentibus, dirum certamen feruebat, inter vtroſq;, præualentibus tùm Polonis & Vngaris, Kiouieñ in Caſtrum refugere, pugna relicta, coacti ſunt. Iaroſlaus verò Dux in pugna huiuſmodi aliquot vulneribus confoſus, paucis poſt diebus moritur, Colomanus tamen Vngariæ, & Boleſlaus Poloniæ Duces ceptam obſidionem Caſtri Kiouieñ continuant. Verùm Andreas Kiouieñ Caſtri præfectus à Wladimiro, qui in illo conſiſtere non auſus ante aduentum Colomani & Boleſlai ex Caſtro egreſſus erat, pacem ſupplex à Colomano & Boleſlao petere cepit. Quæ Wlodoro & Waſilkone Præmiſlieñ Ducibus ſuffragantibus illi à Colomano & Boleſlao minus cunctanter, dùm Iaroſlaus Dux gratia cuius id bellum aſſumpſerat, extinctus eſſet, conceſſa eſt. Icto autẽ fœdere inter Colomanum Vngariæ, & Boleſlaum Poloniæ Duces ab vnâ, & Wlodorem & Waſilkonem, & cæteros Ruſsiæ Duces partibus ab alterâ, pollicentibus, in qualibet neceſsitate ſibi inuicem auxiliaturos, Colomanus in Vngariam, Boleſlaus in Poloniam redijt. Tartari circa hæc tempora permiſsione diuina monte exiſſe putabantur, in quo clauſi fuerant per diuturnum tempus in magna miſeria & fame, genus vile & rapax.

ANNO DOMINI 1124. Triennio integro iam ex magna parte exacto, hoſtibus vndiq; in circuitu laceſsitis, vel ſubactis, dùm eram quillæ

quillæ res apud Polonos eſſent, Boleſlaus Polonorum Dux, qui in tractãdis bellis & armis omnia ſtudia ſua, voluptatem & ingeniũ conuerterat, marceſcere diſfluereq;, ſe & milites ſuos ocio turpè, & inglorioſum repudians, flore totius militiæ ſuæ collecto, nauibuſq; apud Gdañsk, cæteraſq; maritimæ oræ ciuitates, frequenti numero præparatis, impoſito in Daniam traijcit proſperoq; vento, & proſpera fortuna vſus cum omni claſſe integer & in columis in Daniam peruenit, ſuæ autem in Daniam traiectionis cauſa ambitio inuadendi Regni alieni, non prædæ rapiendæ, non opprimẽdi quenquam, ſed iuſta & neceſſaria cauſa cenſebatur. Dùm ſiquidem Boleſlaus Polonorum Dux, non apud vicinas ſolùm, ſed etiam remotius ſitorrectas gentes, & nationes cùm fama bellica, tùm naturali in cunctos, & exteros tamen præcipuè comitate, beneuolentia, dexteritate, & largitione celebris haberetur, multiq; milites ex oris longinquis cauſa conſequendæ gloriæ, & diſciplinæ militaris ad eum confluerent, inter alios adoleſcens inſignis ex Dania & cunctis Danos ea tempeſtate, forma, diuitijs, nobilitate, & ingenio præſtans, quamuis patri, qui & ipſe inter Barones & Proceres Daniæ, Primus potior omnium Regni Daniæ negotiorum moderator, arbiter, & director habebatur, vnicus & charus eſſet. Petrus nomine in Poloniam aduenerat. Et cum à Rege ſuo Daniæ comẽdationis ſuæ epiſtolas ad Boleſlaum Polonorum Ducem, quibus eum in familiarem recipi petebat, attuliſſet, & intercedentis reſpectu, & ſui meritò à Bolaſlao fauore propenſiori exceptus, moribus ingenuis, actionibuſq; à luxu & leuitate abhorentibus, magis re, quàm verbis facilius ſe quam quis poſſet Boleſlao inſinuauit, breuiq; effecit, vt pro robore corporis, & ſtrenuitate in armis ſæpè oſtenſa, & pro virtute ingenij ſupra ætatem frequentiùs deprompta, pro morum placida & benigna conuerſatione in ſingulos demonſtrata, non ipſi ſolùm Boleſlao Duci & ſuis aulicis, & his, cum quibus vnâ militabat, ſed vniuerſis Baronibus Poloniæ, & fatrapis, omni liuore, quod raro in homine præſertim a iuuena, & Aulico cõtigit, circumſcripto, charus & gratus habebatur. Adeò autem in addiſcendo idiomate Polonico operam dedit, adeò ſe morigerum & tractabilem, cùm res expoſceret præbuit, adeò Rempublicã Polonorum ſibi cordi fore, cùm quid arduum agendum eſſet, monſtrauit, vt non ex Dania ortus, ſed in medio Poloniæ genitus credi poſſet. Obligare eum amplius Boleſlaus Polonorum Dux ſibi, Regnoque ſuo & vt patria ſua obliterata perpetuum deinceps in Polonia ageret incolatum, ſatagens, multis illi Caſtris, Oppidis, vicis, villis, & poſſeſsionibus, & inter alias Oppido Skrzyn, & villis, vicinis, & vniuerſo Skrzyneñ comitatu donatione perpetua largitus, ſplendido etiam illum coniugio, data illi virgine decora, Ducciſſa Ruſsiæ Maria nomine, quæ primam Boleſlai Ducis Polonorum cõiugem affinitate propinqua contigebat, in vxorem dignificat, & amplius nobilitat, erigit, & extollit. Triſti interim & miſerabili caſu, quo Daniæ Rex Henricus à germano ſuo Regnum Daniæ vſurpaturo Abel nomine

pluri-

pluribus vulneribus obrutus, & necatus est, emergente, ingens thesaurus à Rege Daniæ interfecto, à superioribus Regibus Daniæ longo tempore congestus, in manibus & potestate Petri Patris de Dania, paucis conscijs, relictus est. Qui cùm se grandæuum & propediem morturum non dubitaret, veritus ne se obeunte, tantus thesaurus in tyranni & Fratricidæ Abel qui fratre Henrico occiso Regnum inuaserat, potestatem recideret, secreto, & expertæ fidei nuncio in Poloniam misso, filio Petro Regium thesaurum ad se peruenisse, & in sua manu situm, nulliq; alteri quàm sibi se traditurum, denunciat. Daret proinde ordinem, vt ea potentia stipatus celerius Daniam aduenire, qua & tutus à Tyranno Rege consisteret & thesaurum suæ sorti à patre iam destinatum in Poloniam referret. Aptam sibi prout erat, & absq; Boleslai Polonorum Ducis auxilio nullatenus aggrediendam rem à Patre delatam prudenti discursu ratus, eam ad Ducem Boleslaum defert, enixius supplicans Duci ne occasione, benegerendæ rei, qua perspecta, non suus tantùmmodo sed & Ducalis & totius Poloniæ status, illustrandus dilatandusq; esset, intermitteret & negligeret, quo placidiora verioraq; à Patre narrabantur, eò magis Boleslaum Ducem mouerunt. Erogata itaq; in eos milites, qui secum transfretaturi in Danim erant pecunia, cætera omnia, quæ ad classem opportuna noscitabantur, & per se, & per præfectos summa cura, summoq; studio administrabat. Primoq; tempore quo felix & tempestiua nauigatio, patuit mare, vt præmisimus, Petrum, gratia cuius illam classem parauerat in suo comitatu habens circa Oppidum suum Ducale Gdańsk conscendens peregrinationem illam etsi sumptuosam, sibiq; æquoris fastidia in expertò difficilem aggressus, nullum respuens pro dilatando insigniendoq; Regno suo periculum, vel laborem in Daniam peruenit. Destinata autem exequuturus, quo minus suspitionis, plus fauoris & gratiæ aduentus suus apud Danos haberet ad vlciscendum se occisi innocentis Regis, mortem amici sui aduenisse simulans vniuersos fermè Danos ad induendum contra Tyrannum & Fratricidã arma, & ad adiuuandũ partẽ suam pellexit. Itaq; occisor & Tyrannus à suis desertus, ne viuus in potestatem Boleslai veniret, de Regno, quod sanguine fraterno effuso rapuerat, fugitiuus, & tristis fugam abcessit, Castriq; omnibus Daniæ Boleslaus Polonorum Dux potitus, ea in ditionem & potestatem primorum Daniæ Baronum resignans, vtq; sibi de Rege legitimo & prouido prouiderent, eosdem exhortans, sublato vniuerso à Patre Petri propter quem venerat thesauro, vniuersam etiam cognationem Petri secum vehens, glorioſus & sospes in Poloniam reuersus, geminato, Poloniam gaudio, & pro suo in columi reditu, & pro apportato thesauro, exhilarauit. Eo autem thesauro Petrus Danus, qui processu temporis magnus Pallatinus & Comes Piotrek appellatus est, & septuaginta septem Ecclesias de sectis, ac dolatis lapidibus, ignominiam Poloniæ, cum tunc in ea infrequentes Ecclesiæ ex muro essent deterſurus, fabrefecit, & Monasteria duo, vnum in Strzelno, Monasterium autem Sanctimonialium

Præmon-

Præmonstratẽſ ordinis, quod nunc etiam in Strzelno cernimus, præfatum Comitem Petrum de Skrzyn constat in villa Kalino propè Izdbica in Wladiſlauiẽſ Diœcesi fundasse, & Ecclesiam sub titulo & honore Mariæ Magdalenæ quadro & molari lapide, quam in diem hodiernum cernimus, illic fabricasse. Expost verò ad locum magis fœcundum & cultum ex loco sterili, & parum culto, ex Kalino videlicet, in Strzelno præfatum Cœnobiũ Sanctimonialium propter identitatem Diœcesis transtulisse. Aliud S. Vincentij extra muros Wratislauiẽſ, quadrato etiam lapide sumptuosè ædificatum de ordine Præmonstratẽſ, qui sub eo tempore velut nouus multum veneratiõnis habebat, Duce Boleslao Polonorum permittente, fundat, & munificè dotat. Sed & genus & cognatio Petri pro insigni Cignum seu Plorem in campo rubeo deferens, frequenti germine in plures familias dilatata, in Polonia in hanc diem perseuerat, & nominibus, cognominibus, Petrũ se originis suæ habuisse & ex Dacia oriam esse, insinuat, & designat.

Pro ea autem tempestate Cignum deferebat supra Gleam in clipeo vero, pro insigni & armis in campo albo literam quandam, capitali literæ similem, tribus metis crucibus, in parte anteriori adornatam gestabat, quæ iuxta picturam hic expressam effigiata est.

Wolodor Præmisliẽſ Dux intelligens Polonorum Ducem Boleslaum in Daciam transfretasse, fœdere, quod cum Boleslao Polonorum Duce in Kiow pepigerat, & iureiurando firmauerat, violato, filium suum Wlodimirum cũ exercitu ad vastandum Poloniæ Regionem transmittit. Qui illam improuisè, & nulla denunciatione præmissa ingressus, vastando agros, & vrẽdo tecta, vsq; versus Biecz hostiliter nullo represionem opponente grassabatur, captaq; & congesta graui pecorum præda in Rusiam illam deduxit.

ANNO DOMINI 1125. Varijs successibus felicibus Poloniæ Regno, pace tamen foris, & infra proueniente, sub Boleslai Polonorum Ducis regimine & auspitijs multifario decore florente, ordinarium suæ felicitatis successum, emergens casus turbauit. Incendium enim fortuitò casu Cracouiæ exortum Vrbẽ prædictam, & ædificiorum ligneorũ, pulchritudine tamen & diuitiarum, merciumq;, quæ à circumuicinis Prouincijs in eam inferebantur, copia & magnitudine glorioſam & inclitam, depastis & consumptis tẽplis, Sanctuarijs, & domibus reddidit deformem, & longo tempore tenuem & pannosam. Asserunt nonnulli incendiũ ciuitatis Cracouiẽſ non fortuitò, sed Bohemorum hostilitate accidisse, qui ciuitatem ipsam clandestina incursione ingressi, ipsam flammarum delerunt incendio,

offensi, quod Boleslaus Poloniæ Dux hostem suum Ducem Sobieslaum, vbiq; pretum, vbiq; contemptum, & quem nec Imperator Henricus, inter suis dignabatur fouere dominijs, calamitosum, & inopem exceperit. Longa ægritudine Wladislaum Bohemiæ Ducem cruciante Sobieslaus germanus suus, quem in Polonia apud Boleslaum Poloniæ Ducem exilium egisse monstrauimus in Bohemiam sumptibus & militibus Boleslai Polonorum Ducis illum adiuuantibus reuersus est. Prouida quoq; matre eorum Suantawa de collisione filiorum molesta, & pacificatione sollicita, operante inter fratres ipsos diuturno dissidentes litigio, reconciliatio tandé plena sequuta est, eò magis quidem per Wladislaum Bohemiæ Ducem facta, quo se ad limen mortis propinquiùs sentiebat accessisse. Secundo deinde idus Aprilis dùm Wladislaus morbo, quo vexabatur, consumptus esset, Sobieslaus, cùm inter Bohemiæ Duces nullus eo maior natu relictus foret, cum fauore Baronum & populi quamuis Otto filius senior Ottonis Nepos suus pluribus calliditatibus illum consequi niteretur in Bohemiæ Principatum impedimentis quæ sibi ab Ottone struebantur, confutatis, 15. Calend. Maij iure hæreditario successit.

Vastationem Regni, sui Poloniæ per Wolodorum & filium suum Wladimirum contra ius fasq; & violationem fœderis attentatam, Boleslaus Polonorum Dux, iusta ira cum stimulante, vlturus, cum omnibus potentijs suis Wolodorum & Ducatum suum Przemisliensem inuadit, & populatione quanto longius potest extensa, Oppida, vicos, & rura exurit. Cui Wolodor Dux cū suis & aliorum Ducum Russiæ copijs occurrens, in loco, qui Wilichowa appellatur, pugnā cōmittit, sed ab exercitu Polonorū frequētissimo exceptus in stipulæ modū plurimis Rutenorū cadentibus, fusus victusq; & castris exutus est. Duo tūc Rutenorū insigniores milites, & in armis strenui, videlicet Nawrotyński & Zawszytiński cū pluribus alijs cæsi, captiuorū quoq; ingens numerus fuit. Wolodor Dux suos in fugam effusos inhibere non valēs, pariter & ipse fugit, & vsq; in Halicz se conferens, colligebat exercitum, volens denuò cum Boleslao Polonorum Duce, qui post victoriam Regiones Russiæ singula cæde & igne inuadens vastabat, confligere Hyems sæua & horrida, in qua multa pecora, homines q; frigore magno periēre, & quasi satis frigore frugibus, fames magna in Regionibus Poloniæ subsequuta est.

ANNO DOMINI 1126. Beneficia multiplicia, quibus se Boleslaus Polonorum Dux propitia diuinitate per frequentes, & insignes triumphos, & subactos hostes, gentes, & nationes, glorificatū Regnum quoque suum Poloniæ nouerat illustratum, sedulitate qua poterat, & humanitatis studio, gratitudine quoq; aliquali recogniturus Ecclesiam Cracouiensem ad quam miro deuotionis ferebatur ardore, vltra cæteras Regni sui Cathedrales Ecclesias magnificaturus, & muros eius, qui tunc basi & humiles erant, altiùs erexit & duas turres à fundamento illas initians adiunxit. Calicibus insuper, cassulis, crucibus, ex auro & argento fabricatis, & contextis cæterisq; ornamentis eam decorans, pro ampliori suo cultu splendore, & gloria, de spirituali consilio & consensu Radostonis Crac. Pontificis, Canonicorum Crac. veteri numero, castigato quidem tunc & angusto, viginti Canonicatus Præbendatus de decimis manipularibus per Episcopum Radostonem largitis, & villis aliquibus, ac possessionibus liberalitate Ducali donatis & villis aliquibus etiam coemptis propè Ciuitatem Cracouiensem dotatos adiecit. Sua munificentia, opera, & fauore, magna beneficij in Ecclesia Cracouiensem, in eam vsq; diem perseuerantia, reliquit, perpetuò duratura munimenta. Omnium tamen Canonicatuum & Præbendarum tunc à se & Radostone Episcopo Cracouiensem fundatarum, & dotaturum collationem etiam ius patronatus voluit in perpetuum, circa Radostonem Episcopū & suos successores Episcopos Cracouiensem consistere.

19. Martij Wolodor Præmislien Dux moritur, & in Ecclesia S. Ioannis, quam ipse fundauerat, Præmisliæ sepelitur, duos filios Wladimirū & Roscislaum relinquens. Diuisione autem celebrata, cessit Wlodimiro Swinigrod, & Roscislao Præmislia, collecto autem qualicunq; exercitu, illum (Duces soli ire parum ausi) ad vastandam Poloniam transmittunt. Qui & ipse pauore perculsus, vix fines Poloniæ attingens, aliquot villis circa Wisloka crematis, redijt. Decima quoq; Maij Wlodimir Dux Kiouiensem obijt & in Ecclesia S. Zophiæ apud Kiouiam sepultus in sepulchro cui Mscislaus filius suus senior succedit, & in Kiouiensem solio consedit. Alter verò frater suus Iaropelk in Pereaslaw tenuit Principatum. Audientes autem Polowcy mortem Wladimiri, in terram Russiæ hostiliter irrumpunt, sed à Iaropelko Pereaslauiensem Duce & sua militia, qui non expectato fratrū suorum auxilio conflixit cum eis, victi sunt, & plures in aquis suffocati.

Calixtus Papa secundus cùm sedisset annis 5. Mēsibus 10. diebus 6. Romæ moritur, & in Ecclesia Lateranen. sepelitur. Cui Honorius Secundus natione Bononien per conformem Cardinalium electionem successit. Qui ante Papatum Lampertus vocabatur Hostien Episcopus Cardinalis. Mortem Calixti Papæ, mors Henrici Imperatoris sequuta est, qui dùm apud Traiectum Frisiæ Vrbem morbo correptus, curiam in diebus Pentecostes celebrasset, 6. Calend. Iunij obijt, nullum filium post se reliquit hæredem. Quæ illi orbitas ideò iusta diuina vltione æstimata est accidisse, qui Patrē suum Henricum Imperatorem, quem præcepto Dominico honorare debuerat, captiuans, & in carcerem recludens, eum in carcere mori fecit. In hoc Henrico Imperatore Quinto Henricorum progenies à Saxonibus descendentium in totum extincta est. Obitu eius Honorius Papa audito, legatos in Teutoniam misit electos, apud Moguntiam pro electione futuri Imperatoris conuentum agentes pro vniformi electione Principis prudēs religiosi, & deuoti, Ecclesiæ hortaturos. Itaq; electorum consensu Lotharius Dux Saxoniæ eligitur, & à Friderico Colonien Archiepiscopo benedicitur, & inungitur. Corpus Imperatoris Henrici Quinti per Coloniā Agripinam deportatum, in ciuitate Galliarum Spira, iuxta Patrem, auum, proauum

proauum Imperatores, cultu Cæsareo sepultum est. Lotargius autem Romanorum Regnum adeptus, omnibus cognatis Henrici grauis esse cepit, & omnem Henrici progeniem humiliauit, ex quo multorum mortalium periclitatio in anima & corpore sequuta est.

Moritur & Episcopus Wratislauien Haimo, dùm annis propè sex Ecclesiæ Wratislauien præfuisset, in cuius locũ Boleslao Polonorũ Principe fauente & cõsentiente Robertus aliàs Ropetitus Custos Wratislauien per electionẽ Capitularẽ, via scrutinij celebratam succedit. A Iacobo primo Gnesnen Archiepiscopo, Boleslao Duce Poloniæ & Monarcha in electionẽ suam cõsentiẽte, in Opatow cõfirmatus, & in Calisiensi Ecclesia cõsecratus, Polonus genere, ex familia Nobili Korabitarũ ortus.

Inter Bohemiæ Duces Sobieslaum & Ottonem pro Ducatu Bohemiæ indies glisscente æmulatione, Sobieslaus cum potentia in Morauiam veniens, sorte quam in Morauia Otto habuerat, eum eiecit, & eam Wratislao filio Vdalrici in possessionem tradidit. Otto autem conspectum Sobieslai fugiens, ad Lotargium Romanorum Regem confugit, petito ab eo subsidio, & obtento, cũ redijsset habens Lotargium Romanorum Regem secum circa Oppidum Chlumek, prælio inito, non victus Otto solùm, sed occisus est. Plures de Almanis, aut occisi, aut capti. Ipse quoq; Lotargius Romanorum Rex suis ex acie cadentibus fugere coactus, primitias Imperij sui clade insigni & turpi fuga fædauit.

ANNO DOMINI 1127. Consors Boleslai Polonorum Ducis Athleida, & soror germana Henrici Imperatoris Quinti nuper defuncti, alterum infantem Boleslao effudit, & mærorem de morte fratris Imperatoris Henrici conceptum, noua filij, natiuitas temperauit. In baptismo puer Patre iubente, paternum & auitum nomen sortitus Boleslaus accipit. Qui ab ipsa infantia Cæsariem à natura crispam nactus etiam ex re adeptus cognomen Boleslaus Chrispus, tempore procedente vocitatus est.

Latebant vsq; ad ea tẽpora B. Adalberti Martyris & Pontificis Gnesnen, olim Pragen ossa in Gnesnen Ecclesia occultissimis locis, ne à Bohemis, aut alijs nationibus raperentur, scrupulosè condita, & acurratissimè custodita, quorum locũ non nisi soli Gnesnen Archiepiscopo, & paucis Prælatis ac Canonicis scire & nosse cõcessum erat. Verùm Metropolitanus Iacobus Gnesnen inspiratione diuina permotus, suorum Prælatorum & Canonicorum Gnesnen, communicato consilio, non tulit, vt ossa B. viri amplius in occulto delitescerent. Et proinde 7. Calend. Martij, primùm caput S. Adalberti, deinde vniuersa sacri corporis ossa, ex abditis locis in lucem & in publicum pro consolatione Regni Poloniæ & Polonorum vniuersorum produxit, & ad colendũ fidelibus vniuersis, perinde ac si nouiter reperta essent ostendit, & reuelauit.

Grandæuus ætate & senio confectus Laurentius primus Posnanien sis Episcopus fato absumitur, dùm annis vno & viginti sedisset, in Ecclesia Posnanien si sepultus. Martinum primum Decanum Posnanien sem a capitulari-

capitularibus concorditer electum, Polonum genere, de obscura stirpe progenitum habuit successorem. Quem Iacobus primus Archiepiscopus Gnesnen post consensum Boleslai Ducis & Monarchæ Poloniæ apud Lanciam confirmat, & ad ordinem Pontificalem consecrat.

Clandestinæ simultates & odia inter germanos Fratres, Wlodimirũ, & Roscislaum, filios olim Wolodori Præmislien Ducis exortæ, ad ràm graues detestandasq; prodiêre inimicitias, vt Principatibus suis crudelissimè vastatis, vnus alteri mortem, & exitium machinaretur & quo id facilius præstaret, exterorum subsidia vterq; quæsijt, Wlodimir Pannoniorum, Roscislaus Rutenorum. Vngaris autem serius Wlodimiro auxilia quæ implorauerat ferentibus, Roscislaus nactus, Rutenorum auxilia, videlicet Mscislai Kiouien Ducis ac Gregorij & Iwanij Wasilkowicz contra Wlodimirum, veniebat. Interim verò per Barones & milites inter fratres de pace componenda agi cepit. Qui cùm apud Scirecz pluribus diebus pacem componere laborassent, re infecta, ad arma reditum est. Et Roscislaus Præmislien Dux, de potentia suorum auxiliariorum confidens, Fratrum Castrum Swinigrod vallat, & oppugnat, facilem eius ratus futuram expugnationem. Sed cùm Castrum prædictum à tribus millibus virorum, quos Wladimirus in eo locauerat, strenuè defenderetur, Roscislaus aliquot militibus de suis desideratis, soluta obsidione discedit. Quam licet cum ijsdem potentijs altera vice maiori conatu resumpsisset, spei tamen suæ respondens aduersum respondere effectum, quoniam gentes obsessæ Wladislai eruptione è Castro facta in gentibus suis edebant stragem, ab obsidione discedit.

ANNO DOMINI 1128. Conradum Lotargij Saxoniæ Ducis ad Imperium electionem superiori tempore, Summo etiam Pontifice Honorio secundo id procurante, factam, pauco interposito tempore quidã ex electoribus rescindere conati. Conradum Ducem Suetiæ Sororinum germanum Imperatoris Henrici Quinti, in Regem Romanorum eligunt, Pacificamq; Almaniam bellorum stridoribus inuoluunt, non enim deerant Principes & Barones Almaniæ, qui adhæsione sua ortum scisma nutrirẽt. Ignonimiam autem & iniuriam sibi præter æquum & meritum illatam Lotargius Rex non ferens, ex omnibus Almaniæ terris suæ ditioni parentibus contrahit exercitum, auxiliares quoq; Principes in suum auxilium conducens, contra Conradum competitorem suum exercitum ducit. Neq; Conradus alter electus detrectat pugnam, quippe & ipse ex plurimis Principibus & gentibus suas partes sequentibus, de hostilitate Lotargij non ignarus, copias ad decernendum parauerat. Prælio magno feruore partium vtrarumq; gerebatur & dùm frequentes mortales, & pugnatores nobiles in parte vtraq; concidissent, ad extremum pars, Lotargij præualuit, & Conrado in fugam cum suis conuerso, Deo etiam iustiorem adiuuante famosam victoriã pluribus de parte Conradi captis obtinuit. Ea quoq;

clade Conradus fractus amplius ius suum prosequi destitit, sed suadentibus omnibus arbitris & gẽtibus se Lotargio reconciliauit. Cuius reconciliationis B. Bernardus Claræ vallis Abbas fuisse scribitur principalis mediator.

Sobieslaus Bohemiæ Dux post adeptum Principatum, & post relatum de Lotargio Rege Romanorum triumphum, in tyrrannidem insolentiamq; versus, Nepotibus suis filijs fratrum suorum intollerabilis esse cepit, & primum quidem Conradum filium Leutoldi Fratris Vdalricicaptiuans, eum in vincula in Castrum Wissegradeñ coniecit, Paulò verò post in Sobieslaum & Bretislaum fratres germanos, filios verò Conradi senioris fratris quõdam Wratislai Primi Bohemiæ Regis, cum nec verbo etiam in clementiori, nec facto in eum deliquissent, sola suspitione in eos manum extendit, & vtroq; capto, ambos captiuitati in Castro Donin includit.

Boleslaus Polonorum Dux cum notabilibus nuncijs ex Regno Daniæ ad eum transmissis, apud Wielun magnificum tenuit conuentum, vbi Gestaum seditiones, & furta agentem combusit, & filiam Regis Danorum adductam filio suo per Barones Daniæ cum magnifica dote accepit in vxorem, nuptiasq; sumptibus profusis celebrauit, Baronesq; & Nuncios Daniæ, qui virginem ipsam attulerant donis plurimis muneratos in Daniã remisit.

Grauem hostem & aduersarium suum Rośćislaum Przemisliesi Ducem, à quo sæpius lacessitus & inuasus erat Wladimirus Dux de Swinigrod non ferens, in Vngariam cum vxore & familijs transijt, Vngarorum auxilia contra fratrem Rośćislaum, qualibet arte ac ingenio quæsiturus. Balduino Episcopo Crusuicieñ obeunte Swidgierus Primus in Pontificatum Crusuicieñ succedit, vir generis Almanici suauium morum comis & humanus ab Honorio Papa II. missus.

ANNO DOMINI 1129. Facinus suum Boleslaus Polonorum Dux quod in Fratre naturali Zbigneo necando, & Scarbimiro Palatino Crac. excæcando admiserat, quamuis iuxta consilium & commissum confessoris acta pænitentiæ expiasset. Pontifices quoq; Abbates Monachi & Sacerdotes in vniuersis ferè Regni sui Prouincijs & Ecclesijs hostias & obsecrationes pro illius expiatione frequentius obtulissent, ampliori tamen pænitentia diuinam clementiam placaturus, peregrinationem ad Monasterium S. Aegidij in Gallias assumit. Sancti quidem Egidij meritis ex matre sterili memorans se productum, illius etiam suffragio reatus suos, quàm maximè confidebat deleri. Quo autem pænitentia sua atq; peregrinatio voluntariè assumpta magis efficeret diuinitatem propitiam & placatam, Quadragesimale tempus omne in magna abstinentia rarissimè cibos gustans, in pane & aqua ieiunans, cilicioq; carnem affligens, huiusmodi quoq; cilicio tectus somno prælsus, quietem capiens in cinere se volutans in largiendis Eleæmosinis, in alendis pauperibus, in abluendis peregrinorum & miserorum pedibus, in orationibus & vigilijs adeò continuo abstumpsit, vt tàm dura pænitentia sua plurimis esset in admirationem. Priuato deinde habitu, ne agnosci posset indutus, sacerdotibus verò & clericis, & aliquibus laici timoratis pro Comitibus huius itineris, cuius pauci ex Baronibus erant consci, assumptis, in Franciam post Festum Pascha Ægidium Patronum & Alumnum suum aditurus, perexit. Sed nec in peregrinatione de huiusmodi austeritate quicquam remisit, quinimo abstinentiam semel ceptam continuans, etiam aliquid illi super addere studebat. Nam & singulis diebus hospitio egressus, horas maiores Canonicas, & horas B. Mariæ Virginis minores, deinde psalmos pœnitentiales, frequentius etiam vigilias defunctorum adiungendo, pedibus nudatis deosculabatur psallebat, nec prius calceis vsus est, donec vniuersum officium horarum prædictarum absoluisset. Ingenti quoq; liberalitate in Deum Ecclesias, & pauperes vsus, nullam Ecclesiam Cathedralem, Abbatialem, Collegiatam, aut Conuentualem, cui donum aliquod in auro, vel argento insigni non conferret, reliquit, nullum hospitale, nullum egenum sine consolatione munifica pertransijt. Cùm verò ad Monasterium S. Ægidij venisset, Abbas loci iam de eius aduentu certificatus, processionis honore quem sibi Dux deferri molestè ferebat, eum excepit. deinde ad Monasterium siue Ecclesiam ingressus, ad locum tumuli S. Ægidij cum magna lachrymarum effusione se prosternens, gratiarum actiones S. Ægidio, quod eius meritò editus fuerat, quòd eius suffragijs in multis prælijs victor euaserat, & tanto tempore viuens suum venerandum sepulchrum adierat, celebrabat. Quindecim tandem diebus in maxima deuotione & abstinentia, ita vt Monachos religione vinceret, in Monasterio S. Ægidij magna charitate Abbate, & Fratribus eum tractantibus demoratus, dona excellentia S. Ægidio, & Monasterio suo relinquens, eodem religionis, deuotionis & liberalitatis in redeundo, quem in eundo præstiterat, tenore seruato, sospes in Poloniam aduenit & maximo gaudio, maximaq; hilaritate ab Ecclesiasticis & secularibus saluum illum, votiq; compotem, ex tam longinqua peregrinatione reuersum lætantibus, exceptus est.

Mśćislaus Kiouieñ Dux, cui Frater suus Iaropelkus Pereaslauieñ Dux in Principatu Kiouieñ succesit moritur, Kiouieñ vltrò pro Iaropelko Nũcios mittentibus, & illum cum gaudio & honore excipientibus. Nascitur Wladislao primogenito Boleslai Poloniæ Ducis ex Cristina Ducissa filius, qui Mieczslaus nomen sortitus, etiam Laskonogi ob proceritatem tibiarũ cognominatur. Septima die Mensis Maij Simon Episcopus Ploceñ dum annis vno & viginti sedisset hepatis dolorem incurrens, moritur, & in Ploceñ Ecclesia sepelitur. Cui æque bonus vir Alexander natione Polonus, genere nobilis, de domo & Familia Dolęga per electionem Canonicam successit, instante & consentiente Boleslao Poloniæ Duce & Monarcha, à Iacobo Gnesneñ Archiepiscopo confirmatus, & consecratus ad Cathedram Ploceñ. Meminit & huius Vincentiana Chronica & singulari eum laude efferens, scribit Masouiam consilijs esse fortem, & Vernantissimam militiæ flore & Maiestatis. Inter cuius Primores homines Alexandrum

Ploceñ

Ploceñ Episcopum summa dignum admiratione duco, qui tàm diuersis ac summis rebus sufficere potuerit? idem agnus & Leo, idem lupus & Dux gregis, idem Præsul & miles simul armatus, & deuotus, vt inter iuges armorum excubias, nil, quod suum erat deuotionis, neglexerit. Magnus quidam Alexander Macedo in prælijs, sed in diuinis obsequijs maior Alexander Ploceñ Episcopus. Nam vt extructas ab eo Basilicas alicuius inuidiæ silentio præteream, irreligiosus, quo pacto æstimabitur, qui tàm conspicuum B. Virginis templum erexit & consumauit, quod non solum intrinsecis & spiritualibus dotauit & locupletauit apparatibus ac ornamentis, sed etiam armis muniuit materialibus, & necessarijs vndiq; comuniuit, & sepiuit prælidijs.

ANNO DOMINI 1130. Peregrinatione S. Ægidij in Gallijs votiuè obita, in aliud rursus Boleslaus Polonorum Dux scelus suum, maiore qua poterat pœnitentia purgaturus & superiori fatigæ aliam rursus adiecturus, se conuertit, & ad sepulchrum B. Stephani Vngariæ Regis, cuius corpus in Oppido Albæ Regalis Diœcæsis Vesperimeñ requiescit, pedestri itinere ire perexit. Quem ad huiusmodi peregrinationem peragentem, longus Ecclesiasticorum & militarium de Regno Poloniæ ordo sequebatur, Adhæc & commeatus, & Ducalis suppellex, in quadrigis & electionibus ducebantur non enim sub habitu dissimulato, vt prior, sed notiore Boleslaus Dux peregrinationem huiusmodi peragebat. Stephanus autem Vngariæ Rex, & Socerum, & rarum sospitem honoraturus, plures milites familiares, & Curienses suos, qui Ducem Boleslaum, cum suis omnibus & hospitijs exciperent, & omnibus necessarijs abunde crastarent præmittens, ipse quoq; Stephanus Rex ad Budam ei occurrit, & magno honore Socerum suscipiens, in Albam Regalem vsq; perduxit, pluribusq; donis se, & Socero suo dignis, Boleslaum Ducem & Comites sui itineris munerans, etiam eos qui redeuntem ijsdem officijs prosequerentur, in frequenti numero adiunxit. Boleslaus autem Poloniæ Dux corpore sacro viso & adorato, Ecclesia Albæ Regali, cæteriscq; Ecclesijs Cathedralibus Collegiatis, & conuentualibus, per quas transitus facere contingerat, Ducalibus & munificis donis largitis in Poloniam regrediebatur. Pontificibus & Baronibus Vngariæ certatim illum diuertere per multas preces, in sua domicilia atq; loca cogentibus. Quorum petitiones repudiatum iri turpe putans, & in eorum ædes descendens ægre ferebat in peregrinatione pro macerationc & afflictione carnis susceptа, se splendide tractari, cùm in excipiendo Pontifices & Barones Vngariæ varijs officijs & æmulatione certarent, Cracouiam tandem reuersus, quamuis defatigatus & anhelans, Gnesnam tamen reuersum ad limina Beati Adalberti Martyris & Pontificis glorioſi, patronum quoq; Regni honoraturus, & visitaturus contendit. Et quanto Vrbi Gnesneñ propinquior erat, tanto nudo pede iter faciendo, maiori se deuotione & afflictione, fletibus quoq; frequentibus ingans,

gans, ora astringebat. Quò cùm peruenisset, multis diebus ad sepulchrum S. Dei Adalberti deuotione singulari intentus, dimitti sibi scelus suum prostratus, cum lachrymarum profluuio precabatur. Octuaginta deinde Marcis auri purissimi, lapidibus insuper, & gemmis rari precij, raræq; quantitatis pro fabricando sacrophago corpori sacio oblatis, Pontificibus quoq; Canonicis, & Ecclesiasticis personis Baronibus, militibus, & singulis, qui secum tunc erat, de nobili indumento vestitis, omnibus quoq; Ecclesiæ Gnesneñ ministris, ita vt nec sanctuarios negligeret, donatis inde discessit.

Sobieslaus Bohemiæ Dux plures Bohemiæ Barones præsertim de cognatione Vrsouiceñ quosdam etiam familiares & Curieñ suos, de necessubordinatione Nepotis sui Bretislai filij Conradi, quem ceperat, & captiuum tenebat, inferenda insimulatos, vario mortis & pœnarum genere consumpsit, & Bretislaum Ducem Nepotem suum miserabiliter excæcat. Adeo insuper insimulatio ipsa in plures perducta fuit, vt etiam Menchardum Pragensem Episcopum & nonnullos Ecclesiasticos contingeret.

ANNO DOMINI 1131. Primogenitus Boleslai Ducis Polonorum Casimirus ex Atheida sorore Henrici Quinti Romanorũ Imperatoris susceptus, cum ex continua ægrotatione debilior sensim efficeretur, tandem, morbo ingraueſcente mortuus, magno Boleslaum parentem luctu & dolore confecit. Sed cùm Ducissa filia Romanorũ Regis alũ peperisset infantẽ, cui in baptismo iussu paterno Mieczslaus nomen datum fuit, dolor parentũ alleuiatus est. In tantam autem Mieczslaus infans tunc natus prudentiam industriamq; temporis processu euaserat, vt cunctis compositos eius mores modestiamq; & sapientiam in ætate nondum matura relucentem, mirantibus cognomen senis à maturitate inditum fuerit.

Stephanus Hungariæ Rex & Boleslai Polonorũ Ducis gener, filius Colomanni cum annis 18. & mẽsibus 5. Hungariæ Regnum tenuisset, moritur & in Varadino sepellitur. In cuius locum Hungari filijs Stephani iusto Dei iudicio, cùm auus eorum Colomannus in ætatem infantilem deliquisset cõtemptis, & neglectis, Belam cæcum filium Almi, quem Colomannus Rex successurum, neglectis suis filijs & nepotibus veritus, de gremio materno, dùm adhuc infans esset, ereptum cæcauerat, in Regem assumunt, & Albam regalem deductũ quarto idus Maij coronant. Hic procedente tempore cũ ex Helena filia Imperatoris Constantinopolitani quatuor filios videlicet Geisam, Wladislaum Stephanum & Almum suscepisset, instigante vxore 68. Barones & nobiles, qui suæ cæcationi suggestionem & consensum dedisse ferebantur capite damnauit, & progeniem eorum exterminari præcepit, bona verò Ecclesijs Cathedralibus distribuit.

Honorius Papa secundus cũ annis quinque mensibus duobus diebus sedisset, moritur & in Ecclesia S. Ioannis de Laterano quæ & Constantiana vocatur, honorificè tumulatur. Post cuius mortem grandis in Ecclesia Dei turbatio, propter discordem Cardinalium electionem secuta est. Maior enim & senior pars Innocentium secundum nationem Romanum

manum ex Patre Ioanne pro vero ſummo Pontifice elegit, minore parte Petrum Leonis, qui ſe anacletum vocari iuſsit, eligente. Cùm autem Petrus Leonis potentior eſſet, dùm & Romanorum maior pars & rogante Siciliæ Dux partes ſuas promoueret, Innocentius cum ſuis Cardinalibus in domibus Frangepanenſium in Coliſeo ſe tyrannidem Petri euaſurus recolligerat. Verùm cum Tyrannis Petri dietim creſceret, Petrus quoq; ipſe Eccleſiam S. Petri crucifixo aureo, & duodecim Coronis, reliquoq; theſauro, & cæteras vrbis Eccleſias ſpoliaſſet, theſauro quoq; ipſo multos Romanorum corrupiſſet, veritus Innocentius ne ab eo inualescente potentia caperetur, in Franciam per mare tranſijt, vbi partem Petri Leonis in Claro monte congregato concilio damnat, & Lotargius Romanorum Rex de auxilio ſibi ferendo requiſitus illud promptè & deuotè obtulit ſe præſtiturum, de quo Papam Innocentium per ſolennes nuntios videlicet Conradum Wimanen, & Ekibertum Monaſterien Epiſcopos certificat.

ANNO DOmini 1132. Filij Stephani Hungariæ Regis, à ſucceſsione Hungarici Regni, Bela cæco Coronato, excluſi, & ne extremum patia liquid cogerentur, pauore conſtricti, cum matre ſua ludita filia Boleſlai Polonorum Ducis, & nonnullis Hungaris partem eorum ſecutis ad auum Boleſlaum Polonorum Ducem veniunt, vitam ne eriperetur, ſeruaturi. Quorum pupillari conditioni Boleſlaus Polonorum Dux conſulturus, & pupillos in Regnum paternum reducturus expeditionem in Hungariam parat, eò quidem facilius quò nulla ſuberat vicinæ hoſtilitatis in dominia ſua ſuſpicio, verùm credulitati ſuæ diſpar effectus reſpondit. Potentiam enim iam Bela Hungariæ Rex veritus cum Sobieſlao Bohemiæ Duce fœdus contra Boleſlaum Poloniæ Ducem init. Quod à Sobieſlao & Bohemis eò minus conſtanter ictum eſt, quò magis ad bellum Poloniæ inferendum proclines erant. Horum omnium quæ contra ſe gerebantur, Boleſlaus Polonorum Dux ignarus, cum magnis copijs in Hungariam ingreditur, & eam vaſtat, exuritq;. Cui cùm exercitus Hungaricus præſentia Alberti Archionis Auſtriæ, qui ſororem Belæ habuerat, & ſuorum gentium robore adiutus, vaſtationem & exuſtionem Regni prohibiturus, à Bela Rege miſſus in Sczepuſio occurriſſet, durum prælium conſeritur inter vtroſq;. Feruére deinde pugna Hungarorum & Almanorum res, deteriori loco eſſe cepit & his, qui inprimis ordinibus erant victis, reliqua multitudo, cui Boleſlaus Dux parci iuſsit, ſine vllo negotio in fugam acta eſt. Ad Budam ergo Boleſlaus Rex Polonorum exercitum ſuum ducturus, iam penè medium iter exegerat, cùm Sobieſlaus Bohemiæ Dux iuris hoſpitij, iuris quoque affinitatis, qua Boleſlaum Poloniæ Ducem contingebat oblitus, fœdere cum Bela Hungariæ Rege icto, ſatisfacturus, Poloniæ Regnũ ingreſſus, illud in Wratiſlauien regione peruaſtat, depopulatur & exurit. Quod nouum ad Boleſlaum in Hungariam perlatum diu, quid ageret, quòue exercitum verteret, deliberantem in ambiguo tenuit. Vicit tandem vicinior & vtilior cau-

ſa, Polonis quoq; omnibus ſatius propria, quàm aliena tueri conclamantibus, ex Hungaria reditum eſt, non ſine filiorum Stephani Regis, qui & ipſi in caſtris iam tunc cum eo militabant, magna triſtitia & mœrore.

Ac contra Sobieſlaum Bohemiæ Ducem, directiori via, Hungaria relicta, eundum erat. Sed agmen graue, longum etiam terrarũ ſpatium emenſum tardius progreſſum, Sobieſlao Bohemiæ Duci ſpatium dedit, vt ſe cum ſuis & præda, in Bohemiam reciperet.

A Iaroſlao & Andrea Ducibus Caſtrum Kiow cum gentium ſuarum robore obſidentibus, Iaropelkus Dux Kiouien per tractatus & Conſiliarios communes, pacem init cum eis, & dat Andreæ Pereaſlaw, & Iaroſlao Swientoſlawicz Wladimiriam. Produxit & hoc anno Ducisſa Polonorum conſors Boleſlai filium, qui in honorem & memoriam, & aui Henrici, & auunculi ſui Henrici Imperatoris Romanorum, Henricus primus eſt appellatus, eò quod in Genealogia Regũ & Principũ Poloniæ id nomen tùm primũ indutum eſt, ne ſtirpis Cæſareæ Henricorum pœnitus aboleretur memoria.

ANNO DOMINI 1133. In Bohemiæ bellum inferendum Boleſlaum Polonorum Ducem magno conatu, magnaq; & iuſta ira intentum filij Stephani Hungariæ Regis, & nonnulli Barones & nobiles Hungariæ, qui Bela Rege deſerto ad filios Stephani Hungariæ Regis, ſe contulerant, magnis precibus expugnatum peruincunt, vt cum his gentibus quas contra Bohemiam parauerat, in Hungariam potius traijceret. Prouinciæ itaq; Wratiſlauien militibus ad opponendum reſiſtentiam Bohemis relictis ipſe in Hungariam cum copijs ire pergit. Sub aduentum ſuum multi ex Hungaris milites continuò ad filios Stephani Hungariæ Regis Bela deſerto, deficiebant. Iamq; parte filiorum Stephani continuo creſcente, Bela in Caſtrum Wiſſegrod obſidionem tolleraturus confugerat. Sobieſlaus interim cum omnibus Bohemiæ & Morauiæ copijs in Poloniam ingreditur, & Wratiſlauien milites impetum eius ſuſtinere non poſſe rati, in Caſtra è campo delabuntur. Sobieſlaus autem Bohemiæ Dux beneficia Boleſlai Polonorũ Ducis, quibus illum olim exulem & calamitoſum fratris ſui Wladiſlai Bohemiæ Ducis fugientem conſpectum obligauerat vberius repenſurus, Monaſterijs pleriſq;, & Eccleſijs ac trecentis & amplius villis, in Sileſia & Wratiſlauien regione vnâ cum ædibus ſacris incendio conflagratis, præda etiam pecorum magna, & ſpoliorum abducta, in Bohemiam redijt. Tàm fœda exuſtione terrarum ſuarum Boleſlaus Polonorum Dux ad ſe perlata, bello Hungarico omiſſo, verſus Morauiam tranſijt, & magna parte Morauiæ feroci & continua flamma vaſtata, prædam etiam ingentem hominum & caſtuorum atq; pecorum ſecum abduxit. Quo diſceſſu rebus filiorum Stephani Regis infectis, & penè proſtratis, ſolium Belæ cæci Regis, partem ſuam diuinitate iuuante, Proſperatum & ſtabilitum eſt. Nec potuit amplius Boleſlaus Polonorum Dux, ferre illis auxilia proprijs bellis frequentibus occupatus, non ſolùm enim Boleſlai Bohemiæ Ducis, ſed & Lotargij Ro-

manorum Regis hostilitatem verebatur, qui à Bela Hungariæ cæco Regi per nuncios, quorum Petrus Albæ Regalis præpositus Princeps erat, & magni precij munera sollicitatus, assistentiã suam illi cõtra Boleslaũ Poloniæ Ducem, & nepotes eius Stephani olim Regis Hungariæ filios promiserat.

Decimo septimo Calend; Aprilis Petrus Dacus de Skrzyn fundat Monasterium & Ecclesiam, quadrato lapide fabricat, Ordinis Præmonstratẽsis in villa sua Strzelno Diœcesis Cruſuiceñ, cui quidem Monasterio præfatam villam suam Strzelno contulit, cum plurimis alijs in dotem in die dedicationis Ecclesiæ præfatæ. Quam in potentia Bernardi Episcopi Lubuceñ, & præfati Petri Comitis Swigderus Episcopus Cruſuicieñ peregit, dedicãdo præfatam Ecclesiam Monasterij in honorem & titulum S. Crucis & S. Mariæ virginis.

ANNO DOMINI 1134. Duplicem Regni sui Poloniæ vastationem à Sobieslao Bohemiæ Duce, in multifariorum beneficiorum, quæ à Boleslao Polonorum Duce susceperat, vicissitudinem, Boleslaus ipse Polonorum Dux molestissimè ferens, omnibus suarum terrarum potentijs congregatis, ascitis insuper plurimis de Russia auxilijs terram Bohemiæ potenter ingreditur; & eam vsq; ad flumen Albim vastat, depopulatur, & exurit. Et quamuis Sobieslaus Bohemiæ Dux frequenter nisus esset cum Boleslao decertare, & terrarum suarum vastationem exustionemq; prohibere, vires tamen suas æstimans, & cum hostibus conferens, dùm eas comperisset longè Polonorum viribus inferiores, in apertum, & vniuersale prodire certamen, suorum certam subsecuturam cladem ratus, non ausus exercitum Boleslai Polonorum Ducis ex insidijs & iniquis locis, pabulatores præsertim, & eos qui à stationibus longius progrediebantur, lacessebat. Boleslaus verò Poloniæ Dux, & tum & pluribus alijs vicibus, ingenia Bohemorum expertus, sentiens quoq; hostem de propinquo ad se offendendo succedere, cum magna in omnes partes cura, coacto agmine procedebat, incendia, vicorum, villarum, & Oppidorum, quòad longiùs poterat, extendendo. Magna igitur parte Bohemiæ depopulata & exusta, dùm neq; vastandis agris, neq; vrendis tectis, cùm non villæ solùm, sed frequentes quoque vici incendijs fumarent, Boleslaus Polonorum Dux Bohemos ad pugnam elicere posset, cum præda, & captiuis in Poloniam feliciter remeauit. Grauiter eam ignominiam & exultionem Sobieslaus Dux Bohemiæ ferens, Bohemis & Morauis, in quanto maiori numero poterat, contractis, Polonico exercitu in diuersa loca abeunte & dispersо, in Poloniam ingressus agmine citato & torrenti, nonnullos vicos & villas Bohemicalis oræ viciniores, & versus fluuium Odram porrectos, tumultuario magis quàm iusto bello, Boleslai enim reditum verebatur, vastauit. Nec Boleslaus vastationem tàm repentinam prohibere potuit, & militibus in sua data licentia dilapsis, & anno iam in hyemem producto.

Rutenorum interea Princeps pluribus clandestinis conuentibus Ieropelko Wladimirowicz Principe Kiowiensi autore, celebratis, de exter-

tiendo iugo, quo hactenus à Boleslao & Polonis tenebantur astricti, frequentibus deliberationibus consultabant. Inter quos autor repetendæ libertatis Iaropelkus Wladimirowicz Princeps in hunc modum disseruit. Graue inquit iugum, quod hactenus pertulimus, quodque perpetuò in filijs & nepotibus nostris, nisi hoc tempore aliquo modo nobis perspectum fuerit, laturi sumus, magna nos, & vniuersum genus nostrum ignominiæ labes oppressit, cùm ex ingenuis & liberis in seruilem conditionem redacti, & tributa Polonis pendimus & bella externa cum Hungaris & Bohemis, periculo nostrorum capitum procul à domo, procul à patria cogimur suscipere, & sub ductu, & auspicijs alterius ritus Principis militare, non sine nostra irrisione & contemptu. Et si autem superiori tempore eam contumeliam metu ferre oportuit, ne Boleslai & Polonorum armis maioribus quàm ante cladibus inuoluti premeremur, nunc tamen Boleslao & Polonis, Bohemico & Pannonico bello occupato cum à tergo & fronte grauis & potens vrgeat hostis, ea nobis occasio quam sæpè venturam præcabamur oblata est, per quàm, si originis atq; ingenuitatis nostræ reminisci volumus, facilè iugum excutiemus, & in libertatem nos atq; patriam nostram vindicabimus, neq; enim Boleslaum Polonorum Ducem ad tria simul bella gerenda sufficaturum credi fas est, si Hungarico & Bohemico bello nostrum tertium accesserit, & postquam constiterit Rutenos, per quos hactenus tàm Bohemis quàm Hungaris formidabilis fuit, sibi rebellasse, & ex auxiliarijs hostes factos esse. Itaq; me autore, me Duce, restituite vobis & liberis atq; posteris vestris libertatẽ, ne nos qui in libertate geniti eramus, in seruitute contenescere, & hanc ignominiosam sortem posteris nostris relinquere contingat. Huic orationi cùm facilè omnes Primores assensi fuissent, omnes concorditer in rebellionem oportuno tempore patefaciendam conspirant, & ne prodi intempestiuè posset, coniurant. Non tamen coniuratio ipsa tàm sincere seruata est, quin extemplò ad Boleslaum Polonorum Ducem eius vniuersus tenor & ordo peueniret. Nam vt sunt Rutenorum fluxa ingenia, facilè perfluunt, & secretum inter eos perrarum est, quod castiùs seruaretur. Mouit ea nouitas Boleslaum, & plurimam illi, ne tot bellis vno & eodem tempore implicitus, periculisq; subiaceret, curam excitauit, Consiliarijs itaq, celeriter accersitis, quid agi in tam periculoso negotio placeret perquisiuit. Et variis varias sententias dantibus, à singulis tamen Rutenorum gliscens conspiratio, nisi celeriter opprimeretur, ingens vulnus statui Reipublicæ allatura concludebatur. Erat inter Poloniæ Barones Petrus Wloszczowicz de Kiaś Comes, in quo inter alios Consiliarios Ducales vis animi consilijq; supra cæteros vigebat. Is sententiam iussus dicere, frustra ramos & sarmenta abarbore decutienda agebat, stipite & radice non succisa, nec posse vndas arescere riuo & originali fonte defluente. Superfluum, deinde subinferebat cum Prouincijs Rutenorum rebellionem meditantibus bella suspici, si rebellionis & conspirationis autor, & omnium malorum commentor

Princeps Iaropelkus Wladimirowicz primus obsessus non fuerit, tunc enim omnium aliorum Rutenorum molimenta cessatura. Ei sententiæ cùm omnes fuissent assensi, Petrus ipse negotij conficiendi onus, Boleslao Polonorum Principe illum multiplicibus impensis adiuuante, suscipit. Vt autem negotium, quod consecuturus erat, faciliùs procederet, & votiuum consequeretur effectum, calliditate & ingenio vafro opus erat. Itaq; Petrus Wloszowicz Comes de Xiaz paucis fidis Comitibus, & eorum quæ agenda erant, penitus ignaris, coassumptis, ad Wladimirum Principem eum vultum & habitum gerens, qui tristem eum, & aliquid passum significabat, accessit. A quo cum causam itineris Princeps Iaropelkus curiosius sciscitaretur exulem se, & Boleslai Polonorum Ducis frequentibus iniurijs, & grauaminibus lacessitum asseruit. Ad postremum autem ne quid grauius in se consultum iri experiretur, voluntariũ exiliũ elegisse, ad Principẽ, cuius sibi & Comitas & humanitas dudũ nota esset, declinasse, precari vt se suscipere & confouere non aspernaretur. Gratus fuit Iaropelko Duci Rusiæ Petri Wloszowicz aduentus, gratus & Rutenis, opportunoq; tempore, quo destinatam rebellionem executuri erant, illum sibi velut diuinitus missum astruebãt accessisse. Suam quoq; accessionem magnũ rebus suis præstare debere adiumentum, vnde & rebellionẽ conceptã maturius semp poss se perficere prætendunt, Petri quoq; Wloszowicz exulis & Boleslai ac Polonorum hostis ductu & consilio, bello se accingunt, Boleslaum & Polonos aggressuri. Sæpiùs autem Petrus Wloszowicz à suis familiaribus, quæ nam causa eum in exilium egerit, cùm nullam ipsi nossent, intercessise sciscitantibus, quietos eos esse & nullis amplioribus quæstionibus super hac re impeti, atq; sub taciturnitate & silentio euentum rei à se gerendæ operiri iussit vt vbi opus facto esset, confestim armati, paratiq; existerent. Opportuno itaq, tẽpore, dùm Principem Iaropelkum Wladimirowicz paucis comitatũ pransum sedisse conspexit, explorato, suis, vt arma capesserent, edixit, Iaropelkum, dicto parentibus, atriumq; vbi Princeps accumbebat, ingressus, hostem se pro hospite professus corripit, & resistere conãtem humo sternit, coniectumq; vinculis in Poloniam celeri cursu, omnibus fluuijs, quorum sibi nauigia ante prouiderat superatis transportat, & pro fatali ac insigni munere, Boleslao Polonorum Duci præsentat. A quo benignè, & in consilijs, & in concionibus laudatus, quod solius sui capitis periculo grande bellum à patria auertisset, multis etiam possessionibus atq; muneribus, pro tàm insigni facinore nobilitatus est, Wladimirowicz Principis captiuitas cæteros Rusiæ Principes & Barones prodita coniuratione & nonnullis alijs, qui casam coniurationi præstiterant, castigatis infide continuit, & bellum magna iam ex parte ceptum ordiri, dissoluit.

ANNO DOMINI 1135. Maioribus copijs, maioreq; instructione & apparatu in bellum Bohemicum Boleslao Polonorum Duci, vltum suas iniurias profecturo, literæ & Nuncij a Lotargio Romanorum Rege af-

feruntur, quibus Boleslaus ipse benignè petebatur, quatenus bello Bohemico omisso ad se venire personaliter non conãtetur, offerens se inter eum & Ducem Bohemiæ Sobieslaum æquis conditionibus pacem compositurũ. Lotargio autem Romanorum Regi prædicto in Italiam ad res Ecclesiæ turbatas ordinandas, & pro adoptione Imperialis coronæ ituro, à Sobieslao Bohemiæ Duce suggestum fuit, vt dissidium horrendi prius belli inter se & Polonos tolleret, neq; enim modum se reperturum, quo Lotargium in Italiam proficiscentem debitum è suis gentibus subsidio iuuare posset, bello vicino implicatus. Boleslaus autem Polonorum Dux Lotargio Regi Romanorum suæq; fauorabili inuitationi, cùm id frequens consilium Polonorum probaret, gesturus morem, in comitiua insigni & notabili ad Lotargium Romanorum Regem in Almaniam in Bamberg transijt. Quò cùm ipsâ & Sobieslaus Bohemiæ Dux aduenisset, pluribus diebus de pace inter Boleslaum Polonorum & Sobieslaum Bohemorũ Duces reformanda, Lotargio Rege mediante, cassо labore certatum est, neq; pax æquis conditionibus, vtroq; Duce plus iusto suas æstimante iniurias componi poterat. Ne tamen negotio infecto, & plus animis his, quæ vtrinq;, iactata fuerant probris irritatis, quàm pacatis discessio Ducum fieret, ipse quoq; Lotargius ne Bohemicali subsidio frustraretur, prudenti consilio vsus, Boleslaum Polonorum Ducem instantijs & precibus multifarijs peruicit, vt bellum triennali treuga, quòad ipse ex Italia rediret, suspenderet. In hanc itaq; conditionem Boleslaus Polonorum Dux Romanorum Regis Lotargij delatis pertractus, sufferentias triennales autoritate Lotargij firmatas accepta. Constat insuper Petrum præfatum Comitem Skrzyneñ ingentis animi & spiritus virum extitisse & pro amplificanda exornandaq; Polonorũ Regione, charam, & homine magnifico, ac liberali dignam monstrasse curam. Qui cùm duas amplas Prouincias Calisieñ videlicet & Crusuicieñ suo Regimini à Duce Polonorum Boleslao Krzywoustі commissas administraret, & frequentia itinera de vna in aliam perageret, longitudinem itineris, qua vnâ distabat ab altera, mensus in earum meditulio columnam è Saxo, quàm etiam in præsens in cæmiterio Ecclesiæ Parochialis in Konin cernitur, locari disposuit, cui etiam ea metra insculpi iussit. De Calisz hic medium in Crusuiciam fore punctum, indicat ista via formula iusticiæ, quam fieri fecit Petrus Comes Palatinus. Petri Wloszowicz de Xiaz Comitis nefricies, quantò maiorem rebuspublicis Polonorum Iaropelko Wladimirowicz Principe dolo capto tranquilitatem commoditatemq; afferre-visa est, tantò illas altiori, deinde casu & precipitio afflixit & pessundedit, pro iure hospitij, iureq; gentium, quod à Petro Comite de Xiaz publico consilio inito fædatum, violatumq; erat. Iaropelci namq; Kiouieñ Ducis filius Wasilko calamitatem paternam leuaturus, & in libertatem illum restituturus, omnibus, quos haberе poterat, thesauris congestis, dato precio, quod arbitratu Boleslai impositum fuerat, patris procurat redemptionem. Cùm verò apta vi, suas, & patris iniurias vlcisci se non posse cognosceret,

pari

pari dolo, pariq; proditione, qua pater suus præcipitatus fuerat, vsus. Vngarum quendam inter suos genere & dignitate præstantem, ad peragendũ facinus, quo minus suspitionis de homine externæ gentis esset, cùm de quolibet Ruteno aperta fraus deprehendi facilè posset, magnis donationibus, maioribusq; promissis pellicit, & subornat. Pannonius itaq; ille ad Boleslaum Ducem in Poloniam confugiens, multis se à Bela Vngarorum Rege pro eò quod partes Nepotum suorum filiorum olim Stephani Regis constantissimè prosequebatur, turbatum iniurijs, ad extremum singulis bonis quæ in Vngaria obtinebat exutum, & nisi fugam præoccupasset, neci destinatũ mentitur. Ad Boleslaum filiorum Stephani Regis gratia quorum hæc illi acciderant Auum & curatorem, dùm sibi cæteras regiones vicinas propter potentiam Belæ Vngariæ Regis videret obstructas, confugisse. Nullam fraudem, nullum dolum in verbis suis Boleslaus Poloniæ Dux suspicatus, cùm actiones suæ transactæ, quibus Boleslao Duce rem filiorum Stephani in Vngaria prosequente partes Nepotum eius adiuuerat, fidem dictis astruerent, Vngarum suscipit, verbisq; suis virtutem & fidem sinceram inesse ratus. Præstruit itaq; sibi Pannonius fidem in paruis apud Boleslaum Ducem, ea tamen calliditate, eo animo, & respectu, vt cum operæ pretium videret, magna mercede illum fallat, atq; circumueniat. Itaq; Dux non solùm ad gratiam benignitatis, sed ad conuictum, & secretorum arcana illum admittit, quoniam morum suorum vicia, sub vmbra eloquentiæ, & obsequendi promptitudine latentia, non facilè poterant deprehendi, Vrbem quoq; illi Vislicen cum villis & possessionibus circumiacentibus pro manu tenenda, statui suo liberaliter consignat. Vrbem ea tempestate populosam & remotam, cuius naturalem & inexpugnabilem situm fas est mirari, cùm in medio amnis Nidæ iam tunc latissimi, & aliorum fluuiorum incursione augmentati paludinosi & penè stagnantis in Coronæ modum in Saxo posita, ad omnes hostiles impetus facilè repellendos arte naturæ vberrimè sit munita. Existimante Boleslao Duce, & Proceribus Poloniæ, animo illum gerere, quod, proch dolor, mollibus & mellifluis labijs offerebat. Boleslao itaq; Polonorum Duce in Almaniam ad Lotargium Romanorum Regem, prout in superioribus monstrauimus, reformandæ pacis gratia cum Bohemis diuertente, Pannonius ille nullum aptius tempus ad fraudem commentam, exequendam peruenire posse ratus, fraudem ipsam exequi pergit, quam tali ordine consumauit, vulgauit, siquidem pro comperto se, & ex literis, & ex Nuncijs accepisse. Duces Russiæ cum omnibus copijs suorum populorum patefecta rebellione consurrexisse, & concito gradu Poloniam crudeli cæde & captiuitate peruastare, proinde publico edicto, vt omnes nobiles & populares Vislicium, velut locum tutum & ex omnibus vicinijs commigrẽt, & illic fortunas, atq; res suas magis charas deportent, imperat. Et quo imperium suum formidabilius sit, pœnam adijcit omnia bona qui iussa detrectarent in confiscationem Ducalem cessura. Et hostium inuasione, & pœnæ comminatione singuli perculsi, sine cunctatione, ita enim imperabatur, iussa

iussa peragunt, & Vislicam Vrbem in frequentissimo numero vniuersa illa regio, populosa, res suas & pignora, & quæq; chariora secum vehens, cõfluxit. Dùm autem Pannonius proditor omnia iuxta suum arbitrium vidisset, quæ proditioni necessaria erant, comparata, ad Iaropelkum Principem & filium suum mittit quatenus ad Vislicen ciuitatem cum multitudine populi, & fortunis plurimis prodendam, Sexto idus Februarij, cum exercitu maiori, quo poterit venire non negligat. Qui cùm festinatione nimia Vislicium aduenisset, nocturno tempore singulis securè quiescentibus, proditor Pannonius portis silentio, ita, vt singulos falleret apertis, Iaropelkum Ducem cum filio & suis omnibus in vrbem intromisit. Quam ingressus crudelissimè in omnes cæde, nulli parcens ætati, conditioni, & sexui grassatur ingentemq; stragem facit. Et paucis qui inter tumultum fuga in flumen euaserant, exceptis, singulos ciues & incolas, & eos qui illuc confluxerant quam rabiem satiaturus, aut necat, aut captiuat. Vrbeq; despoliata, & igne conflagrata sine vlla resistentia, aut aduersitate, in Russiam reuertitur, prædam rerum & hominum & pecorum secum vehens, & sanguine Polonico madens. Ita proditio paribus initijs, quibus à Petro Wloszowicz facta erat, ab Vngaro cepta, eosdem imò multo tristiores exitus habuit. Amphoremq; autem retributionem, prout spoponderat, Russiæ Dux Iaropelkus proditori largiturus, linguam ei primùm præcidit, deinde vtrumq; oculum euellit, postremò, ne feminis proditorij vlla relinqueretur propago, genitalibus castrat eumq; sic eneruat. Boleslaus Polonorum Dux Vislicen clade & excidio sibi se perlato, plurimum indoluit, & fraudem, ac dolum à Pannonio commentum admirans, vt quem multis affectum beneficijs, mox ita sibi & Regno Poloniæ, pernicioſum & infestum viderat, serius intellexit, natura Pannonios, parum fidos fore.

ANNO Domini 1136. Cædem à Iaropelko Wladimirowicz Russiæ Principe in Vislicen Vrbe proditoria excidione patratam, digna vicissitudine Boleslaus Polonorum Dux vlturus, non ingenuos solùm, sed etiam polares, & agrestes arma sumere iubens, in Russiam fremens, & furens inditur. Wladimirowicz Iaropelkum Ducem & filium eius omni conatu commisso flagitio puniturus. Qui implacabilem conscientia patrati facoris eum exagitante, Boleslai Polonorum Ducis sentiens iram, castris & munitionibus, quantumcunq; fortibus relictis, in vltima terrarum Russiæ ruens, in siluis, nemoribusq; paludinosis, & inuijs locis delitescebat. Boleslaus suorum sanguini indigna cæde peremptorum parentaturus, cædem ultrix in omnes Rutenos iubet extendi. Itaq; trucidatio multorum mortalium tunc secuta est, & puberibus cæsis, etiam in impuberes & in tecta innocua est sæuitum, & plus cædis aliquanto ab ira quam ab iusto bello æditum. Christini enim placuit parci, nullam fas erat quantumcunq; amplam redemptionem offerentem excipi. Et in compensationem excidij Vislicen vniuersæ Wladimirien Regio, cum sibi adiacentibus crudeli excidio fuit vastata,

& conflagratione consumpta, magnaq; vis tàm captiuorum vtriusq; sexus, quàm pecorum in Poloniam reducta.

Innocentius Papa Secundus quadriennio in Gallijs Petro Leonis Papatum Romæ per vim occupante, exacto, à Franciæ & Angliæ Regibus maximo honore habitus, in Italiam comparátis omnibus, quæ ad obterrendum tyrranidem Petri Leonis Antipapæ credebantur necessaria, ingreditur. Cui Lotargius Romanorum Rex in introitu Lombardiæ, cum Archiepiscopis & Episcopis occurrit, ipsumq; vtq; Romam honorificè deducit. Potenti quoque exercitu Romam intrans, Petro Leonis eius conspectum fugiente, Innocentium in sedem restituit. Coronamq; Imperialem in Ecclesia Saluatoris, quæ Constantiana dicitur, quoniã Ecclesia S. Petri à Petro Leonis præsidio super impositò occupata erat, ab eo suscipit. Et omnibus Romanis, qui partes Leonis Antipapæ sequebantur, extirpatis, Rogerio etiam victo, & ab occupatione Siciliæ depulso, pace Ecclesiæ reddita, in Almaniam Imperator redijt. Ex Almania Lotargius Imperator in Saxoniam diuertens, nouam militiam in Italiam rediturus comparabat. Quem Bolaslaus Polonorum Dux apud Bamberg offendens, plurimis illũ & insignibus excepit honorauitq; muneribus, quibus ab eo acceptis, Lotargius Imperator petebat, vt de Pomeranorum & Rugianorum terris, quæ Boleslao Polonorum Duci parebant sibi faceret, omagium, & redderet tributum. Sed Boleslao Polonorum Duce Pomeraniæ & Rugiæ terras suas & Polonorum natiuas esse & nunquam ad Imperium, sed ad Regnum Poloniæ pertinuisse monstrante, Cæsaris quieuit impetitio.

ANNO Domini 1137. Rutenorum Regione in vltionem excidij Vilnceñ per Boleslaum Poloniæ Ducem graui duraq; quassatione contrita & afflicta, Russorum Principes & Primores velut furentes & insani, vehementi dolore de suæ Regionis desolatione torquentur. Frequenti deinde conuentu apud Wladimiriam habito, quamuis omnium sententiæ ad bellum cum Boleslao & Polonis aperta vi gerendum inclinarentur. Iaropelkus tamen Wladimirowicz Kiouieñ Dux & æuo & prudentia grauis, negat id bellum Rutenis cedere, in profectum, quòd iusta acie Boleslao fuerit illatum. Aliamq; de bello cum Boleslao gerendo, si superiores esse velint, oportere diuiniri rationem, nec Boleslaum, nec Polonos à se nisi latenti & simulato dolo vinci posse sperarent. Desinerent itaq; de bello cum Boleslao gerendo solliciti esse, & sibi munus circumueniendi Boleslaũ, cùm id magis suæ, quàm aliorum proprietati conueniret, relinquerent, imperio quoq; suo quoties, & quando iuberet, obedientes essent. Omnibus operam suam nauare enixius pollicentibus Halicieñ Principem Iaroslaum eó, quòd eum secum non sensisse, sed singula, quæ apud se gererentur Boleslao denunciaturum esse pro comperto habebant, à Principatu Halicieñ turpiter eijciunt, deturbant, turpiterq; expellunt. Qui eorum cedens furiæ in Poloniam, neq; enim quo alibi diuerteret, habebat, cofugit, & à Boleslao Principe benignè exceptus est notabilesq; illi possessiones collatæ sunt ad manendum. Tempore post hæc paululum procedente Halicieñ primi dolis & fraudibus Principis Iaropelki sufficienter inescati & imbuti, ad Boleslaum in Poloniam veniunt, supplicantq;, vt eis Ducem suum Iaroslaum ad suam regionem remittat, & quo tutius reditus sit honorabilior atq; conspectior vt illum suis gentibus, suaq; præsentia in Halicz reducat, & nihil hostile verendũ censeret. Hostes enim timore Boleslai, procul velut feras in sua cubilia refugisse, omnia trãquilla & pacata apud Halicieñ Ducatum fore. Magnas postremò Duci Polonorum Boleslao depromunt gratias, quod eorum Ducem exceperit, fouerit, & adiuuerit, eamq; gratiam suo Principi præstitam, humilibus & deuotis obsequijs repromittunt se pensaturos. Nondum Rutenis Halicieñ certo responso redito Vngarorum nonnulli nobiles & Proceres Halicieñ confrontati, & vicini, qui & ipsi in fraudem quæ Boleslaum oppressura erat, conspirauerant, aduenium. Qui Halicieñ legationi, cùm conformia & sororia retulissent, vt cum Halicienſium Principe non cunctetur, in Halicz procedere, preces & supplicationes adijciunt, se enim ad eius restitutionem conficiendam oportune cum omnibus copijs astruunt aduenturos. Dolum & venenum à Rutenis & Vngaris cum vtrisq, potentia Boleslai, & eius virtus molesta, & formidabilis esset, conflatum, minimè Boleslaus perpendens, quippè qui cæteris virtutibus elarescens, credulitatis vicio obnoxius erat, atq; his quæ ad eum perferrebantur facilius quàm sat erat, quamq; suæ grauitati conueniebat, crederet, quo eueniebat, vt armis & potentia inuictus, sola credulitate doloq; quo impetebat non discusso vinceretur. Vngarorum & Rutenorum nutus laudatis quasi rem ingenuam peregissent, offert se, & Ducem Iaroslaum restituturum, & secum vnâ pro die constituta personaliter aduenturum. Itaq; sinceram, vtrorumq; legationem ratus, versus Haliciam, quasi illic epulaturus cum insigni militum agmine, ducens secum Iaroslaum Principem exulem contendit, & ad diem de qua inter eum, & Rutenos conuenerat, venit, Vngarorum cateruæ primò venientem, dùm excepissent, intergum omnes, & intras postremas acies, dilabuntur. Quæ res Boleslao Polonorum Duci iam præsaga mente malum superimpendens ominanti, extemplò suspecta esse cepit. Dùm deinde frequentiores Halicienſium turmæ, quæ & ipsæ simulatâ amicitia, & subiectione longius obuiam progressæ erant vtroq; Duce excepto, in eandem tergi partem, quam iam Vngari occuparant abijssent, appareretq; sine tergiuersatione Boleslaum & suam gentem ad insidias pertractam esse, Boleslaus Polonorum Dux in ipso negotio consilium à virtute & fortuna capere coactus, Wlzeborio Palatino Cracouieñ, Principe militiæ accito, Suspicarisne, inquit Wlzeboni eam suspitionem, quæ meæ insidet menti? At Wlzeborio quid suspicaretur scrupulosus, percunctante. Non vides, inquit, omnes, tàm Vngarorum, quàm Rutenorum turmas, qui nos consalutatum aduenerunt, officio doloso peracto, interga & posteriora nostra diuertisse, & locum illum eo præposito ex compacto præoccupasse, vt alijs turmis, quas ex templò ominor, aduersum nos venturas

venturas, à tergo & à fronte concluſi, in ferarum & pecudum feriamur & cædamur morem. Quam difficultatem, priuſquam nos conſtringat erumpendam reor, & antequam fortior & geminatus hoſtis accedat, belli tẽtanda fortuna, virtuteq; & dextris via, qua hinc euadamus, aperienda eſt. Vbi itaq; fallacem gentem, alia agentem, & alia ſimulantem videt, & neq; numero ſe, neq; magnitudine parem, optimum factu ratus, in tàm necceſitate periculoſa quamlibet belli fortunam tentare, licet numero infenor ſuis, tamen pro tempore magnifice ac breuiter hortatus manu cum hoſte conſerere priuſquam ab eo inuaderetur, decreuit. Monens ſuos, vt potiùs animam honeſtè profunderent, quám miſerabilem captiuitatem ſubirent. Nec dùm ſermonem finierat, cùm ſubitò acies confertiſsima Rutenorũ quam Iaropelkus Kiouieñ Dux propero curſu ducebat, apparuit. Itaq; nõ diutius differre certamen, iam enim in conſpectu hoſtis erat, valens, paucis ſuos iterum atq; iterum, vt ſe viros meminerint, & ne inulti ceruicem præbeant, hortatus, licet vndiq; illum circumiacentia vrgerent pericula, ſeptus tamen non modico animo, & victoriæ auido atq; à memoria periculi, quod à tergo, & à fronte imminebat, alienato, prius irruit in eum, qui à fronte veniebat hoſtem acerrimeq; ea ala, quam ſibi aſſumpſerat, cum adiuuãte, pugnat contra hoſtes, magnãq; Rutenorũ cædẽ edit. Stratis deinde omnibus obuijs, & acie diſrupta, quamuis & à fronte & a tergo ſciebat ſe vrgeri, victoriã tamẽ ſibi deſtinabat, omnia fortitudinis ſuæ priora operam ea dimicatione ſuperegreſſus, nec fortunæ tunc ſuccubuit, ſed donec illa volubilem agebat rotam, pro victoria adnitebatur, non permittens illam ingenioſum ſuum ſpiritum ius vendicare, & neceſsitate humanæ conditionis, quàm maximo & præcipuo patrocinio, in tali caſu vtendum ducẽs, concitatiſsima deſperatione in pugnã extimulatus id egit, hoſtes vbiq; ſternendo, ne animam in vltus profunderet. Pugnatur, vtrinq; acriter fortunaq;, in Polonos translatura videbatur, benignitate diuina adiuante, atq; certamine in longius extenſo, victoriam. Quamuis Boleſlaus Poloniæ Dux ex omni parte circumuentus eſſet, victor tamen potuiſſet euadere, breuiq; ſuæ ſpei reſpondiſſet effectus, niſi vnus ex Principalioribus Boleſlai Palatinus Baro (cuius nomen, conditionem, & originem, omnes Polonorum Annales neſcio qua ſuppreſsêre negligentia) qui & ipſe ordines ducebat, metu territus, acie, & pugna deſerta fugiens, in partem fugæ ignominiã maiorem Polonici exercitus partem, pugna remiſſa, ſecum pertraxiſſet, victoriamq; Pannonijs & Rutenis conceſiſſet. Tũm demùm Boleſlaus Polonorum Dux ſe magis victum, quàm victorem gerere cepit, non tamẽ pugnam cum his, qui eum comitabantur, remiſit, verùm dùm plurima cædit hoſtes vbiq; funderet, vnus ab omnibus, iam telis eminus, iam lanceis & gladijs cominus multifarie peteretur, equus, cui inſidebat ingentibus vulneribus confectus corruens, pugnantem deponit, & haud multum abfuit, quin & ipſe opprimeretur. Equo prolapſo & ruente, dùm nihilominus hinc à tergo, hinc à fronte hoſtium impetus ſuſtineret, ſaluti fuit Gregorius mi-

rius miles quidam qui Ducem ſuum pedes pugnantem, dùm agnouiſſet, veritus, ne cum dedecore totius patriæ aut occumberet, aut viuus in poteſtatem veniret hoſtilem, equo raptim deſiliens, vt ſe fuga eriperet Ducem in equum proprium inter volantia tela, atq; inter vibratos cominus enſes perrumpens, Principis vitæ, ſua neglecta, conſulens, impoſuit, & voce alta precabatur. Cape, inquit, Princeps clariſsimè hunc equum nondum feſſum, & non tàm tuæ, quàm noſtræ, & communi conſule ſaluti, ne morte, aut captiuitate tua caſum hunc nobis funeſtiorem, hoſtibus autẽ doloſa & iniquiſsima acie nobiſcum dimicantibus, lætiorem facias, mihi vero viuo aut mortuo gratiam refer, quem vides, tuam ſalutem ſuæ præfuiſſe. Huius quoq; diei, atq; horæ memineris, maior enim aliquanto cenſeri debet, quàm vt tibi venienti in Regnum tuum incolumi memoria poſſit excidere. Miles iſte obſcuro quidem genere ortus, cæterum multis foribus actis in eo, quod tunc agebatur, prælio, ipſa etiam fide in vltimo neceſsitatis articulo expreſſa, in Principem ſuum, animo quoq; & ingenio, aliquanto, quoniam pro fortuna, in qua natus fuerat inſignior, quibuslibet nobilibus tunc ex prælio Duce ſuo deſerto turpiter diffugientibus, præferendus. Equo deinde à Gregorio milite præſtito, conſcẽſo, Dux inclitus intelligens ad reſtituendam pugnam, nil ratione, nil manu, aut ingenio adminiſtrare poſſe, cernens, maximis audaciæ, ac fortitudinis ſuæ in ea pugna æditis, vt etiam hoſtes in ſui admirationem conuerteret, operibus ſalutis propitia diuinitate, ſuis quàm plurimis, & ſtrenuis militibus, deſideratis, aut captis, in Poloniam mæſtus, & triſtis, de ſuo, & ſuorum, caſu aduenit. Nec mora, Baroni ei, qui de prælio fugerat, quiq; plurimos in fugam pertraxerat, fugæq; cauſa multis extiterat tria donaria, in præmium ſuæ timiditatis & ignominioſæ fugæ transmittit, videlicet leporis pellicẽam, colum, & penſum, fæminam eum in colo, leporem in pellicea, & in penſo verſatilem deſignans, quæ illi maiori fuerẽ, quàm mors ſupplicio. Grauius ſiquidem viros torquent probra militiæ, quàm næcis pernicies. His donarijs miſerandus homo receptis cum eorum ſignificationem nullo prodente facilè percepiſſet, tanta mentis angultia illicò tortus eſt, vt in proximj oratorij campanili func gulæ proprijs manibus iniecto ſuſpendio miſerum ſpiritum excluſerit, vir alioquin ex generoſa ſtirpe imaginum ortus, terrimo illo piaculo ſuo, nobilitatis ſuæ decus, & in præſens, & in futurum grauiſsimè obfuſcauit, vt eſſet domui ſuæ portentum ſordidum, morſus quidem erubeſcendo, ſed iuſto genere pænæ conſumptus. Cuius tàm horrendus è vita exceſſus, in his ipſis muneribus ſibi miſsis intelligebatur cluſus, in colo patibulum, in penſo verò funem, & in lepore fugam ſpiritus exprimens. Gregorium verò militem, qui & ipſe è loco certaminis ſuus euaſerat, pro beneficio ſibi tunc præſtito, nobilitat, locupletat, & nobilit, Nobilitateq; & iuſtis honoribus adornat, paremq; claris viris facit, nec ſolùm villis, ac poſſeſsionibus, ſed & officij, atq; magiſtratus, honore effecit inter ſuos, cum progenie ſua celebrem & inſignẽ ex obſcuro & in-

ope clarum, atque opulentum faciens honoribusque insignibus affecit, viro nobilitatem contulit, & gratiæ suæ pignora impartiuit. Ad redemptionem captiuorum, cùm omnes etiam veterum Regum & Ducum Poloniæ fuissent, thesauri erogati, & emuncti, non tamen plena, omnium captiuorum ex Polonis redemptio poterat prouenire, quin plures & milites nobiles, & alij Equestris ordinis Viri, à barbaris ærario publico deficiente, in seruitutem miserabilem venditi, vitam illic infamem, morte etiam subsequente peregerunt. Anxiebatur autem ingentis spiritus Vir Boleslaus Polonorum Dux super casu & infausto dolo Pannonico & Rutenico, ac fortunæ iniquitate sibi iniecto, & graues dolores, assiduè grauiora trahens suspiria, sentiebat, puncturus execrationes plurimas in Pelagium suo scelere atq; nexu suspensum, ingeminans, qui sua fuga tot legionum Polonicalium cladem effecisset. Turpe sibi existimans, tot rebus gestis, tot fortibus, exercitibus deuictis, tot claris victorijs de hostibus in circuitu relatis, acie vafra & iniusta à simulatis amicis, magis, quàm ab hostibus se verius deceptum, quàm victum esse, fortunæ suæ conditionem obiurgans, quæ post plurima beneficia quibus illum extulerat, ad casum durum & indignum illum seruaret. Nunquam alias nisi in illo certamine fortunæ conuersionem expertum, quæq; præclaris & splendidis suis gestis, quod plerumq; fieri solet, infaustum casum miscuerit, & magnarum lætarumq; rerum cursum, & ordinem naturæ suæ seruans conditionem, confunderit. Incertum, eo fusus prælio, relinquens, vtrum in dimicatione virtus, an casus præponderet multis itaq; fastidijs & angoribus nobilis animi & inuictus fatigabatur semper animus, qui post septem & Quadraginta victorias ex hoste relatas, eadem illam quasi vulnus vltimum acceperat, fortunæ mores, constantiam, conditionemq; parum pensans, quæ lubrum Cæsarem, quæ Hectorem, quæ Hannibalem, quæ Scipionem, frequentius victores, vltimo tandem discrimine damnauit.

Priusquam triennales treugæ cum Sobieslao Bohemiæ Duce, per Lotargium Romanorum Imperatorẽ confectæ expirarent, communibus Baronibus, tàm Poloniæ, quàm Bohemiæ agentibus, de pace perpetua inter Regna & Duces firmanda, tractatus haberi, cepti sunt. Post quos vtraq; parte in pacem conspirante, expedire visum est vt Principes personalem agerent conuentionẽ, cui Kloczko Oppidum consignatum fuit, vtroq; Duce illuc aduenicnte Boleslaus Polonorum Dux coram communibus Baronibus plurima se indigna à Sobieslao Bohemiæ Duce pro multifarijs in eũ præteritis beneficijs passum deduxit: Sobieslao verò Bohemiæ Duce obiecta purgante, in Boleslaum Poloniæ Ducem suas quoq; iniurias iactante, interpositione communium Baronum omnes veteres inimicitiæ, contentiones, querellæ, iniuriæ, & æmulationes, damna quoq; hinc inde sequuta, inter illos sedantur, complanantur, & compensantur, & pax perpetua inter eos eorumq; Regna & dominia stabilitur. Affuit huic pacificationi Wladislaus filius Boleslai Poloniæ Ducis filius maior natu, qui in signum fidelis fœderis inum Du-

um Ducis Bohemiæ Sobieslai Venceslaũ nomine de sacro fonte leuauit. In hãc pacem Boleslaũ Poloniæ Ducẽ ideò tàm facile constabat consensisse, vt ora Slesitica pacatà & bello Bohemico extincto, cumulatiùs cõtra Rutenos bellum gerere posset, cladem apud illos & per illorum dolosam fraudem acceptam, omni modo, & adiumento reparaturus. Cuius eum tantus pudor & verecundia, tantus dolor & amaritudo ceperat, vt & cætus & colloquia hominum vitando, mœrori de amissis & desideratis militibus solitarius delitescendo indulgeret. Obstinatum agens silentium, & surdas ad omnia quæ illi ab amicis ingerebantur, solatia, aures obturans. Quæ singula non pusilanimitate aut deiectionis, sed ingentem vltionem ex ferosi & vasto pectore cientis, apparebant esse indicia. Ex omni siquidem numero Regum & Principum Poloniæ, nemo fuit illo pugnatior, sed nec pugnãdo, prius quisquam in eum diem ipsum æquauit. Alij suæ ætate Reges & Principes nitebant purpura, ac satellitum turba, voluptate præterea venandi, aut ventris luxu, aut somni ignauia, aut rei domesticæ cura, aut auri congerie occupabantur, Boleslaus tantummodo armis & virtute pollebat, nauseam ratus, si quando bellum non repelleret, aut non inferret, reuirescebatq; animus, quoties vel pugnandum, vel bellandum erat, inediæ, algoris, & vigiliæ patiens, prælio strenuus, consilio, industriosa agitare, & exercitatione corporis nemini cedebat, milites audacia facile omnes superabat. Lotargius Saxo Imperator Romanorum, dùm Vndecim annos in Imperio & Regno exegisset, & placidè ac benignè imperasset, in Italia quoq; rebus prosperè gestis Italiam & Siciliam pacificasset, ex Italia discedens apud Tridentum ægritudine inuasus, autumni tempore in Castro suo Rothoburg moritur, & in Brũsuig sepelitur, plenus fide, & deuotione, Cuius immatura mors, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus Principibus plurimum fuit execrabilis & molesta, Credebant enim per suam probitatem & industriam res Imperij reflorescere debere & Imperium suum decus & gloriam resumpturum. Asserunt alij eum non in Brũsuig, sed in Luter Monasterio Saxoniæ, quod viuens construxerat sepultum. Actus quoq; eius vt nulla possint aboleri obliuione in plumbeis laminis descripti iuxta illum recunduntur.

ANNO Domini 1138. Ducissa Polonorum & consors Boleslai Ducis iterum fœcundata filium effudit, qui in Baptismate Cazimirus vocatus est, sed nec hæc filij noua natiuitas languores Boleslai Ducis, quibus vltra iustum atq; modum pro clade apud Halicz accepta afflictabatur, & penè deperibat, poterat lenire, quin continuè acerbiori se doloris verme pro charissimis suis militibus, & qui ceciderant, & qui capti fuerant, rodere & consumeret, præsertim cùm & propter ætatem senilem, & casum, clademq; militum suorum, exhaustionemq; ærarij Ducalis, non facilè, vt animo & cogitatione æstuabat, eum posset congerere exercitum, cum quo posset de Pannonijs & Rutenis debitam sumere vltionem.

Atvo-

At vocatus ex morte Lotargij Imperiũ, per Principũ electionẽ concor-
dem Conuentu apud Confluentiã celebrato in quadrageſimæ medio Con-
radus Secũdus Dux Sueuiæ electus eſt, Nonageſimus Tertius ab Auguſto.
Fuit autẽ Conradus ipſe Secundus reſpectu Imperatoris, ſed Tertius quan-
tum ad Reges, Nepos germanus ex ſorore germana Henrici Quinti Imper-
ratoris, in cuius etiam priuatum dominiũ iure illo, dùm Henricus Impera-
tor nullos reliquiſſet filios, ſucceſsit. Secundũ alios Octuageſimus Quintus
ab Auguſto, qui cũ Lotargio Quarto de Romano Imperio in principio Re-
gni cõtenderat. Electionem autẽ tàm conformẽ, Theodenainus Epiſcopus
Cardinalis ab Innocentio Papa Secundo in Cõfluentiã deſtinatus effecit.
Qui mox ad Palatiũ Aquiſgrani venies à prædicto Cardinali Theoden-
no (nam Colonieñ Archiepiſcopus, qui id iure facere debuerat, nouiter in-
augaratus, pallio carebat) cooperantibus Moguntineñ & Treuereñ & alijs
Pontificibus in Regem vngitur. Et licet Henricus Saxoniæ & Bauariæ Dux
gener Imperatoris Lotargij propter potentiam & diuitias, quibus poſſebat,
reſiſtentiam Conrado in Almaniæ Regno oppoſiturus crẽdebatur, ab-
mnibus tamen delertus, à Conrado quoq; Rege proſcriptus, & Ducatu
in Palatio Goſlarieñ priuatus, ſupra hominum æſtimationẽ humiliatus eſt.

ANNO Domini 1159. Boleſlaus Polonorum Dux ex clade apud Ha-
licz accepta, ſpiritum gerens afflictum, generoſus enim ille, & ſemper
vincere aſſuetus animus, fraudis & per fraudem relatæ de ſe victoriæ, il-
ſto grauius ferebat contumeliam, adeoq; anxiabatur, vt non aliquid iu-
cunditatis aut ſolacij ab amicis ingerentibus admitteret, dùm mœrorem,
ſuadentibus amicis non inhiberet, ſed augeret, & ne in ægritudine quid-
quicquam iucunditatis admitteret, ſenſim defluens & tabeſcens, grauem
ſibi conciuit languorem. Is quanquam à medicis ſuccorum virtute diſpe-
ti potuiſſet, Boleſlao tamen Duce quælibet antidota faſtidiente graſſari ce-
pit. Atque ita cum propè vnius anni ſpacium Boleſlaus à morbo in-
grabato detentus languore ingraueſcente debilior èm ſe indies conſpiceret
fatale munus ſoluturus, frequentem ad ſe Prælatorum & Baronum conuo
cat ordinem. Diſſolutionemq; ſibi teſtatus imminere, rogat, vt ſe mor-
tuo vnionem retinere conentur & conſenſum, ne ex Sciſmate Reipub. ſub-
ſequatur interitus & ruina. Quinq; autem viuos relinquens filios, quo-
à pleriſq;, vt erat, Polonorum applicabatur infortunio, diſcidium Regni
cito forè ominantibus, inter tot Principes concordiam non poſſe fieri
diuturnam. Sicut neq; fefellit opinio, vt in ſubſequentibus narabimus.
Ne inter filios pro Regno, ſe abſumpto bella, odia, aut contentiones
contingant, Poloniæ Regnum cuius ipſe in eam diem vnus fuit Prin-
ceps & Monarcha, inter filios diuidit. Et primogenito quidem Wladiſlao
ex Rutena ſuſcepto, Cracouieñ, Siradieñ, Lancitieñ, Sileſiamq; & Pome-
raniam terras legat. Decernens, vt circa eum primogenituræ iure ſuper-
oritas, & Principandi maior & prima autoritas conſiſtat, omnibus alijs

fratribus

fratribus ſibi parere & intendere iuſsis, aſſerens in Polonorum Regno, ni-
ſi vnus fuerit, ad quem totius ſummæ cura referatur, vniuerſa in ruinam
ſolutũ iri, Boleſlao verò Criſpo Maſouieñ Dobrzineñ Cuiauieñ & Culmeñ.
Mieciſlao Seni Gneſneñ Polnanieñ & Caliſeñ Henrico Primo Sandomi-
rieñ & Lublineñ terras, diſtrictus & regiones pro ſortibus conſignat. Re-
ſtabat Quintus filius Cazimirus Anno ſuperiori genitus, infantulus, &
cunas adhuc obſeruans, cui cum omnibus terris & Prouincijs in quatuor
filios diſtributis, nullam ſortem reliquiſſet, obliuione hæc illum, aut morbo
neglectum feciſſe, omnibus, qui ordinationi ipſi aderant, autumantibus,
nomen & memoria Quinti filij Cazimiri infantuli ſuggeſta eſt, monituſq;,
vt & illi, velut teneriori æquam inter fratres portionem relinqueret, re-
ſpondet. Iam dudum illi ſuam ſortem delegaui. Admirantibus cunctis,
& quænam, quinta ſors eſſet, ſcrupuloſè inter ſe ſciſcitantibus. Non ad-
uertitis, inquit, inter quatuor rotas ſedem quintam, quæ in Polonico Wa-
lag appellatur, conſiſtere, & in medio poſitam eſſe partem nobiliorem,
& à natura partium appellationem deriuatam vſurpaſſe. Sic & huic infan-
ti inter quatuor Tetrarchas fratres, delegatur ſucceſsio, plus veneration is
& amplitudinis, quàm aliqua illarum habitura. Proinde deſinite de pu-
pillo ipſo & de meo inofficioſo teſtamento eſſe ſolliciti, quoniam eam cu-
iam conuenit tutoribus eius relinqui. Nonnullos ex filijs præſcientia qua-
dam animi tenens, quemadmodum in opinione ſua falſus non eſt, non fo-
re diuturnos. Sed ſiue inſpiratus, ſiue, vt fit, in mortis articulo, à ratione
alienatus ſenſerit, ſiue vt maiorem diuiſionem ſciſuramq; Regni abhorrens
decreuerit, haud liquido patet, neq; noſtro decidetur iudicio. Salutari dein-
de ſumpto viatico Dux Illuſtriſsimus & ſuæ patriæ amator, defenſorq; a-
cerrimus, diem functus eſt, ægritudine potius animi & angore, quàm cor-
poris extinctus, cum ad annum circiter ſexageſimum vixiſſet. Manſuetu-
dinis & clementiæ, tunc maximè gloriam exiſtimationemque aſſequutus.
Quem è vita excedentem vniuerſa gens Polonica longo luxit tempore.
Corpus eius in Ploceñ Vrbem relatum in Ploceñ Eccleſia iuſto honore ſe-
pultum, & cineribus paternis ſociatum eſt. Mortuus autem anno Regni
ſui Triceſimo Sexto, ætatis verò, quinquageſimo quarto, Quem ſola afflic-
tione & mœrore ſuper cæde & clade ſuorum ad Halicz in dolo ſequuta,
mortem tàm immaturam & fati diem pro comperto habitum eſt magis præ-
occupaſſe quàm ſoluiſſe, cum naturalis vita ſua in multo longius tempus
potuiſſet extendi. Natura ſtrenuus, & ferox, frequenter oportunitatem
bella gerendi, in quibus magnitudinem animi exerceret, affectabat. Ab
adoleſcentia bellis exercitatus, nullo vnquam bellorum defatigabatur ge-
nere. In ſuſcipiendis & adeundis periculis ſtudioſus, ad captandam hono-
ris & gloriæ magnitudinem cupidus, in tollerandis ſupra vires corporis la-
boribus patiens. Corporis habitudine fuſcus & mediocris, nimium confi-
dentiæ relationibus tribuens, facilitate credendi leuem ſe plerumq; & in-
cautum magis, quàm prouidum monſtrabat. Adiram & gratiam ex æquo

 pronus

pronus, facile succensus cholera, ad obiurgandum, succentendum, & puniendum, hilaritate verò redeunte eodem tenore ad præmia mouebatur. Ad opera Martialia, ab adolescentia intentus, corpore robustus, brachio validus, ad decernendum ardens, in certaminibus acer & strenuus, viridus, & vegetus corpore. Natura vir ad dimicandum promptus & ardens, in largitione profusus, animo magnus, eo solo æger, vt credibile duceret, quicquid ad illum afferebatur, pro verò, quodq; illius tàm bellica facinora, quàm frequentes pugnæ declarant, animosus & Heroicus, in cæteris verò actionibus ciuilis & benignus. In ipsa autem fatali & mortis die militum, quorum frequens confluxerat numerus, celebrabatur, efferebaturq; sermonibus, neminem eo bellicosiorem, neminem feruidiorem, ad Martialia agenda opera, Principem apud Polonos extitisse, neminem tot victoriarũ numerum reliquisse. Quadragesies enim & Septies publica acie cum hostibus pro patria pugnasse, totidemq; trophæa constabat illũ retulisse. Appellabatur autem Krzywousti in vulgari Polonico, quòd significat indirecti oris, morbus enim antrax in adolescentia proportionem vultus ejus sua vexatione disterminans, oris curuitatem à qua cognomen sortitum esse cõstat, illi induxerat. Frequentius acie cum hoste cõfligens, nunquam aduersam nisi tùm, cùm deceptus est, expertus fortunam, maxima & honestissima aggressus, & cõsequutus facinora. Iste Princeps Bolesłaus pluribus villis & libertatibus donisq; Monasteriũ Sieciechouien̄ Ordinis S. Benedicti supra Visłã situ, sua liberalitate & munificẽtia insigniuit, propter quod in eodẽ Monasterio specialis illi quotannis innouatur anniuersarius & memoria.

Filij Olech Ducis Rutsiæ Polowconum quæsitis & obtentis auxilijs, terras Rutsiæ hostiliter ingressi, circa flumen Sula, exurunt Oppida & villas, deinde in Pereaslaw progressi, cædes & multa mala cõmittunt, & Vsćie exusto, discedunt in Supon contra quos Iaropelkus Dux Kiouien̄ cum fratribus suis filijs Wladimiri egressus, dimicat cum illis. Et multis vtrinq; pertinaciter cadentibus, vincuntur filij Olech, & Polowcy diffugiunt, quos Ruteni persequendo occidunt & captiuant. Et dùm post persecutionem incertaminis locum redirent, à Polowcijs inuaduntur & cæduntur. Iaropelkus autem captiuitatem euadens in Kiouiam diffugit. & Walilko Nepos suus cum multis Boiaris capitur, Polowcij verò Kiouiam obsident contra quos etiã Iaropelkus Dux magnum de nouo exercitum congregasset, voluit tamen dimicare sed æquis cõditionibus pacificatus est cũ Polowcijs.

FINIS LIBRI QVARTI.

IOANNIS

IOANNIS DŁVGOSCH SEV LONGINI CANONICI CRACOVIENSIS.

Historiæ Polonicæ.

LIBER QVINTVS.

ANNO DOMINI 1140. Lugubris & immaturus Bolesłai Polonorum Ducis è vita excessus, qui cum bello, ferro, & armis, hostilibus consumi non posset, dolore, & mærore nimio tabefactus, & consumptus est, diu Polonos, ne ad substituendum alterum Ducem & ad prouidendum de Reipublicæ, forma, ordine, statuq; procederent tenuit. Mortui etenim principis desiderio adeò habebantur constricti, vt cuiuslibet alterius illo sibi, sub quo tàm mirifici, pauẽdi, & glorioli euaserant sublato, Principatum fastidirent. Accedebat altera non dispar pernicies Regni Poloniæ in quatuor partes sequutura diuisio, quam velut pestem quandam ciuilem collisionis procellam, quandoq; excitaturam, & in ciuile malum recisuram, haud casso augurio phorrebant, ex Regni Polonici diuisione, se ad interitum necessitate quadam pertrahendos ominati, cùm omnem diuisionem capiens, interitum quoq; capere necesse sit. Postquam deinde rerum publicarum vacillatio, Principibus diuersa sentientibus, diuersaq; iubentibus, oriri cepit, & Principes quatuor filij Bolesłai iuxta paternam ordinationem ad Ducatus & terras eis designatas se admitti flagitarent, fit apud Crac: omnium terrarum generalis Conuentus. Vbi post varios tractatus, & deliberationes, Wladislaus primogenitus & natu maior Bolesłai Patri in Monarcham omnium Prælatorum & Baronum assensu & ordinatione, successurus decernitur, vtq; circa ipsum primæuitas, & superioritas remaneat statuunt. Ipse quoq; cæteris fratribus, videlicet Bolesłao, Mieczslao, & Hẽrico parentibus imperitet. Bella conformiter & ex æquo gerant, sed assumẽdi ea circa Wladislaum autoritas consistat, cæteris non inferendi sed repellendi potestas permissa. His taliter ordinatis, tribus Principibus in suas sortes Bolesłao Crispo in Masouiam, Mieczslao sene in Posnaniam, Henrico Primo in Sendomiriam, secedentibus, Wladislaus Dux & Monarcha in Crac: relictus est, & illic stando alios suos Principatus & dominia Remq; publicã disponebat. Apud illum quoq; Casimirus infans, & Quintus Dux relictus est, sibiq; illius cura, tàm à cæteris fratribus Ducibus, quàm à cæteris Poloniæ Satrapis & Consiliarijs mandata. In hunc modum corpus Poloniæ in plures partes scissum est, Discordantibusq; processu temporis Ducibus, Polonia arma contra seipsum sumpsit, ferrumq;, quod in hostes versura erat, in

rat, in propria viſcera conuertit, & furentis inſtar iras concepit, gladios corripuit, corpus ſuum ac membra ciuili bello mutilatura. Tunc quoq; Regni Polonici decus & fortitudo, quæ in partium conſiſtebat integritate præcipitata fuit, Regnoq; quadrifarie ſciſſo, & in monſtruoſam diuiſionē partito.

Cùm illis temporibus Ciſtercien ordo floridus, & celebris haberetur, Nobiles de domo Griffonū videlicet Ioānes alias Ianik, vir veneràbilis, primum quidem Wrath: Epiſcopus, deinde Gneſneñ Archiepiſcopus cum germano ſuo Clemente eius deuotione attracti, in prædio ſuo Breznica vocato in Crac: Diocæſi Monaſterium Ciſtercien erigunt, & Oppidum Andrzeiouien & ſeptem villas, videlicet Brzeznica, Rakośino, Potok, Lyſſakow, Lanczno, Rachowo, Tarſzawa, Chorzawa, pro fratrum ſuſtentatione, in dotem illi perpetuò largiuntur. Ex Morimundo Monaſterio in Burgundia pleriſq; Monaſterium Andreouien, eò quod à Morimundenſibus originem habuit Moribundus vocatum eſt. Plantationem nouellam præfati Andreouien Monaſterij B. Bernardus de nobili proſapia Comitum de Caſtalione genitus, qui in Anno viceſimo ſecundo conſtitutus, cum Triginta locijs in tuo oſtenderat, ingreſſu, Monaſterium Claræ vallis regebat, viſurus Poloniam, cùm fratrum agmine proceſſerat, fratres qui in Andrzeouien Monaſterio degebant, viſitaturus, & eos in obſeruantia, rigore, verbo, & exemplo confirmaturus. Cùm autem in huiuſmodi itinere conſtitutus Spiram veniſſet, humillimum propoſitum eius, & Monaſterio, ad quod ordinandum perg. bat, & Polonis profuturū aduerſa, & grauis valetudo damnauit. Ea enim correptus, & eius inualeſcentiam veritus, in Claram vallem ad Monaſterium ſuum redijt.

Fundatores autem & dotatores Præfati Andrzeiouien Cænobij Ioannes Gneſneñ Archiepiſcopus, & Clemens miles, ad nil aliud præfatū Monaſterium voluerunt eſſe obligatum, niſi vt in ſignum ſancitæ à ſe dotis Oppidani Andrzeiouien ſibi ſuæq; proximiori ſtirpi mactatorum pecorum & pecuſum corda, & de ſingulis halecum vaſis in Oppido præfato, vendendis, aliquot halecēs repræſentarent. Quod quidem tam leue tributum cognatio fundatorū per Abbatem Andrzeiouien redimi & aboleri conſenſit.

Sobieſlaus Bohemiæ Dux, audiens Boleſlaū Polonorum Ducem obijſſe & Polonorum Regnum quadrifariam ſciſſum eſſe, pactum & fœdus, quod cum Boleſlao Polonorum Duce iuriſiurandi obſtrictione pepigerat, præuaricatus Regnum Poloniæ, & Sileſiticam oram inuadit, depopulatur & vaſtat. Sed neq; vaſtatione hoſtili contentus cum Wladiſlaus Poloniæ Dux, cui ea ora obuenerat iniuriæ oportunus videretur, in animum inducit, vt oram Sileſiticam ſibi faciat, aut tributariam, aut proprietariam. Quapropter in vico Kośćian vocato, vndiq; paludibus & lacubus ſepto, & naturali ſitu plurimum munito, Oppidum & munitionem conſtruere, & illi ſuum præſidium imponere ſatagens, plures dies in opere moliendo con-

ſumit,

ſumit, verùm vltio diuina, quæ quoſlibet fœderum tranſgreſſores ferire ſolita eſt illicò illum percuſsit, nam febribus correptus, cepto abſcedere cōpulſus, & à ſuis ambitionem ſuam carpentibus, Pragam reductus, inualeſcente febre 16. Calend: Martij mortuus, & in Wiſſegradeñ Eccleſia ſepultus, tres filios, Sobieſlaum, Vdalricum, & Venceſlaum relinquens, ſucceſsit tamen ei filijs non obſtantibus Wladiſlaus, filius Wratiſlai in Bohemiæ Ducatum.

Decima die Februarij Iaropelkus Wladimirowicz, Dux Kiouien moritur, & in Eccleſia S. Andreæ ſepelitur, & licet Wiceſlaus frater ſuus ſedē Kiouien accepiſſet, Wſzeuoldo tamen Olchowicz in Kiow cum militia ſua vemente, ne dimicare ſecum cogeretur, per medium Metropoliti pacificātur, & de Kiow excedit, & vadit in Turow. Wſzeuoldus autem Kiouien in pace ſortitus eſt Principatum.

ANNO DOMINI 1141. Regni Poloniæ quadrifaria, quam demōſtrauimus ſciſſura, haud multo tempore æquis animis poterat perferri, ſed penè in ipſo ſui initio inteſtinorum bellorum excitat ſtridores. Wladiſlaus ſiquidem Polonorum Dux primogenitus & natu maior, etſi inter fratres potiorem, & magis inſignem portionem Crac: videlicet Ducatum acceperiſſet, & tàm patris, dùm viueret, quàm Prælatorum, Baronum, & procerum Poloniæ deſignatione, fratrum inſuper conſenſu ſuperioritas & Monarchia Regni circa eum conſiſteret, omnes tamen eos Principatus & Dominia quæ in fratrum ſortem ceſſerant, detracta & erepta ſibi ratus, multifarijs angoribus anxietatibusq; ſpiritum geſtabat turbulentum & afflictū, frequentesque amicis huius ſuæ ignominiæ & ſpolij repetebat quærelas. Animum autem Wladiſlai Ducis ſuaptè huiuſcemodi ambitionis & lucris peſte flagrantem & infectum, ſuperbum & immitem, conſortis ſuæ Ducisſæ Chriſtinæ ſororis Imperatoris Henrici, ſermones contumelijs & improperijs referti, ad hauriendam ampliorem in facinus bilem inflammabāt, non in hanc, inquit, tam truncatam & tenuem, quæ tibi relicta eſt, portionem, ſed in totius Poloniæ Regni ſpem vnus filia Cæſaris exiſtens, & alterius ſoror, ſponſa ætate viridis tibi tradebar, potentiori & ditiori, niſi hæc ſpes genitorem Cæſarem fefelliſſet, deſponſanda. En ad quam vilem & miſeram conditionem, te marito redacta ſum, multo vt perſpicio in peiorem, niſi interea aliquid prouideris, cum prole ex te ſuſcepta redienda. Ex eo ſiquidem Regno in quo te morituri Patris voluntas, & maior ſanguis, ſplēdidumq;, quod ex me nactus es, coniugium, hæredem & Monarchiam effecerunt, in quartam tantūmodo partem es detruſus, laceratoq; tuo Principatu, & in tres alios fratres, quos magis tibi ſeruire, & tuo parere imperio, quàm ex equo Principari conueniebat, tranſlato, non niſi ſemiprinceps mereris vocari tribus filijs in ſpem totius Regni Poloniæ genitis, exiguam ſortem, & obſcuriores faſces atq; titulos relicturus. Eligibilius mihi fuiſſet fatis abſumi, quàm in tàm ignobile connubium, generis mei ſplendorem obfuſcaturum, prolapſam eſſe. Expergiſcere itaq;, & tam fœdam conditionē,

tibi & proli tuæ perpetuum dedecus, dissolue, omnesq; Principatus à fratribus occupatos iterum & repete, & tam tuæ quàm meæ præsenti & futuræ ignominiæ, si virum te censes non fœminam, dùm licet, consule. Ad quod si te nostra communis non mouet conditio, saltem moueat prolis communis respectus, sortem miseram, nisi prospexeris, subituræ. His & pluribus alijs muliebribus colloquijs sedulò, ægra mens Wladislai Ducis stimulabatur, & tàm animo, quàm vultu, his vocibus illum & frangi & torqueri apparebat. His quoq; & alijs pluribus suggestionibus incendebat virum, donec ipsum affectu germanitatis enecato, in bellum contra fratres pelliceret, & suis suasionibus ad scelestas dementiæ tenebras præcipitaret, vt animo obtemperans suo germanis excidium inferret, idq; quod detestabilius est, qui curandos illos non ex hæreditandos paterno testamento susceperat.

Cracouien Antistes Radost 19. Ianuarij cùm annis 25. Cracouien Ecclesiam rexisset, tùm demortuus est, & in Ecclesia Cracouien sepultus. Huic Robertus seu Rupertus, Episcopus Wratislauien in sedem Cracouien ab Innocentio Papa Secundo translatus, per ordinationem Ducis Wladislai, qui & Cracouien & Wratislauien regebat Principatus, successit. Ad Ecclesiam verò Wratislauien per huiusce modi translationé vacantem magnus in Episcopum Custos Gnesnen Wratislauien & Cracouien Canonicus Ducalis Cancellarius genere Nobilis de domo Zaremba per Innocentium Secundum est promotus.

Secundo Idus Februarij Bela cæcus Vngariæ Rex cum annis Nouem, Mensibus Vndecim regnasset, moritur, & in Alba regali sepelitur, & quatuor filios Geisam, Wladislaum, Stephanum & Aluium reliquit. Cui maior natu Giesa in Regno successit, biennio post mortem Patris in Dominica Inuocauit Coronatus. Consors autem Belæ cæci Regis Helena filia Imperatoris Constantinopolitani, Septuaginta Hungariæ Barones qui cæcationem Belæ procurauerant, capite damnauit, & bona eorum Ecclesijs distribuit, etiam post mortem mariti in cæcationis suæ autores, & in omne genus eorum sæuiens, aut exilio, aut confiscatione bonorum mulctauit.

ANNO DOmini 1142. Ad occupandum germanorum suorum Bolesłai, Mieczłai, & Henrici, sortes & Principatus; Wladislaus Poloniæ Dux animum dietim intendens, dùm iam muliebribus suggestionibus inescatus, ad exequutionem propositi sui procedere decreuisset, frequenti numero Prælatorum & Baronum, in Cracouiam aduocato, an cogitata per eum prosequenda sint, cum illis deliberat. Adhibita est ad id consilium, quo in votum Ducalem Consiliariorum mentes & sententiæ facilius traherent, Ducissa Cristina, pleraq; ad colorandum ambitionis feruorem callido ingenio proposita, inter quæ id vnum præcipuum, erat expedire Reipublicæ Polonorum vnum esse Principem, vnum rectorem, vnum Monarcham, diuisionemq; Principatuum inter fratres celebratam, pro salute rectius corporis rescindendam, & fratres non Prouincijs, non Principatibus, sed ali-

quibus Oppidis & Villagijs donandos, eosq; non pares, sed subiectos, & obsequentes Wladislao velut Monarchæ, à patre & vniuerso consilio Polonorum designato fieri oportere. Secus re acta, & corpore Regni Poloniæ in plures sortes scisso, & Poloniam perditum euersumq; iri, & in prædam vicinis regionibus oportunè virtute debilitata concludebat expositi. Ad hæc & Zbignei fratris naturalis Boleslai Ducis Polonorum defuncti opera, quibus & in fratris & in totius Reipublicæ crebro grassabatur perniciem, memorabantur, nec eo viuo & superstite Poloniam à mutua cæde, & collisione, vicinorumq; hostium oppugnatione, nisi salubri consilio deperisset, quieturam vnquam fuisse. His, & pluribus alijs recitatis, mœstũ & penè obstinatum silentium Consiliarios aliquanto tempore tenuit, apparebatq; iam tùm illos in sententiam Ducis Wladislai, & suæ Consortis Ducissæ Cristinæ minimè transituros. Requisitis deinde Consiliariorum sententijs Primores omnes ferè propositum Ducale detestabantur, impium astruebant & crudele, & ab humanitate alienum, fratres de suis sedibus atque sortibus exturbari, iuraq; gentium, & instituta tàm diuinarum, quàm humanarum legum pessundari & confundi, nil sancti, nil pensi, nil iusti inter homines. hoc exemplo relinqui. Nec eam rem impunè cessuram, sed diuinitatem parti læsæ contra ius fasq; patrocinaturam.

Causam Zbignei naturalis fratris Boleslai nullo pacto huic conformandam, cum ille ex pellice susceptus, hi iusta matre familias, sua quidem materterra, & Imperatoria sorore sunt producti, nullo facinori earum, quibus Zbigneus detestandus erat, obnoxij. Orabant deinde Wladislaum Ducem, quatenus à tàm exitiali crimine sibi & suis nocituro, animum auerteret, & germanitatis memoriam subire in pectus pateretur. Horrendos euentus stirpisque suæ domus & Principatus euersionem. Clades insuper quàm plurimas & non subditorum solùm suorum, sed & forensium execrationes, & cæteras res suo nomine indignas, si destinata effectui mandare pergeret, subiturus, pluresq; alios iptis cladibus inuoluturus. In hanc sententiam cùm penè omnes Consiliarij pedibus ijssent, Dux etiam Wladislaus illã sequuturus sperabatur, naturæ tamen impotentia, & vxoris amor, & paucorum Consiliariorum respectus, qui assentando magis, quàm consulendo in rem ibant, modestum eius propositum, & labefactauit, & peruicit. Itaq; tàm vxoris consilijs, quàm precibus & improperijs expugnatus, in facinus dudum cogitatum consentiens, primum quidem ne Tyrannis sua ab omnibus notaretur, subiectionem & tributum ab omnibus Principatibus, qui in fratrum suorum sortem cesserant, iubet sibi velut Polonorum Monarchæ persolui. Mox deinde iubet sibi & nulli alteri per singulas regiones parere, rebelles, & contumaces, aut verbere, aut carcere, aut bonorum ademptione percelli. Et quoniam Polonorum Proceres, Nobilesq; ad id facinus tutò perpetrãdum, rebatur sibi parum fidos ex Rutenis, cùm & ipse Matre Rutena genitus sit, quosdam auxiliares accersit, eorumque ministerio occupationem Bonorum fraternorum peregit, eo quoq; profecsit inau-

sit iniuriæ, vt ex omnibus possessionibus fratres deturbaret. Nam cum esset inuidus & ambitiosus, vxoremq; sortitus fastu arrogantiæ tumidam & procacem, in rebus etiam ad se trahendis rapacem, per ipsum quidem vicium inuidiæ, Regnum Poloniæ decreuit fratribus suis communicandū non debere, ex ambitione verò decreuit fratres ipsos de terra exterminare. Vxor verò sua fastu tumens superbiæ consortia & mores aspernata Polonorum, officiales etiam suos, Pincernas & Dapiferos vetabat accedere, dicens sibi tædium ex eorum aspectu generari, eò quod anhelitu fœterent, & amictu inculti eius displicerent oculis. Vnde & leuiros suos dedignabatur, fastidiebatq;. Per auaritiam verò, prætextu palliatæ honorificentiæ, sibi nō immeritò exhibendæ, populo terræ mandabat, vt in magnis festiuitatibus pullos gallinarum, porcos, anseres, mel, triticum, auenam, quilibet pro suis facultatibus honorificè ad mensam Ducis liberaliter præsentaret. Quibus aliquot vicibus præsentatis, decreuit vt hæc in posterū ad fiscū annuatim persoluantur, & per hanc astutiam populi libertatem, in debiti necessitatem, & seruitutem obnoxiam conuertit.

Idem penè furor apud Bohemos, qui & apud Polonos, ea tempestate, siue id cælestium vis, siue ambitionis fomes causabat, erat, Bohemi siquidē Principatum Wladislai Ducis sui, propterea quod vegetioris sensus erat, & quosdā eorum officijs submouerat, quibusdam etiam fræna licentiæ remiserat, non ferentes, Conradum Marchionem Moraviæ filium Leutoldi filij Cōradi fratris Wratislai Primi Regis Bohemiæ, ad occupandum Principatū Bohemiæ vafro & doloso ingenio subornant. Conradus itaque Marchio Moraviæ prædictus, ferentibus sibi tum milite, tum præsentijs suis auxiliū. Ottone Olomoneceñ Duce Wratislao filio Vdalrici fratris dicti Conradi, Wladislao filio Sobieslai filij Wratislai Primi Bohemiæ Regis Zbigneo & Leutoldo filijs qui & ipsi Borzywoi suis sedibus & Ducatibus pulli, ad nouadum res, quibus illis suus status reddi posset, animum intenderant, cum valido exercitu in Bohemiam ingreditur, & illam cædibus, igne, & spoliis plurimum velut terram hostilem vexat & contorquet. Eam vastationem Dux Bohemiæ Wladislaus non ferens, in Monte Visoka 7. Calend. Maij cum nonnullis militibus, qui partes suas sequebantur, occurrens, conflixit, & cæde magna, & plusquam ciuili vtrinq; edita, Wladislaus succumbit, & in Pragam refugit. Sed nec illic subsistere tutum ratus, ad Conradum Imperatorem, cuius sororem Giertrudim nomine in consortem habuerat, auxilia petiturus, decurrit. Conradus interim Marchio Moraviæ, victorem exercitum ad Pragam admouens, eam Teobaldo fratre germano Ducis Wladislai ad tuendam ciuitatem Pragen relicto, ne quicquam resistente expugnat, & acquirit, Ecclesiamq; Cathedralem & Monasterium S. Georgij, pluraq; alia loca Deo dicata, & profana incendit, atq; subuertit, magnaque cæde & credulitate, in Ecclesiasticos & seculares vsus, Ducatū Bohemicum sortitur, à quo post paucos dies Socero suo Wladislao personale ferente subsidiū à Conrado Imperatore Romanorū deiectus est.

ANNO

ANNO DOMINI 1143. Gliscente indies Wladislai Polonorum Ducis in fratres suos Boleslaum, Mieczslaum & Henricum Duces sæua Tyrannide, cumque iam fratres ij pluribus castris, Ciuitatibus, Oppidis, munitionibus, & possessionibus, à præfato Wladislao Duce, quem suæ pupillaris conditionis protectorem sperauerant, exuti forent, quid agant? quo se vertant? cuius opem implorent? resistantnè fratri Duci Wladislao, an suos Principatus occupari sinant prorsus ignorant. In publicum quidem venire cum fratre certamen, & ætas infirmior, & fratris Wladislai potentia, rerum viribus longe superior, eos & qui ab illorum partibus erant prohibebat. Veriti etiam ne in victos grauius quicquam Dux Wladislaus irritatus statueret, geri omninò rem armis, & ferro inter fratres, nemini eorum, qui adhuc pupillis stabant, satis placebat. In misericordia itaq; & precibus omnem spem reponendam censebant, & orandum Wladislaum Ducem, vt sua sorte contentus, fratrem se gereret, non hostem. Primum tamen consortem illius Ducissam Cristinam omnium eorum, quæ tùm agebantur, cōcentricem adire suadebant. Ea enim placata, & virum pietate flecti posse. Muliebri verò ira non expugnata, & maritum inexorabilem fore. Eo consilio primum Cristinæ Ducissæ per pupillos supplicatum est, prostratiq; fores Duces in fœminæ conspectu, non tàm vocibus, quàm fletibus, & lamentis, per communem sanguinem, qui illis, cum viro, & secum esset, orabant, quatenus Principatus & possessiones, quas pro suis sortibus, & Polonorum more, & gentium iure, ipso etiam Wladislao Duce diuisionem Sacratam tunc habente, acceperant, sinerentur quiete retinere, ne quoq; Dux Wladislaus in eos amplius sæuiret, & dominia eorum per scelus & nefas occuparet, vtq; iura sanguinis, æquitatis, & iusticiæ, omni Principatu atq; Regno duceret, potiora, plus ignominiæ & decoris, quàm honoris, plus damni quam profectus oppressis orphanis tandem habiturus. Non mouit trucem feminam, neq; iacentium ad pedes suos Ducum & leuirorum fratrum etiam eorum respectus non preces, non lachrimæ, non eiulatus, obstinato ad hæc omnia pectore, preces pupillorum repudians Wladislaum virum suum respondit iustam & necessariam rem egisse, neq; ob id carpendum fore cùm status Reipublicæ Polonorum nisi Regno reunito seruari & prosperari non posset. Scisionem eius, si & ipsi sapere possent, cunctis exitialem esse. Salutarius eos atq; magis sensatè acturos, si se & sua arbitrio & voluntati Ducis Wladislai velut natu maioris permitterent, rebellionem quamlibet & resistentiam in capita eorum, quiq; illis adhærerent, recisuram. Itaq; rigiore quam sperassent, Ducissa Cristina inuenta, pupilli amariores discedunt, quæ nec salubres timoratorum hominum consultationes illam à proposito reuocantes, nec leuirorum submissas preces admittens, nec orari, nec leniri se passa est.

Duodecima die mensis Aprilis Robertus Cracouieñ Episcopus tantūdem, postquam de Wratislauieñ ad Cracouieñ Ecclesiam translatus fuit,

in eius regimine exacto moritur, & iusto honore in Ecclesia Crac. quam viuens dedicauerat, conditur, vir singularis probitatis, cuius optimarum virtutum flagrãtia effecit, vt Cracouien Ecclesia potiùs, hunc pro suo regimine postulans, deposceret, quàm aliquem de suis legeret. Matthæus Scholasticus Stobricen Roberto succedens ab Innocentio Secundo Ecclesiæ Cracouien præficitur, Wladislao Poloniæ Duce eius substitutionem promouente, eo, quòd illi inquadam necessitate subuenerat, pecuniario subsidio sumptuosus, prodigius, & in gulositatem præceps,

Firmato Principatu & Solio suo Wladislaus Bohemiæ Dux, & aduersarijs suis assistentia, & robore Conradi Imperatoris Romanorum, Soccis suis ex Bohemia effugatis, & deiectis, Morauiam cum hostili exercitu ingressus, Primum Conradi Marchionis Morauiæ, deinde Ottonis Prouincias crudelibus flammis, spolijs, cædibus, vastauit. Ducensq; varia spolia & prædas, dùm Marchiones Morauiæ pugnam detrectassent, cùm ferè omnem Morauiam exusisset, in Bohemiam reuertitur.

ANNO DOMINI 1144. Repudium precum suarum Boleslaus, Miecslaus, & Henricus Duces apud Ducissam Cristinam Wladislai Ducis Polonorum & Monarchæ consortem passi, ab omni spe retinendi sortes suas dilabuntur. Iam enim Sandomirien Lublinen maioris Poloniæ, Maioniæ, Lubucenq; Barones, crescente indies Wladislai odio in pupillos, potentioris spem adiuuandam iudicantes, nonnulli verò largitionibus & promissis corrupti, orphanis desertis ad Wladislaum deficiebant. Duo tamen modò reperti Petrus de Dania, qui etiam Piotrek magnus comes de Skrzyn appellabatur, & Wszeborius Sandomirien Palatinus, qui libera fronte pro pupillis starent, causamq; eorum, quo ad poterant, tutarentur. Et Wszeborius quidem armis & ferro rem gerens, etiam in quibusdam particularibus certaminibus superior euadebat, spemq; Wladislai improbam retardabat. Comes verò Skrzyneń Petrus Suantoslai filius, diuitijs & potentia, cæteroq; eius generis ornamentis clarus, probitate verò, & existimatione quamuis externus & aduena, facilè in Regno Poloniæ Princeps, ne ab inuidia minuaderetur, quod magnis viris natura quodam modo comparatum est, euitare non potuit. Caput autẽ & origo suæ inuidiæ ex hinc cepit. Quod frequentibus familiaribusq; sermonibus Wladislaum Ducem, accedens, tyrannidem ceptam, & hactenus continuatam carpebat damnabatq;, oltẽdens non verbis solùm, sed exemplis, eum in propria viscera, & propriã perniciem grassari, nec ea tyrannide vniuersali Regni Poloniæ dominium assequi illum, sed & proprium, & legitimum verti in discrimen, nullaq; re magis, quàm fraterna vnanimitate, & sociali concordia in altum statum, quem tantopere cuperet euasurum. Non surdis autem tantum auribus, sed etiam iniquis quæ à Petro Comite dicebantur audita sunt, tantamq; insuper & tàm feruidam, primùm suspicionem, deinde indignationis flammã Wladislaus Dux Polonorum à Petro Comite reprehensus hausit, vt in illum iuxta ac in fratres tyrannidem vertendam cogitaret, veritus quàm ma-

ximè, ne Petrus Comes Skrzyneń qui ea tempestate, tàm genere, quàm facultatibus clarus & potens habebatur, orphanis adiunctus, & propositũ suum ad irritum deduceret, & potentiam suam, vel confunderet, vel languidaret. Infensum suapte in Petrum Comitem Skrzyneń Wladislai Ducis Polonorum animum in ampliorem bilem Coniunx Wladislai Ducis Cristina accendit, cum qua Dux Wladislaus de rebus quibusq; consultare solitus erat, cùm & ipsa dudum graui ira Petro Comiti Skrzyneń infesta sit. Festarum siquidem venationes quodam tempore tàm Duce Wladislao, quàm Petro Comite, vnâ tractantibus, cum fera cursu suo vtrumq; in desertum, & longe à statiuis distans nemus abduxisset, rugiensq; fame stomachus, carne comprehensæ bestiæ, ægrè fastidioseq; impletus, sitim glacie & niue exclusisset, ambo in super nuda humo, somnum & quietem capturi, decias suas quæ illis ex cibarijs potuq; & ex parum molli strato, contigerant, familiari confabulatione recensérent. Mollius, inquit Wladislaus Dux, cõiugem tuam Petre cum Abbate Skrzyneń reor, quàm nos quiescere. Huic faceto, dicto & ad leuandam præsentem difficultatem à Duce Wladislao prolato, Petrus Comes simile responsum redditurus. Quid scit, inquit, non tantummodo meam cum Abbate sed & tuam cum Dobiesz molles nunc cepisse somnos. Erat autem Dobiesz miles à Ducissa Cristina amatus, cuius familiaritas, pudicitiam Ducissæ Cristinæ in suggillationem apud plerosq; perduxerat. Concepit illico Wladislaus Dux ex ea responsione iras, quas tamen eas supprimens, cùm & sæuiendi oportunitas, parum tunc futura esset, & Petrum Comitem velut affinem suum, qui matris suæ propinquam sororem pro consorte habebat, maiori vltro omnes Barones æstimatione colens, nollet habere alienatum & infensum, sub silentio & patientia rem ad præsens absoluit. In domum verò reuersus tristitiam animi in vultu præseferens, scisciranti vxori mutationis causam, cùm diceret, ne quicquam restitisset, expugnatus tandem sedula importunitate, secretum auida instigatione exigentis mulieris, vel indignabundus, vel vt plerisq; placet, iocabundus, sermones, quos præcedenti nocte cùm Petro Comite de vxoribus inuicem confabulassent, ex ordine aperit. Qua relatione Ducissa Cristina, dùm pudicitiam suam per illos in dubium reuocari credidisset, torta adeò & exacerbata est, vt ab illo tempore muliebri more, qualiter eam iniuriam vltum iri posset, varijs studijs, varioq; æstu mentis certauerit, & iræ impotens neglectam à viro, & nimis leuiter latã iniuriam suam indignabunda, qualiter de Petro Comite sumatur vltio, exquisitiùs voluebat. Ea itaq; occasione, quam retulimus, oblata, omni conatu, omniq; nisu, consilio, atq; suasu, vt de Petro Comite vltum iri posset, Wladislai Ducis viri sui egregium animum pellicit, suggerens eo incolumi nullo pacto plenum Regni Poloniæ Dominum Ducem Wladislaum obtenturum. Studiosius quoq; deinde compositis simulationibus, & per se, & per alios, quos sibi ad id scelus facilius conficiendum adiunxerat, in necem Petri Comitis, quasi rebellionem, & deiectionem, atq;

venenum in necem Ducalem meditandis, animum viri vrgere cepit. Et licet, ne id ageret, à timoratis Viris admoneretur, nil tamen diuinum, nil dignum, nil salubre auris admittebat mulieris, maioriq; vltionis flagrabat ardore, quæ potius pro debito coniugalis muneris errata viri reprimere, & officijs suis flagitiorum etiam inuidiam compensare debuisset. Cæterùm cùm ad explendum in Petro Comite facinus, quod muliebri animo comparatum erat, fidus minister, & vt arcanum illud tuto, ne proderetur illi committi posset necessarius quæreretur, cùm appareret rem per se execrabilem, & quæ non sine euidenti illam administrantis periculo propter Petri Comitis, qua pollebat, potentiam confici posset, singulos quoq; aspernaturos, Dobiesz ad id idoneus visus, priuatam & ipse contumeliam a Petro vlturus, deligitur. Qui etsi onus detestandum in Ducissæ Cristinæ fauorem, quæ etiam illi in facinoris præmium Petri Comitis, quo vigilantius studiosiusq; rem ageret, bona pollicebatur, suscepisset, parum tamen se validum, vt id consequeretur censebat, vna ad id commodissima muliebri ingenio aperiebatur via, si Petrum nil ex præparato agentem in alienis ædibus oppressisset. Tandem Petrus Skrzyneñ Comes filiam suam laxæ Duci Serbiæ nuptum dat, celebrationemq; nuptiarum in Wratislauieñ Ciuitate, vt receptaculum hospitibus esset, & hastarum ludos præmio proposito victoribus indixerat. Illic Dobiesz frequentia satellitum fultus accedens, Petrum Comitem Skrzyneñ incautius se in hospitis morem gerentem captiuat, vinctumq; ex Wratislauia educit, & Duci Wladislao præsentat, nuptiarumq; solennitatem perturbans, conuiuium fædat. Diu ipse eum Wladislaus Dux quicquam grauius consulere cunctabatur, & innocentia viri, & meritorum eius in se & Patrem, patriamq; recordatione deterritus, verita Ducissa Cristina, ne misericordia viri captiuum Petrum absoluisset, non precibus solùm, & consilijs, sed minis discessuram se ab eo, si violatam suam honestatem à Petro inultum iri sineret, contestans, perfecit virum, vt supplicium de optimo, atq; bene meritò milite sumeretur. Missi carnifices, qui linguam illi præcidant, & vtroq; lumine Petrum cæcent, itaq; vir & virtute & opere egregius fæmineo furore pro crimine proditionis affecto, ad pœnas raptus, nobilioribus membris spoliatus & exutus, indigna vltione mulctatus est. A scriptoribus Polonorum tantũ vni huic viro tribuitur vt pro insigni suæ innocentiæ atq; virtutis memoria referatur, diuina propitiatione & miraculo, in quem tot pietatis facinora contulerat, & oculos, plenamq; potentiam visionis, & integram loquellam, lingua instaurata illum recuperasse, & quinquennio, quo post vixit, Monasterijs, Ecclesijs, & pijs locis, his præsertim, quæ ipse fabricauerat, & fundauerat, largas donationes feciſſe. Cætera quoq; supplenda, quæ locis pijs ac Monasterijs prædictis deerant, filijs Constantino & Ægidio in morte mandauisse, celebrem decedens habuit in Monasterio S. Vincentij extra muros Wratislauieñ ordinis Præmonstrateñ, quod ipse viuens fundauerat, in chori medio terræ mandatus sepulturam, magna Polonorum frequentia, eius honestante exe-

stante exequias, ipsisq; funebrijs monstrante, quantum viuum amauerant, sed & in hanc diem Petri Comitis Skrzyneñ nomen apud Polonos extat honorum ac celebre. Consors sua Maria expost fatis intercepta, in eadem, qua Petrus, vna mariti consocianda cineribus condita est, duo insuper versus huiusmodi inscripti sepulchro vtriusq; attestantes sepulturam, qui tales sunt. Hic situs est Petrus, Maria consorte fretus, Marmore splendente, Patre Vilhelmo peragente. Extant vsq; in hæc tempora plures in Polonia Ecclesiæ, quæ ab eo feruntur, muris ædificatæ, licet eorum maior numerus per nouarum constructionem demolitus sit videlicet ad S. Vincentium. Item ad S. Michaelem in Wratislauia, in Strzelno, in Klobuczko, in vtroq; Skrin, Zarnow in antiqua Siewior in Paieczno, in Ruda, in Chelmce, in Wierzyeow, in Lancitia, in Kije, in Opatow, in Pkanow, in Chelmo, in Tyniec, in Chlewiska, in Kościelec, Diœcesis Wratislauieñ ad S. Mariam in arena, ad S. Martinum in Wratislauia, ad S. Laurentium in Kalisz, ad S. Saluatorem ante Crac. in Zwierziniec, ad S. Suiridum, ad S. Laurentium in Cazimiria, ad S. Ioannem, & ad S. Andream, in Cracouia, in Cazimiria, ad 5. fratres in Mstow, ad S. Petrum in Hisza, in antiqua Konin, in Kotow, in Numborg, Sanctimonialiũ, Prædicatorum in Rambino, in Czerwony Kościol, in Lauin Conuentualis, & Parochialis duæ in Tulcze, in Gecz S. Ægidij ante Crobia, & in Iezow. Constat insuper præfatum Comitem Skrzyneñ ingentis animi & Spiritus virum extitisse, & pro amplificanda, exornandaque Polonorum Regione, raram, & homine Magnifico, & liberali dignam monstrasse curam. Qui dùm duas amplas Prouincias Calisiensem videlicet & Crusuicienſem suo regimini à Duce Boleslao Krzywousti commissas, administraret, & frequentia itinera, de vna in alteram perageret, longitudinem itineris, qua vna ab altera distabat mensus, in earum meditullio columnam de saxo, quam etiam in præsens in Cæmiterio Ecclesiæ Parochialis in Konin cernimus locari dispossuit. Cui etiam ea mensura insculpi iussit. De Kalisz hic medium in Crusuiciam forè punctum. Indicat ista viæ formula iusticiæ. Quam fieri fecit Petrus Comes Palatinus.

Innocentius Papa Secundus cum annis tredecem, secundum aliquos quatuordecem, Mensibus Septem, diebus Octo sedisset Romæ Moritur, & in Concha Porphirica miro opere fabricata in Ecclesia Lateraneñ honorificè sepelitur. Cui Cælestinus Secundus natione Tuscus de Castro felicitatis succedit, vir religione & scientia præditus, cum magna Cardinalium vnanimitate ad sedem Petri electus.

ANNO Domini 1145. Petro de Dania Comite Skrzyneñ detestabili crudelitate mutilato cæcatoq;, Wladislaus Polonorum Dux Tyrannidem cæptam, superintendens, non ad occupandum solùm fraternos Principatus & sortes, sed ad eliminandum eos ipsos de patria, studia sua conatusq; conuertit, cum ad id non solùm ambitionis ardore, & vxoris irritamento, sed & impunitate scelerum & assentatione improborum ferretur.

Nemine eius Tyrannidi post crudelitatem in Comitem Skrzyneń deprom-
ptam obstare, aut eius conatus carpere, seu quæ vera & legittima essent,
dicere auso. Contracto itaq; ex omnibus Principatibus & dominijs suis
exercitu, Rutenorumq; auxiliarijs frequentiori numero, quam vnquam
has accersitis, Wszeuolodus enim Kiouień Dux filium suum Suantoslaum,
item Ducem Izaslaum. Item Ducem Wszeuolodimirum Halicień cum co-
pijs Rutenorum in auxilium transmiserat. Boleslaum de Ploceń, Henrici
de Sandomierień Castris fratres germanos depellit, cæteraq; eorum præ-
dia ejcit, & omnes eorum Principatus & terras, iustis Principibus fugatis
subiugat. Vnus tantummodo Miecslaus senex vocatus restabat, Gnesnen,
Posnanień, & Maioris Poloniæ Dux, ad quem hi duo fratres, Boleslaus Cæ-
spus Masouiæ, & Henricus Sandomirień Duces sedibus suis pulsi diffugi-
rant, arcemq; Posnanień omnes tres adeuntes etiam viris armisq; eam mu-
nierant, resistentiam Duci Wladislao, si illic quoq; impeterentur oppositu-
Quod vbi Dux Wladislaus agnouit, ociùs illic ire pergit, celeriori quoq;
quo potest cursu, exercitum admouit, & Posnanień Castrum fortissima ob-
sidione vallauit, vniuersos fratres vno loco, vnaq; obsidione debellaturus,
& comprehensurus. Cinxit deinde sepibus & frequentibus turribus Po-
snanień Castrum, ne cui de obsessis liceret fugere, bombardis quoq; & ca-
rietibus illud nocte & interdiu quatiebat, omnibus ingenijs artibusq; hu-
manis ad eius cunquisitionem intentus. Principes autem Boleslaus, Miec-
slaus & Henricus videntes se per obsidionem illam plurimum coartatos,
ne viui in manus hostiles venirent, ne quoq; in captos quicquam grauius
statui contingeret, mittunt nuncios ad Wladislaum Poloniæ Ducem, re-
gantes, vt nubilo suæ indignationis mitigato, illos hostiliter impetere, &
Principatus eorum occupare desineret; solueretq; obsidionem, & fratre
se, atq; defentorem non hostem gereret, sorteq, sua contentos esse neq; in
exterminium eorum, qui eodem patre essent geniti & æquale in Polo-
Regno ius cum eo haberent, adspiraret, memor humanarum rerum, & su-
am fortunam modeste regeret, & aliena ne vrgeret. Legationem autem
huiusmodi Wladislao Duce fastuosè repellente, & irridente, nil quoq; pace-
ti respondente, Ducibus Miecslao, Boleslao & Henrico, & omnibus cum
eis obsessis maior pauor incessit, fortunamq; suam miserandam & misera-
bilem lachrimosis eiulatibus crebro deplorabant. Pro more deinde inge-
nij humani ad conditiones pacem aliquam laturas versi, deditionem pler-
que facere, Cæteri de aliqua sorte Principatuum cedere, & furorem amb-
tionemq; Ducis Wladislai, vtcumq; placandam, decernebant. Sed cùm cō-
ditio vtraq; grauis & intollerabilis videretur, & Dux Wladislaus non ali-
ter existimabatur quieturus, donec cum fratrum exterminio plenum illi re-
gimen Regni Poloniæ prouenirer, perseuerare in obsidione, eamq; tollera-
re, & omnia extrema pati definiunt, sperantes diuinitatē, quæ pro iusta cau-
sa stare consueuit se & suam oppressionem aliquando respecturam. Sub
ipso autem obsidionis tempore Wladislai Ducis exercitus, auxiliares præ-

sipue Ruteni, prædis, spolijs, & innumerabilibus maleficijs non contenti,
etiam ingenuis Matronis & Virginibus stupra, pleraq; cædes, & corporū
cruciatus, cæteraq; abominanda, & Christianis indigna rabie barbarica
inferebant. Quibus malis Venerandus Iacobus, tunc sedis Metropolita-
næ Gnesnen Antistes permotus, in Castra Ducis Wladislai ingressus in
quadriga aduectus iam enim annis excesserat, amictu & mitra Pontifica-
li, quo terribilior videretur vestitus, & in eadem qua vehebatur quadri-
ga papilionem Ducis Wladislai intrans, prudenti & digesto sermone vt ar-
mis depositis, obsidioneq; soluta, in gratiam cum fratribus rediret, patri-
amq; quæ illum produxerat ac extulerat, barbarica inuasione stupra cæ-
des, spolia, & incendia, in eius exterminium & ludibrium inferendo, per-
sequi & vexare desineret, & sua sorte contentus, aliena contra ius fasq; non
ambiret, benignius quo poterat, exhortabatur, certum illum reddens, ea
mala quæ egisset, non sibi impune cessura, sed futum fundendumq; sangui-
nem in eius perniciem redundaturum, huiusce modi illum conuenit sermone
Venio inquit, ad te Clarissimè Princeps, senio quidem graui, sed anxietate
& dolore maiori confectus, rogaturus, vt bello pernicioso omisso, quo fra-
tres eliminare contendis, labem etiam, qua te, & genus tuum fedare con-
stituisti, attendas, eo quidem maiorem, quo testamento patris curator fra-
trum scriptus amplitudinem illorum non exterminium procurare debueras.
Tu siquidem ex curatore insidiator, ex amico inimicus, ex fratre hostis,
arma quæ pro fratribus opponere conueniebat, in ipsos vertis, quos tutā-
dos assumpseras, multifariæ & collidis, qualis humani generis res, fidem,
societatem, fraternitatem, sanctissima fœdera, ipsum deniq; Sacrosanctum
humani generis vinculum violas, fecuritatis auxilia in metum vertis, malo-
rum omnium, vnde minus expectabātur pericula, in fratres & patriam cō-
geris. Optimum crede temperamentum, oppressa ambitione, qua cales,
depositā tyrannide, quam exerces, cum fratribus, ex æquo viuere, & post
bella execranda, post vultus & actus minime fraternos, subituram tandem
aliquando tibi germanitatis & curationis memoriam. Horrendam hanc e-
xitima, quam prosequeris, & plusquam ciuilem discordiam, stirpem ve-
stram ac Illustre Dominium & Regnum funditus, nisi celerius resipueris e-
uersuram. Honorem amplum & fructū cumulatissimum, si monitis meis
parueris, sin minus diuinam & humanam vltionem percepturus. Reuolue
animo, quam fædum, quamq; plenum dedecoris, & iniquitatis est, te homi-
nem Christianum & Principem de suo Deo & eius assidue pendentē iudi-
cio id agere, quod gentiles à veri Dei & Christiana religione alienos con-
stat execrari, vt plus in pectore tuo possit cupiditas Regni inanis, quàm
paternæ pietatis affectus. At Wladislaus Dux fuga & discessione fratrum
vnam arcem elatus, salubres Pontificis monitus, clara voce, sibi succesſu-
rā varietatem prædicantem aspernari sustinuit, & prosperitatis suæ velo-
rem cursum vana sibi quædam ominans, & pleno velo semper se nauigatu-
rum confidens, à moderationis contubernio exclusit. Sed renitendo tàm

optimo consultationis bono declarauit, quod non in omnes cadit donum prudentiæ salutaris, nec quemlibet patitur possessorem, & superborum atq; insensatorum Principum auaritia obcæcatorum more in sua perstitendum duxit sententia. Obstinato ad ea quæ à Præsule optimo dicebantur, ædito à Duce Wladislao responso dùm appareret illum à rabie concepta, nullo pacto quieturum. Iacobus Archiepiscopus prædictus spiritu diuino impletus, scutum fidei, & loricam spei, velut præliabundus assumens, moxq; è sella, cui insiderat, altius consurgens. Postquam, inquit, lege diuina & humana prophanata, iure etiam gentium, & naturali præuaricato tantos ausus assumpsisti, vt neq; Dei metus & reuerentia, neq; humanæ persuationes & monita, neq; meæ exhortationes & consilia, te queunt à prauis & execrandis facinoribus abstrahere, & ad rectum inclinare, auctoritate Dei omnipotentis, cuius vices in hac parte prosequor, te velut Principatuum fraternorum iniustum violentumq; inuasorem, fidei & patriæ hostem, legũ diuinarum & humanarum transgressorem, & meorum paternorum monitorum rebellem contemptorem, ad omnia salutaria obstinatum, Pharaonicam cordis duritiem præseferentem, primùm quidem coram præsenti, quæ astat multitudine, excommunico, deinde velut pertinacẽ anatematizo, & vltimo velut incorrigibilem vltioni diuinæ puniendum relinquo. Execratus deinde in caput, & exercitum Wladislai Ducis ac etiam in auxiliares copias superos, violatæ ab eo religionis & fidei, sui quoque saluberrimi spreti consilij testes inuocans, anatematezq; illas damnans, in vehiculo vectus ex papilione Ducali recedebat, interminans stipendia, quæ à fratribus exigebat, á se propediem per fratres iustius expetenda. Sed neq; his ingestus terror saxeum mouit pectus, nec excruciatam ambitionis igne mentem sanauit. Non tamen in Præsulem se ferientem contumelijs, improperijs, aut comminatione Principum more vtendum duxit, sed singula sub pacientia perferens, nil se aut corripiente indignum deprompsit, & motus animi omnes in potestate habuit. Egrediente Archiepiscopo de tabernaculo Ducali, auriga Archiepiscopi quadrigam & equos incautiùs agens vltimo axe columnas, quibus papilio Ducalis sustentabatur, euertit, tabernaculum quoque exinde corruens vsq; ad solum cecidit, nec longe abfuit, vt suo prolapsu Wladislaum Ducem opprimeret. Eum quoq; casum Dux Wladislaus ira subpressa, quàm moris sui esset, patientius tulit, & non sibi tantum, sed & aurigæ obiurgationi indulsit, pluresq; suæ patientiæ admiratione tenebantur. Nonnulli verò casum tabernaculi scrupulosiùs notantes, velut præsagium, & euidens futuri casus aduersi signum augurabãtur accidisse. In breui scilicet temporis spatio, post eas, quas á Metropolitano suo salubres admonitiones spretum iri permiserat, post fratrum suorũ, quos preter iustum æquũq; paterna hæreditate exuere æstuebat, humiliationem supplicem, quam ludibrio habuerat, Ducem Wladislaum ominantes runiturum. Vnde & ab aliquibus suis Consiliarijs aditus, atq; rogatus est, vt feroci animo depositio pacificari fratribus sub æquis conditionibus dignaretur, ve-

retur, vereri se asserẽtibus, ne pro armis iniustè sumptis secũ vnà simul diuina obruerẽtur vltione. Dũ obturatas ad omnia salutaria monita aures, & obstinatum animum Wladislai Ducis, Principes, Boleslaus, Miecyslaus, & Henricus & Barones Principatuum suorum, Sandomirien Maioris Poloniæ, Masouiæ, & Cuiauiæ, qui caulæ eorum turpe & sedum deesse putarũt ex literis & nuncijs Iacobi Archiepiscopi Gnesnen singula ex ordine, quæ pro illis gessisset denunciantis sensissent, in vltimam desperationem versi, etiam in mortem & in omnia quæq; indigna, antequam se tàm impio fratri & iniusto hosti dederent, deuouent & destinant. Videntes insuper se longa obsidione inclusos & maceratos vndiq; insuper constrictos, nec vllum effugij locum esse in misericordia, & pietate fraterna Archiepiscopo Gnesnen illum inflectere non valente, nil amplius restare spei, ex ipsa desperatione sumpsere audaciam, promptioresq; in pugnam & in mortem faciebat vltima necessitas, & præruptum periculum. Et vnusquisque ita animatus accingebatur, ad id, quod futurum esse debuerat, prælium, vt deuoueret se potiùs telis hostibus, si ita sors ferret, quàm miserationi fraternæ sæpius petitæ, & nunquam obtentæ, caput obiecturum. Vna & ipsa tardior quàm tempus postulabat euadendi spes erat, si hyberno tempore subuenire, solui hostilem exercitum inopia pabulorum, & intemperie hyemis contingeret. Sed interim quoq;, & apud se noscebant defutura alimenta. Res itaq; suas videntes, ad extremum, nocte & interdiu versas suum exitiũ meditabantur, & crescebat assiduè in singulorum pectoribus desperatio. Quoniam nulla ratio tolerantiam amplioris obsidionis, dùm nulla ventura auxilia expectare fas erat, afferebat. Complexi deinde se inuicem certissimum moriendi propositum, datis dextris, factisq; osculis, quamprimum occasio subierit, assumunt. Crebro itaq; in opera & stationes hostiles, insilientes, magnam stragem conficiunt, Sed dùm ob eam rem militum numerus protuendis operibus duplicaretur, obsessorum Principum milites per multiplices insidias incautos intercipiunt. Sæpius quoq; certamine inter vtrosq; accenso, mirificum prælium sequebatur, plures tamen de exercitu Wladislai Ducis aut capti, aut occisi, quotidie succumbebant, in Rutenos tamen maior, quàm pro numero, in excursionibus & congressionibus huiusmodi cædes edebatur. Pluribus deinde diebus ab obsessis nil mouebatur, Principesq; obsessi omnes suos intra arcem continebant, cùm lacessendi magis, quàm sustinendi hostes leuibus certaminibus experientiam accepissent, nulla parte viribus hostium pares. Dilapsi hostes ex stationibus custodiaq; operum ac cæteri Wladislai milites, postquam ab obsessis copia pugnæ non fieret, corpora curabant, aut luxui ebrietatiq; operam dabant, omniaq; in Castris Wladislai, quasi victi & expugnati hostes solutioraforent, fractos quoq; & vltima desperatione fatigatos Principes, Boleslaum, Miecyslaum, & Henricum, eosque qui secum vnà obsidebantur, ratus, lætus & gloriabundus, deditionem eorum Wladislaus Dux operiebatur. Contemptus deinde hostium, negligentia in exercitu Wladislai, velut re

prosperè succedente, & successura haberi cœptus est. Paucis ad stationes, & opera relictis, cæteri se in varia loca sparserant, pleriq; in lasciuiam explendam abierant, pars aut ludo, aut comessationi, vacabat, quidam hæsternam eructantes crapulam somno strati, iacebant, inermes inordinati vt quibus velut pro comperto erat obsessos de cætero, nil hostile moturos. Vbi Principes satis obsessi contemptum sui viderunt apud Wladislaum & milites eius insedisse, scirentq; ex captiuis & profugis negligentiora omnia apud hostes esse, arma suos capere, fortunamq; tentare iubent, gloriosius aliquanto in pugna aduersis vulneribus, quàm in arce fame & inedia strati, morituri. Omnibus tàm equitibus, quàm peditibus ad erumpendum paratis, signum quoq; rubrum, in turris cacumine Principum iussu erectum est. Cuius erectio dùm militibus in exercitu Wladislai, præsertim Ducibus Russiæ, Suantoslao Izaslao, & Wszuoldi miro tunc ad latus Wladislai considentibus admirationem ingessisset, significatum signi Rutenorum Principibus operosius sciscitantibus Ducem Wladislaum respondisse ferunt Principes obsessos & deditionem offerre, & misericordiam flagitare. Cumq; Rutenus parci victis sequè dedẽtibus abstineriq; à fraterna & propriorum cæde summopere æquum censuisset, ferox Wladislai pectus, siue vltionis, siue exterminij fratrum auidum respondit. Clementiæ & reconciliationi locum de cætero non superesse, sub hac confabulatione & sermone Principes obsessi, cum fortissimis & exercitatissimis militibus, mori potius, quàm cedere persuasis, adhæc cum promiscua cuiusq; ordinis ætatisq; multitudine quæ castro claudebatur, media ferme die, dùm magis sopiti, aut æpulis intenti hostes essent erumpunt, clamorq; ab omni etiã infirma ætate sublatus diu Wladislaum Ducem & suum exercitum suspensum & attentum, amentiam enim illam non audaciam pleriq; rebantur, tenuit. Vbi vero effusissimo & subitò cursu eos ad se pergere aduertunt vehementer perterriti, neq; consilij habendi, neq; arma expediendi spatio dato perturbabantur. Tùm primum trepidatio, siue numine occulto metum illis ingerente, siue quod se nudos impreparatosq; & inermes cernerent, siue quod causæ suæ, & futuro certamini iniustis armis tractando parum fiderent, iuxta acsi insidijs circumuenti fore nt, coorta est, diuersi diuersa molliebantur, nulli, quid potissimum agẽrent, coorta est, diuersi diuersa molliebantur, nulli, quid potissimum agẽdum esset constabat. Nec homines solùm, sed & equos terror ex tumultu & clamore peruaserat. Pauci itaq; inermes equis vtrinq; correptis, dum ordinatis & armatis occurrerent, facilè trucidantur, sparsi & ferè omnes opprimuntur. Nonnullis res precioſius seruandi cura erat, adeò diuersa rerũ conspiciebatur facies, nec quisquam sibi trepidatione aliquid consulebat in commune. In Castra hostilia igne ingesto, incendium late diffundi cepit, materia arida & sicca ex culmo & stramento, quo Castra operta erant, alimentum subministrante. Fuga deinde passim ferrum & flammam euitare conantium, & expost cædes erat sub modico interuallo validum robur ex Polonis, & Rutenis congestum, fusum fugatumq; & Castris, exustum est. Et dùm in omnes partes capessunt fugam, equites fugientes persecuti, magnam

gnam cædem in fugientibus, Rutenis præsertim ediderunt. Nonnulli ab vndis suffocati Wartam & Glowniam fluuios, ad quos certamen gerebatur, cadaueribus impleuerunt. Wladislaus Polonorum Dux cum Rutenorum Ducibus & paucis quibusdam effugiens, versus Cracouiam à suis desertus concessit, mærensque, & calamitate plenus, equos mutando Cracouiam sine miljtũ frequentia, perinde atq; priuatus foret, aduenit. Documentumq; suo exemplo, & præsentibus & posteris dedit, ne quis de potentia confidẽs in aliorum oppressionem cum legis diuinæ & humanæ præuaricatione, & salutarium monitorũ obauditione inexorabiliter aspiret. Principes Boleslaus Miecslaus & Henricus victoria modeste vsi, omnes qui ex Polonis capti erant libertate donauerunt. Ex eoq; tempore res eorum contra Wladislaum fratrem prosperatæ sunt, & omnia quæ illis abstulerat breui sunt recuperata. Castris insuper tàm Wladislai Ducis Polonorum, quàm omnium Rutenorũ Ducum potiti varijs quoq; ex manubijs vtriusq; exercitus Polonici videlicet & Rutenici ditati rebus, plures pro sui solatio, non ex proprijs tantummodo, sed etiam ex forensibus milites armauerunt. Rutenorũ Duces Suantoslaus, Izaslaus, & Wszeuolodimirus per fugam Cracouiam aduenien tàm militibus, quàm rebus nudati, exinde cum paucis militibus in Russiam redierẽ.

Cælestinus Secundus Papa cùm mensibus quinq;, diebus tredecim tantummodo sedisset Romæ moritur, & in Lateranen Ecclesia sepelitur, cui Lucius Secundus natione Bononien ex Patre Alberto succedit, Vir pro mansuetudine & humilitate sui, officio summi Sacerdotis dignus. Qui ex Præsbytero & Cardinali Tituli S. Crucis in Papam assumptus, totam illam Ecclesiam & clausstrum renouauit. Is à Romanis grauem persecutionem passus, venire Conradum Romanorum Regem ad suam defensionem literis inuitauit. Romani enim priscum fulgorem resumpturi, creatis Senatoribus & patricijs Lucium Papam de oblationibus & decimis antiquorum sacerdotum more viuere cogebant, omnium Regalium intra & extra vrbem sibi nequiter vsurpando potestatem. Horum malorum tædio Papa vexatus breui tempore superuixit.

Henricum Olomuncen Episcopum Romam proficiscentem Conradus Marchio Morauiæ occultè captiuare nitebatur. Qui dum manus suas effugisset Conradus Marchio familiaribus aliquibus Episcopi trucidatis, omniq; sua supellectili vsurpata, hospitio etiam Episcopali incenso recessit. Diuinæ propitiationi gratiam humanam Miecslaus senex maioris Poloniæ Dux pro consecuta nobili & memorabili victoria, quam de germano suo Wladislao Cracouiensi Duce & Russiæ Principibus contra suam & omnium spem retulerat redditurus ad fluenta fluuij Warta in villa sua Ducali Lenda Monasterium ordinis Cisterciẽn fundat & erigit, & illud Ducali munificentia villis, prædijs & amplis muneribus donat, dotat, & libertat. Ad Monasterium autem hoc & aliud eiusdem ordinis vocatum Wagrowiec, Monachi in prima Monasteriorum huiusmodi fundatione, ex Monasterio quod

uoca ur vetus Mons tribus miliaribus à Colonienſi ciuitate ſupra Rhenum ſita diſtante ſumpti ſunt. Ab eo autem tempore mos erat laudabilis & omni commendatione dignus, vſq; ad tempora mea obſeruatus, quod nemo in Monaſteria præfata, in Regularem obſeruantiam aſſumitur, niſi ſit genere Colonienſis. Ex quo nimirum prouenit, quod Monaſteria præfata optimo reguntur ordine, tàm in Spiritualium, quàm temporalium gubernatione, paſſura illicò & religionis & rei familiaris naufragium, ſi hunc morem quâdoq; deſeruerint, nec mos ipſe nudè & fortuito, ſed rationabiliter & ex euidenti, & merito præfatis duobus Monaſterijs pro iure perpetuo, & lege perhenni ob eam cauſam fuit conceſſus. Viſitante ſiquidem Mieczſlao Maioris Poloniæ Duce Eccleſiam Aquiſgrani, & corpora Sanctorum Trium Regum in Colonia, dum à Colonienſibus maximis certatim celebraretur honoribus, hanc Colonienſibus refundit gratiam, ſuper qua & priuilegiũ ſcripſit, vt in viciſsitudinem officij ſibi à Colonienſibus exhibiti, nullus ad præfata duo Monaſteria, niſi ſit Colonienſis, poſsit aſſumi, aut in eiſdem tolerari.

ANNO DOMINI 1146. Principatibus proprijs Boleſlaus Mieczſlaus & Henricus, miro omnium Baronum & nobilium fauore & conſenſu recuperatis, cum præter inſitam inuidiam, & execrationem, qua erga Wladiſlaum Ducem occupatorem iniuſtum milites Poloniæ tenebantur, etiam in eam partem verſi erant, quo ſe iam fortuna inclinarat, collectis tàm equeſtribus, quàm pedeſtribus copijs, ad Crac. Vrbem & arcem, in qua Wladiſlaus poſt fugam delitescebat, procedunt, Wladiſlaum inde propulſaturi & ſuas iniurias damnaq;, antequam ex clade apud Poſnaniam accepta ſe reficeret vlturi, rati eo Monarchiam Polonorum obtinente, nouis bellis cum Rutenorum aſsiſtentia, ſe quandoque infeſtaturos. Wladiſlaus autem Dux clade Poſnanieñ perculſus, & tàm militibus, quam fortunis armiſque exutus, cum & homines omnes, omnia loca, animis ab eo alienatis, ſuſpecta haberet, nec ſatis cuiquam fideret de Cracouia in Ratibor, & exinde in Almaniam per Sileſiæ oram ad Conradum Romanorum Regem auxilia ſua imploraturus, ne in iratorum, & pro ſuo merito ſibi infeſtorum fratrum manus incideret, confugit; vxore & tribus filijs in arce Cracouieñ relictis. Cracovieñ autem ciues, dùm Ducibus Boleſlao, Mieczſlao & Henrico vrbem obſidentibus aliquantis diebus obſtitiſſent, tàndem dùm nil ſpei in Wladiſlao & filijs eius ſibi viderent ſupereſſe, portas aperiunt, timentes ne quid hoſtile paterentur. Nec ita poſt multos dies arx cum vxore & filijs Wladiſlai dedita eſt, in quam etſi magnitudo acceptæ iniuriæ conſultatioq; & inſtantia nonnullorum, & præſertim amicorum Petri Comitis Skrzyneñ id magnoperè, & depoſceret, & exigeret. Neq; animaduerſum quicquam, neq; læſitum eſt, ſed ſine iniuria, ſine contumelia habita eſt, & omnis illi honos ab exacerbatis, iuſtaq; ira ſæuientibus victoribus Ducibus & leuiris ſeruatus. Quia tamen liquebat ea in Polonia manente, Poloniam ſatis pacificam eſſe non poſſe, verebanturq; Principes Petrum

Comitem

Comitem Skrzyneñ aut propinquos & affines eius, ſuam quandoq; cæcitatis iniuriam, in ea contumelijs aut occiſione vltum iri, ne futuræ calamitatis, aut mortis euentus ſibi inferendus eſſet, ipſos quoque Duces in ſugillationem adduceret, in Almaniam cum tribus filijs ſuis ex Wladiſlao ſuſceptis, Boleſlao alto, Mieczſlao, & Conrado Loripede ad virum ſuum deducta eſt. Et quæ alienos Principatus ardentius expetijt, iuſtiſsimo Dei iudicio etiam proprios amiſit. Conſortem ſuam Criſtinam cum pignoribus ex Polonia propulſam ad ſe venire Wladiſlaus Poloniæ Dux conſpiciens, contritione geminata affligitur, quod & Ducatum Poloniæ amiſerat, & in externas regiones cum vxore & filijs ſtipe aliena victurus, exulatum ire coactus fuerit. Tunc quoq; primum in malis, quæ illi acciderant, reatum ſuum in Deum & fratres recognoſcens, de aſpernata admonitione Iacobi Gneſneñ Archiepiſcopi corpore & animo torquetur, tum quoq; primum muliebris conſilij, quod præceps magis quàm neceſſarij ſenſerat illum pœnitere cepit. Pulſo Wladiſlao Duce ex Polonia, pulſa tandem Duciſſa Criſtina Conſorte ſua, pulſis filijs, dùm integra per omnes Regiones Poloniæ quies affulſiſſet, Boleſlaus Criſpus cognomine, inter fratres Secundi Matrimonij natu maior, & fratrum Prælatorumq; & omnium Baronum militariumq; conſenſu, maiorem Principatum & Monarchiam Polonorum obtinuit, & ſorte ſua videlicet Ducatu Maſouiæ & Cuiauiæ, & eius ditione integrè remanente, etiam Crac: Principatus, illi, ita, vt fratrem minimum natu Cazimirum, cui à Patre nulla ſors relicta erat, curaret, adiectus eſt. Qui cupiditatis cauſas & occaſiones, propter quas animaduertebat inter fratres, à Wladiſlao procellam grauium cædium & bellorum exortam eſſe, ſuccidens, fratres omnes magna colebat affectione & charitate. Nec ſolum modeſtiam ſummam in eos exercuit, ſed etiam liberalitatem pleraſq; poſſeſsiones iuris ſui eis largiens & condonans. Qua quidem munificentia & modeſtia effecit, vt illi ſumma fide, ſummaq; deuotione ab omnibus pareretur, & fratres abſq; querella & murmure eius obirent iuſsiones & Imperia. Qui etiam Caſimiri germani iunioris curam & regimen ſuſcepit. Cuius iam tunc tàm continentes, tam culti & ornati a ſingulis notabãtur mores, vt vim ætatis ſuperarent. Sub quo tempore à Polonis maximè vulgata experientia notatum eſt, quam validiſsima res eſt iuſticia, eò altius emergens, quo obſceniùs fuerit proculcata, temeratoreſq; ſuos atrociori mulcta percellit, grauiorem pœnam infligens in ſe delinquentibus, & criminoſis.

Lucius Papa Secundus cum Mẽſibus vndecim diebus quatuor, in ſede Petri ſediſſet, Romæ moritur, & in Lateraneñ Eccleſia ſepelitur. Poſt cuius mortẽ Cardinales in Eccleſia S. Cæſarij de Vrbe in cõclaui concluſi, dùm ſuper eligendo futuro Sũmo Põtifice in vota varia ſciſsi eſſent, aliquãtoq; tẽpore cõcordia inter eos prouenire non poſſet, in Bernardũ Abbatẽ S. Anaſtaſij extra Vrbẽ Ordinis Ciſtercieñ B. Bernardi conuerſatione filium, & virtutũ eius ærnulatorẽ virũ Reuerendæ ſenectutis, & vitæ Sanctæ, natione Piſanũ, ex inſperato dirigunt vota ſua, & ipſum in Papam perauſpicationem eligunt.

Qui Eugenius tertius vocatus est in consecratione. quam dùm Romæ non auderet explere, in Farsense Monasterium se transferens, illic eam accepit. Ad hunc etiam B. Bernardus librum de consideratione vicia Prælatorum Clericorum & Romanorum, euidentissimè carpens, scripsit. Iordani autem patricij & Romanorũ suscitatum in se persecutionem vitaturus in Galliam se transtulit, & à Ludouico Franciæ Rege gloriosè susceptus, Concilio Rhemis celebrato, prædicari crucẽ in subsidium terræ Sanctæ multipliciter tunc à Saracenis afflictæ mandauit. Et multos Principes prædicatio ipsa ad assumendam crucem & ad transferendam induxit. Hunc Deus, quia simplex, purus, & rectus erat, mirabiliter ostendit, perfusum in gratia, in facundia, & sermone. Sub eius Pontificatu, dùm apud Viterbium ageret, ab vltimo pæne oriente ab Armenorum Ecclesia & illorum Patriarchæ venerunt solennes Nuncij, gratè ab Eugenio suscepti, omnem illi subiectionem & obedientiam offerentes, formamq; Sacrificij, pro qua cum Græcorum contendebant, à Romana Ecclesia velut omnium Magistra sibi dari deposcunt. Quos Romanus Põtifex suo sacrificio altare, & cunctos ritus addiscere iubens, plenè edoctos remisit. Princeps autem legationis vnus ex illis Episcopus inter sacrificandum summo Pontifice diuina agente, splendido fulgore radium solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes, & descendentes vidit. Quo miraculo in obedientiam Romanæ Ecclesiæ accensus, cunctis quæ viderat, aperuit.

Moritur eo anno magnus Wratislauien Episcopus, cũ paulò plus quàm lustro vno Cathedræ Wratislauien præsedisset, & Ioannes Secundus vocatus Ianik cõcorditer à capitularibus electus de consensu & fauore Boleslai Crispi Polonorum Ducis & Monarchæ succedens, ordinatur à Iacobo Gnesden Archiepiscopo, natione Polonus, & genere nobilis de domo Griphonum, quem cũ Germano suo milite Clemente in Patrimonio suo Brzeznica Monasterium Andreouien fundasse & dotasse in superioribus monstrauimus.

ANNO Domini 1147. Venientem ad se Wladislaum Polonorum Ducem Conradus Romanorum Imperator, primò benignè comiterq; excipiens, cùm aduentus causas intellexisset, spe bona data, animum bonum Wladislao Polonorum Duci habere iussit. Postquàm verò Wladislai Ducis consors Ducissa Cristina cum tribus filijs, à leuiris de Polonia expulsa, suos, & mariti filiorumq; casus, & ærumnas, longo sermone Conrado Romanorum Regi narasset, vt sui & filiorum suorum misereri dignaretur, & per ius sanguinis, & per officium Imperatorium, adiectis lachrimis precabatur, Wladislaus autem Polonorum Dux & per seipsum, & per aulicos Regis sedulis precibus Conradum Regem, vt suæ calamitati præstaret auxilia, & se cùm vxore, & filijs in exilio consenescere non sineret fatigabat. Ad Ducem insuper Bohemorum Wladislaum personaliter se conferens, Ducé verò Rutenorum per Nuncios sollicitans, vt se in Regnum suum restitueret, varijs conatibus instigabat Rumoribusq; continuis Boleslaus Crispus Polonorum

Polonorum Dux, & Fratres sui Miecislaus Senex & Henricus Primus terrebatur, tàm Conradum Romanorum Regem, quàm Wladislaum Bohemorum Ducem cum potentijs validissimis ad restituendum Fratrem eorum in Regnum contra se ab vna & Rutenos ab altera partibus venturos. Æquo tamen animo vulgatos & iniectos excipiebant terrores, & futuræ resistentiæ atq; dimicationis se parabant. Conradus autem Romanorum Rex, etsi precibus Wladislai Polonorum Ducis, & Consortis suæ Cristinæ Ducissæ motus, auxiliaturum se eorum causæ, & restituturũ in Regnum pollicitus frequentius fuisset, rebus tamen Imperij & calamitatibus, quæ terræ Sanctæ, & Christianis in ea habitantibus inferebantur, pluribusq; alijs priuatis & publicis negotijs, ne quam pollicitus fuerat, fidẽ Wladislao præstaret, auertebatur. Expugnata siquidem ea tempestate fuerat ciuitas Edissa, quæ in Sacra scriptura Arach nominatur per Regem Alaph, de Turcarum genere, qui omnes Francos, quos illic inuenit, aut morte aut seruitute damnauit. Archiepiscopum verò Ciuitatis cum toto Clero in Confessione Christi constantissimè se gerentem, felici cruore cæcauit. Adhæc & super aram B. Ioannis Baptistæ speciosissimæ & nobiles Matronæ, & Virgines stupra pati coactæ sunt, & ciuitas, quæ ab Agabaro Rege, cui Christus ante suam passionem Epistolam direxerat, Orthodoxæ instituta tunc primum agentibus profanatur. Ex hoc autem casu Christianitas in partibus orientis plurimum debilitata, succurri sibi magnopere flagitabat. Ne autem Conradus Romanorum Rex causam Wladislai Polonorum Ducis prorsus deseruisse, & ex animo remisisse putaretur, primùm quidem gentes Almanorũ illi concessit, quorum adiutorio Castra duo Niemce & Gredis construens pluribus excursionibus Poloniam lacessebat, deinde Nuncijs & literis apud Boleslaum Crispum Polonorum Ducem & Monarchã, Fratresq; suos institit, quatenus fors Wladislaum contingens sibi redderetur, sibi quoq; adimeretur necessitas & affinem & oppressum adiuuandi. Huic legationi á Boleslao Crispo Polonorum Duce & Fratribus modestum responsum æditum est. Nil nos vnquam in Fratrem Wladislaum Ducem hostile moliti sumus, sed tyrannicum nostrorum Principatuum spolium ab eo passi, mox quoq; etiam exterminium, dùm omni humanitate ne dum germanitate exutus, nullis precibus, nulla æquitate, nulla submissione flecti posse videretur, passuri, ex obsidione, qua inclusi, & pænè extincti eramus, erumpentes, pro Principatibus & sortibus, pro spolijs, pro ipsa quoq; vita cum fratre inexorabili, non aliud quàm sanguinem nostrum sitiente, acie decertare compulsi, ipsum propitia diuinitate cum exigua manu vicimus, bellumq; illatum & mucronem nostris cervicibus, impendentem, Deo iuuante, abegimus, & repulimus. Scimus vero nos æque ac magis etiã quàm Wladislaũ Conrado Romanorum Regi sanguine iunctos esse, scimus quoq; suam causam iustiorem fore, & ob id Romanorum Regi quàm maximè interest, ne iniusto bello se miscendo contaminet, & ne affinibus & innocentibus bellum inferat. Cogitet, discernat, perpendat, & calculet Imperator, quantus hostis noster Wladislaus quoties

insidijs nos petuerit, quod suis, quod auxiliaribus potentijs in capitis nostri periculum vsus fuerit, quanto studio, quanto ardore nœcem nostram maturauerit. Habeat potius ipse iratum, quàm propitium Cæsarem qui crudeliter nos excarnificare contenderat, quiq; non insidiatoris modo sed cùm insidiæ parum processissent, hostis publici carnificis & percussoris, speciem induens contra nos se gessit. Qui etiam prece Archiepiscopi Gnesnensis, quibus vitam nobis deposcebat, repudiauit. Talem eum fuisse Imperator sciat, vt nec quid ageret, nec quid sentiret, aut diceret, dùm modo nos aut propelleret, aut deleret, quicquam pensi habebat. Et proinde induximus in animum (sic prostremo Cæsaris Nuncijs respondent) hosti potiùs, quàm fratri conciliari velle, expulit enim illum, non liuor nolter sed suus non nostra ambitio, sed vxoris, non nostris eiectus est armis, sed suis moribus, quibus nobis Principandi potestate ablata exilium & mortem inferre regnandi cupidine, omnem pietatem, & Archiepiscopalia monita mulieri soli morigerari ardens, perosus maturabat. Hac responsione Conradus Rex adeò mollitus, fractuq; est, vt ardor quem ad promouendam causam Wladislai Ducis Polonorum ex ingeminatione querellarum Wladislai & suæ Consortis hauserat, prorsus in eodem debilitati notaretur. Exulem insuper Wladislaum Poloniæ Ducem carpens, iustè id illi exilium contigisse, iustam quoque fratrum suorũ iram esse dicebat. Qua correctione, ipse amplius quàm exilio tortus, omnem exilij sui culpam in consortem Cristinam tacitis & crebris suspirijs retorquebat. In Almania autem consistens, ex honorato contemptus, ex diuite egenus, vsu & processu temporis esse cepit. Vnica spes in fratrum misericordia restabat, quàm cùm sibi videret negari, quotidie crescentis inopiæ vim altiori gemitu perferebat, neq; se á sua calamitate breui liberatum iri sperabat. In subsidium autem terræ Sanctæ Conradus Romanorum Rex, qui iam à Beato Bernardo in Francfordia circa Mænum cum multis Principibus & Baronibus Almaniæ ad Passagium complendũ cruce insignitis erat, transfretaturus, iter suum per Poloniam, quod & compendiosior & expers periculorum esset via facere destinauit, simul quod sperabat Wladislaum Ducem Polonorum, & Boleslaum, Miecslaum, & Henricum sua interpositione sedaturum. Qui cùm ad fines Poloniæ cum frequentissimo Principum & Baronum numero, equestris quoq; & pedestris ordinis milite, nam & Bohemiæ Dux Wladislaus cum fratre germano Henrico, & Zbigneo patrueli se illi cum suis copijs coniunxerat, accessisset, Boleslaus Polonorũ Dux & Monarcha cum vtroq; Fratre Miecslao & Henrico illi ad terminos Regni Poloniæ occurrunt, & per omnes Regiones Poloniæ Regno subiectas, Regio apparatu excepit, omnesq; sumptus & commeatus, quibus exercitus Regius indigebat, liberaliter, vt Regi Romanorum & se conueniens erat, subministrauit, & in honorem Cæsaris pontes in fluminibus transitu difficilibus construxit. Qua quidem comitate adeò se Boleslaus Dux & Fratres sui Miecslaus & Henricus Conrado Romanorum Regi & suis Principibus insinuauerat vt alienatione mentis, quam

tis, quam in illum ad Wladislai Polonorum Ducis suggestionem concepe-
rat abrogata, miro illis affectu & familiaritate iungeretur. Egit tamen Ro-
manorum Rex Wladislai Ducis Polonorum apud Boleslaum & Fratres suos
Henricum & Miecslaum, causam, instareq; , quàmdiu in Polonia moratus
est, non dolijt, vt Boleslaus Polonorum Dux , & Fratres sui præteritarum
iniuriarum obliti, cum Wladislao Duce in amicitiam redirent. Nec Cæsar
solùm, sed & Wladislaus Bohemiæ Dux, cæteriq; Almaniæ Principes, vt cũ
Fratre Wladislao Duce in gratiam redirent, Boleslaum & fratres eius crebris
obtecrationibus perurgebãt. Boleslaus contra hæc etsi multis facinoribus,
quibus à Wladislao Duce ipse & fratres eius afficiebantur enarratis, omnẽ
reconciliationem, maiores motus, pernicioslioresq; vtrisq; simultates, liuo-
res, bellorumq; stridores suscitaturam respondisset, in Cæsaris tamen pote-
state postquam Passagio prospere acto rediret, se & Fratres suos futurum
pollicebatur. Ita Cæsar rebus Wladislai Ducis Poloniæ magis tẽtatis, quàm
sanatis, nollens tàm munifico & amico hospiti molestus esse, ex Polonia per
Ruisiam & Valachiam procedebat, inde quoq; non per Poloniam solùm, sed
per Ruisiam & Valachiam prosequente Boleslao Polonorum Duce, & om-
nia præparante ad mare Leoninum peruentum esse. Ibi & Cæsar & Princi-
pes nauibus ad id præparatis, milite & armis impositis, versus Constantino-
polim nauigarunt, & apud Iconium se Ludouico Francorum Regi, & Prin-
cipibus Galliarum & Hispaniarum coniungens, res terræ Sanctæ aliquan-
to tempore prosperè gerens, Ascalonam cepit, licet multi de peregrinis A-
lexio Constantinopolitano Imperatore, & Græcis calcem farinæ immiscen-
tibus infirmati obierint. Sed nec Deus Alexij Imparatoris facinus tàm hor-
rendum tulit, nam & ipse pessima morte, & omne suum genus interijt. Ex
Baronibus insuper & militibus Poloniæ aliqui voluntariè Cruce assumpta
præmium propositum merituri, sequuti Imperatorem transfretarunt, & in
suo exercitu, donec rediret, militando, versati sunt.

Martinus Posnanieñ Episcopus annis 19. Pontificatu administrato obijt,
& in Ecclesia Posnanieñ in choro sepultus, Boguchualum Polonum genere
nobilem, de domo Kossy Custodem Posnanieñ apud Znenam confirmatũ,
deinde à Iacobo Gnesnensi Archiepiscopo in Episcopum consecratum ha-
buit successorem.

Post discessum Wladislai Ducis Bohemiæ in terram Sanctam Sobieslaus
filius Sobieslai Ducis Bohemiæ sede patria exulatus ex Almania redijt. Du-
catum Bohemiæ Duce Wladislao absente fauentibus & adiuuantibus non-
nullis Bohemorum Baronibus, spe sua inuasurus. Verùm dum plerosq;
Barones Bohemiæ dulcibus sermonibus & promissis ad votum suum incli-
nare contendit, à Theobaldo Duce Bohemiæ Wladislai germano, cui Bohe-
miam regendam Wladislaus commiserat, capitur, & custodiæ carcerali de-
putatur in Przemenda, bellumque intestinum in Bohemia accẽdendum ca-
pitalitate præfati Sobieslai oppressum est.

Duodecima Iulij moritur Wszeuoldus Dux Kijouieñ & Dux Ior filius

Wlzeuoldi occupat ſedem Kijouienſ. Quod cùm Kijouienſibus moleſtum fuiſſet, Dux Izaſlaus Pereaſlauienſ ab eis accerſitus, venit in Kijow. Contra quem etſi Dux Ior cum fratre ſuo Suantoſlao egreſſus fuiſſet, dimicationem tamen non tentata fugit vterque, & Izaſlaus in Caſtrũ Kijouienſ introiuit cum fauore & gloria. Poſt quatuor autem dies Ior adducitur ad Izaſlaum captiuus, quem in Monaſterio S. Ioannis in Pereaſlaw adhibitis cuſtodibus tenuit in carcere. Cuius cruciatum euaſurus, petiuit, vt ei liceret in ſacerdotem tondi, & permittente Izaſlao, tonſus eſt. Nec poſt multos dies conſpirantibus Fratribus Ior Ducibus de Czernieiow, ſeditione Kiouienſ exorta, quam Wladimirus Frater Izaſlai ſedaturus, parum abfuit, quin & ipſe violaretur, de Eccleſia in qua Ior orabat eductus interficitur.

In Concilio ſeu Synodo generali Remenſ pro medio Quadrageſimæ per Eugenium celebrato, Henricus iunior, qui Patri ſucceſſerat miſsis nunciis cum Bulla aurea, & ſublimationem ſuam ad Romanum Imperium Papæ ſignificat, & querellam contra tres Duces Poloniæ, videlicet Boleſlaũ, Miecyſlaum & Henricum deponit, quod Quartum fratrem ſuum Wladiſlaum in Regno diuidendo, ſorte & portione ſua excluſerint. Querebatur & contra Iacobum Archiepiſcopum Gneſnenſ Metropolitanum Poloniæ, & alios Poloniæ Epiſcopos illius ſuffraganeos, videlicet Matheum Cracouienſem, Magnum Wratiſlauienſem, Suidgerum Cruſuicienſ, Bernardum Lubucenſ, Boguchualum Poſnanienſ, Alexandrum Plocenſem, quod contra iuſturandum Patri ſuo Duci Boleſlao præſtitum in excluſionem prætati Ducis Wladiſlai conſenſiſſent.

ANNO Domini 1148. Vix annum cum dimidio in terra Sancta Conradus Romanorum & Ludouicus Franciæ Reges & Principes qui ſecum ynâ illuc laturi Chriſtianis auxilium condeſcenderant, immorati. Dùm vt præmiſimus, magna multitudo militum ex pane, calce & farina malicia Græcorum & Turcorum cocto, infecta deperijſſet, in Regna & Principatus ſuos variatis magis quàm confirmatis rebus terræ Sanctæ, reuerſi ſunt. Conradus itaq; Romanorum Regem ex Paſſagio prædicto reuerſum, Wladiſlaus Polonorum Dux exilium in Almania agens, accedit, & vt rebus ſuis filiorumque ſuorum conſulat, flagitare cepit. Conradus verò, quia in ſua ad terram Sanctam profectione ex Boleſlai Polonorum Ducis, verbis, ſpe, certificatus erat, ſingula pro arbitrio ſuo Boleſlaum Polonorum Ducem in ea re obedienter facturum, Wladiſlaum Ducem, & ipſe quibus verbis poteſt, eam ſpem ſequi confirmat. Mittuntur itaq; à Conrado Romanorum Rege ad Polonorũ Ducem Boleſlaum Nuncij, qui Boleſlao apud Cracouiam oſtenſo mandata Cæſarea edicunt, precanturq; vt pollicitationi ſuæ præſtita fide Wladiſlaũ Polonorum Ducem in ſortem ſuam Cracouienſ videlicet & Sileſiticum Principatum reſtituat, commiſerationemq; fratri tanto tempore cum vxore & filijs exulanti impendat, ſatis eum pœnæ, pro temeritate, & piaculo ſuo exoluiſſe. Boleſlaus autem Polonorum Dux Legatis Cæſareis magnifico ſumptu, magnificiſq; donarijs tractatis, ambiguum dat reſponſum. Reſtitutionem Wla-

dem Wladiſlai Ducis Poloniæ in Regnum, ſibi quidem & fratribus ſuis Miecyſlao & Henrico agens non aduerſam eſſe, pro honoreq; & beneuolentia Cæſaris deſiderio & voluntati ſuæ, ſe & fratres ſuos morem geſturos. Verùm probè ſibi perſpectum ac notum eſſe reditum Wladiſlai Ducis ſtatum Regni Poloniæ hactenus pacificum turbaturum, cladibuſq; & ſanguine ciuili fædaturum. Proinde in re tali, cum pari ſanguine omnes fratres Cæſari tangantur, Cæſarem proſpicere æquum cenſebat, ne dùm ſuæ inſtantiæ & decreto paritum ſit, bellicus furor inter fratres altius ſerpens, mutua colliſione Regnũ Poloniæ, horrẽda pernicie & ipſũ Cæſarẽ miſerabiliter inuoluat.

Abſumptus eſt eo anno Iacobus Gneſnenſ Archiepiſcopus Vir optimus & grandæuus, qui in Eccleſiæ Gneſnenſ regimine multas de ſe probitates & virtutes annis 28. viuens monſtrauerat, in Eccleſia Gneſnenſ Pontificali honore tumulatus. Succeſsit autem ei Ioannes alias Ianik ſiue Ianiſlaus Wratiſlauienſ Epiſcopus, de Eccleſia Wrath. ordinante Boleſlao Criſpo Polonorum Duce à Papa Eugenio tertio tranſlatus, Wratiſlauienſ verò Eccleſiæ ex tranſlatione huiuſmodi vacante, Valterus Polonus genere præfectus eſt, Scolaſticus Crac: & Canonicus Wrath, à Gneſnenſ Archiepiſcopo Ioanne, iuxta electionem Canonicam, confirmatus, & conſecratus, Nobilis de domo Zadora qui Eccleſiam Wrath: ad id tempus ligneam muro fabricauit, & Eccleſiæ Lugdunenſ ex Gallijs habitum & cultum in eam introduxit.

ANNO DOMINI 1149. Ambiguum Boleſlai Polonorum Ducis & Fratrum ſuorum Miecyſlai & Henrici reſponſum, Conradus Romanorum Rex ad nauſeam & faſtidium accepit, & ignibus iracundiæ contra Boleſlaum Polonorum Ducem & fratres eius, hauſtis etiam per Wladiſlaum Bohemiæ Ducem, qui partes Wladiſlai Polonorum Ducis in Boleſlai Ducis & Polonorum odium promouebat, pluribus ad id accendebatur irritamentis. Ipſe inſuper Polonorum Dux Wladiſlaus in conſpectu Conradi Regis aſsiduè verſatus, vt in patriam reſtitueretur, non tantum quotidianis precibus & quærellis, ſed ipſo ſolo aſpectu commiſerationem & pollicitum ſuffragium exigebatur. Conradus itaq; Romanorum Rex non amplius differendum ratus expeditionem contra Poloniam indicit, ex Regionibuſq; Almaniæ Imperio ſubiectis, tàm equeſtribus quàm pedeſtribus copijs collectis, Poloniam inuaſurus, & Wladiſlaum Ducem exulem ſecum prætrem reſtituturus procedit. Sed & Wladiſlaus Bohemiæ Dux Polonorum hoſtis quàm Almanorum infeſtior, cum omni ſuorum exercituum ex Bohemis & Morauis collecto robore perſonaliter aduenies, Cæſareum exercitum ex ſe magnum, frequentiorem effecerat. Creſcebat Wladiſlao Polonorum Duci exuli certa indies ſpes, & quanto propinquius Cæſar & exercitus ſuus gradum & ſtatiua promouebat, tanto ampliore fiducia replebatur. Iam ad metas Poloniæ peruentum erat. Odra quoq; fluuius tunc ſolito plus vndis inflatus, & quidam motus ex Almania nunciati: Conradum Regem & ſuum exercitum ne traijceret diſtinebant. Boleſlaus interim Polonorum Dux

fratribus ſuis Miecyſlao & Henrico enixius adiuuantibus, etſi gentes quaſ hoſtibus opponeret, ex Polonis tantummodo contraxiſſet, non tamen rem fortunæ committere, & in caſum vniuerſæ dimicationis venire, terrente illum conſertiſsimo hoſtium numero ex varijs nationibus & regionibus collecto, audebat. Sed paternum morem ſequuturus, milites locauerat, qui in impeditis & iniquis locis Cæſareum exercitum lacesſerent, & occaſione bene gerendæ rei non omitterent, plus ſe eo genere pugnæ, quàm dimicatione aperta ratus profecturum. Verùm antequam res ad ferrum & arma veniret, ingenijs, verbiſq; magis, quàm acie dimicaturus, & ſuper imminentem bellicam mollem cui ſe nequaquam videbat parem, diſſoluturus, in Cæſarea Caſtra petita & præſtita ſecuritate peruenit, in frequentiq; concilio à Cæſare dato fraternis facinoribus, Ducis videlicet Wladiſlai expoſitis, deo de iuſticia ſua atq; æquitate diſſeruit, vt Cæſar & Principes reſponſione Wladiſlai Ducis ſatis facilè à concepto furore lenteſcerent, & de pace magis, quàm de bello agendum, componendaſque fraternas diſcordias putarent, ſed & jus hoſpitij, quod Conrado Regi cum Boleſlao Polonorum Duce erat, in Cæſareum ne quid illi hoſtile moliretur ſubibat pectus, verbis extemplo Boleſlaus Polonorum Dux res adiecit, & Primum Conradum Regem deinde primores Principum & Baronum, eos præſertim quorum conſilijs & monitis didicerat, Regem agi, ſumptuoſa largitione & donatione perlicit, effecitque, vt diſceſsionem reuerſionemque frequentes decernerent, nec in eo bello, quod non ſolùm inter domeſticos, ſed etiam germanos gerendum erat, Bolellao Polonorũ Duce & fratribus eius, quicquid Cæſar æquum conferet acceptare ſe offerentibus, immorandum. Et licet Wladiſlaus Dux Polonorum adiutorio etiam Wladiſlai Ducis Bohemiæ fretus, id decretũ quàm maximè improbare & auertere conatus fuiſſet, Principibus tamen & multitudinibus Almaniæ ad penates ſuos & coniuges redire anhelantibus, nullo pacto poterat infirmari. Motiſque altero die caſtris Conradus Rex cum ſuo exercitu & Wladiſlao Polonorum Duce in ſpe ſua ludificato in Almaniam rediit. Sic Boleſlaus Polonorũ Dux bellũ ingens ſine dimicatione & ſine armis ſolo aſtu & prudẽtia cõficiẽs magnus & gratus inter ſuos & exteros cepit haberi.

Suggeſtione hoſtis generis humani Duces Ruſsiæ videlicet Georgius Roſciſlaus, Olech, & Suantoſlaus ſtimulis inuidiæ agitati contra Izaſlaum Kiouieñ Ducem inſurgunt, de ſede Kiouieñ illũ excluſuri. Quibus collectis copijs vadit contra eos, & quamuis Metropolitanus Kiouieñ recipere pacem multifarie perſuaſiſſet. Izaſlaus tamen in multitudine ſui exercitus confiſus fideli conſultatione reiecta congreditur, & multis hinc inde cadentibus ad extremum ſuccumbit. Et pluribus de ſuis aut occiſis aut captis ipſe fugiens venit in Kiow, obſidionemq; à victoribus veritus, recepta vxore & filijs, in Lucko diuertit. Georgius verò Dux cæteris illum Ducibus adiuuantibus, primum Pereaſlaw ingreſſus, poſthæc in Kiow peruenit, & in ſede paterna & auita conſedit. Izaſlaus autẽ Dux & ſedẽ Kiouieñ recuperaturus, & cladem acceptam correcturus, cepit in Polonos & Hungaros donatiuum

erogare, veneruntque illi in auxilium in hyeme anni eiuſdem duo germani, videlicet Boleſlaus Crac: & Maſouiæ, & Henricus Sandomirieñ Duces cũ gentibus & militibus ſuis. Veniunt & Hungari, integraq; hyeme apud eum immorati ad decernendum cum hoſtibus aduerſarijs ſuis æſtuabat, poſitis circa Czermeiow ſtatiuis. Verùm videntes eum cunctanter omnia agere, & virum pauidum eſſe, tàm Duces Polonorũ Boleſlaus & Henricus, quàm Hungarorum copiæ faciunt ab eo diſceſsionẽ. Quo Duces Ruſsiæ comperto, veniunt contra illũ videlicet Georgius Dux Kiouieñ cum duobus filijs Roſtiſlao & Andrea, item Venceſlaus frater Georgij, pluresque alij Duces & auxiliatores, obſident Izaſlaum in Lucko, non ſinentes aliquid ad obſeſſos importari. Cùm autem Izaſlaus diutius obſidionem tolleraſſet, auferunt illi Duces vſum aquæ. Qua neceſsitate difficultateq; Izaſlaus cum ſuis perculſus pacem quam alias ſpũerat per Wladimirkonem Ducem cepit petere. Cuius petitioni Roſciſlaus filius Georgij Kiouieñ & Georgius filius Iaroſlai Duces aduerſabantur. Andrea verò filio Georgij Kiouieñ Ducis pacem petitam dari ſuadente. Georgius Kiouieñ Dux cum cæteris Ducibus Ruſsiæ in eius ſententiã vadens, pacem cum Izaſlao conficit, & eam firmat iureiurando, ſoluenſque obſidionem in Kiow reuertitur.

ANNO DOMINI 1150. Maximo & periculoſo bello in quod vniuerſam Almaniam & Bohemiam conſtabat arma ſumptiſſe à Poloniæ Regno ingenio & prudentia Boleſlai Polonorum Ducis deſpulſo, tranquillæ apud Polonos reſerant. Principes quoque Poloniæ aut iura reddebant populis, aut venationes tractabant. Non quieuit tamen Wladiſlai Poloniæ Ducis inſtantia, quin Conradũ Romanorũ Regẽ in nouã expeditionẽ Poloniæ inferendam accenderet. Conſecutuſque Wladiſlaus Polonorum Dux ſuarum motionum effectum fuiſſet, niſi interim Conradum Regem valetudo aduerſa oppreſsiſſet, cuius diuturnus languor Wladiſlaum Ducem inſtantiam ſuam remittere coëgit. Nõnulas tñ poſſeſsiones & reditus Wladiſlao Duci Cæſar largitus eſt quo & æquanimiùs reſtitutionem ſuam, bellumque contra Poloniam inſtaurandum ferret, & honeſtati atque conditioni ſuæ congruum ſtatũ ageret. Sed & filium præfati Wladiſlai Ducis minorem natu Conradum nomine propterea, quod in tibia deformis eſſet, & ob id loripedes cognomen ſortitus, Abbati Fuldenſi aſſeruandum, & tam literis quam moribus imbuendum, & ſucceſſu tẽporis relligionis amoreum caperet, commiſit, vterq; enim parens eius ob deformitatem tibiarum Monaſterio magis quàm ſæculo ipſum deſtinabat

Boguphalus Poſnanieñ Epiſcopus cùm annis duobus ſediſſet, ſenio incertum eſt, an morbo confectus fato ablumptus, & in Poſnanieñ Eccleſia ſepultus eſt. Capitularibus diſcordantibus Pianus Italus nobilis genere ab Eugenio Papa tertio prouiſus ſuccedit.

ANNO DOMINI 1151. Boleſlaus Polonorum Dux & Monarcha cognomine Criſpus Poloniæ Regnum vndique pacatum, & ſolium ſuæ

Monarchiæ diuinitate propitia animaduertens prosperatum, volens illi ampliorem pacis amœnitatem & stabilimentũ facere cum Wszeuoldimiro Russo, tunc Principe Halicien, affinitatem iungit, & filiam suã Anastasiam nomine accepit in vxorem. Quæ cum ampla dote à patre & Principibus Russiæ Cracouiam deducta, Boleslao præfato copulata est, & nuptiarum solennitas pluribus diebus Cracouiæ habita, Prælatis & Baronibus Poloniæ sua præsentia, militibus vero hastarum ludo, cæterisque militaribus actibus eam cohonestantibus. Exemplum verò fratris sui Miecyslaus aliàs Mieszko maioris Poloniæ Dux secutus, alteram Wszeuolodimiri Russiæ Ducis filiam, Eudoxiam nomine accepit in vxorem, nuptiasq; ex more apud Posnaniam celebrat. Quæ breui tempore superuiuens, masculini sexus prole infæcunda obijt.

Pianus Posnanien Episcopus cum anno vno, mensibus sex sedisset, fato absumitur, & in Posnanien Ecclesia sepelitur. Cui Stephanus genere Polonus de domo Agricolarum, quæ in campo rubro rosam albã cum tribus vomeribus defert, pro insigni electus à capitularibus, & à Ianislao Archiepiscopo Gnesnen confirmatus & cõsecratus succedit de Miecyslai Ducis cõsensu.

Hoc Anno ferunt Ioannem de temporibus natione Gallum, qui cum armiger Caroli magni extitisset, communem tamen & vsitatum ætatis & viuendi modum excedens, trecentis septuaginta & duobus annis pro comperto habitus est vixisse, vt priscorum ætate perfunctus magnum miraculi specimen, prnti & futuræ ætati de tam protenso vitæ suæ spatio reliquerit.

ANNO Domini 1152. Ex diutino languore Conrado Romanorũ Rege ad meliorem valetudinem paulisper redeunte, Wladislaus Polonorum Dux in Almania cum vxore & filijs exilium agens, nouis precibus Cæsarem vt sui & filiorum misertus, illum amplius exulem non patiatur fore fatigat At Conradus Rex, etsi subueniendum Wladislao decreuisset, auxiliumque illi crebrò polliceretur, imperij tamen rebus dietim ad se confluentibus adeò impediebatur, vt sperare magis Wladislao Polonorum Duci auxilium Cæsareum, quàm habere licuerit. Moram itaq; tàm longam atq; continuatam Wladislaus non ferens, militiam saltem sibi à Conrado Rege dari petijt. Quam cum liberalitate Cæsaris impetrasset in Poloniam venit, & duo Castra superiori tempore à se constructa, videlicet Gredisz, & Niemce ex tribibus, roboribusq; fortificat, fossisq; & vallis muniuit, & militum præsidio vtriq; impositio Wratislauien Ciuitatem, quæ vicinior extabat, cæteraque Polonici Regni oras affligere & infestare cepit. Non tulit eam Boleslaus Polonorum Monarcha iniuriam, sed cum vtroq; germano, Miecyslao videlicet & Henrico, & exercitu dominiorum suorum consurgens, vtrumque Castrum obsidione vallauit, populationemq; Regni sui prohibuit. Wladislaus Dux super imminentem non ferens, sed strenuis militibus in Castris relictis ad Conradum pro auxilio militum, quo obsidione solui posset, rediit. Et quamuis milites Wladislai animosè Castra suæ fidei credita tutati fuissent,

longa

longa tamen mora obsidionis fracti, dùm ex Almania ferendum subsidium spes eorum fefellisset & fames primum, morbi deinde in corpora fuecrescerent, Castra Boleslao Crispo Duci & Monarchæ pacti ne quid hostile paterentur, tradunt.

Redijt ex Francia in Vrbem Eugenius Papa Tertius, & tàm à clero, quàm populo, cum tanto humilitatis feruore susceptus est, vt vniuersa concio in laudem suam vociferatione alta depromeret. Benedictus qui venit in nomine Domini. Romanis omnibus pollicentibus, nunquam se de cæro illum, sed nec successores eius in iuribus Ecclesiæ Romanæ vexaturos. Secundo Calend. Iunij Geisa, Vngariæ Rex filius Belæ cæci moritur, cum annis viginti regnasset, quatuor filios Stephanum, Belam, Arphat, & Geisam relinquens, cui Stephanus filius eius maior natu in Regnum succedit.

ANNO Domini 1153. Maioris Poloniæ Dux Miecslaus propter prudẽtiam singulari indole in eo ab ætate tenera relucentem, senex appellatus, qui in maioris Poloniæ & Pomeraniæ Regionibus, quemadmodum in superioribus præmisimus, principabatur. Ioannis Gnesnen Archiepiscopi, cæterorumq; Prælatorum & Baronum dominiorum suorum actus persuasione & consilio, filiam Belæ cæci Vngariæ Regis Gertrudim nomine, Virginem & moribus & forma egregiam accepit in consortem. Quæ ex Vngaria in Poloniam traducta splendidam & Magnificam dotem in vasis aureis & argenteis, cæteraq; suppellectilli inuexit. Nuptiarum quoq; solennitas in Posnanien ciuitate pluribus diebus, sub frequentia plurimorum hospitum habita. Ea verò affinitas ideò expetita & accepta est, vt priorum veterumq; discordiarum, & bellorum inter Belam Vngariæ Regem, & Boleslaum Krzywousti Polonorum Ducem, Patrem Miecslai initorum, obliteraretur memoria, & inter finitima, sibi Vngariæ & Poloniæ Regna, quies & animorum idenditas atq; tranquillitas proueniret.

Vndecimo Calend. Martij Conradus Romanorum Rex Ducum Poloniæ Boleslai, Miecslai, Henrici & Cazimiri Auunculus, apud Naimberk, postquam de transmarinis partibus redierat continua infirmitate decumbens, vita decedit, Regni sui Anno 15. sepultus est in eadem Naimberek ciuitate. Hic licet Imperialem benedictionem, assiduo languore præmẽte, sortitus non fuerit, nil tamen illi præter solum titulum ad Imperialem deerat splendorem, cùm & virtute militari fuerat strenuus, & in singulis actionibus prouidus, & animosus.

Ne autem diutina esset Imperij vacatio, Electores Imperij apud Francfordiam in Quadragesimæ medio Fridericum primum filium Friderici Ducis Sueuiæ, & Conradi Regis Romanorum defuncti Nepotem germanum in Castro nobilissimo, quod Stupha vocatur, & altitudine sua æthera tangere videtur, summo omnium fauore & consensu (magna enim de se atq; præclara transmarinis partibus sub Conrado Romanorum Rege & patruo suo militans, probitatem, cõmitateq; monstrauerat, in Romanorum Regem

assumun t,

assumunt, qui ab Arnolpho Colonieñ Archiepiscopo Aquisgrani in Domi-
nica Lætare in Regem diademate coronatur. Hic successu temporis Fri-
dericus Barbarossa cognomen, cum adulti crinis ex cholera esset, sortitus,
Octuagesimus Sextus ab Augusto, strenuus nobilis & fecundus.

ANNO Domini 1154. Tribus Polonorum Ducibus Boleslai Krzy-
wousti filijs, Wladislao videlicet, Miecslao & Boleslao & terrenarum ac-
tionum occupatione deditis, & Matrimoniali iugo alligatis, Henricus
germanus illorum ingenituræ ordine quartus, cui Sendomirieñ & Lubli-
neñ prouinciarum Principatus obtigerat à suorum dominorum Baronibus
& Consiliarijs, ad nuptiarum fœdus subeundum non poterat impelli. Su-
blimioris enim animi illum ceperat cura, magnusq; animus terrenis & in-
fimis contemptis, magna quotidie quibus & virtus enitescere, & Deus pla-
carij posset, meditabatur. Id tamen in desiderio suo præcipuè versatum est
vt in terræ sanctæ subsidium, cuius pro ea tempestate, à Regibus & Princi-
pibus Catholicis recuperatio agebatur, cum militia qua posset ampliore
se conferret, præsidium publicis Christianorum rebus laturus. Quod cùm
superiori tempore & per ætatem, & propter bellorum patriam infestantu-
um represionem executioni mandare non posset, quietis tempus, quo Po-
loniæ Regnum in pacis amœnitate siluerat, nactus, voluntariorum militū
facto delectu in terram sanctam cum pulcherimo militum apparatu terris
suis Sendomirieñ & Lublineñ in conditionē & gubernationem Boleslai Po-
lonorum Ducis & Monarchæ commendatis, transfretauit. Id ipso autem
profectionis suæ articulo Ecclesiam Parochialem in Iagosc villa sua ad flu-
enta Nidæ sita in honorem Sancti Ioannis Baptistæ fundat, & ampla illi do-
te collata, eam fratribus cruciferis, hospitalarijs, qui & templarij vocabā-
tur, quorum religio propter defensionem terræ sanctæ magna colebatur
deuotione, cùm ad illius defensionem primario respectu fuerit instituta,
commendat in regimen. Postquàm verò terram Sanctam incolumis attin-
git, sancto sepulchro adorato, militiæ Balduini Hierosolymorum Regis se
coniungit, fortissimiq; militis in certaminibus cum Saracenis habitis, ope-
ra exercens, Martyrij palmam se sperabat adepturum. Verùm cum hæc illi
fors tunc obtingere non posset, anno integro illic exacto, aliquibus milita-
bus suis, partim in conflictibus huiusmodi occisis, partim intemperiè aëris
absumptis, in patriam solpes redijt, & tàm à germanis suis Boleslao & Miec-
slao, quàm vniuersis Poloniæ Optimatibus, in maximo honore, & animo-
rum gratulatione exceptus est, cuius relatione qualitas, conditio, statusq;
terræ Sanctæ, & quàm acerrima, quàmq; fortissima, cum barbaris pro illi-
us defensione agantur prælia ceperunt, vulgari, & diffundi.

Cùm Andrzeiouieñ Cœnobium Cistercieñ Ordinis, in fundo Nobili-
um Griphonum Brzeznica vocato, Cracouieñ Diœcesis, tenuibus reddici-
bus prouisum esset, nec numerus fratrum in eo Deo militantium subsistere
illic posset, Ioannes Gnesneñ Archiepiscopus, qui illius primarius, dùm

adhuc

adhuc illum minor haberet status, extitit fundator, certas illis mensæ Ar-
chiepiscopalis decimas largitus est. Cui quidem loco, antequam Conuē-
tualis esset Maurus primum, deindè Radost Cracouieñ Episcopi, etiam a-
liquas decimas mensæ Episcopalis Cracouieñ donauerāt. Exinde autem
locus ipse amplificatus, extūc quidem cepit subsistere, & hactenus propi-
tia diuinitate subsistit. Contulit autem Monasterio præfato Ioannes Gne-
snensis Archiepiscopus præfatus Patrimonij sui villas, Brzeznica, Raleszi-
no, Potok, Lyssakowo, Lanczyno, Rachowa, Tarszowa, Turzewa, con-
tulit & decimas manipulares mensæ suæ Archiepiscopalis Gnesneñ in eis-
dem villis consisteñ. Maurus item Episcopus Crac. Monasterium præfatum
consecrando, donauit eidem decimas manipulares in villis Morawice,
Przewiciáwice, Konary, Miechowo, Wachowo siue Węglowo, Radost
verò alius Episcopus Crac. contulit decimas manipulares de mensa Episco-
patus Cracr in villis Borowa, Przekopa, Liuniewo, hasq; omnes vterque
Episcopus Crac: decimas Monasterio præfato inscripsit. Item præfatus Io-
annes Gnesneñ Archiepiscopus dedit eidem Cœnobio Andrzeiouieñ deci-
mam manipularem in Holuszy, mensæ suæ Archiepiscopalis. Item dedit
decimam quinquaginta aratrorum, quam postea specificè consignauit in
villis Slatoniki, Skotniki, Rambefryce, Iaszewice, Zarczyce, Zdanowice,
Czacow, Brzeszna, Brzem. Item idem Ioannes Archiepiscopus dedit hæ-
reditates istas Viazd, Bsonie, Zarzece, Bsonica, Skowrodno, Kamieńczy-
ce ad eum ex parte cognati sui Smil deuolutas. Item villam per eum emptas
Dzierzązna, Buskow, Tropisow, Biała, Best, Mierzawa.

Mittit Izaslaus filiū suum Mścislaū Polonos & Hungaros contra Wladi-
mirkonem conducturum & non venientibus Polonis, venerunt Hungari, &
Rex eorum Stephanus cum Mścislao, sed Wladimirko Halicieñ Dux visa
multitudine Hungarorum non audet confligere cum eis, sed ex occultis lo-
cis lacessit eos. Et tandem inuasus ab eis transit fluuium, vbi plures ex suis
occiduntur, alij capiuntur, alij submerguntur. Fugiens autem venit Prze-
myssliam sequente eum Stephano Hungariæ Rege, ipsumq; obsidente. Et
cepit petere Wladimirkò pacem, antequam veniret Izaslaus ad Regem Hun-
gariæ cum exercitibus suis. Et relicto fratre suo cum Suantopelkone & e-
xercitu in terga venit solus ad Regem Hungariæ Stephanum cum paucis.
Et dùm venisset ad fluuium San offendit obstaculū, omnia vada quippè flu-
minis Wladimirkò Halicieñ Dux, per suos equestres & pedestres occupa-
uerat, & processit Hungariæ Rex ad fluuium cum suis exercitibus, & Wla-
dimirko videns multitudinem magnam, refugit in Castrum Przemysl, mul-
tis de suis, aut cæsis aut captis. Videns autem se in angustia magna Wladi-
mirko versari cepit petere pacem. Et Izaslao Duce concedere pacem abnu-
ente, Stephanus Hungariæ Rex pacem inter eos componit, & pace conclu-
sa, discedit in Hungariam, Izaslaus in Kiow.

Eodem Anno venit Georgius cum filijs suis, & Rostowcis atq; Szusdal-
cis & cum Ducibus Resani, & vadit in Russiam versus Kiow. Quo audito

Izaslaus egressus est contra eum & Wladimirko reuersus est in Halicz. Dùm autem Georgius esset apud Hluchow, venerunt sibi Polowcy in auxilium in multitudine magna, & Dux Suantoslaus filius Olech, Izaslaus autem Kiouiensis Dux, misit fratrem suum Roscislaum in auxilium Izaslao Dawidowic. Et venit Georgius, & obsedit Czernieiow, & fiebant magnæ pugnæ inter obsidentes & obsessos. Sed dùm sensissent Polowcy aduenire Izaslaum Czernieiouiensibus in auxilium, territi diffugiunt. Quibus discedentibus, discedit & Georgius, & vadit in Nowogrod Szewiorski, & relicto filio Wasilkone, vadit in Susdal, & Izaslaus non inuento Gregorio apud Czernieiow, vadit versus Nowogrod, illicq; dedit pacem petentibus, & reuersus est in Kiow, & Wasilko iuit ad Patrem suum in Susdal, filiũ Mścislaum mittens in Polowcos, Qui solus existens vastat Polowcos & magna præda equorum & pecorum capta, etiam tabernaculis eorum potitur, & nonnullos Christianorum soluit, & reuertitur cum gloria, Eodem Anno Wladimirko Halicien sis Dux moritur.

Eugenius Papa Tertius cum Annis octo, Mensibus quatuor, diebus nouem sedisset, Tiburi moritur & per mediam Vrbem ferè cum totius Cleri & populi turba, & maximo luctu in Ecclesiam B. Petri in Vaticano deductus, circa altare sepelitur. Erat autem vir simplex, sed religiosus, adhærebat, namq; carni eius, tunica lanea, & diebus ac noctibus cuculla, intus habitũ Monachi retinens, extra se Pontificem vestibus & moribus exhibebat. Cui Anastasius Tertius natione Romanus, primùm Conradus dictus ex Patre Benedicto successit.

ANNO Domini 1155. Famosam & celebrem Cistercien relligionem & quæ propter personarum in ea Deo militantium, sanctitatem supra cæteras eo tempore relucebat, Miecyslaus Maioris Poloniæ Dux in suos Ducatus & Dominia introduxit, & in Lubin Diœcesi: Wratislauien Monasterio constructo relligionem ipsam primus in Diœcesi Wrath plantauit. Ducalíq; munificentia erga Monasterium à se fundatum, vsus, villas, oppida, introitus, & prædia in dotem liberaliter illi contulit, vasisq; & vestimentis necessarijs ad sacra & ornamenta spectantibus mirificè insigniuit. Hunc locum relatio ferebat templum idolorum famosum quondam fuisse, dum Polonorum natio gentilibus ritibus, & erroribus tenebatur adstricta. In oppido insuper Kalisz Gnesnen Diœ: Ecclesiam, ex dolatis lapidibus in honorem Doctoris Diui Pauli fabricans Præpositum & aliquot Canonicos in ea constituit, & dote sufficienti prouidit. Ad quæ quidem opera pro laude nominis diuini, & salute fidelium instauranda, non solùm propriæ deuotionis ferebatur ardore, sed etiam Ioannis Archiepiscopi Gnesnen incitabatur persuasione, qui cultum Dei propensius in diebus suis augendum æstuabat, Vdalricus filius Sobieslai Bohemorum Ducis, dum Wladislai Bohemiæ Ducis, qui patri suo Sobieslao in Bohemiæ Ducatum successerat, conspectũ fugiens in Almania aliquanto tempore mansisset, in Bohemiam redijt. Verùm Wladislaum Ducem non tàm sibi purum ac propitium prout sperauerat,

considerans, tyrannidemq; suam pertimescens, cum suis sequacibus in Poloniam, cui Pater suus Sobieslaus pro beneficijs acceptis plures hostilitates intulerat, diffugit, & à Boleslao Crispo Polonorũ Duce, ne dum susceptus & recollectus, sed etiam propitiè & fauorabiliter tractatus est.

Anastasius Papa Tertius cum Anno vno mensibus quatuor, diebus viginti sedisset, moritur, & in Ecclesia S. Petri in concha porphirica accepit sepulturam. Post cuius mortem Nicolaus Albanensis Episcopus, & Cardinalis natione Anglicus, qui Adrianus Tertius vocatus est, in summum Pontificem successit.

ANNO DOMINI 1156. Operum suorum bonorum Miecyslaus maioris Poloniæ & Pomeraniæ Dux, quæ in fundando Cœnobio Lubineñ & Ecclesiam S. Pauli in Kalisz collegiatam erigendo egerat, mercedem & fructum glorioſum excepit, Coniunx etenim sua Gertrudis Ducissa filiũ illi peperit, de cuius natiuitate Miecslaus Dux exhilaratus in Posnanien ciuitate, curia indicta, solennitatem Baptismi diebus aliquot celebrauit, nomenq; filio in Baptismate Otto imposuit. Ne Cæsarum Ottonum, ex quibus ipse materno sanguine satus erat, nomen obliterari posset.

Lustro vno Stephanus Posnanien Episcopus in Pontificatu exacto, Paralism incurrens moritur, & in Ecclesia Posnanien sepelitur. Cui Raduanus Scolasticus Posnanien substituitur per electionem Canonicam nobilis de domo Srzeniauitarum, à Ianislao Gnesnen Archiepiscopo confirmatus, & in Ecclesia Vnieiouien de consensu Miecslai maioris Poloniæ Ducis, consecratus.

Fridericus Romanorum Rex vocatus Barbarossa, collecta germaniæ Principum & militum multitudine, in Italiam Imperialem benedictionem accepturus processit. A quo cum Veronenses pro transitu pecuniam exigen iter suum retardarent, promissa pecunia difficultatem dissoluit, & 12. Veronensium legatos ad se pro pecunia venientes in patibulum egit. Terridona munitissima ciuitate victa, Spoleto verò exusto Romam perueniens, ab Adriano Papa cum magno gaudio omnium susceptus, in Imperatorem Coronatus est. Coronationem autem suam ingens seditio secuta est, nam Romani in porta S. Angeli, familia sua inuasa, dùm plurimos trucidassent clamore facto à Cæsareis militibus victi, & magna cæde adeò domiti sunt vt Tiberis sanguine interfectorum rubras vndas ostentaret, Agente tamen Adriano Papa, pacificatus est Imperator Romanus, & plures, qui capti fuerant, Romanos, absoluit. Et quamuis Imperator magna fuerit Adriano Papæ familiaritate coniunctus, Post tamen Imperatoris ex vrbe discessum, plures simultates inter eos conflatæ, & aliquanto tempore ventilatæ sunt, cum Papa coronationem ei præstitam pro beneficio, Imperator pro debito computasset.

Suidgerus Crusuicen Episcopus cum annis 23. præfuisset eidem Ecclesiæ ex hepatis vitio moritur, & in Crusuicien Ecclesia sepelitur. Cui Honoldus genere Italus ab Adriano Papa Quarto, ad petitionem capitularem, & Bo-

leſlai Criſpi Polonorum Ducis & Monarchæ datus ſucceſsit. Sub cuius regimine ſedes de priſco Cruſuicieñ loco Wladiſlauiam tranſlata eſt.

Anaſtaſia Duciſſa Boleſlai Criſpi Polonorum Ducis & Monarchæ consors primario partu filium effudit, de cuius ortu pater ſingulari lætitia repletus, nomen illi ſuum Boleſlaus impoſuit.

Veterem hoſtilitatẽ Izaſlaus Kiouienſis Dux vltum iri ſatagens, contra filiũ Wladimirkonis Ducem Halicieñ mouet bellum, vtriſq; autẽ copijs ad fluuiũ Sereth cõuenientibus, fit conflictus, à quo abſtinere, & in Halicz redire Wladimirkonis filius (vnicus enim erat) rogatu militiæ ſuæ, coactus eſt. Vtriſq; autem pro victoria adnitentibus, fit cædes ingens, & tanta inuolutio, vt ſe inuicẽ non cognoſcerent, & vtriq; abirent prouictis. Et captiuati ſunt plures ex Halicieñ per milites Izaſlai, & plures Izaſlai milites per Halicieñ. Diffugientibus autem fratribus Izaſlai Suantopeikone, & Wladimiro, & filio ſuo Mſćiſlao remanſit Izaſlaus in loco certaminis cum pauca militia. Sed timens ne interim occuparetur per Halicieñ, iuſsit occidi captiuos exceptis notabilioribus quos ſecum deduxit in Kiow.

Alexander Ploceñ Epiſcopus, cum annis 27. Pontificatum geſiſſet, obijt & in Ploceñ Eccleſia ſepelitur. Cui Vernerus Scolaſticus Ploceñ genere nobilis de domo Rozæ conſorditer electus ſuccedit. Cuius electionem Ianiſlaus Gneſneñ Archiepiſcopus, facilẽ de conſenſu Criſpi Ducis Poloniæ. Vir enim erat eximiæ religionis & deuotionis in Deũ confirmauit, & apud Lancitieñ Eccleſiam in Plocenſem ordinauit Epiſcopum.

ANNO DOMINI 1157. Ex Italia & Gallijs Fridericus Imperator diſcedens & in Almaniam rediens, omnium Principũ Almaniæ in Wienburg alias Herbipoli pro Pentecoſtes feſto die agit conuentum, in quo & filiam Burgundiæ Ducis Beatricem ſibi in matrimonium iungit, & de bello Mediolaneñ inferendo, quos conſtabat aperta rebellione erga Cæſarem victos eſſe, cum Principibus conſultat.

Inter hæc & Wladiſlaus Polonorũ Dux corã Cæſare & Principibus cauſam ſuã agere cepit. Duodecimus, inquit, Cæſar optimè, labitur annus, ex quo cum coniuge & liberis, per fratrum odium & liuorẽ patria pulſus ſum, in terris tuis indignũ exiliũ ago, nec ſpei meæ pollicitationiq; Cæſareæ, aliquis effectus reſpõdit. Prædeceſſor quidẽ tuus Cõradus, dùm crebris legationibus reſtitutionẽ mei efficere nequiret, armis illã effecturus, legiones in Poloniam duxerat, ſed à fratribus meis Poloniæ Ducibus falſis promiſsis & blãdicijs victus, cãpoq; detractus eſt, neq; poſt hæc curis Imperij & languore diſtentus arma in mei reſtitutionẽ, licet id crebro polliceretur, reſumpſit. Non mea iam ſors, ſed filiorũ, ne & ipſi in exilio mecũ vnâ conſeneſcãt, me perurget. Quos conſulã? Quos deprecer? à quibus cõmiſerationem ſperem? præter te vnum Cæſar, quem in hanc diem colui, cuius quoq; ſubue-

gis meæ, quæ & ipſa mecum exulat, & Neporum tuorum, filiorum meorum, quos in viros, dùm huc pueri allati erant, euaſiſſe vides, miſeria mouearis, Duxit, & tres filios iam adoleſcentiam tranſgreſſos pulcherrimæ & raræ indolis iuuenes, pedibus Imperatoris, quo facilius eum in miſerationem flecteret, admouit, Extorrem ſe factum habitationis patriæ ſubinſulit, terram, in qua ſit natus, negari ſibi, Boleſlaum, Miecyſlaum & Henricum incubare Principatibus ſuis, qui ſibi, & filijs perſcelus erepti forent. Dux deinde Bohemiæ Wladiſlaus, huoris magis in Polonos, quàm pietatis in exulem reſpectu, ne id ludibrium ferat Cæſar, pertinaciamq; Poloniæ Principum ſuo calcaneo aduerſantium domaret, admonuit, vniuerſi deinde Principes Almaniæ, huic petitioni aſſenſi, vt reſtitutionem Wladiſlai Polonorum Ducis efficeret, Cæſarem Conſilijs, precibuſq; impellebant. Wladiſlaus enim Polonorum Dux & ex continuo contubernio, & ex diuturna mora, ferè omnium ſibi Almaniæ Principum, & familiaritates, & amicitias meruerat. Fridericus autem Cæſar, cùm & ſuapte ad ferendum exuli ſubſidium moueretur, Frequentibus tamen Principũ conſilijs ſententijs & precibus adeò peruictus accenſuſq; eſt, vt prius in Polonos, quàm in Mediolaneñ expeditionem indiceret, & exulis cauſam citius agi, quàm propriam malleț. Verùm quia æſtate illa expeditio ipſa minime propter temporis defectum prouentura videbatur, quo iuſtior belli cauſa eſſet, mitti primum ad Duces Poloniæ qui nomine Cæſaris reſtitutionem exulis admonerent, belloq; inferendo terrerent, placuit legatos. Hi cum ex eodem Conuentu in Wieczburg habito miſsi eſſent, Boleſlaum quoq; Ducem & Monarchã Cracouiæ offendiſſent Imperialia mandata, vt erant inſtructi, & iuſsi, corã eo, & duobus reliquis fratribus Miecyſlao & Henrico, quos gratia audiendæ legationis præfatæ Boleſlaus Cracouiam acciuerat, edicunt. Orabant autem, vt Ducis Wladiſlai fratris ſui errori, veniam, & tranſgreſsioni tribuerent, mouerenturq;, etſi nõ germanitate, ſaltem calamitate hominis, & Cæſarea interceſsione. Satis Wladiſlaum Ducem, pro delicto pænarum dediſſe. Boleſlaus autem Polonorũ Dux & Monarcha fratrum & Conſiliariorum ſuorum deliberatione legationem Cæſaream expendens, reſpondit. Nullius ſe & fratres ſuos in Wladiſlaum Ducem admiſsi facinoris conſcios, neq; ſe fratri bellum intuliſſe, ſed illarum propulſaſſe. Illum tàm crudelem in ſe fuiſſe, vt non communione ſanguinis non eorum adoleſcentia, non precibus quominus ad exterminium eorum, ſuos omnes conatus intenderet, moueretur. Indignum Wladiſlaum Ducem venia, indignum miſericordia & interceſsione differunt, qui omnis cognationis, omnis æquitatis oblitus, nec iuris diuini, nec humani, ſed nec iuris gentium ſanctiones, nec patris teſtamento ſcripta legitima Imperia pati, & cuſtodire potuit, ſed nec tunc dum illos ad vnius caſtri Polnanieñ angulum redegiſſet, Gneſneñ Archiepiſcopi Iacobi paterna obſecratione placari poterat. Se quidem non tàm impios eſſe, vt non velint fratri tanto tempore exuli miſereri, ſed vereri, ne reſtaurus ad exterminium eorum ardentius, dùm ambitioſo animo exulcera-

tus accesserit, intendat. Rogarent proinde Cæsarē, vt erga illos indignationem non moueret, restitutionem fratris ciuile bellum, cædemq; & exterminium multorum effecturam. Cum hac responsione Imperiales Nuntij, comiter & liberaliter habiti, dimissi, cùm redijssent, Fridericus Imperator responsione ipsa magis offensus, quàm mollitus expeditionem contra Poloniam in futuram æstatem Wladislaum restituturus, Almaniæ Principibus & militibus pronunciat, occasione belli hinc maximè accepta, quod Poloniæ Duces, eius Imperio recalcitrabant. Imperatori autem Sacramentum fidelitatis præstare, & tributum quingentarum marcarum argenti annis singulis publico ærario Imperij inferre, ab eis exigenti negabant, satius ducentes mori, quàm Poloniæ Regnum subijci tributis, apertisq; & euidentibus responsis, nunquam se sub Imperio aut tributis fuisse, & non calculariam sed manifestam oppositionem se pro libertate facturos moliebantur.

Effudit hoc anno consors Miecslai maioris Poloniæ & Pomeraniæ Ducis Ducissa Gertruda alterum infantem, cui mrē oblecrante Stephanus nomen inditum est. in Hungariæ enim Regno Stephanus Rex suus nepos ex fratre germanus principabatur, nec multò post diem puerpera obijt.

ANNO Domini 1158. Boleslai Monarchæ Ducisq; Polonorum & fratrum suorum Miecslai & Henrici responsione Fridericus Romanorum Imperator irritatus, magnas concepit iras, & suo in Herbipoli condito decreto satisfacturus, expeditionem in Poloniam mouet, maximumq; tàm ex equestribus, quàm ex pedestribus copijs mense Augusto per Saxoniā exercitum traducens illam ingreditur, cui in Saxoniæ finibus Wladislaus Bohemiæ Dux cum Bohemis Morauisq; se coniungit, & exercitum Imperatoris per se magnum effecit ampliorem. Omnes enim Imperij vires, & omnem Almanicam nationē, Francos, Sueuos, Rineñ, Bauaros, Saxones Lotoringos, Misneñ, quod magnæ execrationis poterat videri, ipsos etiam Morauos & Bohemos vnius penè nationis cum Polonis & linguæ contra Polonos vidisses, infesta arma induisse. Imperator itaq; Fridericus contra Polonos exercitum mouens, cum maximis copijs ad fluuium Odram, cum magna difficultate penetrauit, & vndecimo Calend:Septemb. Odram tùm exercitu preter opinionem transnatauit.

Boleslaus itaq; Miecslaus & Henricus Polonorum Duces, quamuis & ipsi cum suorum militum exercitatissimo robore Imperatori Friderico occurrissent, vires tamen suas metiendo, dùm illas constaret hostilibus multò inferiores & dispares, hostem ex insidijs & paludinosis, & iniquis locis lacessentes in discrimen notorium vniuersæ dimicationis non veniunt. Turmis quoq; militum, & belli muneribus, inter se partitis, in loca diuersa abeunt, atq; ex illis hostes incautius prædatum, aut pabulatum progressos, aut capiunt, aut interimunt. Omnia insuper loca, per quæ Imperatoris exercitus transiturus erat, ab eis viciniora, interq; castra & oppida munita videlicet Glogow & Bitom igne iniecto consumunt, quæ res in magnas difficultates commeatu & pabulo deficiente Imperatorium exercitum induxit. In singulis quoq; statiuis magnus equorum numerus fame tabefactus subsistebat, frequenteq; milites ex ordine equestri ad peditū numerū redacti erant, nec pabulatione sine manifesto periculo ad remotiora loca progredi poterant, quærendi pabuli gratia, periculosis insidijs, aut trucidandi, aut capiendi. Crebra quoq; priorum mors, & trucidatio reliquos adeò terruerat, vt in singulis siluis, rubis, aut siluetis insidias Polonorū consistere vererentur. Accesit & amplior exercitui Cæsareo pernicies, mollia enim & delicata Almanorum corpora, & vini & ceruisiæ ex hordeo coctæ, quorum in Polonia vsus, non est assueta, ex assiduo aquarum haustu in dissenteria prolapsa sunt, adeoq; dissentericus morbus in eorum corpora vulgatus erat, vt maiorem partem Cæsarei exercitus ea pestis peruaserit. Cùmq; grassatio eius nulla arte, nullisq; herbis, aut antydotis inhiberi posset, omnes à Cæsare reuersionem flagitabant, neq; in malo auspicato bello censebant cum sua pernicie & interitu immorandum. Cæsar etsi vocibus procacibus, precationibusq; his, sed & suorum mortibus & ægritudinibus moueretur, pudorem tamen ne cœptum bellum leuiter omitteret, retrahebatur. Quid tamen ageret, aut quē fructum ex bello huiusmodi sperare posset, cum Poloni in aciem non prodirent, assidua angebatur perplexitate. Sed nec expugnationi Castrorum aut Vrbium intendere poterat, quippe Vrbes raræ & castra apud Polonos ea tempestate habebantur, sed & pleraq; Poloni sub aduentu Cæsaris, proprio igne deleuerant, ad paludinosaq; & inuia loca nonnullis desertis diuerterant. Sola itaq; agrorum populatione tám validus & numerosus exercitus contentus, tectis innocuis ignem injcebat. Territoria quoq; & districtus Wratislauien & Posnanien incendio & spolio vastabat. Inter hæc solertissimus Imperator & expeditionem illam, cuius illum sæpè pænitebat, & discessionem suam, quam fames & morborum pernicies, militumq; clamor & vociferatio exigebat, honestaturus, per Wladislaum Bohemiæ Ducem, velut communem partium amicū egit, vt Polonorū Duces Boleslaus, Miecslaus, & Henricus pacem à Cæsare expeterent certitudine facta, eos pacem consecuturos Bohemiæ itaq; Ducis pollicitatione Duces Polonorum permoti, sub securitatis conductu in Cæsarea castra apud villam Kriszogowe statiua habenti perueniunt & in tabernaculum Imperiale, vbi frequens consiliariorum numerus conuenerat, deducti, per organum Boleslai verba faciunt. Si scrupulosius inquit, Cæsar optime & nostram & fratris nostri Wladislai, in cuius restitutionem & fauorem bellum nobis infers, causam examinasses, nequaquam contra nos hostilem animum induisses, ea enim iusticia causam nostram conspiceres esse præditam, vt magis illi defensio quàm vexatio debeatur. Qui etsi tuus gener sit, inficiari tamen nos potes, & nos de sanguine tuo satos esse. Nobis quidem persuasum est, neq; tibi, neq; tuorum, cuiquam fratrem nostrum Wladislaum exilij supplicio iniustè affectū videri, quo tres nos omnes fratres suos, nisi iusto marte concidisset, affecturos erat. Et quamuis plurimis damnis patriam nostram sine demerito afflixeris,

xeris, in caſtra tamen tua venimus, ſingulis cauſis & quærellis quibus poſ-
iniuſtè coram Cæſarea tua Maieſtate onerauit, in faciem præſentes reſpon-
ſuri. His dictis Fridericus Romanorum Imperator Ducibus Poloniæ ſereno
vultu exceptis benignè reſpondens, ait fratris veſtri Wladiſlai calamitate,
cui nullam miſerationem à nobis & prædeceſſore noſtro Conrado rogati,
præſtare voluiſtis, moti, in præſens bellum deſcendimus. Quod etſi maxi-
mo geratur ſumptu, humanitas tamen noſtra tanta eſt, vt facile vobis igno-
ſcat, ſi frater veſter Wladiſlaus plenam ſuorum Ducatuum ſortem accepert.
Interponuntur poſt hæc de pace & reconciliatione tractatus, inter Impera-
torem Fridericum, & Duces Polonorum ſub duabuſq; conditionibus pax
componitur. Vt videlicet fratrem Wladiſlaum ſuis Ducatibus Duces Polo-
norum reſtituant, & trecentas lanceas Cæſari in bellum Mediolaneñ mittat.
Et dùm vtraq; conditio à Ducibus Polonorum Boleſlao Miecſlao & Hen-
rico accepta eſſet, Imperator Fridericus ex agro Polonico legiones deduc-
cens, in Almaniam multis ſuorum amiſsis remeauit, neq; ſolùm Ducibus
Poloniæ pacem ſub conditionibus dedit, ſed etiam affinitatē cum illis iun-
xit, Miecſlao maioris Poloniæ & Pomeraniæ Duci neptem ſuam Adleidam
dando, cum dote inſigni in conſortem, magis diuturnam exiſtimans pacem,
ad cuius æquas conditiones languinis vinculum adijceret. Purgauit etiam
tunc ſe Boleſlaus Poloniæ Dux cum fratribus iureiurando, quòd fratrem
ſuum Wladiſlaum non ad ignominiam Imperij expuliſſet, pollicitus pro die
Natiuitatis CHRISTI ad curiam in Maideburg perſonaliter venire, & iux-
ta iudicium & ſententiam Polonorum & Bohemorum ſuper expulſione fra
tris ſui Wladiſlai reſpondere & parere. Omnibus tamen quæ promiſerat
neglectis, nec ad Curiam Cæſaris pro die conſtituto venit, nec ſufficientes
pro ſe procuratores miſit, Italicam tamen expeditionem adimpleuit, ma-
gnificè & animosè.

Anaſtaſia Duciſſa Boleſlai Polonorum Ducis conſors, filio edito, cui
nomen Leſzko datum eſt, morte abſumpta eſt. Ex cuius obitu Boleſlaus
Dux diuturno cruciatus mœrore alteram ſuperducere aliquanto tempore
abnuebat. Eclipſis ſolis notabilis eo anno nona hora apparuit, & Ieruſalē
Sancta à Zoldano Babiloniæ capta eſt, multis Chriſtianorum militibus illic
aut occiſis, aut captis, obſcurationem autem ſolis fames valida, qua pleriq;
mortales abſumpti ſunt, ſecuta eſt, quæ Poloniam, & eius regiones notabi-
liter afflixit.

Tredecima Nouembris moritur Izaſlaus Mśćiſlawic Dux Kiouieñ & ſe-
pelitur in Monaſterio S. Theodori, & Izaſlaus Dauidowic volens intra-
re Kiow non eſt permiſſus à Wenceſlao & Mśćiſlao filijs Izaſlai. Et venit
Rośćiſlaus ex Smoleñſko frater Izaſlai, & Kiouieñ accepit ſedem. Poſthæc
venit Olech Georgij cum multitudine Polowconum in Pereaſlaw contra
Mściſlaum, & Pereaſlauieñ fortiter reſiſtendo, dimicant ſecum, & diſcedit
Olech cum Polowcis ea nocte ex Pereaſlaw, & Roſciſlaus aſſumens ſecum
Suantoſlaum Izaſlawic Wſzeuoldorowic, & Mściſlaum Dauidowic vſque

verſus

verſus Czernieow contra Izaſlaum Dauidowic. Et dùm pertranſiſſet, nun-
ciatur ſibi mors patrui ſui Wenceſlai. Ipſe autem dimiſsis exercitibus ſuis
cum Suantoſlao reuertitur in Kiow, & in Eccleſia S. Zophiæ ſepelit Wen-
ceſlaum, & recepta rurſus militia, vadit verſus Czernieow. Audiens autē
Izaſlaus Dauidowic, mittit pro Olech Georgij qui venit cum Polowcijs in
eius ſubſidium. Et Rośćiſlaus cum ſuis exercitibus ſtetit, circa Bialawica,
& exiuit Izaſlaus & Olech contra eum, & certabant ſagittarij pro ripis. Ro-
śćiſlaus autem videns magnam multitudinem Polowconum, territus eſt, &
mittit ad Izaſlaum, dando ſibi pro ſe Kiow, & Pereaſlaw pro Mściſlao ne-
pote. Quod audiens Mściſlaus indignatus dicebat, nec ego habeo Perea-
ſlaw, nec tu Kiow, & receſsit cū militia ſua. Quod vidētes omnes alij fugi-
unt, & Polowcy eos perſecuti, plures aut occidunt, aut capiunt, cæteri diſ-
perguntur, & Rośćiſlaus fugit in Smoleñſko, Mściſlaus verò & Suantoſla-
us Wſzewoldorowic procedunt fugientes in Kiow. Et captus eſt Suantoſla-
us Wſzeuoldorowic a Polowcis, Mściſlaus verò euaſit, venitq; in Pereaſlaw,
& aſſumpta vxore ſua vadit in Lucko, Kiouieñ autem plurimum aggrauati,
mittunt & recipiunt Izaſlaum in Kiow, qui locat Olech in Pereaſlaw Po-
lowcis, ibidem patrātibus multa mala circa Pereaſlaw Eccleſias combureñ
teq; villas. Deinde Georgius venit verſus Kiow, & poſt multos tractatus,
receſsit illi Izaſlaus de Kiow, & ſedit in Kiow ſede ſua auita & diſtribuit in vita
regiones inter filios, Andreæ dat Wyſſegrod, Boryſz, Turow. Olech Pe-
reaſlaw, & Waſilkoni Porſzy.

ANNO Domini 1159. Ad Patriam & Principatus ſuos ex diuturno ca-
lamitoſoq; exilio, quod in Almaniæ oris annis 13. cum coniuge & libe-
ris ſtipe aliena & precario viuens Wladiſlaus Polonorum Dux pertulerat,
quos ſibi fratrum benignitas iuxta fœdus cum Friderico Cæſare ictum reſti-
tuendos ſpoponderat, reuerſurus, arma, equos, quadrigaſq; & ſubuectio-
nes cæteras, quibus ſarcinæ deferri poſſent, & reuerſionis in patriam & re-
habitationis Dominiorum cupidus expediebat, cùm interim languor grauiſ-
ſimus illum occupat, à quo hebdomadis aliquot cruciatus, quarto Nonas
Iulij tandem animam exhalat, & in Aldemburg accepit ſepulturam. Quem
quidem locum & conſors ſua Criſtina vſquequo fatis intercepta eſt, incolu-
it, cuius perſuaſiones Wladiſlaus ſecutus propria perdidit, qui vſurpare ni-
tebatur aliena, primumq; exul, deinde hoſtis patriæ habitus eſt. A cuius
poſſeſsione in ipſo ſuæ reſtitutionis limite excidit, & temeritatis quondam
ſuæ, & in exterminio ſuorū fratrum, & in excæcatione Petri Comitis Skrzy-
neñ patratæ pœnas iuſtas dedit, vt in exilio contabeſcens, exuliſq; more in
alienis ſedibus recumbens, neq; propriam patriam, proprioſq; Principatus
& penates, quamuis reſtitutione patefacta contingeret, quemadmodum
Iacobus Gneſneñ Archiepiſcopus maiorem in modum eius vicem dolens,
talem rerum ſuarum illi narrauerat exitum euenturum. Poſt cuius è vita ex-
ceſſū, tres filij videlicet Boleſlaus, Miecyſlaus, & Conradus Loripes Prin-

cipes ab eo relicti Poloniam redire cunctabantur, veriti ne pro paterno facinore à paternis graue aliquid in illos statui contigisset, vt non in patrem solùm, sed etiam in filios diffunderetur sceleris animaduersio. Esto quod nonnulli asserant Wladislaum præfatum Ducem in Poloniam cum pignoribus, & supellectili tunc reuersum, tria Castra Imperatoris sumptibus & suffragio, videlicet Welen, Grotecz, & Niemcze ædificasse, bellumq; fratribus intulisse pro quo rescindendo, dùm ad colloquium Plocko cum fratribus venisset, veneno extinctum fuisse.

Fridericus Imperator cum ex Almania, Italia, Bohemia, cæterisq; nationibus & Regionibus frequentẽ exercitũ adunasset, trecẽtæ quoq; illi lanceæ viris, armis, equisq; insignes, per Duces Poloniæ Boleslaũ, Miecyslaum, & Henricum, ita vt vnusquisq; Ducũ centenariũ expleret numerum in auxiliũ suæ contra Mediolanẽ expeditionis missæ aduenerunt. Cum validissimis itaque legionibus Italiam ingressi, Brixien primum Regionẽ vastat, deinde Mediolanũ obsidere agressus, cùm plures illic Principes & milites in ciuitatis oppugnatione amisisset, Mediolanensibus & pacẽ petẽtibus victis, victus est, & ipse innata misericordia, pacẽ dedit, & obsidionẽ soluit, legioneq; in propria redire iussit. Sed Mediolanẽ mox postea dolo vsi, iusiurandũ Imperatori præstitum præuaricati, magnã stragẽ castra ditionis Imperatoriæ conquirẽdo fallaciter ediderunt. Wladislaus autẽ Bohemiæ Dux, qui in expeditionem huiusmodi contra Mediolanẽ personaliter se contulerat, in sui laboris præmium à Friderico Imperatore in Bohemiæ Regem coronatus est, abrogatisq; veteribus insignijs, nigra videlicet aquila, nouis videlicet albo Leone insignitus est.

Adrianus Papa cũ annis quatuor mẽsibus octo diebus 28. sedisset, moritur, & in Ecclesia B. Petri honorificè sepelitur, Vir ciuilis, strenuus, largus, facundus, & omnibus actibus suis gloriosus. Cui Alexander tertius, Rolandus ante vocatus, priã Senẽsi Patre Romano à maiore parte cardinaliũ electus, reluctans & indignũ se hoc honore vociferans successit. Eligitur etiã Octauianus, qui victor dictus est, & graui scismate Ecclesia turbari extunc cepit. Octauianus prima Dominica Septẽb: Ronaldus verò decima octaua Septembꝛ die, in Papas consecrãtur. Kiouien Dux Georgius grauẽ & iratũ animũ contra Ducẽ Miecyslaũ Pereaslauien Ducẽ filiũ Izaslai gerẽs, non cõtentus illũ de Pereaslaw expulisse, ordinatis & cõgestis exercitibus, & in potestatẽ Georgij Iaroslawic, & Iaroslai Ducũ commissis ipsos contra Izaslaũ Ducẽ in Przesopnica se continentẽ transmittit. Qui terrore hostili actus cũ se ĩparẽ futuræ dimicationis videret ex Przesopnica fugit in Lucko & Castro Lucko in fidem & defensionẽ fratris germani Iaroslai cõmendato ad Polonorum Duces Boleslaum, Miecslaum, & Henricum confugit intelligens & pro comperto habens, quod Georgius Kiouien Dux etiam ad exclusionẽ suam de Lucko aspiraret, copiasq; congereret, Principes autem Poloniæ videlicet Boleslaus Cracouien, Miecslaus Posnanien, Henricus Sandomirien exule Mśćislao benignè excepto & omnibus necessarijs apud se prouiso congre-

congregatis Dominorum suorum potentijs versus Russiam hostiliter procedebant, Mscislaum Ducem non in Pereaslauien tantummodo, sed etiam in Kiouien Sedem restituturi. Potentiam autem Polonorum Georgius Kiouiẽ Dux veritus per mediatorem Roscislaum Ducem Przemysliẽ pacificatur cum Mscislao Duce & germanis suis Wladimirio & Iaroslao filijs Izaslai, & tàm Ducatum Pereaslauien, quàm omnia, quæ ad eos pertinebant, eis restituit, iureiurando se astringens nunquam ad occupationem eorum Dominiorum aspiraturum. Qua reconciliatione inter eos confecta Mscislaus Dux cum magna gloria redijt ad Russiam pluribus Polonorum militibus eũ viq; ad Wladimiriam conducentibus, & plerisq; remanentibus apud eum.

ANNO DOMINI 1160. Noua Miecslai Maioris Poloniæ & Pomeraniæ Duci nupta Adleida Ducissa, nouum progenuit infantem, qui a Ioanne Gnesnen Archiepiscopo in Posnanien Ecclesia baptisatus, vocatus est Boleslaus. Miecslaus autem Dux de filij natiuitate plurimum exultans, congregatis plurimis Polonorum primoribus diem natalis filij præfati magna celebrauit solennitate, & tàm in Ecclesias quàm Ministros eorum, viduasq; & orphanos gratia & liberalitate vsus, multorum precibus & necessitatibus benigna concessione respondit. Affuerunt etiam solennitati præfatæ Boleslaus Crispus Polonorum Dux & Monarcha, in cuius honorem infans suo nomine vocitatus est, & Henricus Sandomirien Dux, qui plurimis inter se vicissitudine vicaria transmissis muneribus, in magna animorum charitate & conformitate, in sedes suas reuersi sunt. Verùm quia inter sermones quos inuicem secretè, Duces habebant & differebant, id præcipuum extiterat, vt Boleslaus Crispus Dux & Monarcha viduitatis nomine exuto, alterum coniugale iugum acciperet, frequentibus fratrum & Consiliariorum persuasionibus expugnatus Cracouiam reuersus, Helenam virginem Principis Premysliẽ Roscislai filiam accepit in vxorem, nuptiarumq; solennitas Cracouiæ pluribus diebus acta est. Ad quam Boleslaus & germanos suos & Prælatos, Baronesq; vniuersi Regni Poloniæ nõnullos etiã Russiæ Boiaros, ac nobiles inuitatos splendidè tractauit, & liberalibus honorauit donarijs.

Quãtuor Annis Honoldus Wladislauien Ecclesia administrata, moritur & in ea honorificè sepelitur, cui Rudgerus vir natione Teutonus succedit per Alexandrum Papam Tertium Miecslao Maioris Poloniæ & Pomeraniæ Duce consentiente prouisus.

ANNO DOMINI 1161. Frequentibus & acerbis iniurijs contumeliisq; Fridericus Imperator Romanorum post datam acceptamq; fidem à Mediolanentibus irritatus, cùm illi & Nuntios Cæsareos ad se missos, probris affectos, in mortem, nisi sibi fuga consuluissent, destinauerant, & Castris Cæsareis, quæ in circuitu suo erant, potenter & celeriter, ipsõ Friderico in Italiã adhuc agente, expugnatis, milites suos in illis deprehensos, aut necarant, aut duris coniecerant carceribus. Fridericus ipse noua expeditione indicta Mediolanum fortissima militia obsidere cepit, tantoq;

contra Mediolanen gratia & misericordia sua abusos, feruore incanduit, vt iurasset se ab obsidione, non nisi victa, Mediolano discessurum.

Boleslaus itaq; altus Polonorũ Dux Wladislai Ducis & exulis primogenitus, ne ocio & desidia torperet, cùm in patriã & Principatus suos, neq; sibi, neq; fratribus tutum putaret reuerti, duobus germanis, Miecslao & Conrado, sub cura genitricis suæ Cristinæ in Almania relictis, in Italiam se contulit, & in Castra Imperatoris Mediolanum obsidentis peruenit, militiã suam, & animositatem, vbi facto opus foret monstraturus. Sub ipso autem obsidionis tempore, miles quidam Mediolanensis & roboris, & staturæ singularis, & qui ad Cyclopum staturã accedebat, eques ex Mediolano prodibat, prouocans Cæsareanos milites, de viribus corporis fretus ad singulare certamen. Cùmq; pluribus diebus prouocationem ipsam repeteret, & omnes euidens periculum declinarent, miles ipse improperijs erga Cæsareanos vsus timiditatem illis & molliciem pectoris exprobrabat. Quæ res ad demonstrandam Heroici animi virtutem Boleslao Poloniæ Duci, audaciam cum fortunæ ingenio subministrauit. Ipse siquidem Boleslaus Polonorum Dux, gloriæ, famæq; auidus, cùm & de corporis virtute satis fideret, & nulla re alia, quàm in huiusmodi singulari certamine audaciam & virtutem suam æquè explicari atquè apud Imperatorem nomen & gratiam mereri posse videret. Imperatore etiam Friderico inconsulto & iniussu eius, in certamen singulare cum milite Gigante iturus, equum & ipse conscendit magnumq; spectaculum vtriq; exercitui præbuit, cùm & Imperatorij milites ex Castris effusi & Mediolanen ex turribus & mœnijs euentum futuri certaminis cum silentio & magna omnium admiratione spectaturi conuenissent. Subibat autem Cæsareanos milites vehemens indignatio atq; cura, cur tàm periculosum, difficile, & dispar certamen Boleslaus Polonorum Dux iniussu Imperatoris & suorum Præfectorum suscepisset, & se aperto iniecisset periculo, magnum dedecus non tàm sibi, quàm Imperatori, & vniuerso suo exercitui, si eum vinci contingeret, inussurus. Dissimulante tamen magis, quàm probante Imperiali exercitu singulare inter vtrumq; certamen initur, & rapacissimo equorum cursu, infestisq; lanceis primum concurrunt, & Mediolanensi milite frustra sine ictu currente Boleslaus Polonorum Dux, adeò illum lancea excepit, vibrauitq;, vt lethali vulnere Gigas excepto, moribundus, ex equo in terram cecidisset. At Boleslaus nil cunctatus, cum vir raræ agilitatis esset, ex equo & ipse in terram desilijt, & iacentem Gigantem obtruncat armisq; spoliatum, cadaueraxanime in palestræ medio relinquit. Maximus deinde clamor à Cæsareanis sublatus, exultationem magnam, quam vniuersus exercitus Imperatoris de triumpho conceperat, testabatur.

Ad Cæsarem deinde Fridericum Boleslaus Polonorũ Dux spolia occisi Gigantis, egregium virtutis suæ testimonium referens, à frequenti militum Imperialium cœtu, certatim eius virtutem, probitatemq; efferentium, deductus est, omniumq; militũ vociferatione concinna exoratus Cæsar, quatenus Heroicum Boleslai opus, in suam & sui exercitus amplissimam laudẽ

præstitã, absq; digna retributione esse non sineret. Cæsar autem & pro sui debito, & pro Boleslai merito, militumq; precatione se gratissimo animo obtulit tàm nobili facinori responsurum, Boleslaum Polonorum Ducem tunc quidem coram militibus collaudans. Posthæc ad secretum colloquium paucis Consiliarijs conscijs, euocatum temeritatis arguit, quod in iussu suo periculosum discrimen adijsset. Ego te, inquit, laudo, & admiror Boleslae, probitatiq; tuæ gratulor, de qua vniuersus exercitus mei testimonio, in acie vir acerrimus celebraris. Ego tamen vno offendor, quia discrimen notoriũ, me neq; consulto, neq; requisito, aggredi voluisti. Qui quãto mihi propinquiore sanguine iunctus est, tanto maiorem in modum amplior dolor & ignominia, si fortuna pro hoste stetisset, ad me videbantur peruẽtura. Nunc quidem tibi, tuisq; ausibus facile ignosco, admonitum te tamẽ esse volo, ne in posterum ad ea, quæ cum discrimine agenda sunt, in iussu meo cæca temeritate prorumpas. His verbis increpatum, liberalissimè tamen muneratum dimisit, cui & tùm & deinceps & à Cæsare & à Principibus suis atq; vniuerso exercitu maximus pro deuicto hoste honos habitus est, in altumq; gradum sua crescere & ascendere cepit æstimatio. Sed & quocũque illum incedere aut versari contingebat, Gigantis cùm admiratione omnium demonstrabatur victor, heroicaq; sua virtus vniuersorum sermonibus celebrabatur. Fugauerat enim in illo seculo Israelita Philisteum & Loricatũ Goliam Dauid inermis, in funda & lapide spectatus est occidisse.

Pridie Calend: Iunij Geisa Secũdus Hungariæ Rex cùm annis viginti mensibus tribus, & diebus vndecim regnasset, moritur, & in Alba Regali honorei iusto sepelitur, in cuius locum Stephanus filius eius coronatur.

ANNO DOMINI 1162. Magno in Deum & meritum passionis Iesv Christi miles nobilis Iaxa de Miechow armiger Dioc: Crac: actus ardore, vir pro ea tempestate magnarum possessionum atq; opum abũdantia insignis, in subsidium terræ sanctæ personaliter cum familiaribus atq; armigeris suis profectus, aliquanto tempore illic moram gessit, & enixius quo poterat, pro terræ sanctæ defensione cum suis militauit. In Poloniam autem reuersurus, inter alia suæ deuotionis insignia apud Patriarcham sacri sepulchri Ierosolimitani Monachum nomine & eius conuentum, sub S. Augustini Regula Deo militantem, bifurcatam crucem rubram deferentem, obtinuit, vt secum vnus ex Canonicis suis in Poloniam ordinem prædictum plantaturus mitteretur. Tres itaq; villas patrimonij sui videlicet Miechow Zagorzyce & Komorow in dotem ordini præfato conferens, in villa principali Miechow, quàm nunc in ciuitatem frequentia populorum & redditnum habentem, creuisse videmus, Ecclesiam & primùm Cœnobium de speciali consensu & voluntate Mathæi Cracouien Episcopi constituit. His quoque non contentus, aliud Monasterium in villa sua Zwierzyniec propè Crac: sita prò virginibus Præmonstraten ordinis religionem profitere volentibus, aliquot villis etiam illud dotans erexit. Et ne temporis processu dotatio sua

dictobus locis prædictis facta, à suis propinquis & cognatis posset labefactari, aut infringi, suppliciter illam petijt à Boleslao Crispo Polonorum Duce & Monarcha confirmari. Cuius præstantissimis precibus Dux Boleslaus permotus, & operi sancto confirmationem præstitit, & bona vtriusq; Monasterij per laxã collata à Ducalibus seruitijs, oneribus, & tributis liberauit, statuit siquidem, vt homines villarum huiusmodi ad expeditionem cõtra hostes non eant, Castra non ædificent, Poradlne & Struzne non soluant, monetario non obediant, Powoz & Podwodas dare non stringantur. Et quidem duo Monasteria, tunc per virum insignem laxam in aliquibus villis fundata exposit Ducum Episcoporumq; & nobilium Crac: donatione, decimis Oppidis, villis, & notabilibus redditibus, amplificata atq; impinguata sunt. Cuius autem stirpis aut quorum armorum miles laxa fuerit parum ex veteribus autoribus & scriptoribus constat, licet aliqui nobilium eum conentur astruere de Griphonum domo & Genealogia extitisse.

Raduanus Posnanien Episcopus cùm annis Sex sedisset, à passione illiaca correptus moritur, & in Ecclesia Posnanien sepelitur. Cui Bernardus primus Canonicus Posnanien via scrutinij electus succedit, à Iaxillao Archiepiscopo Gnesnen Miecslai Ducis maioris Poloniæ patrocinante consensu confirmatus & consecratus. Pro Tyrannide, & sæuitia, quam in Lombardos & Tuscos Fridericus Imperator exercebat, ab Alexandro Papa Tertio reprehensus, in magnum furoris molem Fridericus Imperator excandescens, dùm & à plerisq; insimularetur Mediolanen cæteris Tuscis atq; Lombardis contra Cæsarem fauisse, Octauianum Cardinalem, qui & ipse à minori parte Cardinalium electus fuerat, contra Alexandrum erigit, qui se victorem nominauit, qui fauore Imperatoris facile vniuersum temporale in Italia dominium, verò Papa Alexandro spoliato, adeptus est, tantis insuper persecutionibus & insidijs Alexander, cùm ab Imperatore Friderico, tùm ab Octauiano suo competitore petebatur, quod coactus est Romã & Italiã relinquere, & in Franciã se conferre. Quo cum peruenisset à Ludouico Frãcorũ Rege honorificè exceptus, atq; humanissimè habitus, & tractatus est.

Fœdere & iuramento, quod Georgius Wladimirowic Kiouien Dux cum Mścislao Izaslawic & Fratribus suis Wladimiro, & Iaroslao pepigerat, temerato, bellum intulit ei. Quo dimicare non audente apud Castrum Wlodimiren ipsum cingit obsidione. Fiebant autem per omnes obsidionis dies pugnæ horribiles, inter obsidentes & obsessos, & sanguinis humani grandis effusio à Polonorum militibus, qui in Mścislai Ducis obsequijs erant, egregia facinora edentibus in obsidentes, & triumphos frequentes referentibus ex ijsdem. Paratus autẽ erat Georgius Dux pacem dare Mścislao, si illam petere voluisset, sed eo renitente, dùm nil profecisset, multis nobilibus de suis amissis, confusus in Kiow redijt.

ANNO Domini 1163. Obsidione propè Triennali Mediolanen Vrbis à Friderico Imperatore fatigata, fame insuper & nece frequenti suorum in dies

in dies occumbentium, pluribusq; alijs incommodis vexata, tandem vi capitur & expugnatur, cuius muros, turresq; dirui, & solo, se inspectante, æquari mandauit, nec fortunis solùm, sed & sacris spoliare vrbem victam agressus, corpora triũ Magorum, qui infantiã Domini nostri IESV CHRISTI venerati sunt, per Sanctum Astorgium ex Constantinopoli miraculosè quõdam Mediolanum translata. Item corpora Sanctorum Felicis & Naboris per Rudolphum Colonien Archiepiscopum in Coloniam mandauit efferri. Mediolano autem diruto cæteræ Lombardiæ, & Tusciæ Vrbes preter Papiam, quæ sola Imperatori parebat, in deditionem venere. Imperatorq; victoria potitus Principes & gentes auxiliares pro maiori parte in domos remisit, inter quos & Boleslaus Polonorum Dux spolia victi à se Gigantis, Imperatoriaq; dona referens, remeabat. Scripsit autem Fridericus Imperator Boleslao Crispo Polonorum Duci & Monarchæ, scripsit & Miecslao Henricoq; Ducibus Polonorum patruis eius germanis in fauorem Boleslai Alti literas, virtutem eius magnoperè commendans, petens & vigore pactorũ secum initorum requirens, vt præfatum Boleslaum & fratres suos Miecslaũ & Conradum ad suos Principatus, & dominia restituerent, præsertim cùm Pater eorum Wladislaus, non exilio solùm diuturno, sed & morte scelus in eos admissum expiasset. Nec literis solùm contentus, etiam nuncios, qui hæc ingeminarent, & si preces & adhortationes parum proficerent, terrerent, ad Polonorum Duces transmittit. Qui Imperatoris nomine apud Polonorum Duces ita verba faciunt. Quando inquiunt, Cæsar, firmo & obstinato animo noluisse, vos in gratiam cum fratre viuo redire, cognouit, & frequentius illo superstite frustra vos solicitauerit, nunc quoniam ille rebus humanis absumptus est, pignorum saltem suorum, & vestrorum nepotum, vos miserabilis calamitas moueat, pudeatq;, qui soli patrimonij extorres alienos lares inhabitant. His verbis Boleslaus Monarha Miecslaus & Henricus Polonorum Duces permoti, cùm & Cæsaris formidarent iram, & nepotum Boleslai precipuè maioris natu propter virtutes illius, & decora, misericordia mouerentur, petitionibus Cæsaris acquieuerunt, veniamq; Nepotibus se daturos, patratum scelus ignoscituros, promittunt, & vt intelligeret illos Cæsar suis iustis intercessionibus morigeros, respondent, fratri ideò se non ignouisse, ne, eo suscepto bella & seditiones, peiores prioribus fuissent. Respõsis huiusmodi datis facta amicitiora adijciũt, viaticũ cõferũt, oram Slesiæ, quam Odra fluuius percurrit vsq; ad terminos Saxonicos, & Bohemicos protensam duas habentem insignes Wratislauien & Lubucen Diœceses in sortem perpetuæ hæreditatis illis attribuunt, cæterosq; milites, qui Nepotes prædictos ex Almania reducerent, transmittunt. Quos aduenientes benignè & comiter appellatos excipiunt, ac vniuersam Slesiæ regionem vsq; ad Alpes & siluas Herçinias Poloniam diuidentes, à Bohemia se protendentem in perpetuam illis possessionem atq; sortem tradunt. Vt autem oritura inter ipsos Nepotes litis occasio demeretur, regionem prædictam Slesiticam, partiuntur illis tali ordine, Boleslao siquidem Alto Wratislauien

slauien & Krosneñ, Miecslao Ratiborien & Opauien, Conrado Loripedi Glogouieñ ciuitates cum suis appendicijs largiuntur. Diuisione autem huiusmodi inter Nepotes celebrata, monet illos Boleslaus Polonorum Dux & Monarcha, quatenus pacifici, sibiq; velut Monarchæ subiecti viuant, paternam quoq; Tyrannidem caueant immitari, ne calamitate paterna inuoluantur, temeritatem, neq; Principatus à se, & Fratribus eius largitos iure, sed precario se arbitrentur adeptos, benignitate patronorum donatã potiùs quàm redditã. Quod se illi cum Patronorum sinceritate custodituros & impleturos spoponderunt, sed non post multa tempora pacto & sponsione violata, præuaricari quàm seruare quæ pepigerant maluerunt. Adhibuit autem Ducum quilibet operosam diligentiã, vt sortes suorum Principatuũ ciuili & externo bello vexatas, & propterea desertas in frugem meliorem verterent, eorumq; industria breui regio Slesitica coaluit. Miecslaus Opauien Dux ad id dementiæ amore cuiusdam mulierculæ infascinatus venit, vt sortis suæ notabilem ciuitatem Opauiam eidem mulierculæ perpetua donatione conferret. Conradus posthæc morte immatura decimo sexto Calend: Februarij decedens sine liberis, sortem suam Glogouieñ Ducatum inter fratres partiendum reliquit.

ANNO DOMINI 1164. Hostili metu, qui à Cæsare Almanisq; propter Ducis Wladislai & filiorum suorum propulsionem & exilium super impendere videbatur, sublato, cùm & ex reliquis Regionibus Poloniæ Regno vicinis, nihil timeretur hostile Boleslaus Polonorum Dux & Monarcha, communicato Fratrum suorum, & Nepotum Principum Poloniæ consilio, expeditionẽ contra Prussicam gentem, idololatriæ in eam diem deditam, indicit, fidei sacræ Catholicæ, & suæ ditioni illam subiugaturus. Conuenientibus itaq; omnium Principatuum Regni Poloniæ copijs, Ossa flumine, qui terras Polonorum à Prussia distinguit, superato, Prussiam agmine tripartito ingrediuntur. Primo siquidem agmini Henricus Dux Sandomirien præerat, Secundo Miecslaus Dux maioris Poloniæ. Tertio Boleslaus Monarcha ducebat. Pruteni cum vires suas ad resistendum Polonorum multitudini imbecilliores æstimassent, in siluas, paludesq; & loca inuia diffugiunt, noctibus tamen exercitum Polonorum, si quando iniquitas locorum occasionem præbebat, lacessunt, in apertam verò dimicationem nõ prodeunt. Iam dimidium eorum Regionis Polonorum exercitus flammas, vicis & villagijs, populationem agris ingerens, emensus erat, cum Prutenorum Primores securitate petita, in Castra perueniunt, pacemq; petunt, offerentes se obedienter omnia, quæ imperarentur facturos. At Boleslaus Polonorum Dux & Monarcha, primùm iubet decernitq;, vt si pacem salutẽq; accipere velint, vetustis abdicent se gentilitatibus atq; erroribus, fidemque & relligionẽ profiteantur Catholicæ puritatis, ablq; renunciatione idololatricæ caliginis, nullam se sperent æquam pacem cum Polonis habituros, non abdicatis erroribus, æquis conditionibus se pacẽ daturũ. Ea conditio cùm

cùm durior, acerbiorq; Prutenorum nuncijs videretur, ad suos redeuntes, quid opus facto sit, consultant. Verùm etsi multitudinis fremitus vbiq; coortus conditionem propositam execrari se significasset, à maioribus tamen fremitu sedato persuasum est, vt conditionem ipsam postquam aliter patria liberari nequiret, acciperent, Polonis abeuntibus illam reiecturi. Ad Boleslaum itaq; reuersi, vafri, callidiq; homines, superstitionibus erroribusq; gentilibus renunciant, phana idolaq; demoliuntur, fidem Catholicam profitentur, vnda Baptismatis, Boleslao & Principibus Polonorum consanguinitatem & affinitatem cum hijs, qui præstantiores erant, contrahentibus abluuntur, Ecclesiæ instaurantur, & sacerdotes ad erudiendos Neophitas, hi præsertim qui eorum linguam, aut sonare, aut intelligere nouerant relinquuntur. Regio quoq; Prutenica Culmeñ Episcopo comittitur cum suis populis, in hijs quæ fidem administrationemque spiritualium concernunt, propter propinquitatem gubernanda.

Vniuersis deniq; Prutenis Boleslai iussu proponitur edictũ, omnes fidẽ Catolicam professos, professurosque liberos fore, qui Baptismũ abnuerẽt, sub haltã venire. Terruit hoc edictum, etiam eos, qui pertinatioris pectoris erant, nemoq; venundari pertimescens reperiebatur, qui in Baptismum nõ prorupisset. Maximo vniuersus Polonorum exercitus repletur gaudio, & exultatione, Prutenicum Populum videns ad fidem Christianam quam aliquando persequi solitus erat accessisse, ex hostibus quoq; infestis, fideles, & deuotos effectos esse, Ea ratione & respectu Boleslaus Polonorũ Dux & Monarcha illectus, in fidei Sanctæ, cuius dilatationem principaliter intendebat, modico tributo in signum subiectionis Prutenis imposito, exercitum in Poloniam reducit.

Eudoxia Consors Miecslai Maioris Poloniæ Ducis, alterum parit infantem apud Posnaniã, qui Baptisatus paternum nomen Miecslaus fortitus est. In Pannoniorum quoq; Regno intestinum bellum inter duos fratres Stephanum & Wladislaum pro Imperio exortum etiam finitimos Reges armis inuoluit. Wladislaus siquidem molestè ferens, germanum suum Stephanũ natu maiorem in Hungariæ Regnum, se pretermisso sublimatum suggestionibus persuasionibusq; nonnullorum Hungarorum, qui res nouare soliti erant, inflammatus, Regnum Hungariæ inuadit, Wladislaumq; Bohemiæ Regem multis promissionibus inescatum in sui auxilium accersit. Cui Stephanus Hungariæ Rex debitam resistentiam oppositurus, Imperatorũ Græcorum Caloloannem, affinis enim suus ex parte vxoris erat, conduxerat, Græcisq; & à proprio & foreñ milite Hungariæ Regnum plurimis spolijs & incõmodis vexabatur, vterq; enim exercitus Græcus videlicet & Bohemicus prædis & spolijs contẽtus, in publicũ certamẽ non prodibat. Tractatu deinde interposito, Wladislaus cũ Stephano Rege Hungariæ, Imperatore Græcorũ & Rege Bohemiæ mediantibus pacificatus est, & Transiluaneñ Regione cõtentatus: Iunxit & Bohemiæ Rex cũ Græcorũ Imperatore affinitatem, filiã filij sui Friderici Nepoti Græcorũ Imperatoris dando in consortem.

Quindecima die Mensis Maij Georgius Wladimirowic Dux Kiouien morbo implicatus, apud Kiow moritur, & in Ecclesia S. Saluatoris apud Berettow sepelitur. Dùm autem post mortem suam plures Russiæ Duces sedem Kiouien quàm Georgius gubernauerat ambirent, Izaslaus Dauidowic Dux, fauentibus Kiouien, illam adeptus est.

ANNO DOMINI 1165. Vafra ementitaq; Prutenorũ in fidem Christianam, quam ad retinendam libertatem, vitamq; Boleslao Polonorũ Duce & Monarcha vrgente susceperant, religio, vix vnius anni durauit spatio, & velut vapor ad modicum apparens euanuit. Pruteni siquidem, dùm Diabolica suggestione, tùm sua temeritate agitati, dùm illis Orthodoxæ religionis iugum asperum difficileq; videretur, tumidasq; & inflatas gererent ceruices, nec dùm frenis fidei assuetas ab impositio nuper iugo religionis Christianæ resilire ceperunt, ad idololatriæ prophana conuersi, Baptismate, quod susceperãt fidei temerato ad prophanos gentilũ redeũt ritus, sacerdotesq; ac ministros Dei pro eorum eruditione à Boleslao relictos, morte interminata, si ad illos reuertantur, in Poloniam remittunt. Boleslao autem Polonorum Duci, cùm ab illo nouum sibi indici bellum vererentur, pro commisso Apostasiæ facinore satisfacturi, bellumq; sibi inferendũ auersuri, nuncios & tributa & munera ferentes, transmittunt, orant, ne in culpã illis cedat, à fide Christiana auersio, se neq; Deos suos patrios, quos tantoperè coluerant, neq; sacra, quibus insueuerant, relicturos, Christianã religionem grauem illis & difficilem fore, neq; Gentem Prutenicam eius legibus teneri quouis pacto posse. Non ob id tamẽ de subiectione & fide semel Boleslao & Polonis præstita, & tributis sibi impositis quicquam, aut variaturos, aut diminuturos, sineret Prutenos ritibus & sacris suis viuere, sinatq; illos ad vectigalium pensionem, solutionem, ad obeunda insuper pro Polonis bella, & ad singula quæ preter fidem Christianam imperarentur, fidos bi futuros & sinceros. Rupturos quoq; se minabantur Imperium, si non proprijs, sed Polonorum & Christianorũ ritibus, cogerentur viuere. Nefandum abominandumq; Prutenorum Apostasiæ piaculum in Deum, fidẽque Orthodoxam commissum euidentemq; sui creatoris iniuriam, siue precibus, siue muneribus Prutenorum Boleslaus Polonorum Dux expugnatus, leuius, quàm suæ conditioni conueniebat, perferre visus, neq; illud vindicare, neq; rescindere agressus, dissimulationis torpere in tàm flagranti & enormi facinore vsus, vbi districtissimæ coercionis articulũ pro expianda ira Dei, bonoranda relligione eius, & scandalo tollendo, celerimè conueniebat interponi. Legatos Prutenorum in sua pertinacia & Apostasia magis solidatos, quàm correctos remisit, rerum fidei, rerumq; diuinarum, quæ vitæ quoq; ipsæ anteponenda erant, omnem à se curam prorsus relegans, & cælestibus atq; æternis præferens, caduca & terrena. Nil se læsum, nilq; sibi iniuriatum aut adẽptum ratus, si Pruteni in fidei contumeliã, in idololatriam relapsi, censum se pendere fiscalium tributorum pollicerentur, rebusq; suis

priuatis

priuatis, suum statum, suumq; tenorem retinentibus res fidei æquius lacerari & contaminari patiebatur, in periculosum discrimen, iusto Dei iudicio, cuius relligionem vindicare distulerat peruenturus. Nec ita multò post Pruteni ex impunitate neglecti ritus insolentioresq; facti suoq; ingenio vsi, bello rursus Polonos lacessere ceperunt. Abijcienda illa prorsus pestifera connuentia à Ducali autoritate esse debuerat, quæ alijs parcendo, seipsam scelestę facinore, & indignatione diuina irretijt, diuinæ iusticiæ exceptura sententiam, quia segni indulgentia, dissimulauit plectere peccatores, qui Deo & fidei Orthodoxæ inferebant ludibria.

Ioannes primus alias Ianislaus Gnesnen Archiepiscopus annis 17. regiminis onere expleto, moritur, & in Gnesnensi Ecclesia sepelitur, in cuius locum Petrus Canonicus Gnesnen genere nobilis de domo Srzeniawa per electionem Canonicam successit, ab Alexandro Tertio Papa prouisus, à Ducibus Poloniæ Boleslao Crispo Cracouien & Miecslao Maioris Poloniæ promotus, & eorum consensu subnixus.

ANNO Domini 1166. Fidei diuinisq; rebus à Prutenorum gente in Saluatoris dedecus & contumeliam, nefaria Apostasi violatis, terrenis quoque rebus, quarum solam integritatem & statum Boleslaus Polonorum Dux sibi rebatur sufficere, addiderunt Pruteni præuaricationem. Propriæ enim salutis & fidei fœdere impunè disrupto, in maiores mox ausus ad excutiendum subiectionis seruitutisq; iugum, dilabuntur. Nam Boleslai Polonorum Ducis præfectis, vectigales census exigentibus, & tributa, non denegant solùm, sed & præfectos pluribus iniurijs affectos, quosdam etiam vltimis supplicijs enecatos cum dedecore à finibus suis discedere compellũt, neq; his contenti, maximo exercitu, non ex ingenuis solùm, sed etiam ex agrestibus comparato, in Culmen Masouiæ terras, nil tunc hostile veritas, celeriori quo poterant cursu descendunt, & in plures villas ac oppida populatione passim extẽsa, pecora, & quæ cõcupiscibilia erant diripiũt, cædeq; crudeli præstita frequentem captiuorum numerum in seruitutẽ suam trahportant. Cuius cladis & fraudis nuncium, Dum Boleslaus Crispus Polonorum Dux accepisset, tumultuario more militibus coactis patriam liberaturus, peruicaciter occurrit, hosteq; præda rapta, in sua diuertisse cubilia, cognoscens, vehementi dolore cruciabatur, & pergeret ne hostes insequi, quos in paludes siluasq; constabat esse dilapsos, an subsisteret consilij inops, diu mente & spiritu afflictabatur. Satius tandẽ visum est rem in aliud tẽpus differre, cùm & paucitas militum in hoste callido, & tàm armis, quàm ingenio bellare ex insidijs solito, parum tuta foret, maioribusq; copijs hosti bellum inferendum, quibus posset & discrimen rescindi, & hostium fraus, temeritas, atq; rebellio iusta animaduersione mulctari. Ea sententia accepta, pluribus in locis præsidia militum ad fluenta Ossæ fluuij disposuit, excursiones subitas Prutenorum prohibiturus, bellumq; vniuerso Poloniæ Regno aduersus Prussiam indixit.

Decima Octobris Cracouien Episcopus Mathæus, cùm annis tribus & 20 sedisset, moritur, & in sua Crac: Ecclesia honore iusto tumulatur. Cui per diuinam & humanam vocationem Gedeon alias Getko nobilis de domo & familia Griphonum, Cracouien Præpositus successit, ab Alexandro *Papa* Tertio in Gallijs agente confirmatus, & in die S. Geruasij & Protasij consecratus. Hic autem Mattheus Episcopus epulis & vanæ gloriæ intentus, nūcios Ducis Poloniæ Boleslai, subsidium pecuniarum ab eo Ducis nomine petentes, adiunctis familiaribus suis ad cloacæ locum remisit, mandans & illic thesauros quærerent. Hic sunt, inquit, thesauri mei absconditi, innuens se singulos reditus Episcopales per gulam & ventrē consumpsisse, & pecuniam aliquam inaniter à se postulari.

ANNO DOMINI 1167. Comparatis omnibus, quæ in bellum Prutenicum prouidenda erant, Boleslaus Crispus Dux & Monarcha Polonorum, primo æstatis tempore copias equestres & pedestres versus Prussiam educit, tanto quidem frequentiores, quanto à vicinarum Regionum, quæ & ipse alijs bellis destinebantur, hostili metu nouerat se solutum, neq; Boleslaum Ducem tantummodo, sed & Miecslaum Henricumq; fratres, iusta in id bellum stimulabat ira, quippè in quorum Principatus & dominia propter contiguitatem Pruteni crebris excursionibus grassabantur. Vnde & personaliter cum cæteris militum suorum aduenerant, omnem operam pro exterminanda gente perfida dolis & fraudibus assueta nauaturi. Non latuit tàm studiosus grauisq; Polonorum apparatus Prutenos, & tàm conscientia præstati in Polonos à se facinoris, quàm assiduo rumore & exploratorum relatione ad excidium, graueśq; pœnas se didicerant destinatos. Accuratissimis itaq; studijs, quomodo Polonorum impetus excipi & tam pernicies euitari posset, consultabant. Et cùm tàm vires suas, quàm ea quæ in fidem & contra pacta Polonis promissa admiserant, metirentur, maiorē in modum vniuersorum animos formido subibat se quoq; neq; armis, neque viris, vt quitantum numerum equitum 16. milia, peditū verò decem milia explere poterant, ad resistendum pares reputantes, omnes conatus adhibenia dolusq; conuertunt, astu & fraude Polonorum potentiam, cum iusta nequirent acie, superaturi. Neq; illos spes opinioq; fefellit, sed callidos, vafroq; eorum ingenio Polonos pro suis transgressionibus iustè Deo punien-te, effectus breui respondit. Erant in Polonorum exercitu quatuor Prutenorum transfugæ, qui Boleslai Polonorū Ducis per moram assiduam, familiaritatem, fauoremq; meruerant, quibus tanquam locorum peritis, Boleslaus terram Prutenorum hostiliter ingressus, pro Ducibus vtebatur, & ex eorum constructione, & arbitrio, & Castris eligebantur statiua, & iter, per quod exercitus ducendus esset, quæ insuper loca adeunda, quæ vitanda, monstrabant. tamenq; sibi fidei transfugæ ipsi apud Duces, vniuersum quē exercitum Polonorum fideliter sincereq; singula monenda perstrinxerant, vt omnis belli progressus, & administratio, salus quoq; & periculum exer-

cituum

cituum, ex illorum sententia verteretur. Hos Pruteni magnis muneribus, & maioribus promissis corrumpunt, monentq;, vt suæ patriæ, nationiq; rationem saltem nunc habere velint, quoniam non de subiectione & tributo Polonis pendendo, quod & ipsum turpe miserumq; foret, sed de suo vltimo excidio agatur. Cogitarent, preterea se non in Polonia, sed Prussia genitos esse, suos quoq; maiores, & consanguineos illic degere, non cunctentur excidium illi præparatum apertere, & salutem, quam soli facile præstare possunt, dare, cum officium per eos Polonis impensum, bello finito, ad oblionem recisurum esset, beneficium verò genti suæ atq; nationi præstandū cum eorum amplissima laude perpetuo mansurum. His verbis, muneribusque transfugæ expugnati Polonicum exercitum prodere consentiunt, proditionemq; pro libito Prutenorum componunt. Iam Polonorum Duces & exercitus in Prussiæ interiora peruenerant, crudelemq; tàm puberum, quā impuberum cædem edendo, frequentes quoq; villas & vicos, flammis dedendo, in vltima Prussiæ, continuando cædes & incendia transire parabant. Compositam itaq; fraudem & proditionem transfugæ executuri, non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, sed per inuia & siluestria loca trahebant exercitus Polonorum, ac primum agmen, quod Henricus Sandomirien Dux ducebat, item & reliqua agmina, quibus Miecslaus Dux cæteriq; præfecti præerant, postremùm deinde quod Boleslaus Monarcha cum exercitatissimis militibus seruabat, primùm in saltus siluestres, denſaq; solitudine rigentes recessus; deinde in loca paludinibus limosiq; bitumnis lubricitate perpetua, obsita, palustria, descensu insuper, & congerie imbrium limosa, & quæ naturales voraginum abyssus, vernantia graminis superficietenus tectos inducunt, magnum hominum pecorumq; numerum, locis huiusmodi superatis, assertione dolosa transfugarum quo minus itineris tedium esset, reperturi. Verùm dùm iam primum Polonorum agmē ad angustias saltusq;, fraude ductorum perductum esset, Prutenorum cateruæ in varijs locis ex insidijs protiliunt & sagittis eminus emissis; agmen primùm pro temporis & loci necessitate, aliter quàm rei militaris ratio & ordo poscebat, instructum, neq; progredi, neq; cedere valens, lethiferis vulneribus, ipsi tuti iniquitate locorum freti, facilè paruo negotio fundunt, conficiuntq;, primis ordinibus in palustrē & limosum incidentibus locum. Celerius quo poterant incumbunt hostes, liberius telis confossuri eos, qui à locorum detinebantur voragine. Vbi & Princeps celeberimus Henricus Sandomirien in acie pugnans vi telorum oppressus, cum pluribus insignibus militibus occisus, pluribusq; vulneribus confectus, prius spiritum, quàm bellum deposuit, honestius ducens per virtutem mori, quàm ad ignominiam viuere, & armis, ne quicquam illum tutantibus, transfossus in terram moribundus defluxit. & licet secundum, & item tertium, atq; quartum agmen primo auxilium laturum iniussu Ducum & præfectorum accurisset, ferè tamen singuli, qui incautiùs studio suis succurrendi erumpebant, aut à cæterosis suffocabantur gurgitibus, aut hostilibus hastis & cuspidibus in mor-

tem propriam cæca rabie ruentes, quasi quædam victimæ excepti, confossique obtruncabantur. Neq; enim relinquebatur vllũ, aut cædendi, aut effugiendi in tanta rerum iniquitate spacium Prutenis, & à fronte tergoq;, & à leua, dextraq; vrgentibus, & iacula vibrantibus in incluſos. Inter hæc tamen, limosa paludium & stagnorum vorago, omni hoste terribilior videbatur, cuius profunditas dehiscensq; ingluuies armorum pondere pressos, plures absorbuit, quam quos hostis cepit aut necauit. De extremis agminibus, quos nondum proditorium torcular inuoluerat, Poloni, cum iam extrema viderent incidisse, & hostibus nihil impeditum, sibi nihil tutum esse aduerterent, eam tamen tunc præstitêre virtutem, vt cùm primi aut sagittis confecti, aut limo absorpti caderent, proximi iacentibus supergressi, ex eorum corporibus, donec & ipsi telis conficerentur, pugnarent, nil aliud superesse locorũ fraude deceptis, quàm solatiũ honestæ mortis arbitrabãtur. Totum ferè illic militiæ decus Polonicæ barbarorum obtritum rabie, signa Polonica ab hostibus intercepta, corpus Henrici Sandomirieñ Ducis, fedè & miserabiliter suis insignijs exutum, inter promiscuas cadauerum strues, à cæno deuoratum est, si deuoratio & mors dicenda est, quam pro patriæ pietate, & populi sui victoria oppetijt. Vterq; Dux Boleslaus & Miecslaus, cũ ordinibus quos ducebant, saluus euadens, dùm pro maiori parte suas copias locorum iniquitate deletas vidissent, in Poloniam gemebundus, multos gemitus & eiulatus, cùm pro charis Ducis Henrici fratris sui, tùm pro militum morte, emittens, redijt, reliquias miseri & laceri exercitus reducés. Nec solùm tunc, sed in plures ætates, super tàm infelici militum desideratorum morte lugubres voces, & lamenta, à cognatis coiugibus, & amicis audiebantur. In ipsa siquidem miserabili & miseranda clade, Polonorũ virtus præstantior confracta & extincta est, & robustissimorum militum flos emarcuit. Nam & relatu perdifficile est perstringere, quot ingenuos adolescentes, quot exercitatissimos milites, quos equos, quæ arma, quantas substantias, quantas fortunas, clades illa absumpsit, cùm barbarorum inſaciabilis rabies non in deuictos, sed cæno & voragine limosa illaqueatos, nulla clementia vsa, passim omnes, nulli differens ætati, vel conditioni, trucidabat. Pluribus expost diebus, interfectorum aut suffocatorum barbari legẽtes spolia, & Dijs suis, sacrilegoq; ritui tanti triumphi ascribentes cœtum, quem clemens & verus Deus, aut ad detergendum purgandũq; scelera Polonorum, aut ad exercendum eos dignatus est inflixisse.

Sedem Kiouieñ Mśćiſlaus Izaſlawic Wladimirieñ Dux, ratus ad se potiùs, quàm ad Izaſlaum Dauidowic pertinere, in huius anni hyeme copias contra Kiow ducit. Kiouienſibus autem suo proposito fauentibus, Izaſlaũ Dauidowic de Kiow effugat & expellit sedemq; Kiouieñ apprehẽdit. Izaſlaus autem Dauidowic ex Kiow desiliens in Nieczyce consedit, faltidire autem illicò cepit Mśćiſlaus Izaſlawic Sedem Kiouieñ, & Rośćiſlao Duce Smolineñ patruo germano accersito, Kiouieñ sub tempore Veris resignat Principatum, solus verò in Wladimiriam recedit, sed nec Rośćiſlao Smolineñ Duci

neñ Duci possessio Kiouieñ Ducatus fuit diuturna, quippè & ipse illius regimen perosus Duci Wladimiro Mśćiſlawic expulsionem veritus resignauit.

ANNO DOMINI 1168. Prutenica clades Polonorum Regiones longa caligine mæroris inuoluerat, mæstũq; & obstinatũ silentiũ aliquãtisper fuit, dùm ad vehementem dolorem pudor male gesti belli accedebat. In singulis quoq; ferè domibus, & Regionibus gemitum & complorationẽ deletorum fratrum & consanguineorũ superstites intenderant, & quicquid ad lenimen solatiumq; exulcerati pectoris ingeri poterat, surdis & obseratis auribus excipiebatur. De ordinando tandem duarum terrarum & Principatuum, Sandomirieñ videlicet & Lubnineñ statu, quorũ vacatio ex morte illustris viri Henrici inciderat conuentus per vtrumq; Principem, Boleslaum videlicet & Miecslaum, Prælatosq; & Barones Poloniæ apud Crac: habitus est, vt prouideretur, cui eorundem Principatuũ deberetur successio, cùm Dux Henricus, cælibem in illud tempus vitam agens, nullam prolem reliquerit. Et quamuis longa concertatio de partiendis huiusmodi terris, Boleslaum & Miecslaum Duces tenuerit, id tandem post multos tractatus super re huiusmodi interpositos, communi consensu & decreto, acceptum est, vt Quintus Ducis Boleslai Krzywousty filius Princeps Cazimirus annum vigesimum supergressus, cui pater moriturus in diuisione filijs facta nullam sortem inter fratres reliquerat, in vacantes succederet Sandomirieñ & Lublineñ Ducatus, qui in id tempus nullã propriam & firmam sedem retinẽs, Boleslai Ducis Crac: & Monarchæ liberalitate alebatur. Verùm quia prætatus Dux Crac: Boleslaus in administranda Monarchia quærebatur se singulis suis introitibus exhaustum & multipliciter grauatum extenuatumq; esse, elegantior pars Ducatus Sandomirieñ, Ciuitas scilicet Sandomiria cũ suis teloneis & districtibus. Duce etiam Cazimiro pro fraterna charitate vltrò assentiente sibi decreta, & ad vitæ suæ duntaxat tempora donata est, eo absumpto, ad Casimirum recisura. Fratribus autem & primoribus Regni cogentibus Casimirus Dux Principis Russiæ Wszeuoldi virginem nomine Helenam, filiam Principis Belzeñ accepit in consortem, nuptiarum solennitas propter cladem nuper in Prussia acceptam omissa est. Parit & hoc anno Eudoxia Consors Miecslai maioris Poloniæ Ducis filium, qui Wladislaus appellatus est.

ANNO DOMINI 1169. Nondum Prutenicæ cladis inflictum vulnus, re aut tempore curari cæptum erat, dùm Boleslaum Polonorũ Ducem & Monarcham nouum, & inteſtinum excipit bellum, Nepotes siquidem sui Boleslaus Altus & Miecslaus, filij Wladislai, quibus de exilio Almanico reuocatis Slesiticam oram partitus erat, & paternas, & suas in Boleslao Crispo Monarcha iniurias vltum in satagentes, arma aduersus illum expediunt, & bellum indicunt, causas iniuriarum & belli exponunt, quod & Crac: Ducatum ad illos pertinentem detineat, & Monarchiæ Principatum, qui illis successione paterna debeatur, vsurpet, & nonnullas in

Slesia vr-

Sleſia vrbes, quas ſibi Boleſlaus Criſpus in ſignum Monarchiæ & ſuperioris Principatus retinuerat, in eam diem teneat occupatos, ſatis equidē ſuperq; ſe preſſos & iniurias longi exilij perpeſſos eſſe. Nec poſt tàm diuturnam calamitatem, quod iuſtum atq; æquum foret, vllam gratiam ab *inuitis* patruis percepiſſe, qui etiam ſe in vacatione Ducatuum Sandomirieñ & Lublineñ neglexiſſent, cum illorum æqua eis contingeret ſucceſsio. Nec tantummodo proprijs militibus ad id bellum gerendum contenti auxiliares quoſdam ex Almania propter materni ſanguinis affinitatem eis fauentes, partim preçe & beneuolentia, partim precio acciuerant iuſtoq; exercitu, tàm ex equeſtribus, quàm pedeſtribus, confecto, ciuile & domeſticum bellum Prutenico pernicioſius oriebatur, Poſnanieñq; diſtrictum & Regionem vaſtabant, cùm ad id preter inſitam animorū irritationem, etiam temporis oportunitate, quod recens Prutenica clades, legiones fortunas, & vires Polonorum abſumpſiſſet, ſollicitabantur. Boleſlaus autem Criſpus Polonorum Dux Monarcha cum ſe nuper & militibus & armis exutum noſſet, & eos qui ſuperſtites remanſerant, ægrè in militiam cogi poſſe intelligeret, de pace per communes Conſiliarios Eccleſiaſticos & ſeculares agendū duxit, & cùm Nepotibus pro die conſtituto conueniens, belli cauſas breui & prudenti extenuauit reſponſione. Ducatum ſiquidem Cracouieñ extra ſortem fore, & nonniſi à Monarcha obtineri ritè poſſe declarauit. Ius verò Monarchiæ, etiamſi pater eorum ab eo deiectus non fuiſſet, illo tamē mortuo, in ſe iure decidiſſe quod & natu maior eſſet, & vniuerſali conſenſu electus docuit. Vrbes verò in Sleſia propter Monarchiæ ferenda onera legitimè reſeruaſſe. Ducatum Sandomirieñ & Lublineñ portionem ſoli Duci Caſimiro, quia ſolus in eam diem portionis paternæ expers erat iuſtè ceſsiſſe differuit. Et quamuis iudicio Conſiliariorum communium Boleſlai Ducis reſponſio ſingulas Nepotum quærellas ita confutaſſet, vt bellum motum & mouendum iniuſtum ſibi videri pronunciaſſent, ijſdem tamen communibus agentibus Conſiliarijs Boleſlaus Monarcha Nepotes quietaturus, de Vrbibus, quas in Sleſia tenuerat, ceſsit, & eas inter Nepotes ſortiri conſenſit. Magna profecto ob eam rem commendatione dignus, qui ne patriam vulneribus ab hoſte inflictis, calentem inteſtino bello inuolueret, etiam de his quæ legitimo iure obtinebat exceſsit, & bellum oriens, ſolerti moderamine extinxit, maximè id moderamine Reipublicæ putauit profuturū, quicquid pro pace & bono ſtatu patriæ ſuis priuatis cenſibus viderat detractum.

Tres ſoles in occidente ſimul viſi ſunt Nonis Septemb: & poſt horas duas deficientibus cæteris, qui medius fuit, ſolus occidit. Simili quoq; modo proximis annis Lunæ apparuerunt.

ANNO DOMINI 1170. Fraterno & ciuili bello in ipſo ſui primordio, antequam in perniciem aliquam ſerperet, Boleſlai Polonorum Ducis & Monarchæ prudentia induſtriaq; oppreſſo, aliud pernicioſius à Cracouieñ militibus in Boleſlaum excitari ceptum eſt, ſed iuxta ac ſuperius in

ſuo ortu

ſuo ortu modeſtia Caſimiri Sandomirieñ Principi ſucciſum eſt. Iaxa ſiquidem de Miechow & Suantoſlaus milites, & penè vniuerſi Crac: proceres Boleſlai Criſpi imperium ſegniùs, quàm Reipublicæ varijs calamitatibus pro ea tempeſtate affictæ conueniebat, adminiſtrantis, peroſi, in eius deſtitutionem conſpirant. Monarchiæq; Principatum & regimen Caſimiro Sandomirieñ Duci mandandum decernunt. Ad quod illos non ſolum Boleſlai ſegnities, & confracta exuſtaq; ætas, ſed ſingularis & admiranda Caſimiri probitas, mirificis actibus quotidie ſe diffundens, tùm ne Boleſlao abſumpto Miecſlaum ſenem Maioris Poloniæ & Pomeraniæ Ducem ſuſcipere, vel natu maiorem cogerentur, inſtigabant. Verùm Caſimirus Sandomirieñ Dux à Iaxa Suantoſlao, cæteriſq; Crac: militibus rogatus, vt Monarchiæ regimen vniuerſali cõſenſu ſibi delatū, ne Bolaſlai tẽpore periclitatum illud vel amplius contingeret, acceptaret, reſpondet. Iniquum & acerbum ſibi videri ſtrenuiſsimo Principe Boleſlao, non germano ſolùm, ſed ſuæ iuuentutis curatore benigno, & quod his præſtantius eſt, optimè de Republica merito, propulſato, & propter grandæuum ſenium excluſo Monarchiæ occupare Principatum, Se quidem illis pro ea propenſione gratias agere, & gratiam quod ſe Principatu dignum iudicarunt, referre velle, ſed nullo pacto in ſceius tàm deteſtandum quo & patria exturbanda eſſet, & Boleſlaus frater, quem priuato etiam in hanc diem coleret officio violandus, puritas quoq; ſua contaminanda eſſet, aſſenſurum. Noſſent preterea ſe ſic inſtitutū qualificatumq; eſſe, vt ne dùm Boleſlaum Ducem & Monarcham afficere velit qualicunq; iniuria, ſed vitã & fortunas pro eius defenſione oppoſiturum. In hunc modū Crac: militum gliſcens, in Boleſlaū Ducē ſeditio extincta eſt.

Rudgerus Wladiſlauienſis Epiſcopus cùm annis nouem ſediſſet, abſumptus eſt; & in Wladiſlauienſis Eccleſia ſepelitur, Vernerum natione Almanum Canonicum Wladiſlauieñ à Capitularibus electum, & per Alexandrum Papam Tertium probiſum habuit ſucceſſorem.

Sexto Calend: Februarij Valterus Wratiſlauieñ Epiſcopus obijt, colica vexatus, Qui duobus & viginti Annis Cathedræ præſidens Wrath: Eccleſiam ligneam reperiens, pulcherimo muro fabricauit, & Lugduneñ Galliarū Eccleſiæ ceremonias, ordinem, & cantum in eam introduxit. Huic Ziroſlaus natione Polonus & genere nobilis ſucceſsit via ſcrutinij electus, à Petro ſecundo Archiepiſcopo Gneſneñ Boleſlai Alti Ducis Wratiſlauieñ accedẽte Patrocinio & conſenſu confirmatus, & in Eccleſia Kaliſsienſi conſecratus, ex familia Rozæ ducens ortum.

Suantopelk Wladimiri Regis Bohemiæ filius ſeditionem in Patrem commouens, Baronem Viſlaum cuius conſilijs Wladiſlaus Rex regebatur in malibus Iuditæ Reginæ conantis illum defendere transfoſſum occidit. Pro quo facinore in exilium à Patre relegatus, primùm in Hungariam, deinde in Almaniam ſe conferens, vagus, exulq́ue viuebat & in Bohemia à neceſſarijs Viſlai periculum formidans in Almania occubuit.

Grandi indignatione Mśćiſlaus Izaſlawic Wlodimirieñ Dux ſtimulatus

Wlodimirum Mścislawic, quod patruum suum Rościslaum de Kiow eiecerat, ex Kiow propellit. Quo ad Polowcos diffugiente Mścislaus Izaslawic, possidere Kiow cepit, Quod Andreas Dux de Susdal non ferens, filium suum Mscislaum cum Rostowcis, & Wlodimircis contra illum mittit. Cui auxilium laturi, tantum quippè odium pectoribus multorum contra Mscislaum Izaslawic insederat, nouè Russiæ Duces conueniunt, videlicet Olech Pereaslauien, Romanus Smolien, Dauid Wyssegradien, Wlodimir Andreiowic, Demetrius Georgij, Georgius & Slawic germani, Olech & Gregorius Swantopelkowic. Et obsidentibus Ducibus præfatis Kiow, claudit se Mścislaus Izaslawic in arce, pluribus diebus tolerans obsidionem, sed famè non tolerans, ex Kiow cum fratre suo & paucis comitibus in Wladimiriam effugit. Duces autem arce potiti, consortem Mscislai, filiumq; & milites captiuant, Kionien autem ciuitatem dant militibus in prædam, qui nondomos tantummodo Canonicorum, sed & ædes sacras Monasteriaq; diripiunt. Locat autem Mscislaus Andrzeiowic patruum suum Chleb in Kiow, qui sedem illius nactus, filio suo Pereaslauien contulit Principatum. Obtinebat ea tempestate in annum quartum decimum. Ecclesiam Ploceñsem Vir mirificus Vernerus, & deuotionis in Deum singularis, & vitæ nitidæ integræ atq; religiosæ, egregia pollens animi virtute atq; probitate, doctrina insuper eleganti, cum summa humanitate coniuncta. Is cum villam Ecclesiæ suæ Ploceñ Karszko vocatam à Satrapa Masouiæ Boleslao Castellano Wilneñ pro insigni armorum babatum defferente, tàm diuitijs, quàm amicis potente, primùm inuadi ad extremum occupari sensisset, personali & benigna primùm admonitione, deinde per amicos communes apud illum egit, vt proprijs contentus sortem Deo dicatam desisteret vsurpare, vltionis diuinæ iudicium, si in proposito perseuerandum duceret, non euasurus. At ille exhortatione huiusmodi insolentior factus, plura insuper se, si impetatur, occupaturum, & de Episcopo Vernero extrema supplicia sumpturum respondet. Intelligens itaq; Vernerus Episcopus modestiam suam apud hominem sensus reprobi & ambitione cæcati, nulli vsui fore, & admonitionem contemptum iri, in ius illum municipale, quod vocitamus terrestre, pertraxit, existimans suæ auaritiæ ingluuiem, vel iuris rigore posse confundi. Ventilato autem iudicio, dùm in causa non dubia iudex tempus teri non passus, Vernerum Episcopum pronunciasset victorem, & illum decreto suo in villa Karszko per scelus & iniquitatem Boleslæ oblatæ possessionem misisset. Boleslæ extunc bilem non temperans, & plura in Præsulem Beatum iura suæ Ecclesiæ defendentem maledicta euomens, ad trucidandum Episcopum animum, & omnes conatus destinat, oportunitate data, quamprimum proposito executurus. Erat Boleslæ cum Prutenicis populis idolatriæ deditis, & ob propinquam vicinitatem, & morum prauitatem, frequens vsus, frequensq; familiaritas & communio, in illo enim Visneñ oræ angulo positus, summæ rerum à Boleslao Polonorum Duce & Monarcha delegatus prædo & adeuntibus se cum quærellis varijs, furta, spolia, inuasiones, & nonnul-

las alias

las alias iniurias continentibus Prutenicis populis iura de Polonorũ Regionibus, aut reddebat, aut bella orientia administrabat, aut per pacis, & cõcordiæ conditiones extinguebat. Nonnunquam legationibus & muneribus, iuxta morem Prutenorum gentis, sibi allatis duplici fænore, quo illos sibi deuinctos magis, & in sua beneplacita exequenda, commodaq; augẽda, ꝓniores efficeret, respondebat. Prutenorum itaq; ad illum grandi multitudine, dùm apud Castellaniam suæ ditionis Visneñ, ageret, veniente, largitionibus & promissis illos inescatos, ad domicilium suum perducit, & nõdem insequentẽ, varijs eos onerando commessationibus, absumit. Cùmq; ex longa crapula & ebrietate hilariores videret effectos, & per exploratores certior factus, didicisset Vernerum Episcopum in Biskupice villam suam postridie aduenisse, Bieniasium germanum cum exprobratione compellat dicens, cur tu, inquit, Sacerdotem nefandum Vernerum Episcopum, sub nostris oculis nostra occupantem non violas? non extinguis? Qui fraternas iussiones impleturus, omnium Prutenorum, qui tunc aderant, Boleslæ mandante, comitatus caterua, in Biskupice processit, & antelucano tempore illuc, quemadmodum animo gestiebat, peruenies, Vernerum Episcopum in dormitorio suo quiescentem, vnâ cum fratre Benedicto ordinis S. Benedicti Monacho, huius enim & aliorum religiosorum, idem Vernerus Episcopus domi & foris, & vbilibet locorum contubernio ad honestãdum testimonium vitæ suæ vtebatur, in cubile irruens, seris effractis, frequentibus percussionibus grauibus vtrumq; quarto Februarij die perimit & obtruncat, superiectis deinde in funera tapetijs, & aleis, & sarmentis abscedit. Pro parricidio in virum Dei commisso à Boleslæ non secus quam si hostẽ infestum debellasset, commendatus. Antistitis autem Verneri cubicularius, qui se metu mortis sub Pontificalem lectum occultauerat, vniuersã tyrannidem quam Bieniasius in Christi Domini Vernerum exercuerat, speculatus, altero die detexit, & publicauit. Ex eo autem tempore, & in post canifex Bieniasius nusquam apparuit, à nullo vnquam homine visus. Quapropter vniuersali æstimatione creditum est illum tertia die, postquam parricidium peregisset, terram viuum absorbsisse, & neci Pontificis innocentis iustissimo Dei iudicio parentasse. Sed & Boleslæ Castellanus Visneñ, qui principalis autor extitit, virum iustum, sanctum, & Pontificali dignitate præditum, per scelus occidendi, iusta & digna morte interijt. Corpus Episcopale in Ploceñ delatum Ecclesiam planctu magno virorum Ecclesiasticorum honorifica sepultura terræ mandatum est, & in locum illius Lupus Canonicus Ploceñ successit. Principatus autem suos & Dominia Boleslaus Dux & Monarcha Polonorum vehementer ob Pontificalem necem afflictos & affligendos pertimescens. Iam siquidem Petrus Gnesneñ Archiepiscopus in Prouinciam Poloniæ vniuersam Prælatis prius consultis, generale pertulerat interdictum, missis militibus Boleslam captiuat, & Gnesnam perductũ, conuentu generali indicto, sub præsentia præfati Petri Gnesneñ Archiepiscopi, Gedeonis Crac:, Bernardi Posnanieñ Episcoporum, & vniuersorũ

procerum Poloniæ iudicium contra illum, cui ſolus præſidebat, inſtaurat, & pro facinore in Chriſtum Domini Vernerum commiſſo, Boleſtam in iudicium producitur, & ſcelus ſuum inficiare, ſcientem ſe multitudine teſtium conuincendum, non audentem, definitiua ſententia flammis exurendum condemnat. Nec ſimplici cremationis genere in eo contentus tela recenter texta, & cæra oblita circumuolutum in circulo ciuitatis præfatæ Gneſneñ, valido ignis incendio, ſe, & vniuerſa ſua militia inſpectante, combuſit, iram quoq; diuinam propter ſcelus parricidij in ſe, & gentem ſuam ventu-ram, ſæua quidem, ſed iuſta vltione de reo ſumpta expiauit. Cepit autē extunc deinceps Vir B. Vernerus ſignis mirificis clareſcere, & ad ſui nominis inuocationē exaudire, claudis greſſum, cæcis viſum, leproſis mundationē, paraliticis reſtaurationem, mortuis vitam, pluraq; alia pro quibus interpellabatur beneficia conferre, vt nil dubitandum ſit virum illum, tùm pro vita laudabili ſanctè & innocenter tranſacta, tùm pro ſanguine in defenſionē ſuæ Eccleſiæ fuſo, laureolam meruiſſe, animarum quoq; ſanctarum potitum cōſortio, præmio æternæ retributionis, & viſione diuina perfunctū eſſe. Sedit ipſe Vernerus in ſede Ploceñ annis 14. cui Lupus Cuſtos Ploceñ poſt monſtruoſam electionem de tribus factam, ſuccedit, nobilis genere de familia Godziemba à Petro Gneſneñ Archiepiſcopo Boleſlao Criſpo Poloniæ Duce & Monarcha eius promouente electionem confirmatus & conſecratus.

Pridie nonas Maij, Miecſlaus ſiue Mieſko maioris Poloniæ & Pomeraniæ Dux, pietatem, quam in egenos, & miſerabiles perſonas in ciuitate ſua Poſnanieñ degentes geſtabat pectore, expreſſurus, opere de conſilio Raduani Poſnanieñ Epiſcopi Hoſpitale in Poſnania ad Eccleſiā B. Michaëlis fundat, & illius curam & gubernationem fratribus domus hoſpitalis S. Ioannis Ierozolimitani committit Aſsignans & donans eidem hoſpitali in perpetuam dotem villas ſuas Ducales, Niechrowy, Iagodno, Samoczyrſka, Gortka, Glinka, Goſztowo, Gleczowo, Cerlenino, Iarogniewy, cum omnibus earundē villarum pertinentijs, appendentijs vniuerſis. Pro cuius ſubſiſtentia vberiori Raduanus Epiſcopus Poſnanieñ decimas in villis præfatis, nec non & decimas in villis Mieloſtowo, Andrzeiowo, Wygonowo, Wiclikie, Zuchelecz, Obrzel, Lipnica, ad menſam ſuam Epiſcopalem pertinētes dedit perpetuo, inſcripſit, & donauit, pia libertate locum præfatum inſigniens.

ANNO DOMINI 1171. Cracouieñ Epiſcopus Gedeon cultum diuinum in ſua Diœceſi ampliaturus, in vaſtis tunc, & ab hominum habitatione longius porrectis nemoribus oppido Kielce ædificato. Eccleſiam illic de Saxo quadrato, & artificis ſubtilitate proportionaliter formatā fabricat, & quatuor dignitates, videlicet Præpoſituram, Decanatum, Cuſtodiam, & Scolaſtiam, ſex quoque Præbendarios, decem inſuper vicarios in ea fundat ac huiuſmodi dignitatibus Præbendarijs & vicarijs, de bonis menſæ Epiſcopalis Capituli Crac: communicato conſilio, ſufficientem do-

tem in vil-

tem in villis decimis, cæteriſq; introitibus conſignat, ordinans & inſtituens, vt in eadem Kielceñ Eccleſia horæ Canonicæ ad honorem & titulum Dominæ noſtræ glorioſæ virginis Mariæ dicatæ, nocturnis & diurnis temporibus horæ Canonicæ explerentur. Felicem hunc Præſulem, & raræ deuotionis & Zeli, quis negat fuiſſe? Cui & fabricam Eccleſiæ in qua materiam ſuperat opus, & ſalutarem eius dotationem, pro qua perennem adeptus eſt vitam, videmus ſucceſsiſſe.

Polowcy ea ætate in magna multitudine glomerati in Ruſsiam contra Kiow adueniunt, vaſtationeq; longius, cùm repreſsionē non ſentirent, extenſa, plurimos mortalium vtriuſq; ſexus cum pecoribus & pecudibus, ſpoq;que multis captiuant. Et dùm prædam ad ſatietatem vſque raptam reducerent, de mandato Chleb Ducis Kiouieñ Midialko frater ſuus Dux cum Rurenorum copijs eos perſecutus, bis vna die cum illis conflixit, & victor in vtroque congreſſu euadens, omnem prædam, quam ceperant, liberauit & cum exercitu ſuo incolumis in Ruſsiam reuerſus eſt.

ANNO DOMINI 1172. Turbatio Eccleſiæ Dei, quam ex peſtifero ſcyſmate in ſuperioribus ortam monſtrauimus, vniuerſæ ferè Chriſtianitatis regiones armis, cladibus, odijs, & bellicis ſtridoribus inuoluens, pernicatius & magis ignitè, furere atque graſſari cepit, Friderico Romanorum Imperatore materiam & alimentum ſcyſmati ſubminiſtrante. Nam etſi Octauiano, qui ſe victorem nominabat, mortuo, pax Eccleſiæ ſperabatur facile peruentura. Imperator tamen Fridericus, in Alexandri Papæ deſpectum ſcyſmati defluenti & extincto nouas vires addiecit, & in locum Octauiani Guidonem Fremeñ præsbyterum Cardinalem, qui ſe Calixtū nominabat. Quo item mortuo Ioannē Fremeñ Præsbyterū Cardinalē qui ſe Calixtū appellauit. Quo ſimiliter pereunte. Tertium Laudonem, qui ſe Innocentium vocitabat, ſurrogabat. Alexander autē Papa in Gallijs exiſtens, tàm Fridericum Imperatorem, & ſuos in Pontificatu aduerſarios & contendentes, quàm omnes illi adhærentes, velut verus & legitimus Chriſti Vicarius graui anatemate percellebat, prohibens Friderico à ciuitatibus Italiæ obedientiā præſtari. Quapropter ciuitates Italiæ Friderico ſua ſponte infenſæ, rebellione facta, grauibus bellis Imperatorem Fridericum conquaſſabāt. Fridericus autem Imperator non tàm Italiæ ciuitatibus, quàm Franciæ Regi Ludouico, cuius auxilio, brachioq; Alexander Papa roborabatur, iratus, in Gallias exercitum Bohemorum & Dacorum auxilijs auctum, Franciæ Regnum deſolaturus promouit. Cui Ludouicus Franciæ Rex Regis Angliæ Henrici adiutus auxilio obuiam proceſſerat decertaturus. Interim tamen Friderici Imperatoris exercitum, iam in Burgundia agentē, Epidimia inuadens miſerabiliter proſternit, & cepto irrito deſiſtere cogit. Sub hoc autem ſcyſmate in plures annos continuato Almaniæ Bohemiæque Regiones Friderici Imperatoris factionem ſequutæ, Antipapas ab eo conſtitutos pro ſummis Pontificibus adorabant. Polonica verò

Ecclesia & Regio omni periculo, quod sibi ab Imperatore Almanisque imminere poterat, contempto, veri & legitimi Papæ Alexandri Tertij obedientiam sectabatur, ciusque mandatis & decretis, parendo, Imperatorem Fridericum Reges & Principes, ac Episcopos sibi adhærentes excommunicatos denunciabat.

Lugubris insuper casus Boleslaũ Crispũ Poloniæ Ducem & Monarcham eo anno excepit, filius etenim suus maior natu Boleslaus in quẽ pater propter ingenitã indolem, & virtutes in eo relucentes, tùm quod ætatis proiectioris erat, & sibi in Regno successurus videbatur, maiori afficiebatur charitate, languore correptus diem obijt. Cuius mortẽ Boleslaus Pater, graui & immodico dolore luctuq; persecutus, nullis consiliorum persuasionũque, quæ illi ingerebantur remedijs, ne fletibus luctibusque indulgeret, poterat auerti, mærorẽ suum consolatu difficilẽ & multiplici necessitudinis nomine quam vt verbis leuari posset differens & demonstrans grauiorem.

Moritur Chleb Kiouieñ Dux, postquã annis duobus in Kiouieñ Principatu sedisset, & in Ecclesia S. Saluatoris in Berestow sepelitur.

Andreas autem Dux de Susdal Ducem Smolieñ, Romanum in eius locum substituit, & eum ad Principandum in Kiow transmittit. Qui Kiouieñ Ducatus regimine susceptо, filium suum Iaropelk locat in Smoleńsko, quem processu temporis Iaroslaus Izaslawic de Kiow expulit, & in sedẽ Kiouieñ consedit.

ANNO DOMINI 1173. Mærore pro filij occasu tempore magis quàm ratione in Boleslao Polonorum Duce & Monarcha sanato, repetinus languor Boleslaum inuadit. Hunc cum in se grassari sensim aduerteret. Casimirum Sandomirieñ Principem fratrem natu minorem Prælatosq; & Barones Regni ad se mandauit accersiri, sub eorumq; præsentia, tàm de Principatibus, & terris eum iure successionis contingentibus, quàm de rebus, thesauris & elenodijs ordinauit. Et filio quidem vnico, quem reliquerat, Leszkoni, Masouieñ & Cuiauieñ Ducatus legat, Ducem verò Casimirum germanum suum curatorem filij, & Mariæ Ducissæ consortis suæ designat, Cazimirum obsecrans, vt eam vicem suo filio Leszkoni præster, quam meminit sibi ab eo in suæ orphanitatis articulo præstitam fuisse, parentemq; magis, quàm curatorem & Patruum in Nepote agat, cùm fauore paterno semper à se tractatus & habitus sit. Fructum etiam curationis huiusmodi percepturus. Nam si Leszkonem sine prole excedere contigeris, Cazimiro fratre tàm Masouiæ, quàm Cuiauiæ Ducatus legat legitimam successionem, ipsum solùm testamenti à se tunc conditi vigore decernens, in vtrumq; Ducatum filio Leskone obeunte successurum. Deinde tesaurum, vasa quoq; & Clenodia Ducalia inter coniugem suam Mariam, & Cazimirum Sandomirieñ Ducem filiumq; Leskonem partitur. Omnibus insuper Ecclesiasticis Sacramentis deuotè & Catholicè perceptis penultima Octobris in arce Crac: spiritum exhalat, & in Crac: Ecclesia, Duce Sandomirieñ Ca-

rieñ Cazimiro, Gedeon Cracouieñ Episcopo, consorte Maria, & filio Leskone, cæterisque Prælatis & Baronibus Regni iusta funeri soluens, sepelitur, cùm in administratione Monarchiæ Regni Poloniæ annos vnum & triginta exegisset. Post mortẽ autẽ Boleslai Crispi Polonorum Ducis & Monarchæ fit Cracouiæ tàm Miecslai Maioris Poloniæ & Pomeraniæ, quàm Cazimiri Sandomirieñ. Item Boleslai & Miecslai Sleziæ Ducum pro substituendo nouo Monarchã Cõuentus, Et licet Cracouieñ summa vi, summisq; conatibus adniterentur, quatenus in Monarchiæ Principatum Cazimirus Sandomirieñ Dux succederet, à Consiliarijs tamen & Baronibus maioris Poloniæ, Sleziæ, Pomeraniæ, cæterarumq; Regionum in Miecslaum senem vocitatũ, maioris Poloniæ & Pomeraniæ Ducem, suffragia ferentibus, victi desistũt. Itaq; Miecslaus Dux & Monarcha Polonorum vniuersali consensu Ducum Prælatorum & Baronum Poloniæ declaratus, Monarchiæ suscepit Principatum, & Cracouieñ arx ciuitas, & Prouincia, suæ traduntur ditioni, neque enim Casimirum Sandomirieñ Ducem propter liuorem & discordias inde orituras, Duci Miecslao, velut natu maiori placebat præferri. Spes quoq; omnium animos subibat Miecslaum senem in administrando Principatu, iusta & legitima sectaturum & suo prudenti regimini splendorem, & amplitudinem illi adiecturum.

Stephanus Hungariæ Rex à proprijs militibus rebellionem & seditionem passus in die Sanctorum Geruasij & Protasij multis Hungaris corruentibus profligatur, & in Castrum Zemplin fugiens, Tertio idus Aprilis moritur, cui Bela frater eius & filius Geisæ furum & latronum persecutor successit.

FINIS LIBRI QVINTI.

IOANNIS DŁVGOSCH SEV LONGINI CANONICI CRACOVIENSIS.

Historiæ Polonicæ,

LIBER SEXTVS.

ANNO DOMINI 1174. Monarchale solium Miecslaus maioris Poloniæ & Pomeraniæ Dux, ex obitu Boleslai Crispi electione & consensu vniuersali adeptus, opinioni Polonorum, beatam & tranquillam vitam, sub illius præsidentia & regimine se ducturos gloriantiũ, non respondit, sed mox sui regiminis primitias tyrannide & oppressione sedauit. Qui etsi ob singulare, rarumq; sapientiæ specimen ab annis adolescentiæ in eo relucens, Senis cognomen fuerat sortitus, res tamen secundæ, quibus in sublime actus fuerat, mentem suam à iusto, & recto creduntur auertisse. Erat siquidẽ Miecslaus præfatus & quinq; filiorum, videlicet Ottonis, Stephani, Boleslai, Miecslai, & Wladislai, quorum duos primos ex filia Regis Hungariæ, reliquos tres ex consobrina Friderici Imperatoris susceperat, & plurimarum filiarũ coniugio, magnarum insuper opum affluentia clarus, & insignis. Cum finitimis enim Principibus affinitatem iungens, Sobieslao Bohemorum Duci vnam, Saxoniæ Duci alteram, Friderico Lotoringiæ Duci tertiam, Boguslao maritimæ oræ Duci & filio eius Boguslao quartam, & quintam filias locauerat. Filijs insuper suis Ottoni Halicien Ducis, Boleslao Pomeraniæ Ducis, & Wladislao Ducis Rugiæ filias in cõsortes susceperat, cui residui duo filij Stephanus & Miecslaus cælibes decessissent. His & pluribus alijs donis fortunæ onustus, omnium mortalium felicissimus habebatur, verùm vtriusq; boni rectæ videlicet mentis & fortunæ largitionem Miecslaus diutius non tulit, sed donis gratuitis abutens, multifarias exactiones, calumnias iniquitate plenas, in subditos visus est congessisse, ad quod non solùm ferebatur proprio ardore, sed etiam peruersorum consiliariorum, & signanter Henrici de Kietlic villa propè Budrysin sita, qui omnium suarum actionum monitor & moderator erat, agitabatur instigatione. Pro leuibus quoq; causis, & transgressionibus vrsi, aut Damialæ, aut alicuius siluestris animalis interfectione puniebantur, tàm militares quàm agrestes, & omni pietate relegata, bona eorum per Ducales ministeriales, partim in Ducalem fiscum, partim in priuatos visus distrahebantur, Querellisq; grauatorum ad se perlatis, aut inclementius Dux Miecslaus respondit, aut ad clamorem miserorum aures obturauit. Nil deniq;

apud illum, & suos erat sanctum, nil æquum, nil iustum, nil charum præter pecuniam & munera. Ac relligione diuina neglecta, iureq; diuino & humano quassato, & turbatis Principatus sui, tàm iudicijs quàm officijs, omnia ad quæstum commodumq; suum Ducalem conabatur referre, longè deteriorem se senem quàm iuuenem gerens. Nilq; ad profectum ætas illi profuerat, exactor auarus, punitor crudelis, neq; enim quisq; illo ea tempestate inter Principes Poloniæ amplius grauauit Prouinciam, neq; commentus est callidiores, ad expilandum fortunas innocentium, vias.

Grandæuum & labore atq; ætate grauem Wladislaum Bohemiæ Regẽ Fridericus Imperator curia in Noremberg indicta, instigantibus eum Baronibus Bohemiæ quibus regimen Wladislai fastidio erat à Regno Bohemiæ deponit, & Sobieslaum Ducem Bohemiæ quem ipse Wladislaus Rex annis 16. captum, ne res in Bohemia nouaret, tenuerat, suo iussu relaxatum, Bohemis præficit Ducem, Regali Bohemos, ne aduersus se calcitrarẽt priuato honore. Wladislaus autem Bohemiæ Rex in Bohemia consistere propter Sobieslaum, quem annis tot vinctum tenuerat, quem quoq; cæcare constituerat, ne iniuriarum memor grauius in se aliquid statueret, non ausus in Almaniam secedens, Quarto post hæc mense 15. Calend. Februarij moritur, & in Misen sepelitur, Filius insuper Wladislai Regis Fridericus patre mortuo Sobieslai conspectum veritus. Friderici Imperatoris curiam exulis more sequebatur.

Boleslaus Pomeraniæ Dux moritur, & in Monasterio Oliua, quod fundauerat sepelitur, duos relinquens filios Mizczugium, & Sobieslaum.

Thomas Cantuarien Episcopus libertatem Ecclesiæ strenuè defendens, ab Henrico Angliæ Rege in exilium actus est. Quod dùm septennio pertulisset, ad Ecclesiam suam reuersus antepenultima Decembris die obijt, apud fores Ecclesiæ ab Anglis obtruncatus, felicissimũ Martyrium consumauit, atq; ob tam victoriosam palmam in cœlicolarum numerũ translatus est.

ANNO DOMINI 1175. Cum grauamẽ & oppressio singularũ personarum, singulorumq; ordinum Miecslai Ducis, & Monarchæ Polonorum crudeli mandato, multifariè & exquisitè à suis officialibus, Præsidibusq; dietim intenderetur, clamorq; & vociferatio gementium, & lachrymæ grauatorum, se per calumniam & vim, bonis & fortunis suis exutos quererentur, in publicum prodijsset, nec inter Consiliarios quisquam facta Ducis damnare & reprehendere auderet, Cracouien Antistes Gedeon, vir constantiæ & zeli singularis oppressorum fletibus motus Ducem Miecslaum adit & arbitris exclusis causam oppressorũ intrepidè agens, quibus, quantisq; calumnijs vastetur, opprimaturq; Prouincia, innotescit, singulorumq; grauatorum ex ordine iniuria declarata, deprecatur Ducem vt nouorum tributorum impositionem, sub antiquis Polonorum Regibus & Principibus ignoratam abroget, inordinatas & non necessarias exactionum exactiones, quæ in Polonico Poduodarum nomine appellari solent, rescindat, Calumnioſam & tyrannicam bonorum confiscationem à suis officia-

libus, pro leuibus pœnis, & culpis hactenus irrogatam, per quam multorum substantiæ emunctæ sunt, & personæ in extremam pauperiem redactæ, rescindat. Miserorumq; & calamitosorum opem, clementiam, & tutellã suam implorantium, precibus, & vocibus moueatur. Prouinciæ quoq;, in qua illum & maior ætas & voluntas populi Monarcham constituit, parẽtem se præstet propitium, non tyrannum detestabilem, & execrabilem, amplam laudem, popularium fauorem si destiterit, maximum dedecus & status periclitationem, si perseuerauerit, percepturus. Nil admonitione, hac salutari & paterna Miecislaus Princeps motus, quin etiam vehementi ira vexatus duriè Præsuli respondet, iure se, non iniuria quicquam egisse, & tàm tributorum nouorum impositionem, quàm euectionum & pœnarum exactionem legitimam fore, nec aliter Regnum & Monarchiam administrari posse. Nil sibi cum Regibus & Principibus antiquis commune fore, se suo sensu, suoq; ingenio Duci, & suo arbitrio non illorum exemplo actiones suas & decreta moderari. Tàm bono insuper & eleganti ingenio se præditum esse, vt non vellet suis, aut cuiuscunq; admonitionibus indigere. Desineret proinde se lacessere, & Pontificalibus potius rebus, velut propriis intentus, publica sibi curanda permitteret. Non enim se vlla persuasione, aut pacto ab his, quæ agressus esset, sciret cessaturum. In hanc sententiam Gedeon Episcopus dimissus, tristior quàm venerat abijt.

Prima die Maij Boleslaus cognomine Altus Wratislauien Dux apud Cadrum suum Grotecz agens, exclusis fratribus & Monachis nigris de Monasterio Lubin, quod ad sluenta Odræ Cazimirus Poloniæ Rex olim Cluniacensibus Monachis fundauerat, Fratres Cistercien Ordinis ex Monasterio Porten supra Solam fluuiũ situato sumptos, in illud introducit, & noua donatione atq; inscriptione locum & eius possessiones à Cazimiro Rege donatas, priuilegiat, aliquas etiam de nouo adijciens, adhibita ad huiusmodi transmutationem prũtia & consensu, Zyroslai alias Iuoslai Wratislauien Episcopi, Miecislai patrui sui germani Poloniæ Ducis & Monarchæ, item germani sui Miecislai Ratiborien sis, Item filiorum suorum Boleslai, Iaroslai & Miecslai Ducum, item optimatum, Principatus sui, & Baronum, Cuius Monasterij primus Abbas Florentius fuit. A quo & Fratribus secum ex Porta in Poloniam ad præfatum Monasterium venientibus, Pomorum genus in Polonicum Regnum allatum, quod ex cognomento Monasterij, ex quo sumptum est Daport, id est de Porta, vocitatum est, in hanc diem multiplicatum perseuerat.

Concilio apud Turonum in Gallijs per Alexandrum Papam Tertium celebrato, Imperator Fridericus & censura Apostolica & rebellione ciuitatũ Italiæ, & bello, ab eis illato fatigatus, statum suum pericli tatum iri formidans, nuncios suos reconciliationem petens, & culpã recognoscens, transmittit, quæ tandem Venetijs Alexandro Papa illic degente & Imperatore illuc veniente per medium Ottonis filij Imperatoris, qui à Venetis classem genti amissa, victus & captus fuerat, iuxta beneplacitum Summi Pontificis

tificis conficitur, & Ecclesiæ Dei pluribus annis à quatuor Antipapis mala morte pereuntibus, quos Fridericus Imperator manu teneb t, vexatæ, pax & libertas reddita est. Alijs placet quod Alexander Papa Imperatorias vires timens VNETIAS perfugit, à Venetis quoq; benignè habitus, dùm contra Venetos Imperator filium Ottonem cum Classe misisset, & Otto ipse superatus prælio nauali Venetias adductus esset, tandem euadens captiuitatem Scysma inter Papam & Imperatorem SVMMO HONORE VENETORVM sustulit. Quibus ad perpetuam rei memoriam Pontifex quædam insignia beneficia donauit.

Bohemorum exercitus cum Vdalrico germano Sobieslai Ducis Bohemiæ in subsidium Friderico Imperatori in Italiam ab eodem Sobieslao trãsmissus est, & suo more prædas & spolia agens, in Vlma ab Oppidanis iniurias non ferentibus, sub Octaua Natiuitatis Mariæ penè deletus est. Et Vdalricus cum paucis in dissimulato & sordido habitu, ne ab Almanis obtruncaretur, miserabili calamitate afflictus, & omnibus exutus in Bohemiam refugit.

Bernardus Posnanien Episcopus exactis in Pontificatu Annis 13. moritur, & in Posnanien Ecclesia sepultus est, Cui Suantoslaus Præpositus Posnanien, & Canonicus Gnesnen, Nobilitatẽ ducens de domo accipitrũ per electionem Canonicã succedit à Petro Archiepiscopo Gnesnen cõfirmatus & consecratus, de consensu Miecslai Maioris Poloniæ Ducis & Monarchæ.

ANNO DOMINI 1176 Tyrannidem Miecslai Ducis Polonorum & Monarchæ, suorumq; Capitaneorum, Præfectorũ, & Officialium, Gedeon Episcopus Cracouien summo studio summaq; cura sanare inuigilans, nilq; superioris iniuriæ repulsa motus, cùm & Pontificali suo officio id sciret congruere, & calamitosorum oppressorumq; singultibus fletu atq; obsecratione vrgeretur, nouo reprehensionis genere, illo tamen, quod Natan Propheta olim ad Dauid habuit sibi vtendum duxit, quatenus Miecslaus Dux exemplo simili moueretur, qui verborum efficatiam ante contempsisset, & sua saltem sententia & decreto conuictus à tyrannide resipisceret, & in suorum reatuum atq; erratorũ, quibus Regio vnguerla, & vilucrat, & perierat, veniret cognitionem. Miecslao itaq; Duce sub frequenti Consiliariorum præsentia, publica negotia tractanti, matrona quædam per Episcopum Gedeonem, qui & ipse coram aderet submissa, in tetro & lugubri habitu, mæstum insuper & lachrymis obortis, madidum imbre fletuum præferens vltum, ex industria ante Tribunal Ducale constitit, & super graui iniuria & oppressione sua, alta voce audientiam & iusticiam sibi præstari deposcens, tàm Miecslaum Ducem quàm omnium Consiliariorum suorum, quidnam quærellæ, eorum audientiæ allatura esset, expectantium, ora conuertit. Hanc Miecslaus Dux & pro matronali reuerentia, & ne fastidiosos suis auribus ingeminaret clamores, exauditurus, cùm eminus consisteret, propius accedere, & quid rei haberet, à quibusue personis offensionem excepisset,

cepisset, omni pauore circumscripto iussit depromere, certissima etiã ipe deuouens expeditam iusticiã dilatione qualibet succisa ministraturum. Tùm matrona maiori fiducia Ducali sermone subnixa, tribunal Ducale accedés, per Capitis demissionem reuerentia Principi exhibita, in hunc penè modum propositionem suam, quemadmodum à Gedeone Episcopo edocta erat, differuit. Habebam ego mi Domine Rex, ancilla tua, copiosum balantum gregem, cuius carne, lacte, & vellere viuens etiam opes ex illis, quæ cuiuslibet ambitioni sufficere possent, quæsieram, felicemq; & beatam, illo vnico pecore contenta, agebam vitam. Filius interim meus, mercenarios, quos etiam in tuum conspectum, iustius iudicium eis pñtibus exceptura ire coegi, qui oues excellis & vberrimis locis pascentes, ad caulas incolumes reducerent, conduxit, & a mercenarijs grex meus negligentius habitus, vniuersus ferè luporum sæuis morsibus deperijt. Ita, nisi tu ancillæ tuæ auxilium iustum tuleris, actum de me est, deq; fortunis meis, orbaquè & misera necesse est efficiar, tàm præcipiti damno pessundata. Querella matronæ Dux Miecslaus exaudita, querit, quisnam sit filius eius, qui mercenarios quorum negligentia in tàm grande damnum incidisset, conduxerat, edito nomine suo adolescens, filium se quærulantis matronæ professus, in mercenarios omnem culpã absorpti pectoris retorquet, sed mercenarij primo loco causam suam dicere iussi, sic refellunt. Frustra, inquiunt, Princeps Illustrissime perditi pecoris à nobis petitur solatiũ, frustra in tuum Consistorium, quasi pecus commissum, negligentius asseruando deliquissemus, pertracti sumus, frustra ad hæc matrona adolescentem filium hunc suum, quem tamen constat priuignum suum esse appellat, à quo etsi nobis pascendi custodiendiq; gregis non inficiamur curã fuisse, accepta mercede cõmissam, vigilias tamen nostras peruicit, fregitq; eiusdẽ ipsius adolescẽtis impetus potentior. Ipse siquidẽ venandi auidissimus, frequentes canes nõ atrocitate solùm, sed rabie plenos, quorũ illi vsus non à nobis tãtũmodo, sed etiã á viris grauibus & illustribus fuerat sæpenumero exprobratus, vbiq; secum circumducens, stragem ouium conuincetur, etiamsi notus fuerit, edidisse. Notorium siquidem est canum suorum turbam in gregem ad pascua per nos eductum, latratu horribili insilijsse, & vniuersum penè gregẽ, nobis nequicquam nostra vociferatione eos abigere volentibus, crebris rictibus laceras se, strauisse, & necasse. Huic accusationi adolescens respondere coactus, lupos simul & mercenarios accusat. Ego, inquit, Princeps Serenissime gregi à me his mercenarijs conducto, conspicatus luporum turmam, comminus imminentem, canes nodatos solui iubeo, & per abrupta inuiaq; nemorum & Alpium, cum his vnà & mercenarijs fugientes insector lupos. Reuersa interim, diuerso itinere luporum pars, desertum & solitarium gregem fundit & exanimat. Non in me itaq;, qui lupos abegi, perditi pecoris culpa contorquenda est, sed in hos iniquos mercenarios, & gregis sibi crediti desertores. Miecslaum Ducem iustam decisionem partium quærellis auditis pronunciaturum, diuq; quænam pars damnanda, quæ absoluenda esset, veri-

similitudo

similitudo defensionum perplexum ambiguumq; tenuit. Et quamuis primũ mercenarios damnare constituisset, velut gregis, quem seruandum suo periculo susceperant, incautos desertores, quia tamen assertio mercenariorũ rabidos canes, iuxta eundem gregem denodatos confessione adolescentis ad liquidum verificata erat, fertur in adolescentem, comprobantibus Consiliarijs sententiã, vt ex occasione qua damnum probatus est dedisse, damnũ suæ matri, sine nouercæ resarciat, cùm & lege diuina Dominus, cuius bos cornupeta, vel equus calcitrans damnum intulerit, ad damni resarcionem teneatur. Pronunciatione sententiæ deciforiè matronæ querella absoluta. Gedeon Cracouiẽsis Episcopus Spiritu diuino repletus, assurgens. Iustum, inquit, Princeps excellentissime, diuinæ humanæq; congruens legi, protulisti iudicium, & quæstionem nodosam æqua rectaq; decisione absoluisti. Sed tùm demum rata tua manebit decisio, si teipsum velut æquus legislator primum ea constrinxeris, cum te tuis factis, tuoq; significato fæmina hæc videtur expressisse & ad te vnum conuincendum emendandumq; arte mea instructa esse, quod quidem abducto velo facilè poteris accipere. Non vigilanti enim tibi atq; sopito, nocte atq; interdiu Polonorum Respublica occurrit, cuius cùm nitorem, libertatem, & amplitudinem procurare debueras, egisti, vt esset vidua, inops, serua, misera, & penè captiua. Hæc siquidem matrona Polonorum Prouincia est, regimini commissa tuo, tu quod inficiari non potes, eius filius, balantum grex Polonicus populus, cui pascẽdo hostes & mercenarios non sollicitos, inclementeq; pastores præfecisti, ex quo non immeritò filioli nomine abrogato, priuignus infestus huius matronæ, postquàm te illius miserabilis & calamitosæ conditionis iuxta ac nouercæ non miseret, vocitaris. Sed & canes rabidos, officiales, præfectos, & exactores tuos, licentiæ fræno laxato, tuoq; iussu, & dissimulatione disrupto, omnibus oppressionum mulctarumquè generibus finis debachari. Quorum atroci & impio morsu grex innocens perijt, & tuam defensionem, nequicquam implorans, inhorrẽdam, te inspectante, pertrahitur calamitatem, cùm exactores truculentissimi, adeò etiam in gregem lacerum & confractum desæuiunt, vt non nisi per cruorem, & iugulum gregis rugientem, suam esuriem expleturi, Prouinciam tuam perpetua sollicitudine atq; nece confecerint. Proprio itaq; damnatus atq; conuictus iudicio, ea exequitor, quæ alijs imperasti, excussoq; negligentiæ torpore, fædam enim auaritiam in te suspicari nequeo, tandem aliquando consurge, & tàm honestati, quàm saluti primũ tuæ, tùm perditi atq; perituri gregis, & tuæ miserabili consule calamitati, ne vltione diuina & humana percellaris, cùm verisimile non sit tyrannidem tuam, Deum & homines diuturno tempore laturos, vt enim cæterorum tui similium exempla transeam, satis tibi documenti B. Dauid in omnes casus sit. Quem populum tantummodo numerari, non opprimi, nec iniustè exactionari iubentem, subitus & districtus vltionis diuinæ vindex perstrinxit, sed neq; tibi, nisi reatum tuum iusta pœnitentia expiaueris, parsurus. Expergiscere precor aliquando, & nos omnes misera seruitute pressos libe-

ra, & tanti temporis moram, dùm licet, dùm potes, velocitate compensa, & omni studio, virtuti primum, & operationi bonæ, deinc gloriæ tuæ, & posteritatis iudicio, per singulos vitæ passus vaca, & animum tuum, abomni cupiditate, obscænitate, & prauitate, ne collabatur, aut deuiet tempera. Alioquin ab vltionum Domino, qui nil impunitum, aut irremuneratũ relinquit, in te, & stirpe tua, debitas pænas & orbitatem non euasurus. Eam reprehensionem Miecslaus Dux Polonorum iam enim ira incanduerat, diutius non ferens, non in correctionem sed in contumeliam: non ex veritatis origine, sed liuoris fomite Episcopum astruit commẽtum esse, atq; cum fremitu & ira ingenti, ex concilio se euoluens, vltum iri suas iniurias, tàm de Præsule, quàm de Baronibus, qui assensi fuerant, minabatur. Et Episcopũ quidem in proscriptionem & exilium, cæteros in necem aut membrorum mutilationem, confiscatione etiam bonorum adiecta, & in quæq; extrema frequenti vsurpatione sermonis destinat. Neq; ad tàm salubrem, tàm suauem, tàmq; artificiosam exhortationem animum suum ab ea, ad quam naturaliter pronus erat, cupiditate retraxit, nec mores suos inconditos compescuit, & non tàm surdis, quàm iniquis ingesta à Pontifice excepit auribus.

Suantoslaus Posnanien Epũs, cùm anno tantum vno sedisset, moritur, & in Ecclesia Posnanien sepelitur. Cui Geruardus Custos Posnanien genere Nobilis Polonus de stirpe aceruorum ducens genus, per electionem Canonicã succedit, à Petro Gnesnen Archiepiscopo cõfirmatus & cõsecratus.

Cazimirus Sandomirien Dux quarto Idus Augusti Cænobium in Suleiow Gnesnen Diœcesis ordinis Cistercien in suo Principatu fundat, & Monasterium quidem prædictum in prædio Russlai Comitis ad fluenta fluminis Pilcza, qui absq; liberis decedens Christum reliquit hæredem, propter loci amenitatem & commoditatem locatum est. Dux enim Cazimirus velut primarius fundator & patronus & tunc & in omni vita sua erga locum præfatum magna charitate & fauore affectus, prædia, villas, decimas, & sales, Cænobio præfato contulit in dotem, & plurima alia in rebus mobilibus & immobilibus largitus est, pro eius amplitudine & decore, Ducaliq; munificẽtia, omnia bona temporalia à se, & alijs Monasterio collata, planè libertauit. Contulit autem Monasterio prædicto villas Suleiow, Strzelce, Dambrowa, Baldrzikow montem, Buczynam, Kampa, Paczanow, Mianow, Sczepanowo, Piotrow, Chemiam, Taniow, tredecim plaustra salis ex templo Sandomirien, item alueum salis in Crac. & nouem castores ex Cimera Ducali recipiendos. Processu verò temporis Petrus Gnesnen Archiepiscopus petitione præfati Cazimiri Ducis, & Fulkonis Cracouien Episcopi eiusdem permotus, eidem contulit Cænobio Suleiowiensi decimas manipulares mensæ suæ Archiepiscopalis in Suleiow, Biasa, Lanczno, Milkow, Stampin, Stibor, Domczelan. Item Ecclesiam in Baldrzikow incorporauit loco eidem cum decimis in Standow, Chenna & Pasturow.

Bello inter Sobieslaum Bohemiæ, & Henricum Austriæ Duces exorto, Bohemia per Henricum, Austria per Sobieslaũ grauibus flammis vicissim vi-

sta, ma-

sta, magnisq; prædis, damnis, & spolijs vtraq; regio affecta. Qua quidem guerra durante, Henricus Austriæ Dux pede in pontis progressu confracto diem obijt, ex cuius morte Imperator Fridericus Sobieslao quasi ipse mortis affinis sui Henrici occasionem præstitisset, infestus esse cepit.

ANNO DOMINI 1177. Irritatum & furentem Miecslai Ducis Polonorum, & Monarchæ animum, Gedeon Crac: Episcopus, cæteriquè Proceres pro correctione in se habita, videntes, placari & conciliari ipsum insuper Ducẽ & à Tyrannide cepta auerti non posse, aduertẽtes Cumulationes enim in eos, & in cæteros subditos iusserat, vt se in exorabilem demonstraret, pressuras extendi. Cùm animaduertissent animum Miecslai in auaritiam depilationemq; præcipitem, ac penè immedicabilem, veriti insuper, ne iuxta indignationis suæ ardorem graue in se aliquid consuleret, quid facto opus sit, clandestinis decoquunt & digerunt consilijs. Gedeon siquidem Episcopus sententiam iussus dicere, sic differuit. Videtis, inquit, ô Proceres, quo nos casu fortuna inuoluit. Pressuras enim miserabilis patriæ auersuri, pro reprehensione nostra, iusta quidem, honesta, & necessaria; velut Maiestatis violatæ rei, Ducali decreto supplicijs addicti sumus, & nisi interim nobis aliquid prospectum fuerit, ad cruciatus varios rapiendi, & qui alios pressura leuare contenderamus, pressuris, & ipsi opprimemur, neq; salus patriæ nobis tantummodo speranda, curandaq; est, sed summo studio, summaq; cura salus priuata seruanda. Prouidendumq;, ne priuata cum publicis vnâ pereant, mihi in tàm periculoso & patriæ & nostro discrimine tyrannum placet deijci, & in locum eius meliorem surrogari. Sed anticipationem celeritate etiam ad mixta factu optimam reor, ne, si tyrannus prior supplicijs nos affecerit, conatus nostri nobis damnatis, recidant in irritum. Ea sententia facilè ab omnibus accepta, & laudata, tùm demum de substituendo Duce altero & Monarcha consultatio habita est. Quæ cùm plus difficultatis habere videretur, longius in illa immoratum est, præsertim cùm aliquorum sententiæ variassent. Verùm Stephanus Palatinus Graccouien oratione sua cæteros in concordiam reduxit. Non conuenit, inquit, Proceres, vt rem suapte facilem in difficultatem aduocemus, & tàm patriæ, quàm nostro gliscente, vel, vt verius eloquar, subimpendenti periculo, varietate sententiarum in longiorẽ trahamus moram. Extat enim in propinquo Princeps ingenuus Cazimirus Sandomirien Dux. Cuius probitatem & prudentiam in rebus magnis, & modestiam plurimis non tantum iudicijs, sed signis & operibus, & effectibus & videmus ipsi, & continuè experimur, in quẽ, liberalitatem, ac penè omnes virtutes, iusticiam, temperantiam fortitudinẽ, prudentiam, industriam constat confluxisse. Blandus alloquio, conuersatione grauis, aditu facilis, proprijs exteris ciuilis & humanus, miseris, & aliqua calamitate oppressis, gratiosius. In virtute honoranda egregius, in labore præmiando prouidus & in distribuendis Reipublicæ muneribus & officijs dispensator fidelis, tantam ad omnes exhibens benignitatẽ

& grati,

& gratiam, vt dubium effecerit, vtrum in illo natura vincat gratiam, an gratia naturam. Et licet se omnibus & placabilem, & exorabilem exhibeat, cũctoremq; excessibus facile deprecatus ignoscat, calumniatorum tamen tàm seuerus & osor & punitor est, vt in perenne eorum confusionis opprobrium, & vt cæteris labes ipta terrori fieret, quosdam in fronte, aut in genis cadentis ferri insigniuit cauterio, alijs in naso, alijs in lingua mutilationem imprecsit, plerosq; cæcari, aut fustibus cædi mandauit. Frugalitatem verò & liberalitatem in eo commendare non expedit, his enim virtutibus, omnes ætatis nostræ Principes peruicit. Neq;, vt plerisq; Principibus mos est, aut inhiat acquirendis aut incumbit acquisitis, sed vniuersos census suos in Reipublicæ profectus & commoda distribuit. Cibum, & quietem, non nisi ad naturam accipit & sequestrato à se ocio, iugem sibi indixit, ne torpescant ingenia exercitationis, aut in simulachro pugnæ, aut in luctando, aut in hastarum, cæterisq; heroicis, & militaribus operibus, laborem illum tamen tùm demum persequitur, dùm publicis, & seruis rebus primùm plenam expeditionem præstiterit. Cuius autem probitas vt notior sit vnum virtutis suæ insigne, commemorabo.

Vna siquidem noctium Princeps Cazimirus, de quo agimus, cum Ioanne de Konari milite & armigero suo ludum alearum ingressus, dum in noctis vsq; medium ludum protraxissent, cum alea aliquando Ducem, aliquando militem pronunciaret victorem vt tandem celerius discessio pro quiete habenda proueniret, communi consensu in periculum vniuersæ victoriæ vnus ludus susceptus est. Qui cùm nimio feruore & auida spe euincẽdi brauij, quod in argenti magna quantitate propositum erat victori, ab vtroq; gereretur, Dux tandem Cazimirus Ioannem militem peruincens, brauij sortẽ accepit. Ioannes interim miles, omnes fortunas suas vna palestra perditũ iri dolens, in eum dolorem, furorem, & rabiem, cum & vino immodice sumpto maderet, versus est, vt summo manus vibramine, facie Principis maxillata, noctis beneficio de manibus circumstantiũ elapsus diffugeret, sed die altera scrupuloso scrutinio comprehẽsus, omniũ iudicio velut maiestatis reus damnatus supplicium capitis subiturus agebatur. Sed Cazimirus Princeps occurrens, damnatum sisti iubens. Non committam, inquit, Iudices vt pro alapæ mihi illatæ iniuria, miles hic, cuius opera in Reipub. munere, aliquando mihi erit necessaria, intereat, facinus enim suum, & temporis & ludi qualitas excusat. Quod si quantitatem damni, quo illum fortuna afficerat, spectare velimus, absolui illum non damnari oporteret. Ipse siquidem brauio, in quo omnes fortunas suas contineri sciebat, amisso, non mihi, sed fortunæ iratus erat, furorem tamen suum, quem in fortunam deprimere non potuit, in me filium fortunæ vltionem sumpturus effudit. Sed & me conditionis, & status mei conueniebat, meminisse, vt rebus ludicris, quibus labefactatur maiestas abstinerem, cùm in illis plures leuitates, probra, & contumelias sæpenumero noueram contigisse. Ampliori itaque ego reatu subiaceo, qui publicam Principatus mei dignitatem ludicris inferens ludi-

brio me

brio me addixi, quàm Ioannes, qui primos & fortes motus frenare non valens, stimulatus insuper ebrietate, vltionem amissi brauij, qua potebat arte, exegit. Non solùm itaq; Ioannem à maxillationis meæ facinore absolutum pronuncio, sed illi etiam ingentes gratias habeo, quòd mihi vexationem præstitit, per quam non huius tantummodo, sed & cuiuslibet alterius ludicræ rei labem à me prorsus relegabo. Continuoq; & reum absoluit, & omnem argenti quantitatem, quam lege ludi quæsierat, ex integro restituit, & restitutæ propriam in remunerationis signum adiecit. Ita sub vno tempore & in eodem homine grandis contumeliæ ignouit facinus, damnationem remisit, perdita in integrum restituit, & iniuriam suam iuxta ac fauorem præmiauit. Possem & plura alia in huius Principis commendationẽ proferre memorabilia, nisi vobis omnibus ea nossem vulgaria & nota. Omnibus itaq; votis is nobis Princeps expetendus est, huic & non alteri Monarchiæ fasces deferendæ, sub quo certum est, nos à pressuris, quibus angimur, respirare, & beatam ac felicem vitam posse agere. Non cunctemur igitur Proceres, sed concordi sententia hunc decernamus & assumamus Monarcham. Itum est à reliquis omnibus in hanc sententiam, & omnes illi assensi Proceres. Ex loco itaq; Concilij in Sandomiriã, vbi Dux Cazimirus habebat sedem, tàm Gedeon Episcopus Crac: quàm Baronum primi peruicaci curiu pertingunt. Ducemq; Cazimirum secretò audientia obtenta, his verbis conueniunt. Eminebat siquidem in Cazimiro Principe Sandomirienſi quãuis ætate minor & natura facilior esset, ad Concilium ciuilemq; prudentiã, aptius ingenium, munificentia & comitate conditum, eratq; comis & iustus, & dùm adhuc iuuenilem & floridam ageret ætatem, statim mores ingenui & Regij in eo collucere visi. Non ignotum tibi putamus Princeps clarissime, quam durum & iniquum annorum prope quinq; patimur imperium, & in quam vastitatem vilitatemq; nostra Regio Fratris sui Miecslai, & præfectorum suorum oppressione, adducta sit. Quem etsi precibus, consilijs, & monitis nostris ad tollendum publica grauamina & pressuras, priuatim & publicè obsecrando, & patriæ ruinam demonstrañ, hortaremur, casso tamen labore sudauimus. Consilijs enim & precibus nostris repudiatis, tàm infestus esse nobis cepit, vt omnes nos supplicijs exilijsq; afficiendos decreuerit. Ad te itaq; omnium ordinum concordi consensu oratum venimus, vt Principatum Monarchiæ assumas, & tàm patriam, quàm nos tyrannide exoluas. Certus, nos tui fratris Miecslai Imperium, velut patriæ & nostri publici, & infesti hostis, de cætero nullatenus passuros. Sumpto aliquali ad deliberandum spacio Cazimirus Dux in hunc modum respondit. Non primùm quidem Proceres die hodierno de Monarchiæ Principatu suscipiẽdo à vobis conuenior, dudùm & in vita Fratris mei charissimi Boleslai Crispi, à Iaxa & Suantoslao Comitibus, pari petitione vrgebar. Sed nunquã rectum putaui, vt alumni & Fratris mei turbare statum, aut de iure & dignitate sua quicquam detrahere, sed omni Regno atq; Imperio præstantiorem duxi fraternæ pacis & concordiæ, pietatem. Qui itaq; tunc vni fratri fidũ

me & purum præstiti, qua fronte modestiam meam inquinaturus alterius Principatum vsurpabo? præsertim cum illum filiali semper deuotione coluerim, & reciprocè ab eo paterna complexus & amatus fui charitate. Tùm Gedeon Episcopus & Proceres, Longe inquiũt, Dux dispar versatur in præsentiarum respectus. Boleslaus siquidem Crispus frater tuus æquo iure & iusto imperabat regimine, at hunc successorẽ suum Miecslaum ad omnia Tyrannorũ studia, à quibus nullo pacto auelli potest, vides diuertisse. Ingentem itaq; pietatem, ingentem charitatem, non facinus, non ambitionem credas te monstraturum, perpetuamq; laudem, & cum beatis mercedem habiturum, si laboranti, & penè suffocatæ, & extinctæ patriæ subueneris, si illam à tyrannide & oppresione vindicaueris. Omnibus etenim quod non Catholicos sed etiam gentiles scimus sensisse, qui patriam adiuuerint, auxerint, defenderint, certum in cœlo & definitum locũ eis fore, vbi beati, sempiterno fruuntur æuo. In Tyrannum quoq; iuxta, atq; in damnatum licet iæuire. Tu solus & vnicus crederis, qui nostrum, & patriæ sanare potes discrimen & rescindere. Ad extremum tibi nostram simul & patriæ salutem committimus, in tua potestate & manu situm est, vitam ne nobis, & patriæ, an necem & pernicię, ad quam fratris tui decreto extamus damnati sis præstiturus. His, & pluribus vocibus alijs Cazimirus Dux expugnatus, non regnandi libidine, non ambitionis ardore, non odij liuore, sed sola patriæ charitate, tandem consentit se Monarchiæ regimen suscepturum. Cum modesta itaq; suorum militum manu Gedeone Episcopo Crac: cæterisq; proceribus eum comitantibus Cazimirus versus Cracouiam procedit. Quę aduenientem omnes nobilium & militarium excipiunt legiones, omnes occurrunt, fauent, atq; grãtulantur. Sed & agrestium turbæ cateruatim se effundunt, & suum ac patriæ acclamant, In nomine Domini aduenisse, liberatorem. Aberat tunc à Cracouia Miecslaus senex, & in maioris Poloniæ ac Pomeraniæ Ducatus secessérat, cum vxore & tribus filijs de Principatu Crac: electus, in Ratiboriam se contulit, ibiq; domicilium suum fixit. Vrde & arx, & Ciuitas Crac: absq; omni difficultate & renitentia, Cazimiro per Capitaneos & officiales Miecslai sunt præsentata. Singula deinde Castra, & munitiones in Cazimiri vltrò venêre deditionem, tantumq; odium Miecslai Ducis in pectoribus singulorum inualuerat, vt vniuersos crederes in illius dejectionem vna mente & spiritu quasi in quandam communem pestem conspirasse.

Geruardus Posnanien Episcopus breuiusculo tempore viuens, à peste Epidimiæ correptus moritur, & in Posnanien Ecclesia sepelitur.

Arnoldum Primum Polonorum habuit successorem Polonum Nobilem de stirpe Dolęga, à Petro Gnesnen Archiepiscopo per electionem Canonicam & Miecslai maioris Poloniæ Ducis consensu consecratus.

Romanorum Imperator Fridericus sedulis criminationibus, quæ in Sobieslaum Bohemiæ Ducem per Fridericum Ducem filium Wladislai Ducis Bohemiæ in curia Imperatoris velut exulem manentem & nonnullos Bohemiæ Ba-

miæ Barones parti Friderici exulis fauentes deferebantur, offensus, (nam & Prouinciam illum superbè & auarè administrare, & Imperatori minus fidum & rebellem esse asserebant) cum Sobieslaus purgare se negligeret, illũ Ducatu Bohemiæ, & eius Regionibus depossuit & Fridericum exulem filium Wladislai, per traditionem vexilli Bohemici de eodem inuestit. Bello insuper inter præfatum Sobieslaum Bohemiæ Ducem & Conradum Morauiæ Marchionem exorto, Sobieslaus à Conrado cuius Prouinciam hostiliter vastandam intrauerat, ferentibus Austriacis auxilia, campestri certamine victus in Bohemiam effugit. Qua quidem clade Friderico aduersario illius creuit animus, & in certam spem erectus, haud dubitat Sobieslaum clade huiusmodi perculsum posse de Bohemia facile ppelli. Ecclipsis solis anno eodem sexta hora Idibus Septembris visa.

ANNO DOMINI 1178. Deiectionem suam à Monarchia & Principatu Polonorum Miecslaus Poloniæ maioris & Pomeraniæ Dux molestè ferens, armis ac bello vltionem de fratre suo Cazimiro cæterisq; suis deiectoribus sumere, & restitutionem sui in Regnum summo conatu parat, & contendit efficere, velut is, qui omnium animis graui oppressione & tyrannide irritatis, exulceratisq;, nil spei in beneuolentia & charitate subditorum, in his, quæ ad suam restitutionem conducerent, sciebat posse reponi. Accersitis autem Consiliarijs maioris Poloniæ & Pomeranorum, hi enim nondum à suo desciuerant imperio, quid facto opus sit, consultat. Et omnium quidem Consiliariorum vniforme erat votum, iniuriam à Cazimiro illatam armis vindicandam esse, neq; vllo pacto deiectionis ferendũ opprobrium, Vicinorum tamen Principum & generorum suorum ad id bellum impetranda auxilia, sine quibus futura dimicatio cum Cazimiro periculosa videbatur, cui viris armisq; proprijs abundanti, Rutenorum etiam subsidia constant accessura. Missi itaq; extemplò, & ad Sobieslaum Bohemiæ, & Saxoniæ, Lotaringiæq; Duces Nuncij, iniuriaq; Miecslai exposita, & quod per Fratrem germanum Cazimirum de Regno expulsus sit, declarato, petunt, vt soceri sui dedecus non patiantur inultum, sed aut personaliter in sui auxilium adueniant, aut gentem armatam mittere non cunctentur. Sed Sobieslaus Bohemiæ Dux proprio se bello respondit occupatum, cùm Fridericus Frater à Ducatu Bohemiæ eum electurus cum Almanico exercitu sibi immineat. Saxoniæ verò, & Lotaringiæ Duces pari excusatione vsi, in bellum, quo Cæsar in Italiam occupatus erat, militiam suam transmisisse, sed & in aliud bellum, quod pro terræ sanctæ recuperatione Imperator instituit nouorum militum supplementum sibi imperatũ esse. Sic itaq; externis & speratis auxilijs deficientibus, proprijs verò militibus congredi non ausis, æstas anni illius sine vllo bellico stridore exacta est. Cazimirus verò Dux soliũ sui Principatus æquitate & iudicio stabiliens, splendorem sui nominis etiam apud exteros & hostes diffundebat.

Quindecimo Calend: Aprilis Samborius Pomeraniæ Dux Monasterium

Ordinis Ciſtercien in villa ſua Ducali Oliwa, Wladiſlauien Diocœſis fundat, & ſeptem villas videlicet Oliwam, Salkowice, Glambow, Sterczow, Stawowe, Grancowy & Synczynice: Item decimam Teloneorum, piſcationū prædiorum, & pecorū, illi pro dote aſsignat. Certior ab exploratoribus Sobieſlaus Bohemiæ Dux factus, Fratrem ſuum Fridericum, Wladiſlai Regis Bohemiæ filium, cum Almanorum & Bohemorum transfugarum, ad ſe ex Principatu deijciendum aduentare exercitu, copias & ipſe contraxit, & Friderici operitur aduentum. Quo callido & vafro conſilio moram agente, Sobieſlaus illum de cætero non ſuſpicatus venturum, ſoluit exercitum. Fridericus verò ſuam artem proſperatum iri videns; mox Bohemiam ingreditur. At Sobieſlaus cum paucis, neq; enim ad conuocandum exercitū vniuerſum ſpatium temporis poterat adeſſe, illi occurrens cōgreditur, facileq; ſua paucitas á Friderici multitudine victa eſt. Fuga tamen Sobieſlaus euadens, in Scalam ſe cum paucis recepit. Fridericus verò Pragam in qua Sobieſlai Conſors morabatur, obſidione cingens, breui illam capit ac protinus magno militum communit præſidio, intelligens illius poſſeſsionem ad cætera ſubijcienda magno fore vſui.

Vernerus Wladiſlauienſis Epiſcopus Pontificatu annis ſeptem adminiſtrato, ex humanis abſumitur, & in Eccleſia Wladiſlauien accepit ſepulturam, Cui Wonelphus Decanus Wladiſlauien per electionem Canonicā ſuccedit ab Alexandro Papa Tertio, petente Cazimiro Poloniæ Duce & Monarcha prouiſus.

ANNO DOMINI 1179. Miecſlao maioris Poloniæ & Pomeranorū Duci pro ſui in Monarchiam reſtitutione bellum aduerſus Cazimirum Ducem Polonorum & Monarcham maximo æſtu atq; conatu ex proprio mite, poſtquam externus non ſuppetebat apparanti, nouus incommoditatis caſus ingeſtus eſt. Filius etenim ſuus natu maior Otto, ex primo coniugio ſuſceptus, graui iniuria à patre qui blandimentis ſecundæ cōſortis perſuaſus, filijs ſecundi matrimonij meliores ſortes Principatuum ſuorum relinquere teſtamento diſponebat, afficiendum ſe dinoſcens, contra patrem cum nonnullis maioris Poloniæ Baronibus coniurat opportunoq; tempore Caſtris & munitionibuſq; paternis in maioris Poloniæ Principatu occupatis, patrē de ſua ſede exturbat, & depellit, nunciosq; ad Cazimirum Monarcham mittit, ſpondens ſe obedienter, quod imperaret facturū, & cum omnibus Caſtris & munitionibus gētibuſq; ſuis ſibi parentibus, tàm fide, quàm obſequio ſincerè adhæſurum. Cazimirus autem omnibus alijs terris & Caſtris, quæ dictionis Miecſlai fuerant, ſub poteſtate & regimine Ottonis Nepoti ſui relictis, Gneſneñ Caſtrum & Ciuitatem cum ſuo diſtrictu, propter loci veterem dignitatem & famam fecit ſui iuris. Defectionē autē maioris Poloniæ, mox citerior & vlterior Pomerania, quæ & ipſa Miecſlao parebat, ſequuta eſt, Fatcinus tamen Ottonis in patrem admiſſum peroſa Nobilitas, Primoribus deſtinatis Cazimiro Monarchæ plenam facit deditionem. Cuius regimen propter locorum diſtantiam inter duos Præſides, Cazimirus partitur. Et vlteriorem quidem Pomeraniam, quæ hactenus Stupſko vocitatur, Comiti Boguſlao de domo & genere Griphonum, citeriorē verò, cuius Gdanſk principalior ciuitas erat, Samborio Baroni gerendas commiſit. Quorum vterq; proceſſu temporis Duce Cazimiro obeūte, ſe Dominum non Præſidem gerens, Principatum prædictarum Prouinciarum, & eorum poſteritas poſt illos aliquanto tempore, conciliato ſibi militariū & ciuium fauore vſurpauit. Tunc inſuper Boleſlai Krzywouſti oraculum, quod moriturus Regno in quatuor filios diuiſo, quinto nulla portione relicta, deprompſerat, verificatum fuiſſe notatum eſt, qui in Cazimirum tunc quidem infantem, & nullam portionem inter fratres patris ordinatione & teſtamento ſortitum, quatuor tetrarcharū quadrigam ſpiritu ſibi reuelante prædixerat concurſuram. Cui etſi Sleſitica regio à filijs Boleſlai Alti poſſeſſa, propter ciuilem diſcordiam, minor enim natu Miecſlaus, maiorem natu Boleſlaum de Ducatu ſuo pepulerat, aliquādiu parere detrectaſſet: Cazimirus tamen Monarcha maturitatis ſuæ, induſtria, pacificatis concordatiſq; Fratribus, eam ad ſui obedientiam reduxit, Miecſlaumq; de Wrath: Ducatu, cuius eum tenebat ambitio, Boleſlao cui ſorte obtigerat, cedere coegit, quod vtæquanimius ferret, & ordinatio tunc confecta de cætero rata foret, duos Miecſlao diſtrictus à Crac: Prouincia abſtractos, Bitomieñ videlicet & Oświęćimeñ de nouo largitus eſt. Cuius filio nouiter nato, ad Baptiſteriorum ſolennitatem inuitatus nomen ſuū Cazimirus indiderat. Mazouiæ etiam & Cuiauiæ Prouincias ad Leſzkonē Nepotem ſuum filium Boleſlai Criſpi pertinentes, Zironi Comiti viro grandæuo & prudēti commiſit gubernandas, & Leſzkoni ſuo nepoti illum in directorem & patronum, propter eius ſingularem probitatem præfecit.

Eo inſuper Anno Cazimirus Polonorū Dux & Monarcha Breſteñ, Wladimirieñ, Premiſlieñ Prouincias à Regno ſuo diſtractas recuperat, & Caſtris Principalibus conquiſitis cōſtitutiſq; Præſidibus, Prouincias ipſas per ſe adminiſtrabat, Miecſlaus autem ſenex Maioris Poloniæ & Pomeranorū Dux à filio Ottone excluſus in Ratiborieñ Oppidum, quod ſuæ extitit poteſtatis, ſe recepit, & illic cum vxore & tribus filijs cum omni tenuitate & penuria agebat incolatum.

Sedente Iaroſlao Izaſlawic Duce Ruſsiæ, annis aliquot in Kiouieñ Principatu felicitati & ſorti eius Suantoſlaus Czernieouieñ Dux inuidens, exercitu nō paruo congregato, ablaturus illi Kiouieñ Ducatum vadit clandeſtinè contra illum, & nulla belli indictione præmiſſa, dum Iaroſlaus Izaſlawic in arce Kiouienſi ſecurus conſiſteret, Caſtrū Kiouieñ pro amico & Fratre exiſtimatus ingreditur cum omnibus ſuis copijs, & incautum occupat. Inter tumultum tamen Dux Iaroſlaus ægrè aufugit. Conſors verò ſua, & filius eius iunior, & omnis militia à Suantoſlao capta eſt. Omnibus deniquè theſauris ſuis ampliſsimis, & omni ſupellectili Suantoſlaus potitus eſt, & tàm captiuos, quàm ſpolia in Czernieiow deducens, Caſtrum Kiouieñ deſertum reliquit. Quo IAROSLAVS Izaſlawic audito, contractis auxiliaribus copijs, duos inſuper nepotes ſuos Duces, filios Roſciſlai habens

bens in ſuo comitatu cum gentibus venit in Kiow, & arcem Kiouieñ forti præſidio muniens, omnem culpam patrati in ſe per Suantoſlaum Czernieiouieñ Ducem facinoris in Kiouieñ quaſi eorum ſpe conſilio & ſubordinatione patratum fuerit, refundens, ditioribus ciuibus ſpoliatis, etiam omnes Abbates, Sacerdotes, Monachos, Moniales, & quoſlibet latinos captiuat, & grauem cenſum pro eorum liberatione accepit, cæteros vendit, & multa abominanda in Kiouieñ committit. Contra Suantoſlaum deniq; Czernieiouieñ Ducem hoſtem & ſpoliatorem ſuum procedit, & illum in Czernieow obſedit, ſed proficere ſe non videns cum illo pacificatur.

Ducatũ ſuũ Bohemiæ Sobieſlaus Dux à quo per Fridericũ Regis Wladiſlai filiũ Almanorũ ſuffragio deiectus erat, repetiturus, copijs aliquãtis cõgregatis, Pragã in Friderici abſentia, qui ad Imperatorẽ vocatus erat, tẽtauit repetere, ſed dùm ſecus, quàm credebat (magno enim Almanorum præſidio Praga defendebatur) eueniret, Fridericum ex Almania cum magno exercitu Almanorum reuertentem in lacu quodam deprehenſum, iniquitate loci adiutus inuadit, & exercitum ſuum adeò ſternit, & diſsipat, vt inuicem duo non poſſent reperiri. Verùm dùm Fridericus Conradi Morauiæ Ducis, & gentium ſuarum auxilio ex clade accepta erectus in Pragam contenderet, Sobieſlaus ſuperiori elatus victoria propè Pragam vtriq; occurrit & pugna commiſſa, ſtrage vtrinq; ædita victus refugit, annoq; inſequenti mortuus pacificam Friderico Ducatus Bohemiæ reliquit poſſeſsionem. Hic in Almanos tàm ſæuo & fedo truculentiæ genere ſæuitiam ſuam Bohemis inflammãtibus fertur vſus eſſe, vt quoſlibet Almanos in Bohemia repertos, aut ipſe naſo mutilauerit, aut mutilari permiſerit.

Gedeon Cracouieñ Epiſcopus fundat, conſtruit & dotat Monaſterium in Wachocko Ordinis Ciſtercieñ ſupra fluuium Kamiona, de bonis ſui Epiſcopatus Crac. & plures decimas mẽſæ Epiſcopalis illi donat in dotẽ, Eccleſiãq; ad honorem S. Floriani cõſecrat. Cui ſingulari affectu famulabatur. Nõ quidẽ tunc cũ Monaſteriũ fundaſſet ſed cùm opus totum quadro cõſummaſſet lapide, corpore B. floriani Cracouiæ vt in ſequẽtibus docebimus, illato.

Alexander Papa Tertius relictis Gallijs, in quibus annis propè decem & octo demoratus propter turbationem & ſcyſma Eccleſiæ fuerat, ſcyſmate ſublato, & quatuor Antipapis ſibi ſucceſsiue ſuccedẽtibus, mala morte abſumptis, periculo maris ſe committens, Italiam & deinde Vrbẽ cum maximo cleri & ſpirituali fauore ſuſceptus aduenit.

Plocenſis Pontifex Lupus cum annis nouem ſediſſet, percuſsus paralili moritur, & in Plocenſi Eccleſia ſepelitur. Cui Vitus de Chotel ex terra Sandomirieñ ortus Nobilis de domo Ianina per electionem Canonicam ſuccedit, à Petro Gneſneñ Archiepiſcopo Cazimiro Duce Cracouieñ & Regni Poloniæ Monarcha conſentiente prouiſus, qui tria Monaſteria Ordinis Præmonſtrateñ fundauit, videlicet in Witow Buſko, Plocko.

ANN DOMINI 1180. Vniuerſis Prouincijs Regni Poloniæ adobtate, ingeniosq; redactis, id primum ſibi Princeps clarus virtute agendum aſſumpſit, vt patriã exquiſitis præſſuris & grauaminibus concuſſam in libertatem & æquitatẽ vindicaret. Omnes itaq; quæ à Mieciſlao Fratre ſuo eiuſq; Præfectis & Officialibus conſtitutæ erant nouæ datiæ, tributa, telonea, & exactiones, diſſoluit, & abrogat, calumnias reſecat, calumniatores aut proſcribit aut igne cauteriſat, & omnia iudicia iniqua, quibus ſubſtantiæ hominum abſorbebantur, eliminat, & ad recti iuſtiq; libraminis redigit puritatem. Ad maiores deinde abuſus qui ex veteri conſuetudine, non inter præuaricationes & vicia, ſed inter leges & iura Regni numerabantur abolẽdos, operam ſuam omnẽ conuertit. Qui quoniam at Principes & Barones maioris Poloniæ peruaſerant, difficiliorem ſibi efficiebant curationem, molẽte ferentibus Primoribus, ſe ſuis prærogatiuis & commoditatibus priuari. Erat etenim Polonicæ genti conſuetudinarium & ſolenne, vt nobiles & militares facientes per Regnum tranſitus, & itinera, non fenum tantummodo, ſtipulam & paleam, ſed annonam & reliquum victum agreſtibus ſibi dari imperarent, & abnuentium potenti inuaſione, domibus & horreis perfractis, ſuam neceſsitatẽ licentius explerent, & bona agreſtium non tàm depaſcerent, quàm proculcarent. Priuata inſuper negotia exilem interdum neceſsitatem habentia, nobiles & militares diſpoſituri, equos agreſtium in ruris vel campis apprehenſos, per ſe aut ſuos ſatellites conſcenſos, citato & pernici curſu, longa interdum terrarum & locorum ſpatia conficiebant, ex quo equis fatigatis aut irremedicabiliter eneruatis ſæpenumero quoq; extinctis vel in remota terrarum ſpatia abductis, interdũ etiam ſi probati & præſtantes eſſent, vſurpatis, magna pernicies & egeſtas, agreſtes in opere ſuo neglectos, aut equis priuatos ſequebatur. Bona inſuper ſpiritualium decidentium, tàm mobilia, quàm immobilia prædæ, & diræ rapinæ patebant, aut Ducali fiſco mandabantur. Magno itaq; Conuentu apud Lancitiam indicto, quanta mala, quanta homicidia, ex præfatis tribus abuſibus conſurgant, quantis Regnum vaſtetur & affligatur incommodis, quantum præuaricatione huiuſmodi gentilem & barbaram crudelitatem redolentẽ, offendatur, prouoceturq; Deus, in Ducum, Epiſcoporũ, & militarium frequenti multitudine edicit. Decreuerunt propterea huiuſmodi abuſus exterminandos eſſe, vt clementiam Dei ſibi efficerent propitiam, & ſe Chriſtianorũ Catholicorum Regnorum ſacris legibus conformarent, ſe enim ſic inſtitutũ eſſe ſciant, ſub ſua Monarchia & regimine diutius, tam ſceleratas & prophanas conſuetudines offenſam Dei, & iniuriam proximi, ac Sacrorum notoriã contínentes, non eſſe paſſuros. Aderant huic Concilio Preſules octo, Zdzislaus Gneſneñ, Gedeon Crac: Zyroſlaus Wrath: Onolphus Cuiauieñ, Cherubin Poſnanieñ, Lupus iã obijt, Vituſco Ploceñ, Conradus Cameneceñ, Gaudentius Lubuceñ, tres Principes, Otto Poſnanieñ, Boleſlaus Wrath: Leſzko Mazouiæ, Baronum quoq; & militarium multitudo copioſa, quorum frequentes ſententiæ abolendas conſuetudines iniquas, propter quas diuina indignatio varijs infortunijs & aduerſis ſucceſsibus credita eſt Polonos per-

nos perculisse, decernebant. Et ne consuetudines ipsas contingeret, à quoquam in posterum resumi, & innouari, omnes illarum aut alterius ex ijs autores placuit horrẽdo anathematis chirographo vinciri. Postridie itaq; tàm Zdzislaus Gnesnen Archiepiscopus, quàm omnes Poloniæ Episcopi Pontificali amictu indut Cazimiro Polonorum Duce & Monarcha, vniuersisq; Principibus Baronibus, militibus, & communitate, præsentibus, iubilantibus, gratificantibusq;, & tàm se quàm cæteros posteros in legem & vinculũ huiusmodi submittentibus, in hunc modum pronunciant. Qui colonorum & agrestium annonam, aut alias res, vi aut aliquo modo tulerit, aut auferri iusserit, anathema sit. Qui legationis aut necessitatis publicæ vel priuatæ occasione, præterquam ad denunciandum hostium in patriam imminentem insultum cuiusquam quadrupedem, & iumentum in angaria Poduodarum acceperit, vel accipere iusserit, anathema sit. Qui bona Pontificum aut Ecclesiasticarum personarum decedentium rapuerit, occupauerit, vel distraxerit, etiamsi sit persona illustris, & Regali, Ducali, aut quæcunq; alia præfulgeat dignitate, anathema sit. Qui Episcoporum spoliatorem, restitutione non re habita acceptauerit, aut raptorum, aut distractorum relaxationem raptoribus satisfactione legitima non satisfaciente, vel præcedente impenderit, velut sacrilegij particeps & consentaneus, & qui ambitioni suæ & cõmodis in hiãdo sacrilegijs occasione præstiterit, anathema sit. Et acclamatione concinna à Ducibus & vniuerso populo responsum est. AMEN. Vt autem tàm saluberimæ constitutiones perpetuitatis maius haberent duramentum, solerti Ducis Cazimiri ordinatione Nuncij ex vtroq; statu Romam ad Summum Pontificem Alexandrum Tertium mittendi deliguntur confirmationem Papalem, quæ constitutiones ipsas in scriptum reductas, & Ducis Cazimiri, Pontificumq;, Principum, & Baronum sigillis munitas Apostolica firmitate perenner, & corpus, ossaq; alicuius Sancti, quo Craconien insigniretur Ecclesia, obtenturi. Et Nuncij quidem Polonorum apud Tusculanum Alexandro Papa offenso benignè habiti & auditi sunt, gratiæ præsente Cardinalium cætu, ab Alexandro Tertio Polonis actæ, quod pestifero durante scysmate nationibus & Regnis vicinis, aut claudicantibus, aut obedientiam Antipaparum profitentibus, ipsi constanti perseuerantia ab eius obedientia non decessissent. Constitutiones deinde Polonorum, velut iustas & religione plenas, & commendat, & confirmat. De dandoq; sacro corpore, benè legatos Polonorum sperare, & se Romam subsequi iubet. Confirmationis autem suæ pro rescindendo ambiguitatis scrupulo, exemplar subnectit. Cuius à nobis originale in Ecclesia Cracouiesi conditum sæpè attractum & visum est.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Nobili Viro Cazimiro Duci Poloniæ salutem & Apostolicam benedictionem. Ex parte tuæ magnitudinis relatum est nobis, quòd de Consilio Archiepiscopi & Episcoporum Poloniæ, & Principum terræ quasdam abusiones & solitas iniurias ab Ecclesijs, & personis Ecclesiasticis amputasti, constituens ne bona decedentium Episcoporum amplius confiscarentur. Constitutum est etia .. vt si quispiam in res defuncti Episcopi manus iniecerit, vinculo anathemat.. teneatur, nec præsumat vllus raptorum defuncto Episcopo succedere, d... nec absolutionis beneficium assequatur, ablatis restitutis, vel oblatorum congrua æstimatione præmissa. Cosuetudinem autem, quæ à principibus terræ seruabatur, videlicet, vt quocumq; pergerent pompaticè, inuadentes horrea pauperum euacuarent, etsi inter absentes aliquid negotioli quandoq; contigerit, impij satellites discurrentes raptos quoscũq; caballos, paterum agrestium vel eneruarent in cursu, vel omninò destruerent, de Ecclesiasticorum & secularium virorum consilio emendasti. Vnde quoniam constitutionem tuam iustam pariter & honestam autoritate nostra postulas confirmari. Nos tuis iustis postulationibus annuẽ constitutionẽ præscriptam, sicut in scripto autentico super hoc facto habetur, Autoritate Apostolica confirmamus & pñtis scripti patrocinio communimus, Sub interminatione anathematis prohibeñ, ne quis eam violare aliqua ratione præsumat. Nulli ergo homini omninò liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum. Datum Tusculani Quinto Calendis Aprilis.

ANNO DOMINI 1181. Exclusionis suæ à Principatu & Dominio Miecislaus maioris Poloniæ & Pomeraniæ Dux agitatus molestia, dũ restitutionẽ suam armis & potentia effici non posse aduerteret, omnem spem in fraterna misericordia & compassione Ducis Cazimiri reponit, & cùm per Nuncios, tùm per Epistolas frequentes eum obsecrat, precatur, & fatigat, quatenus ipsum cum vxore & filijs exulem amplius esse, & beneficia à se collata dum eum tenera haberet ætas, obliteratum iri non sinat. Nosse se, & Cazimirum inficiari non posse, quanta charitate, & fide adolescentiam suam fouerit, vtq; à patre negatam sortem assequi, Fratre Henrico absumpto, posset, quàm enixe institerit quàm frequentibus, & cumulatis fauoribus, & beneficijs eum complexus fuerit. Quod insuper nunquam illi aliquid negauerit, nunquam molestus, grauis, fastidiosus, & arrogans fuerit, & illum non nisi Fratris solùm, sed in filij amasset loco, Cazimirumq; his verbis cõpellabat. Potes ne, inquit, eo animo & siccis oculis tuis me vnicum superstitem germanum natura, ac certè clementia parentẽ tuum exulem videre? potesnè beneficiorum à me acceptorũ obliuisci? potesnè ferre, vt ego præsenio cernis respersum albis capillis caput, cum vxore mea, glote tua, tuisq; nepotibus, in meum, & tuum, imò domus nostræ, & generis grande ludibrium stipe aliena sustenter? & meos Principatus, me superstite, infidus & male de me meritus filius Otto, sub tui patrocinij vmbra possideat? ferre-one es pectore, aut ex tygride nactus es præcordia? vt neq; te meæ, nequè Nepotum tuorum conditionis misereat? At si tibi nulla communione sanguinis, nullo beneficio, nulla necessitudine obstrictus essem, moueri certè

vel ſola mea, & meæ contortis, filiorumq; meorum mecũ vnâ expulſorum tàm iniuria, quàm calamitate debueras. Recenſe & meorum in te beneficiorum collatorum, recenſe & tuarum ſponſionum, quibus nullo pacto, nulla ratione mea in te beneficia moritura ingeminabas, recenſe & poſtremò iniuriarum, calamitatiſq; meæ magnitudinem, & frigeſcentem in te charitatẽ, vel tot igniculis accende, & in exule, in fratre, imo in parente, quàm nemini alteri negare ſolitus es, deprome pietatem. Quod ſi fortaſſe animum tuũ Monarchiæ, ne ab illius ſolio, me reſtituto excludaris ſubit reſpectus, at ego cum iam languido & effeto corpore ſim, & ad publica munera obeunda parum mihi videor idoneus, benè mecum & cum noſtra Republica optimè actum reor, quod tu & animo, & manu ad omnia promptus, iure hæreditario, cum ſis filius mortui, & germanus viuentis, legitimo tempore, dùm à me vtiliter adminiſtrari non poterat, occupaſti. Faueo itaq; pro benegerẽdis rebus patriæ noſtræ, regimini tuo non inuideo, & te ſorte Principatus maioris, & Monarchiæ dignorem video, & iudico, tibiq; viro forti, imbecillis ipſe animo & viribus de ſolio eius, quo in meam reſtitutionem animi æquioris ſis, cedo, iuriq; omni noſtro in illo competenti tàm in præſens quàm in futurum me abdico atq; renuncio.

Proceres & Barones, vniuerſumq; vulgus terræ & Caſtellaniæ Stupeñ grauiter & iniquo animo ferentes, ab Euardo Daciæ Rege aſſerente ſe, ſicut verũ erat ex Regibus & Principibus Poloniæ per Auiam ſuam originẽ ducere & genus, terrã & Caſtellaniã Stupeñ, quam tunc Wladiſlaus maioris Poloniæ & Pomeraniæ Dux ſub ſuo regimine tenuerat, per potentiã occupari & annis plurimis ipſo Wladiſlao Duce Poloniæ ſuam & totius Regni grandẽ iniuriã reſcindere negligente, iniuſta occupatione detineri, conſpiratione vnanimiter facta, ne proceſſu dierũ occupatio ipſa violẽta in iuris & iuſtæ ſubiectionis traheretur neceſsitatẽ, & ipſi in perpetuã Regis & Principũ externorum, cum haberent naturales, & proprios, redigerẽtur ſeruitutẽ & ditionẽ, ſuperbam & iniuſtam præfati Euardi Regis Daciæ Dominationẽ peroſi ab ipſo deficiunt, & Suantopelkum Pomeraniæ Ducẽ in Dominum & Principem ſuum aſſumunt. Cepit extunc terra præfata & Ceſtellania Slupeñ Regibus & Principibus Poloniæ in temporalibus, Archiepiſcopo vero Gneſneñ in ſpiritualibus, ad quos ex ſua primæua fundatione pertinebat, cuius tunc Hẽricus Kietlicz obtinebat ſedem, eſſe obedienter ſubiecta.

Ad Intima pectoris Cazimiri Polonorum Ducis & Monarchæ ſupplicatio Fratris Miecſlai tàm humilis tamq; modeſta penetrauerat, lachrimiſq; obortis ſe & exuli, & Fratri ſuæq; iuuentutis & orphanitatis patrono compaſſurum teſtabatur, ſed & mutabilitatem fortunæ in eo recognoſcendo mirabatur, quæ illi non Monarchiam ſolùm, ſed & naturales, & hæreditarios Ducatus ademiſſet. In tàm verò grandi re, proprio nolens vti arbitrio, frequens conſilium aduocat, & de reſtituendo Fratre Miecſlao apud Senatum verba facit. Nimis, inquit, acerbo animo Proceres Miecſlai Ducis, qui mihi vnicus frater relictus eſt, exilium fero, plurimumq; ſuæ, & natorum

ſuorum, qui alterum me parentem exiſtimant, calamitatis me miſeret, à quo crebro, vt illum in ſuam hæreditatem Principatuũ reſtituam, exoror, Iulq; Monarchiæ penes me relinquẽs, illi cedit, atq; renunciat. Iuſtam ego Proceres petitionem eius exiſtimo. Monarchiæ quoq; Principatu ſe abdicanti ſortem hæreditario iure eum concernentẽ reddi illi æquum cenſeo, iniquũq; reor, ſi eo viuo, & ſpirante, aut filius eius Otto, aut cæteri in eius Principẽtur dominio, & ipſo calamitate atq; exilio affecto, illi glorioſi atq; ſplendidi refulgeãt. Faſtidioſis auribus Ducalis ſermo à Conſiliarijs exceptus eſt murmurq; mox ſubortum, obſtinatum deinde ſilentium omnes aliquanto tempore tenuit. Tum ſpatio ad conſultandum à Duce petito, ſeceſsione in aliũ locum facta, adeò conſternatis animis tumultuarioq; magis, quàm ſcrutinij more, ita vt res parum à iuſta ſeditione differrent, deliberant. Multorũ enim ſententijs placebat, & Cazimirum ſimili expulſione æque ac Miecſlaum percelli, mitigato tandem furore in hunc modum reſpondent. In euidens, inquiunt, Princeps Illuſtriſsime, à te vocamur diſcrimen, ſermo quoq; à te de reſtitutione Fratris tui Miecſlai habitus, capitale portendit ſuppliciũ, nam in omnium noſtrum exterminium reſtitutus Miecſlaus, non deſinet graſſari. Vehementer angimur vehementer coarctamur, qui probe nouimus, iratum Miecſlai animum non ſine carnificina in nobis deprompta, quieturum. Supereſt vt ſi de reſtituendo Miecſlao ſententiam non correxeris, nos omnes aut in voluntarium exilium abituros, aut aliqua alia ratione nobis & vitæ noſtræ proſpecturos non dubites. Nec noſtræ tantummodo, ſed & tuæ timemus parti, cum promiſſorum Miecſlaus facile oblitus, in tuam etiam machinabitur expulſionem. Tunc Cazimirus Dux Conſiliariorum animos in ſeditionem ſpectantes mitigaturus, mutat illicò decretum, & de reſtituendo Fratre Miecſlao ſententiam abrogat, Conſiliarijſq; pollicetur non amplius ſe de hac re quicquam innouaturum. Gratias inſuper agit ſingulis, quòd tàm ſinceros fidos & conſtantes eorum erga ſe animos expertus eſſet. Miecſlaus itaquè ſenex, his quæ de ſe in Concilio erant acta, Cazimiri intimatione cognitis, ad Fridericum Imperatorem perſonaliter ſe conferens, iniuriarum ſuarum conditione declarata ſuffragio Cæſareo ſe in Principatus ſuos reſtitui deprecatur. Verùm dùm Fridericum Imperatorem tranſmarino bello, quod in terræ Sanctæ ſubſidium agendum ſuſceperat, alijſq; grauibus imperij negotijs occupatum intelligeret, in Poloniam reuertitur, & maritimæ oræ Principi Mſczugio locata filia, eius & aliorum ſibi fauentium fultus auxilio, Cazimiro inſuper Duce & Monarcha fauente & conſulente Gneſneñ Caſtrum intercipit. Ex quo cætera maioris Poloniæ Caſtra & munitiones, aut vi, aut deditione conquirit. Filius quoq; ſuus Otto venia petita, per communes amicos Patri reconciliatus ad ſubiectionem redit. Ita breui tempore Miecſlaus maioris Poloniæ Dominia & Principatus ex integro recuperans, adeptus eſt, & Cazimirus Dux & Monarcha reſtitutionem ſuam, quam publice efficere nequiuit, clandeſtino fauore & ſuffragio conflauit.

Wratiſlauieñ Epiſcopus Ziroſlaus Secundus cùm annis vndecim ſediſſet,

tertio nonas Aprilis de febri moritur. Cui Franciſcus alias Franco ſuccedit fauore Boleſlai Alti Ducis Wrath. à Petro ſecundo Gneſneñ Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus, qui alio nomine Suanko appellabatur Polonus, genere nobilis de domo & familia Prawditarum.

ANNO DOMINI 1182. Breſteñ ciuitatis & Prouinciæ ſupra fluuium Bug ſitæ, nunciata defectio, Cazimirum Ducem & Monarcham illicò concitauit ad arma, & tàm equeſtribus quàm pedeſtribus copijs in vnum coactis, celerimo gradu in Brześćie perueniens, illam oppugnat, & intra dies duodecim vincit & conquirit, percuſſiſq; ſecuri defectionis autoribus, municipium illic Oppido imminens conſtruit, ac valido præſidio, vt populares contineantur in fide, impoſito verſus Halicieñ ciuitatem & regionem exercitum ducit, affinem ſuum Mśćiſlaum Ducem, quem Fratres ſumpta occaſione falſitatis, quaſi non legitimus, ſed ſubductitius & de iniuſto matrimonio ſuſceptus fuerit, de Regno eiecerunt, reſtituturus. Moleſta pleriſq; Polonorum Proceribus ea expeditio videbatur, & ægrè in eam militiã procedebant, clandeſtiniſquè & ſecretis colloquijs Ducem Cazimirum carpebant, quod proprijs non contentus externa & iniuſta bella parum felicitatis & commodi habitura, tractanda aſſumpſiſſet. Indignum inſuper eſſe, vt pro ſpurio & ambigui tori homine in acie, longè à domo ſua ſine donatione decertarẽt. Has querellas etſi Cazimirus noſſet, per milites ingeminari in Caſtris, nil tamen militari rumore motus, promouet exercitum in vlteriora, iam propè Haliciam ventum erat, dieq; altera obſidio Halicieñ parabatur, dùm ſubitò ab exploratoribus nunciatum eſt, Wſzeuoldum Belzeñ & Wladimirum Halicieñ germanum Mśćiſlai, Duces, cum omnibus Rutenorum Principibus & Boiaris infeſta acie aduentare, tum iam non ſecreta, ſed aperta Poloni in Ducem ſuum Cazimirum probra exagerant, ſed & Nicolaum Crac: Palatinum Principem militiæ, quaſi huius belli præcipuum auctorem contumelioſius inſectantur ſermonibus, ſeq; ad euidens periculum abductos, & penè Rutenis queruntur proditos. Videbant enim Rutenorum exercitum magnis copijs refertum eſſe, & quaſi in Polonorũ perniciem vniuerſas Rutenorum Prouincias velut ex compoſito conueniſſe. Ruthenos preterea odium in Polonos inſitum, Polonorum conſpecta paucitate, ſuorumq; frequentia, & conſulti de futuro belli euentu aruſpices, læta omnia ſibi, Polonis triſtia nunciañ in prælium accendebant. Cazimirus nil aſpectu & multitudine hoſtium territus, ordinatis aciebus, milites animat, docet in Rutenorum multitudine paucis exceptis, vilia eſſe mancipia, & ſi parum adnitantur, facilem victoriam præbitura, ſæpiuſq; multitudinem à paucitate fuſam extitiſſe. Ac ſic milite animato, & ſpe victoriæ aladi, ſiniſtro cornu Nicolao Crac: Palatino commiſſo dextrum ipſe regens, ſignis canere iuſsis cum hoſtibus congreditur. Ruteni clamore ſublato vehementi, & ipſi impetu capeſſunt pugnam, durumq; certamen inter vtrũq; Populum aliquanto tempore gerebatur. Iam quoq; leuum cornu, cui Nicolaus

colaus Palatinus præerat, à leuis armaturæ ſagittarijs equis aut confoſſis aut vulneratis retrorſum ceperat referre pedem, dùm Cazimirus denunciato ſibi periculo turmam vnam militum in leuum cornu ſubducens, pulſis Rutenorum ſagittarijs, prælium reſtituit, ac in dextro cornu Polonorum phalanx Rutenorum aciebus diſruptis, proculcatiſq;, in cæteras Rutenorum turmas gladios ſtringebat, dùm in leuo cornu, Ruteni à Nicolao Palatino fuſi, pulſiq; in fugam dilabuntur, ſed nec hi, qui contra dextrum cornu pugnam ſuſtinebant, faciunt moram, metu enim fugientium perculti, in fugã & ipſi vertuntur. Wſzeuoldus Belzeñ & Wladimirus Halicieñ Duces, ne in poteſtatem Cazimiri venirent, viui equos mutando ſequentium ſe manus euadunt. Rutenorũ magnus numerus eo prælio aut occiſus aut captus. Caſtra Rutenorum omnis opulentiæ plena, per Polonos iubente Cazimiro direpta, Caſtrumq; Halicieñ victori deditum eſt. Qui illud Mſciſlao Ruſsiæ Duci affini ſuo, ſacramento per prius adacto, quòd nunquam ſe & Polonorum gentem in aduerſis & proſperis deſereret, committens, in Halicieñ Regnum ipſum de integro reſtituit, rebuſq; Ruſsiæ ordinatis, in Poloniam redijt. Et Wſzeuoldus quidem Belzeñ Dux è prælio fugiens, in Belz Caſtrum ſuum cum paucis peruenit.

Wladimirus verò Halicieñ Dux in Hungariam diuertit à Rege Hungarorum Bela ſuffragium, ſupplementumq; militũ & impenſarum pro ſua in Halicieñ Ducatum reſtitutione petiturus.

Gneſneñ Metropolitanus Petrus Secundus cùm annis duobus & viginti Gneſneñ Eccleſiam rexiſſet, moritur, & in Gneſneñ Eccleſia ſepelitur. Cui Zdziſlaus Canonicus Gneſneñ nobilis genere Polonus de familia & de domo Kozlerogi per electionem Canonicam ſuccedit, à ſummo Pontifice Lucio Papa Tertio Miecſlao maioris Poloniæ Duce intercedente prouiſus.

Barones & milites Bohemiæ imperiũ & mores Ducis ſui Friderici peroſi, tàm in ipſum quàm Fratrem ſuum Ottonem, varijs opprobrijs & contumelijs deturpatum, ſeditione exorta, de Ducatu ejiciunt, & Conradum Moraviæ Ducem in Principem & Dominum aſſumunt. Pragamq; quæ pro Friderico per militum ſuorum Almanorum præcipuè præſidium tenebatur, obſidione cingentes oppugnant, & per deditionem conquirunt. Fridericus autem Romanorum Imperator, in cuius tutelam Fridericus Bohemiæ Dux ab omnibus ſuis deſertum ſe videns, confugerat, tàm Conradum Ducem, quàm Barones Bohemiæ ad ſuum Tribunal, Conrado tamen Duce vocationem abnuente, de iuſticia Friderico reſponſuros vocat, ſed Barones Bohemiæ magna trepidatione ad ſe venientes, Fridericus Imperator varijs ſupplicijs coram poſitis iubet torquere, quorum motu impulſi, deſerto Conrado Fridericum in Ducem reaſſumunt, & nouo ſacramento atq; fœdere ſe illi obſtringunt.

Alexander Papa Tertius cùm annis vno & viginti, menſibus vndecim, & diebus tredecim ſediſſet, Romæ moritur, & in Eccleſia S. Petri ſepelitur. Cui Lucius tertius natione Tuſcus de ciuitate Luca ex nobili proſapia origi-

nem trahens, Cardinalis, tunc Hostien Episcopus, succedit, ad quem Cazimirus Dux & Monarcha Polonorum, nouos nuncios fatigat ossa S. alicuius, de quibus dandis à suo prædecessore Alexandro spes facta fuerat, pro Ecclesia Crac: precaturos.

ANNO DOMINI 1183. Restitutione sua ad maioris Poloniæ Ducatus Miecslaus senex parum contentus, etiam vt in Principatum Monarchiæ restituatur, magnopere exæstuat, varijsquè vafris & subdolis machinamentis, nunc hos, nunc illos Consiliarios, aut pollicitationibus, aut largitione corrumpendo, conueniendoquè reditum sibi ad Monarchiam conatur extruere, sæpè quoquè cum Cazimiro Duce & Monarcha sponsionis & cessionis suæ oblitus, de Principatu duris & acerbis sermonibus parum à iusta seditione abhorentibus, contendit, & velut ambitus rum carpit, quod se & germanum suum natu maiorem ex possessione Monarchiæ detraxerit, & non legitimo iure illam detineat, occupatam. Et vernbis quidem industria & astu oblitis, Miecslaus Dux pro Principatu contendens in arma non veniebat, qui etiam Cazimirum Ducem contra se arma expedientem nouo ingenio atq; arte viribus se imparem sciens, si res in dimicationem veniret, placabat. Astruens iureiurando ab omni Monarchiæ iure & petitione se amplius cessurũ, cum sors suorum Ducatuum sibi absq; Monarchiæ Principatu longè sit splendidior atq; præstantior, Interdum insuper & per se, & per communes Consiliarios apud Cazimirum agebat, vt Leskone communi Nepote absumpto, cuius ægritudo in annos aliquot procedens moriturum illum propediem nunciabat, in Masouiæ & Cuiauiæ Ducatus Miecslaus pro sui iuris, quod in Monarchia habebat contentatione, succederet. Verùm Cazimiro abnuente & in extrema bella diuertente, resumpto dolo ad Monarchiæ Principatum aspirat irrumpere, asserens coactis se sponsionibus non teneri. Propositum autem animi sui aliquando tandem consecuturus, communem Nepotem Leskonem Masouiæ aut Cuiauiæ Ducem, Cuius tutellam pater Boleslaus Crispus moriturus Duci Cazimiro mandauerat, ad se quibuscunq; potest blandicijs pellicit maximam forè accessionem virium rebus suis profuturam existimans, si Lesko Masouiæ & Cuiauiæ Dux à Cazimiro Monarcha deserto in suam ditionem concederet. Sciens autem Leszkonẽ Masouiæ & Cuiauiæ Ducẽ à Zira Comite, quem illi Cazimiri Ducis autoritas in patronum & alterum curatorem præfecerat, in singulis actionibus dirigi, & omnia illius arbitrio Leskonis acta moderari, Ziram Comitẽ non largitione solùm, sed ea præcipuè spe illectum, quòd ex pacto inter Cazimirum & Miecslaum inito, Ducatus Masouiæ & Cuiauiæ possessio sibi post obitum Leskonis esset, tãquam hæredi scripto obuentura. Lesko itaq; Dux præfatus, patroni sui Ziræ Comitis persuasus victusq; Consilijs, primario & præcipuo suo Ducecuratore Cazimiro deserto, ad Miecslaum transmigrat, & suæ ditioni tutoriæq; tám personam suam, quám vtrumq; Principatum suum commendat, eumq; Ducatuum & rerum suarum omnium scribit & designat successorẽ,

in illiusq;

in illiusq; fidem militares & subditos suos iurare compellit. Quæ nouitas etsi Cazimiro Duci permolesta fuerit, iustaq; ira, & in Fratrem Miecslaum, & in Nepotem Leskonem, cuius astu & ambitione, & in Ziram Comitem, cuius præsidio & deceptione rem nouerat conflatã, accensus. Motus tamen omnes sagaciter comprimens, neq; Miecslao Fratri, neq; Leszkoni Nepoti, sed nec eius Curatori Ziræ molestus esse voluit, tacitus quoq;, quonam tám improbi & infidi conatus caderent dissimulans, oportuno tempore huius suæ iniuriæ contemptus correctionẽ destinabat. Obruit & alius æque molestus Ducem Cazimirum sub eodem tempore casus, dùm enim filius suus adolescentior Boleslaus nomine arborem quandam, iocandi gratia, conscẽderet, vipera de stipite corruens, & in gula tenera & delicata Boleslaum lædens, violenter eum suffocat & extinguit, adeò quidem præcipitanter, vt de terra à circumstantibus sublatus, neq; vocem, neque gemitum ædiderit. Cuius tàm subitam, & non vulgarem mortem pater illius Dux Cazimirus diuturno prosecutus luctu, honestis eum in Crac: Ecclesia extulit funebrijs. Filij autem Boleslai decessum, quod in meliorẽ vitam translatus, haud absque diuinitatis ordinatione, cui nequit, resisti, illam oppetierit mortem, facili & æquo animo laturus de præiudicio, quod illi Fratris Miecslai senis Maioris Poloniæ Ducis in occupandis Masouiæ & Cuiauiæ terris intulerat, ambitio, animo & spiritu, nec tacitus interdum torquebatur. Quod plerique Consiliarij Ducis Cazimiri contigisse hæc illi lætabantur, & quibusdam exprobrationibus in eum vsi iuste circumuentum à Miecslao sene differebãt, vt experiretur eum hostem, quem pro suo scelere exulem pati non poterat, quasi restitutionem illius Cazimirus Crac. Dux leuitate potiùs, & non cõmiseratione, atq; indulgentia Fraterna procurasse videretur.

Conrado Morauiæ Duce petitionem Ducatus Bohemiæ deferente, Venceslaus filius Fratris iunioris Sobieslai, à Baronibus Bohemiæ, rerum nouandarum cupidis, suffectus est in Ducatum Bohemicum, Quorum potentia fretus Pragam aliquanto tempore obsedit, conatibus tamen suis nullus effectus, Almanis pro præsidio relictis egregiè vrbem tutantibus, respondet. Interim Fridericus Bohemiæ Dux collecto in Almania exercitu in Bohemiam venit, & Venceslaum decertare non ausum. Erat enim Fridericus & Germani sui Adalberti Archiepiscopi Saleburgen. & Leupoldi Ducis Austriæ vallatus auxilijs, ab obsidione Pragensi repellit, obsidioneq; soluta etiam eos Barones, qui à se ad Venceslaum defecerant, partim benevolẽtia, partim metu sibi conciliat, & ciuiles motus sedãs Bohemiã pacificat.

ANNO Domini 1184. Tutoriam Miecslai maioris Poloniæ Ducis Leszko Nepos suus Masouiæ & Cuiauiæ Dux, in quam malo seductus cõsilio Cazimiro Duce deserto transmigrauerat diuturno tempore non tulit. Nec abs re, Miecslaus enim valetudine Leszkonis attenta, suspicatus illum propediem moriturum, non curatorem se, sed Principem gerere cepit, & in Castris ac municipijs Masouiæ & Cuiauiæ destitutis antiquis, suos præfectos

fectos & officiales instituit. Ex quo facilè Leszko Dux & patronus eius Zira Comes se, & autoritatem suam contemptum & diminutum iri perpendit. Mox deinde in vehementem pœnitentiam actus transgressionis suæ facinus ampliora incommoda veritus, à Miecslao suboritura rescindere curat, & ad Cazimirum Crc: Ducem cum Zira Comite primisq; Mazouiæ & Cuiauiæ, proceribus, personaliter vsq; Cracouiam se conferens reatum suum humi prostratus sibi, & suis humili supplicatione petit ignosci. Non se amplius spondens contra Maiestatem patrui sui & Patris ordinationem excessurum. Excusit ea vox Cazimiro Duci lachrimas, nam cum suapte clementia præditus esset, tùm calamitosorum & opem suam, culpa recognita, implorantium deprecatione facile frangebatur. Leszkone cum suis assurgere iusso, plurimum illum primum quod se deseruisset, quod paternam ordinationem temerasset, quod tranquillam & felicem vitam pati nequiuisset, blanda castigatione penè grauatus obiurgat, deinde quod in facinore & excessu suo non perseuerauerit, sed peregrinatus magis fuerit, commendat, ac postremò omnem ex animo offensam complectens, & osculans Nepotem relaxat, muneratumq; in Ducatuum suorum sedes remittit. Qui ex Cracouia reuersus, institutos à Miecslao Capitaneos & præsides excedere iussit, suosq; instituit. Eaq; ordinatione, qua sibi successorem Miecslaum Ducem serpserat reuocata, paternam ordinationem ratam esse voluit, Ille quoq; & suæ voluntatis robur, vt nemo præter Casimirum illi succederet, adiecit. Barones quoquè & Proceres suos ordinationem ipsam castè seruaturos nouo Sacramento addixit.

Iaroslao Izaslawic Kiouien Duce obeunte, Suantoslaus Czernieiouiẽ Dux succedit. Sub eodem tempore quatuordecima Iunij Michalko Dux Wladimirien obijt. Cui Frater suus Wszeuoldus in omnes Ducatus succedit, Quem Mścislaus Rościslawic à sedibus, quæ illi obuenerant, turbaturus, cum Rostowcijs contra illum insurgit, & victus à Wszeuoldo in Rostow, & deinde in Nouogrod refugit. Ea autẽ victoria Wszeuoldus erectus, vadit contra Ducẽ in Ressan, habens in comitatu suo nõ proprias tantũmodo gentes, sed & duos filios Suantoslai Wszeuoldowic Kiouien Ducis Olhani & Wladimirum, & Nepotem suum Wladimirũ Chlebowicz. Ducem Pereaslauien. Chleb autem Dux Ressaneñ callido vsus cõsilio, assumptis sibi in latiũ suis Polowcijs in terrã Wladimirien propere accessit, & illam incendijs, cædibus, & spolijs adeò crudelitèr afflixit, vt Ecclesias, Monasteria & ministros eius, omnibus spolijs, & cõtumelijs affecerit. Ea nouitate sibi Dux Wszeuoldus denunciata, festinè ex Ressanis rediens, cum Chleb & Polowcijs confligit, ipsoq; non sine vtriusq; partis cæde magna deuincit, & Chleb Ducem Ressaneñ & filium suum Romanum, & fratrem vxoris illius Mścislaum Rościslawic, & duos Nepotes illius Mścislaum & Iaropelkum, & omnem eius militiã captiuat. Polowcos verò deler, occidit; & trucidat. Pronepotes verò illius Mscislaum & Iaropelkum cæcauit, cæteros liberos dimisit.

Lucius

Lucius Papa Tertius assiduis supplicationibus Cazimiri Ducis & Monarchæ Polonorum, etiam apud prædecessorem suum Alexandrum Tertiũ, ad exauditionis gratiam admissis, volens se præstare morigerum, corpus B. Floriani eximij Martyris, Duci præfato & Crac: Ecclesiæ donãdum decernit, cuius donatio etiam miraculo diuinitus ostenso comprobata est. Summus siquidem Pontifex Lucius, vt veteranum etiam vsque in tempora nostra deriuata fert relatio, sacrarium quod plura Martyrum corpora continebat ingressus, quis illic quiescentium Sanctorum Poloniam migrare vellet, inquisiuit. Ad quam vocem, serionè an ioco, incertum est, á summo Pontifice prolatam, ex tumba, in qua corpus Sacrum B. Floriani conditum erat, manus protensa, summo Pontifici vocitanti designantis & indicantis se apparuit, donarijq; Polonis & Ecclesiæ Crac: huiusmodi manus protensione corpus suum designauit. Quo quidem miraculo tùm sibi ostenso, Lucius Papa commonitus, minus cunctanter corpus B Floriani Martyris Polonis & Ecclesiæ Crac: tribuit, & in ampliorem, tàm Sancti quàm Polonorum honorem ossa corporis Sancti per Egidium Mutineñ Episcopũ, Duci Polonorum Cazimiro, & Crac: Ecclesiæ destinauit. Qui Crac: Vrbem 6. Calẽdas Nouembris cum sacro onere perue niens, à Duce Cazimiro, & Gedeone Episcopo Crac: omnibusq; statibus, & ordinibus obuiam illi, ad septimum lapidem euntibus, summo honore, summaq; iubilatione, & gratulatione exceptus est, ouantibus singulis, quod Polonis nouus suffragator & patronus diuina propitiatione accessisset. Et quia Ecclesia Crac: celeberimi martyris corpore & deposito fuerit illustrata & decora. In eam etenim corpus præfatum sub trequentia ingenti populorum in locum depositũ est, & altius splendido decore funiculos sui ornamenti, longè latèq; extendit, & porrexit. In honorem autem Martyris Beati Basilica illi pulchro ac sumptuoso opere, extra Crac: muros à Gedeone Crac: Episcopo in hanc diem diuinitate propitia perseuerans, extructa est. Et Egidius Episcopus Mutineñ à Duce Cazimiro & Gedeone Crac: Episcopo magnificis onustus muneribus Romam remissius, ab eoq; tempore in S. Floriani decus & memoriam, cæperunt Poloni tam militares, quàm ciuiles, & agrestes filios suos in Baptismo hoc nomine insignire. Fundat & Cazimirus Poloniæ Monarcha in Ecclesia præfata in honorem noui hospitis B. Floriani, nouum Prælatorum & Canonicorum, atq; Vicariorum Collegium, & illud villis & decimis à Gedeone Crac: Episcopo precario impetratis dotat. Præposituram ex reditibus Ecclesiæ Parochialis in Rupella ordinans, omnes Canonicas horas psalli in ea, resquè diuinas agi instituit.

Fridericus Bohemiæ Dux eò quod Bohemiæ Ducatum sibi nitebatur surripere, de Conrado Morauiæ Duce vltionem sumpturus, Fratrẽ suum Premislienſem dato sibi ex pedite & equite exercitu copioso, in Morauiam, vt illam flammis & spolijs humiliet, & disperdat, transmittit. Qui ea incendijs & rapinis peruastata, Conrado secum, cum viribus inferior esset, congredi nõ ausо, in Bohemiam redijt, sed & Teobaldum Fratrem suum Fridericus ipse

de Bohemia in exilium egit, consortium suum abhorrens, & præsentiam sibi suam suspectam existimans statui suo turbationem allaturam.

ANNO DOMINI 1185. Triennio vix penè exacto Msciſlaus Dux Halicien à Cazimiro Polonorum Duce & Monarcha (Wladimiro profligato & ejecto, atq; in Pannonias acto) in Dominium & Principatum Russorum restitutus, suis Rutenis molestus esse & exosus esse cepit, quod & eorum non ferebat plerosq; abusus, & vicia, & in Polonorum milites apud se consistentes, parum de suis confidens, largitione & gratia propensior, quã in Rutenos videbatur. Primores itaq; Rutenorũ in eius necem, hi præsertim qui Wladimiri exulis partes sectabantur, conspirant, quã cùm vi aperta discrimen suum veriti efficere nequirent, (quippe Msciſlaus fidis corporis custodibus septus sine periculo à carnificibus non poterat adiri) veneno clam propinato innocentem extinguunt. Polonorumq; militibus, qui in obsequijs Msciſlai versabantur ejectis, arce Halicien occupata, pro Wladimiro in Hungariam mittunt, vt adueniret celerius, & aduersario sublato Principatum suum repeteret. Lætus eo Nuncio Wladimirus rem ad Regem Hungariæ Belam defert, rogatq;, vt qui exulem in dubijs & tractis rebus exceperat, tenuerat, aluerat eundem rebus confirmatis & feliciorem sortem nactum dignaretur militum equorum & sumptuum ad repetendum Ducatũ releuare præsidio, cum Cazimiri Polonorum Ducis sciret sibi insidias & hostilitatem imminere. Qui morte Msciſlai comperta Romanum Wladimiriæ Ducem in eius locum substituendum ad Haliciam transmiserat. Bela autem Hungariæ Rex ad vsurpandum pro se & Hungariæ Regno Halicien Regionẽ opportunum tempus venisse ratus. Wladimirum exulem in vincula conjicit, filium verò suũ Andream cum suis copijs equestribus & pedestribus in Russiam dato mandato, vt quàm celerrimè arcem Halicien occupet, transmittit. Ruteni qui Halicien Castrum tenebant, omnium eorum, quæ à Rege Bela Hungariæ gerebantur ignari, sed & captiuitatis Ducis sui Wladimiri expertes Andream filiũ Hungariæ Regis, velut rerum suarum suffragatorem magno plausu excipiunt, & in Castrum Halicien, Wladimirum enim se præcessisse fingebant, intromittunt. Qui suarum gentium multitudine facilè Rutenorum paucitatem vincens, Halicien Castrum occupat, exclusisq; Rutenis, nonnullis verò qui ad nouandas res videbantur proclives, capite multatis, tàm Castrum, quàm Halicien Ducatum in suam redegit potestatem. Et personalem illic faciens residentiam Ducalem in Halicien iurisdictionem exercet. Omnia tamen officia in Hungaros, cùm Rutenos ambiguæ fidei homines diceret, distribuit, & omnia per Hungaros administrat, à veneno quoq; quàm maximè cauet, quo Msciſlaum nuper nouerat interijsse. Rutheni vbiquè se oppressos, vbiquè contemptos & perditos cernentes, tacitis & clandestinis tractatibus, queruntur & Duce suo Wladimiro capto etiam se sub iugum missos deplorant, & scelus suum in Msciſlaum admissum altero scelero luunt.

Vigesima

Vigesima Septembris Gedeon Crac: Episcopus vir magnæ religionis, & in suam Ecclesiam atq; Rempublicam magni Zeli, moritur, cùm annis viginti sedisset, & in Crac: Ecclesia sepelitur. Hic plures decimas manipulares mensæ Episcopalis Crac: duobus Monasterijs Andrzeiouien & Miechouien, perpetua donatione contulit, singulari deuotione quoniam vtrumq; Monasterũ à militibus & nobilibus Griphonũ, à quibus ipse genus & originem ducebat, fundatum erat, attractus est.

Successit autẽ Gedeoni Fulko, qui in Polonico vulgari Peſka solet dici, Canonicè electus, genere Polonus, ex nobili stirpe & domo, quæ crucem geminatã sagitta imposita defert pro insigni, & de vulpibus appellatur trahens originem. Confirmatio tamen sua propter Lucij Papæ, qui anno insequenti diem obijt decessum, & propter nonnullas causas vltra annum vnũ fuit protelata. Anno eodem Monasterium Koprzywniceñ in Crac: Diœcesi per Cazimirum Polonorum Ducem fundatum & dotatum est, & Fratribus Cistercien Ordinis consignatum, ad cuius ampliorem dotem, nobiles & militares de armis Bogoria & Habdank, alijsq; domibus & familijs nonnullas villas sortes & prædia deuotè contulerunt. Cazimirus quoquè Dux primarius fundator Oppidum Koprzywnica, iuxta quod Monasterium situm est eidem Cænobio contulit, cum omni iure dominio & proprietate, concedens Oppido præfato & villis eidem Monasterio collatis & conferendis, ab omni onere & seruitutè plenam libertatem. Fratres quoq; Ordinis Cistercien ex Monasterio Morimundensi sumptos, in præfato Monasterio locauit, fabricauitq; Ecclesiam quadro lapide, eamq; S. Floriano Martyri nouo hospiti dicari procurauit. Primarius tamen post Cazimirum Ducem fuit Comes Nicolaus Bogoria, qui frequentiores villas in præfatum Monasterium contulit.

In Conradi Ducis Masouiæ odium Fridericus Bohemiæ Dux Morauiam altera vice vastaturus, Przemyslaum Fratrem suum cum amplioribus copijs transmittit. Data commissione & mandato, vt Morauiæ Regionem quàm latius poterit, populatione extensa exterminet, secus tàm, quàm rebatur, succesit. Conradus enim Morauiæ Dux, & suorũ Almanorũ fretus potẽtia Przemyslao & Bohemico exercitui in loco, qui Ludowicz appellatur, occurens, pugnam conserit, in qua vtraq; parte pro victoria admitente, infestis armis longo tempore pugnatum est. Strage quoq; maxima vtrinq; edita, cùm de Bohemis & Morauis primi Proceres occidissent, incerto Marte, cruento tamen discessum est.

ANNO DOMINI 1186. Cruciatus & exhaustus diuturno morbo & languore Leszko Masouiæ & Cuiauiæ Dux filius Boleslai Crispi, neq; enim diebus aut mensibus, sed annis aliquot ægritudo sua tendebatur, cùm se propediem actum prospiceret, perucibus Nuncijs missis, Cazimirum Ducem & Monarcham Poloniæ, patruum suum germanum ad se videndũ visitandumq; inuitat. Quo in Plockum, vbi Leszko decumbebat, adueniente, vtriusq; Ducatus aduocatis Proceribus, eos Duci Cazimiro commendat. Ca-

dat. Castra quoq; & munitiones sibi relignat, ac non multo post Sacramẽtis omnibus, vt Duci Catholico conuenieñ erat perfunctus; animam exhalat. Cuius corpus Cazimirus Polonorum Monarcha in Ploceñ Ecclesia in choro sepeliens, diebus aliquot funebrem celebritatẽ sacrificijs & Eleemosinis prosequebatur. Et quoniam Leszko Dux præfatus nullã ex seprolem reliquerat, & Cazimirus Dux & Monarcha Polonorũ, tàm Patris Leszkonis Boleslai Crispi, quàm Leszkonis testamento hæres scriptus erat, morte Leszkonis secuta, Masouiæ & Cuiauiæ Ducatus possidere cepit. Mieslaus autem Maioris Poloniæ Dux, etsi exinde se iniuriatum sentiret, & læsũ iri quereretur, cùm ex iure sanguinis, & iure testamenti, dimidia Ducatuũ prædictorum portio, ex morte Nepotis germani ad illum iuxta atq; Cazimirum recidisset, potentiam tamen Cazimiri, & Baronum, atq; militarium in se odium secum reputans, sola querellarum ingeminatione suam iniuriam prosequens, ab armis, quibus se inferiorẽ non ignorabat, abstinebat. Vnde extunc & vsq; ad hæc nostra tempora, quemadmodum propitia diuinitate in subsequentibus monstrabimus, cùm exalijs Principatibus & Regionibus Polonorum filij & nepotes Cazimiri prædicti varia rerum mutatione defectioneq; defluxissent, in Masouiæ tamen Ducatu Cazimirus, per succedẽtem lineam nepotes etiam in diem hanc retinet Principatum.

Decimo Octauo Calendis Februarij Arnoldus Primus Posnanieñ Episcopus, cùm Annos qui in Pontificatu exegisset, à dissenteria vexatus moritur, & in Posnanieñ Ecclesia sepelitur. Cui Mrokota custos Posnanieñ per Canonicam electionem succedit, ab Archiepiscopo Gnesneñ Zdzislao confirmatus & consecratus, Miecslai maioris Poloniæ Ducis accedente fauore & consensu.

Fridericus Bohemiæ & Conradus Morauiæ Duces, per communes Barones & arbitrios conuentu in Kunic habito, pacificati sunt, & vterq; Principatus à ciuili clade solutus.

Facta est autem eo anno in Sole Eclypsis notabilis, quam magna hominum pestis atq; mortalitas morbo Epidimiæ absorbens multos mortaliũ, fuit subsecuta, quæ in Polonorum Rutenorumq; Regiones seruiebat.

Lucius Papa Tertius cùm annis quatuor, mensibus duobus, diebus viginti quatuor sedisset Veronæ moritur, & illic sepelitur. In cuius tumba tale Epitaphium, quo ortus processus, & exitus suus, designãter descriptus est.

Luca dedit lucem tibi Luci, Pontificatum,
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.

Aduersæ deinde sententiæ ponuntur metra & quasi quoddam Primorũ Apologeticon. Imò Verona verum dedit tibi viuere, Romã exilium, curas Ostia, Luca mori. Fuit autem præfatus Lucius Papa Friderico Imperatore agente & cooperante Roma pulsus, quo in Veronã diuertente, multi de suis officialibus & familiaribus a Romanis capti cæcãtur, & mitrati super asinos auersis vultibus ligantur.

Lucio autem Vrbanus Tertius ex Patre Ioanne natione Lombardus Episcopus

piscopus Mediolanensis Veronæ electus succedit, qui nonnullas simultates & odia cum Imperatore Friderico gessit. Is ante Papatum Hunbertus nominabatur.

ANNO DOMINI 1187. Carcerales molestias Wladimirus Halicieñ Dux apud Belum Hungariæ Regem, in quas illum iure hospitij fædato, quo tutior filio suo Andreæ occupatio Halicienſis Ducatus proueniret, coniecerat, biennio prope exacto perpessus, cùm solutionem suam difficulter prouenturam metiretur, animum ad ingenia vertit, custodesq; suos magnis promissionibus inescatos corrumpit, & vincula carceris euadés his ipsis custodibus, qui licentiam euadendi præstiterant fugæ Comitibus, & gressus suos dirigentibus, ad Russiam peruenit. Castrumq; & Ducatum suum Halicieñ tentans irrumpere, ab Hungaris, quorum in Castro Halicieñ validum præsidium cum Rege Andrea erat, repulsus, incertis itineribus, non habens sedem, in qua persisteret, per Rutenorum regiones, velut vagus, & profugus rotabatur. Collecta ad eum erat rapto viuere assuetorum, aut ære alieno, & pro scelere damnatorum manus, cum qua & Rutenorum circumuicinas regiones, prædas agens, infestabat, sed nec Polonorum regio ab eius tyrannide tutior fuit. Circa festum siquidem Assumptionis Mariæ Poloniam frugum collectione, & messe occupatam irrumpens, omnem circa Præmisliam consistentem oram sub ditione Polonorum tunc constitutam inuadit, & singulis vim hostilem inferens, templa, oppida, vicos, villas, spoliat, aut exurit, Matronas ingenuas, & nobilium sponsas, & natas aliquamdiu agrestium multitudinem captiuat, & versus Kiow prædam huiusmodi celeriter transportat, eaq; venundata, infelicem suam & suorum sustentat & explet famem. Non tulit Cazimirus Polonorum Dux & Monarcha suorum captiuitatem & cladem sed dato Nicolao Palatino Crac. exercitu, Wladimirum ex Kiouieñ ora, nusquam consistere, aut congredi ausum, propellit, suosq; captiuos, partim armis, partim pretio exoluit, & in libertatem restituit. Non quieuit tamen Wladimiri Halicieñ Ducis rabies, sed in siluas Alpeq; inuias cum suis se transferens, illis pro præsidio vtebatur, rugientẽq; suam, & suorum esuriem vicinarum regionum spolijs, sustentabat.

Tartarorum genus & natio ex Armenis, quibus tàm in vultus similitudine, quàm linguæ identitate communicat, ortum ducens, priscis quidẽ temporibus orbi ignota erupit. Quæ cum propè ciuitatem Coroczoram, ad plagam aquilonarem in cãpestribus absq; vicis & Vrbibus habitassent Regi Buham, qui Ioannes Presbyter appellabatur, tributum soluens, in gentem maximam se videns creuisse, proprium Regem de sua stirpe Tinchis nomine virum magnæ industriæ sibi creat, cuius ductu vicinas regiones inuadens sibi subijcit, in eamq; virtutem conuenientibus vndiq;, qui in varijs regionibus seruiebant ad famam noui Regis, Tartharis, creuit, vt ipsius Regis quandam Ioannis Presbyteri filiam cum missis Nuncijs nouo Regi deposceret in vxorem. Qui illorum petitionem perosus dum illos ad solitum tributũ cogere statuisset, indicto bello congressus, ab eis victus & oc-

ciluscit. Ad illo quoq; tempore in validissimum robur natio Tartarorum cepit protendi.

ANNO DOMINI 1188. Nusquam terrarum Wladimirus Halicien̄ Dux propter recens & iniquum facinus, quo in Cazimirum Ducem & Monarcham regionemq; Polonorum deliquerat, tuto cōsistere ausus, vpote quē Cazimirus etiam per inuia loca, & in quæ se abdiderat lustra, ad necem & captiuitatem ordinabat, inquiri, sceleris comissi pænam debitam pēsurus, veritus ne in periculum, ad quod querebatur, incideret, per crebros Nuncios Cazimirum Ducem humillimis precibus, & tandem data veniendi securitate, per se ipsum prostratus humi interpellat, vt facinori suo atq; errori veniam tribuat, & dementiæ suæ propiciationem illi impendat, fidū & obsequiosum seruitorem atq; amicum, vt qui priorem transgressionē geminata fidei puritate resartiat, habiturus. Ea humilitate & prece Cazimirus expugnatus, Wladimirum infestum hostē in amicum suscepit, & suæ grandi in Poloniam, atq; in se, præuaricationi facile ignoscit. Et cum satis superq; fuerit culpam remittere, adijcit tamen clementiæ, magnam beneficij exhibitionem, frequenti enim congesto comparatoq; exercitu, & in fidem atq; potestatem Nicolai Palatini Cracouien̄ comitis, in Rusiam illum destinat, exulem Wladimirum & prædonem hostemq; suum ad Ducatum Halicien̄. restituturus. In ludibrium ea expeditio apud exteras nationes habebatur, quæ impossibile censebat Pannoniorum Regem Belam & filium eius Andream ea tempestate armis viribusq;, & omni rerum abundantia potentē, ex Halicien̄ Ducatus possessione à Polonis posse depelli. Sed & Poloniæ Barones eam expeditionem molestè ferebant, militesq; ægrè in militiā ibant dolentes amicum & vicinum Regem indigna hostilitate percelli, & hostem inuisum amico non solùm iuxta poni, sed præferri. Nicolaus itaq; Palatinus Crac. cum Polonorum exercitu Wladimiro etiam exulem secum eunte ad Halicz perueniens, Castrum Halicien̄, in quo Andreas filius Hungariæ Regis se cum Hungaris incluserat, obsidione vallauit. Et coactis agrestibus, Castella munitonesq; in circuitu ædificat & Corona Castrum angustat, magna cura prouidēs, ne quid ad obsessos, nouerat enim Castrū exiguè victualibus prouisum esse, posset inferri. Reficiebat Hungaros magna spes Belæ Regis, quem cum magnis copijs venturum, & obsidionem propediem soluturum, cum ad id per aliquot nuncios solicitatus fuerit, non ambigebāt. Verùm cùm obsessi primùm fame marcescerent, tandem desperatio tardè sibi lati à Rege Bela subsidij animos incessit, propter quod ad Nicolaum Palatinum Crac. Principem militiæ missis Caduceatoribus, de Castro dedendo pacem componunt, pacti, vt incolumibus omnibus in personis & rebus liceret excedere. In constituto quoq; die Castro reddito in Hungariam datis à Nicolao Palatino, ne quid hostile pati eos contingeret, ductoribus qui ad metas prosequerentur abeunt. Nicolaus Palatinus feliciter expeditione perfunctus Castrum Halicz Duci Wladimiro, ita enim Monarcha Polonorum Cazimiro iussus & doctus erat, restituit, iureiurando obstricto, vt tàm ipse quàm successores sui Ducibus Poloniæ subiecti, & sinceriores sint, & in eorum subiectione atq; obedientia perpetuo, quicumq; arma contra illos ceperint, perseuerent. Maximam hæc expeditio Hungarorumque ex Halicz depulsio Cazimiro apud Rutenorum nationes peperit laudem, & pauorem sui Principatus in omnes diffudit, efferentibus eum singulis quòd Regis Hungarorum Belæ manus euasit, qui hospitem & amicum ceperit, de Ducatuq; suo eiecerit, quem Cazimirus quamuis infestum hostem clementia sua erexerit, atq; in suum Ducatum fatigatis occupatoribus restituerit.

Saladinus cognita Christianorum Regum & Principum, qui ad subueniendum terræ Sanctæ transfretarunt, discessione, & eorum qui remanserant discordia, fortissimo exercitu congregato Hierusalem obsedit, & quatuordecima obsidionis die Idibus Octobris per deditionem, non enim se amplius Ciues muris per Machinas deiectis sustinere poterant, cepit. Vxores autem & filiæ Hierosolimitanorum militum Christianorum qui in bello capti fuerant, ad Saladini præsentiā admissæ ediderunt lugubrem eiulatum. Inquisita causa respondent se amisisse viros, sibiq; possessiones ablatas, petebant sibi per misericordiam subueniri. Ille pietate motus eos qui superessent captiuos reddi, puellisq; pecuniam ex thesauro suo dari iussit.

Vrbanus Papa Tertius consternatus super Sanctæ Ciuitatis Hierosalē captione magna tristicia & dolore, languoreq; graui corripitur, missisque Nuncijs ad Fridericū Imperatorem, qui illū pro recuperatione terræ sanctæ celerem agere expeditionem monerent. Paucis post diebus, cùm anno vno mensibus decē, diebus quindecim sedisset, nimio consternatus dolore, moritur & in Ferraria sepelitur. Cui Gregorius Octauus natione Beneuentanus qui & Albertus Vrbani Papæ Cancellarius à Collegio Cardinalium concorditer electus succedit. Qui cum Mensem vnum & dies viginti septem sedisset, composita inter Ianuen̄ & Pisanos pace vt recuperationi terræ Sanctæ potentijs vnitis fortius intenderent, Pisis moritur, & sepelitur. Cui Clemēs Tertius natione Romanus ex Patre Ioanne succedit.

ANNO Domini 1189. Expulsionem filij sui Andreæ, Bela Hungariæ Rex ex Castro & Ducatu Halicien̄ molestè ferens, omnem culpam tám acerbæ suæ iniuriæ in Cazimirum Polonorū Monarcham retorquet, & multifarijs quærellis dolorem suum ingeminat. Asserens se ab amico suo non diffidato Cazimiro Polonorū Duce vehementi iniuria violatum, & ex possessione Castri & Ducatus Halicien̄ preter ius, fasq; & contra fœdus, quod Hungariæ & Poloniæ Regna vetusto tēpore obseruabant, detractum. Nec querellis solùm sed & armis iniuriam ipsam pro viribus censet vlciscendā, & exercitum gentium suarum ad fines Poloniæ transmittens, eam vastatione & spolijs perturbat, præsidiumq; militum in Castris finium pro lacessendo Regno Poloniæ locat. Sed nec Cazimirus Dux segnius id bellum à Bela Hungariæ Rege motum repellit, nam & per se & per præfectos Capitaneosq;

taneoq; Hungariam ingressus, eam vicissitudinario more per flammas & spolia subijcit vastitati, & prædas magnas ex illa in Poloniã deportat. Ad prohibendas quoq; subitas Hungarorum inuasiones & insultus, præsidia militum in locis crebris ponit, lento tamen gradu & animo remisso id bellum inter Hungaros & Polonos gerebatur, vitabaturq; dimicatio. Sed soli mercatores & agrestes eo premebantur, ægreq; Polonorum milites hanc militiam, & eius munera obibant, ferebant querellas & murmura, non legitimum bellum Ducem suum Cazimirum, cum Regno vicino & amico pro hoste & transfuga nulli Principi fido suscepisse.

Polonicam Ecclesiam Clemens Papa Tertius in membris & in capite reformaturus, & pro impensis ad defendendam terram Sanctã, cuius recuperationem magno ardore zelabat, subsidium à Clero Poloniæ percepturus, Ioannem Cardinalem cognomine Malabranka Poloniam transmittit. Qui Cracouiam primùm perueniens à Cazimiro Duce & Fulkone Episcopo omnibusq; ordinibus honore processionis exceptus, synodum omnibus Prouinciæ Gnesneñ Episcopis in ciuitate Crac. indixit, & aliquas cõstitutiones ad reformandum clerum promulgauit, & tàm Episcopis, quàm vniuerso Clero, pro recuperatione terræ Sanctæ decimam imposuit. Hunc Cazimirus Polonorum Dux & Monarcha comiter pertractans, magnificis illum, & se dignis honorat muneribus.

Fridericus Romanorum Imperator à tribus Summis Pontificibus sollicitatus, congregata insigni & potenti militia & innumerabili Nobilium & vulgarium turba, gubernatione Imperij Henrico filio comissa, per Pannoniam, Bulgariam, & Græciam, tàm nauali, quàm terrestri itinere versus terram sanctam in eius recuperationem processit. Cumq; mari stricto, apud S. Georij brachium superato, in Armeniam filio Imperatoris Friderico Duce Sueuiæ in frõte exercitũ præcedẽte peruenissent, & maxima spes recuperationis ões mulceret, Dominico die Imperator Fridericus sudores lo turus, in flumen, quòd ab incolis fretum vocatur, tenues Vndas habens, prohibentibus eum multis descendit, & subitò sine Vndarum rapacitate, siue quòd verisimilius est neruis frigescentibus, militibus, qui secum vnà in flumen descenderant, ne quicquam suffragantibus, suffocatus est. Cuius corpus repertum à Filio suo Friderico in Tyrum delatum illic iusto honore sepultum est. Vir largus, strenuus, facundus, & in decidendis quæstionibus iustitiæ Zelator seuerissimus. Christianorum autem, & cruce signatorum exercitus in Imperatoris Friderici locum filium eius Fridericum Victorum miræ strenuitatis substituit, & eo Duce primùm Antiochiam vbi octo hebdomadis immoratum est: deinde Tripolim, Sur, & Alkonor processit, & hostes occurentes victoriosè conflixit: verùm peste in exercitu grassante, dum plures nobiles & vulgares absumpsisset. Fridericus etiam ipse Imperatoris filius, vnica exercitus Catholici spes & solatium decedit. Ex cuius & aliorum Principum militum, & peregrinorum morte tàm sumptuosa, & insignis, expeditio, & terræ sanctæ recuperatione irritum. Mortuus est autem Fri-

tem Fridericus Imperator Anno Imperij 33 Regni verò 38. Cui filius eius Henricus concorditer ab omnibus electoribus electus succedit. Aquisgrani per Colonien Archiepiscopum 15. Aprilis coronatus.

Fridericus Boheniæ Dux eodem etiam Anno in Praga obijt, & vniuersorum Bohemorum fauore Conradus Morauiæ Dux accepit Principatum. Ita sub vno Anno & penè eodem tempore tres Fridericos morte immatura vides decessisse & fatalem illis Annum ipsum fuisse.

ANNO DOMINI 1190. Dissidium inter Hungariæ & Poloniæ Regna, ex Halicien Ducis Wladimiri, per Cazimiri Poloniæ Ducis restitutionem exortum, communes Regnorum Barones & Consiliarij antequam amplius inualescerent, in metis Regnorum conueniunt, pluresq; inter se differunt tractatus, vna quaq; partium causam suam iustiorem affirmante. Et Hungari quidem se, & Regem suum Belam de Halicien Ducatus possessione armis quæsita querebãtur depulsos, Poloni ex aduerso Halicien, & cæteras Russiæ Regiones ad se pertinuisse, tributisq; & obsequijs suis subiacuisse refellebant. Concertatioq; studijs partium in dies aliquot extenditur, pacisq; reformatio difficilis visa est. Quapropter ad rescindendum vlteriorem dissidij processum, treuga per triennium ab vtraq; parte accepta & firmata est, ea conditione interposita, vt treuga pendente, noui incãpta de pace restauranda tractatus, & communes Consiliarij in eundem rursum locum odijs abrogatis pacem stabilem composituri conueniant.

Mieirichardo Primo Episcopo Liuoniæ ad flumen Dzwinæ, vbi nunc Castra Iokol & Dolei situata sunt, verbum Dei prædicante, gentes Liuoniæ idem Christi suscipere ceperunt.

Vnelphus Wladislauien Episcopus, cùm annis decem & paulò amplius Wladislauien Ecclesiam rexisset, moritur, & in veteri Ecclesia Wratislauien sepelitur, Cui Stephanus natione Almanus per electionẽ Canonicam, dùm esset Wladien Præpositus successit, á Cælestino Papa tertio Romæ Cazimiro Duce & Monarcha Poloniæ consentiente, confirmatus, & ibidem iussu Papæ consecratus.

ANNO DOMINI 1191. Halicien Ducis Wladimiri, qui Poloniæ fines hostili inuasione vexauerat, per Cazimirum Principem & Monarcham Poloniæ in Principatum Halicien restitutio ante biennium, vt in superioribus explicauimus, facta, nemini Baronum Poloniæ satis placebat, clãdestinis nisq; colloquijs & tractatibus restitutionem ipsam frequenti sugillatione & vsurpatione carpebant. Virum morte dignum non solùm punitione aliqua castigatum, sed etiam honore & dignitate auctum, rem pernicioso exemplo fore, & ad capita sua tandem redundaturam. Ea enim vastatione & impunitate cæteros Russiæ Duces in Poloniæ incursionem accendi, & suã vastationem, tàm cumulato fauore promoueri, animarisq; omnium. Itaq; Baronum Poloniæ, quorum 70. Principales erant, re huiusmodi alienatis, offensisq; animis, seditio contra Cazimirum Ducem gliscere, & tandem in re-

bellionem apertam aspirare cepit. Principatumq; Cazimiri ob præfatũ nefas perosi, Miecslaum senem maioris Poloniæ Ducem, à se alias exclusum in Crac: Ducatum & Monarchiam, qui & ipse restitutionem suam omnibus ingenijs sollicitabat, restituendum decreuerunt, tempusq; componũt. Excesserat in id tẽporis Cazimirus Dux in Rusiæ partes quædam negotia inter Romanum Wladimirieñ & Wszeuoldum Belzeñ Duces, de finibus enim suorum Ducatuum contenderant, compositurus. Id optimũ tempus Crac: Barones ad exequendum propositum rati. Miecslaum senem literis & nuncijs accersunt, vt insuper Nobilem & ciuium atq; vulgarium animos in restitutionem Miecslai senis facilius inclinent, fingunt Cazimirum Ducem in Rusiæ partibus veneno propinato interijsse. Sub hac itaq; spe Miecslaus senex cum filijs, Baronibus & militibus maioris Poloniæ Crac: aduenies, ab omnibus ordinibus, vniuersisq; Baronibus, & nobilibus, & Ciuibus, debito honore & fauore exceptus est, & tam Ciuitas Cracouia, quàm omnia Castra & municipia in circuitu traduntur eius ditioni, vnus solus Fulko Crac: Episcopus cum Nicolao Palatino Crac: germano suo de armis vulpium, à Consilijs & rebellione militum alienus, & restitutioni Miecslai aduersus, ne arx Cracouieñ in potestatem Miecslai veniret, prouidebat. Nouam itaq; arcẽ Miecslaus senex, ex lignis balneatis extruit, & fortissimis roboribus breui spacio communit, Castrum etiam in Bohemia ædificat, & aliquantum in Crac: perseuerat.

Cazimirus autem Poloniæ Dux & Monarcha nouitatibus huiusmodi intellectis, illicò Cracouiam cum Polonorum paucis, & cum Romano Wladimirieñ & Wszeuoldo Belzeñ Ducibus, & Nicolao tunc Palatino aduenit. Cuius aduentu Miecslaus Senex audito Posnaniam refugit, Boleslaum tamẽ filium & Henricum Kietlicz militem, qui illi recuperationem Monarchiæ crebris sermonibus ingerere solitus erat in Crac: castro, quod nuper erexerat, cæterisq; castris & municipijs, & militum forte & frequens præsidium reliquit, resistentiam Cazimiro, donec ipse cum nouo militum supplemento præsidium ferret, oppositurus. Verùm Cazimirus Dux pro accepta à Fratre Miecslao iniuria fremens & frendens, dùm Cracouiam aduenisset castrũ à Miecslao erectum, concurrente ad eum, tàm militum, quàm agrestium multitudine, & de suo reditu atq; bona valetudine gratulante, nocte & interdiu oppugnat, & fatigatis defensoribus, nonnullisq; peremptis tandem conquirit. Boleslaus etenim filius Miecslai senis parum spei in defensione Fratris reponens, & seipsum & castrum quod tuebatur in potestatem & gratiam Cazimiri patrui sui tradit, sed & cætera castra atq; munitiones, quæ in ditionem Miecslai senis concesserant, illicò ditioni Cazimiri reddita sunt. Et Cazimirus quidem Dux ea victoria modestissimè vsus, Castrum nouum incendit, & funditus exterminat. Boleslaum autem nepotem suum & omnes militares Miecslai senis illic captos, ad libertatem restituit, & benignè habitos amplissimè insuper muneratos, in propria remittit. Solus Henricus Kietlicz, cuius cõsilio constabat Miecslaum senem Regi, & ad recuperan-

dam Monar-

dam Monarchiam impelli, & qui omnis dissensionis ciuilis inter fratres fuerat occasio, ad Ecclesiam maiorẽ, & in eius criptam, sceleris sui conscius, ibi se latere posse existimans confugerat, ibiquè latitabat. Cùmquè irrumpentibus Rutenis, super muros Ecclesiæ, animo & intentione res & clenodia Ecclesiæ, omnemquè suppellectilem diripiendi tumultus fieret, clamores à sacerdotibus & ministris Ecclesiæ & Polonorũ gentibus attolluntur ad Cazimirum Ducem, & eius patrocinium, vt Ecclesiam Crac: à Rutenorum inuasione & expilatione defendat, certatim implorantur. Qui accedens insultum Rutenorum compescuit, & res Ecclesiæ, ne ab eis diriperentur animosè defendit. Interea Henricus Kietlicz ex cripta tumultu audito, egressus, cæteruis vulgi tanquam ignotus permixtus, de castro nitebatur, & sperabatur effugere, quod cùm facere nequiuisset, captus ad Cazimirum Ducem deducitur quem Dux probris cõfusum & alapis cæsum, Duci Romano in captiuitatem tradit, & ne amplius inter fratres seminarũ faturi dissidij esset, ipsum in exilium in Rusiam relegat, vbi contenescens moritur, Romanum autem Wladimirieñ, & Wszeuoldum Belzeñ Duces cum Rutenorum copijs quoniã sibi tulerant auxilia in Rusiam remittit. Vt autem tam Clemẽs tàmq; liberalis in Boleslaum Nepotem cæteroq; deuictos Cazimirus esset, autor fuit, Zdzislaus Gnesneñ Archiepiscopus vir præter modum facundiam raræ & singularis industriæ. Qui Cazimirum Ducem vt in Boleslaum Nepotẽ, & singulos Miecslai milites, non tàm clemens, quàm munificus esset, docens si secus ageret, bellum atrox iterum inter se, & Fratrem Miecslaum exoriturum, si modeste se gereret, penitus cessaturum, facilè peruicit, Nec Pontificẽ Gnesneñ opinio fefellit, Miecslaus enim senex Dux maioris Poloniæ, tanta Cazimiri Ducis clementia & liberalitate magis, quàm armis expugnatus, omnium iniuriarum, quas á Cazimiro pertulerat, obliterata memoria, in puram & integram mediatoris optimi, præfato Petro Gnesneñ Archiepiscopo vicem agente, concordiam & reconciliationẽ redijt, ac ipsum de cætero mira charitate & veneratione coluit, nec eo superstite ad mouẽdum bellũ pro recuperãda Monarchia poterat induci.

Clemens Papa Tertius cùm Annos tres, dies sedecim sedisset, Romæ moritur, & in Laterano sepelitur. Cui Cælestinus Tertius natione Romanus ex Patre Petro Bubonis succedit, qui in festo Paschæ consecratus. Secundo die sui Pontificatus Henricum filium Friderici Imperatoris in Imperatorem Romæ coronat, accepta Imperiali benedictione, in Siciliam distracta & occupata recuperaturus, exercitum Henricus Imperator transmisit, & Neapolim obsidione trimestri spatio coortat, ex Epidimia, quæ exercitum suum vexauerat, multis absumptis, discessit.

Conradus Bohemiæ Dux moritur, & in Praga sepelitur. Post cuius obitũ Venceslaus filius Sobieslai Senioris accepit Ducatũ, quem cùm Mensibus tribus tenuisset, à Przemislao filio olim Wladislai Regis patruo germano suo de sede Ducali pulsus in cõfinib⁹ Serbiæ, à Marchione Serbiæ Adalberto captus, & in vincula cõiectus est. Przemislaꝰ verò, quia & ipse à militibus Bohe-

miæ ſpretus, & expulſus fuerat, magnam partem Bohemiæ ſpolijs & incendijs vaſtauit. Imperator autem Henricus notabilibus proceribus & militibus à morbo Epidimiæ ſpoliatis, cùm & ipſum languor peruaſiſſet, diſcedere ex Sicilia cum paucis in Almaniam coactus eſt. Conſtantia filia Regis Siciliæ in conſortem deſponſata.

Eclypſis ſolis Anno eodem Nono Calend. Iunij accidens à tertijs vſq; in Nonas durauit.

ANNO DOMINI 1192. Plenam & Sinceram Cazimirus Poloniæ Dux & Monarcha reconciliationem cum Fratre Miecſlao ſene maioris Poloniæ Duce, omnium deniq; terrarum ſuarum, & Principatuum ſtatum pacificum, cõſecutus, ad vlciſcendum Fratris Henrici Primi Sandomirieñ Ducis, & exercitu Polonici fraude à Prutenis locorum iniquitate circumuenti mortem, animum intendit, & contra Prutenos, quibus ad id vſq; temporis ſpacium impunita fuerat, eorum praua temeritas omnibus copijs bellum geſturus, omnibus terris & Principatibus Polonorum expeditionem indicit. Miecſlaus Senex Polnanieñ Dux, filium Boleſlaum cum exercitibus in eam expeditionem tranſmittens domi remanſerat. Boleſlaus verò Altus Wratiſlauieñ, & Miecſlaus Ratiborieñ Duces Nepotes Cazimiri, & filij olim Wladiſlai perſonaliter proficiſcuntur. Cum autem ſingulæ copiæ ad Oppidum Thorun ſuper Wiſlam ſitum conuenijſſent, aciebus ordinatis, in Pruſſiam cauteloſo & explorato gradu, ne quis dolus à Prutenis inijceretur proceſſum eſt, flumineq; Oſſa ſuperato, vſq; ad interiora penetratum, ſumma quoq; cura ſumma diligentia, & ſtatiuis eligebantur loca, & ne in pabulatores, irruptiones à Prutenis fierent, ne quis inſuper locus ſua iniquitate detrimento Polonis foret, Cazimirus Dux tàm per ſe, quàm per præfectos prouidebat. Pruteni cum Polonorum copijs cõgredi non auſi, aut in paludes, aut in nemorum denſitates, inuiaq; loca, quæ ſine periculo non poterant adiri, refugerant. Polonos tamen locorum iniquitate frequenter intercipere ſatagebant. Quos cum Cazimirus Dux Polonorum ad pugnam elicere non poſſet, & vaſtationem agrorum, & incendia vicorum longè lateq; iuſſit extendi, & tàm puberes, quàm impuberes necari. Ingens itaq; trucidatio, vt ſuorum interfectorum manibus parentaretur, non tàm propter Ducis Imperium, quam ob iuſtam iram edita, Barones pacem petere coegit. Venerũt ſiquidem Prutenorum maiores, & ad pedes Cazimiri in terram prolapſi miſericordiam precabantur, rogantes, vt ferro parci mandaret, & miſerandas eorum delere non pergeret reliquias, ſatis ſe pænarum pro temeritate eorũ intuliſſe, offerentes ſe, & ſolita, & retenta tributa pendere, & quæcunq; legitimè imperarentur, implere. Quorum precibus Cazimirus Dux motus, & cædem & exuſtionem iubet reſcindi, retentaq; tributa coram offerri, & obſides centum dari, captiuoſq; & ſigna intercepta reddi. Nec morantur barbari, ſed omnia impetrata perficiunt & mandatis obediunt Cazimirũq; Ducem ſingularibus donis placabilem ſibi effecturi honorant. Ita Cazimirus clade ſuorum vlta, obſidibus quoq; Prutenorum, & tributis receptis amplisima

amplisima laude militibus eum efferentibus, quod prouidè & prosperè Prutenicum bellum gesserit, cum magna sua, & suorum alacritate in Poloniam finibus Regni recuperatis, remeauit.

Saladinus Babyloniæ Rex post occupatam, permissione diuina, & proprio ferè humano terram Sanctam, post multifariam Christianorum stragem, cùm apud Damascum decumbens mortem sibi sensisset imminere, vocauit signiferum suum, dicens. Tu qui solebas ferre vexilla mea, in bellorum, quæ gessi, congressibus, fer vexillum mortis meæ, panniculũ videlicet vilẽ, super lanceam clamitando per totum Damascum. Ecce Saladinus Rex oriētalis moriturus, non fert secum ex omni gloria sua nisi hunc panniculum vilem, & sic mortuus est.

ANNO DOMINI 1193. Castigata, & ad seruitutem tributariamq; conditionem Prutenica regione per Cazimirum Ducem & Monarchã Polonorum redacta, ad res Hungariæ componẽdas, bellumq;, quod treuga suspensum erat, extinguendum, opera vtrinq; nouata est, & conuentio primùm in Regnorum metis, quemadmodum triennio ante, per communes Consiliarios inter eos conuenerat, celebrata est. Pro parte Regni Poloniæ Fulko Cracouiensis Episcopus, Nicolaus Crac: Palatinus, & cæteri Polonorum Consiliarij, pro parte verò Hungariæ Regis Strigonieñ, & Agrieñ Pontifices, cum Palatino Hungariæ, & nonnullis alijs Baronibus conuenissent, multiplici tractatu irritatos animos pacificant, sanciuntq; vt Bela Hungariæ Rex suo amplissimo Hungariæ Regno contentus, Regiones Rutenorum ad Poloniæ Regnum spectare permittat. Conueniunt deinde personaliter Bela Hungariæ Rex, & Cazimirus Poloniæ Dux & Monarcha in antiqua villa, & omnibus offensis atq; iniurijs hinc inde remissis, fœdus dudum inter Hungarorum & Polonorum Regna stabilitum, iureiurando innouãt, & amicitias communes sincerè & integrè, coli, & tàm prosperos quàm aduersos successus, vicissitudinaria relatione participare debere decernunt, & eo fœdere inito, muneribus inuicem datis, discedunt.

Pragen Episcopus Henricus Ducalem & ipse ducens stirpem, vt cognati sui Præmislaus in Bohemia, Wladislaus in Morauia Principatum gererent, apud Henricum Imperatorem non precibus solùm, & gratia, sed largitione eq; promissione obtinuerat, teq; pro promissa Imperatori pecunia vadem obfuerat. Quæ cùm in tempore constituto non redderetur, & Imperator cùm ob id, tùm quia Præmislaus Bohemiæ Dux cum suis hostibus Principibus Saxoniæ fœdus contra illum inierat, Præmislao infensus esset, Henricũ Pragen Episcopum tunc apud se presentẽ de Ducatu Bohemiæ inuestit, & Bohemiam ad Principandum remittit. Verum etsi Barones Bohemiæ ferè constanter Præmislao Duci contra Henricum Episcopum Pragen adhæsuros adstrinxissent, Henrico tamen Pragen Episcopo ad Bohemiam cum Almanis & nonnullis Bohemis intrante, omnes Præmislao deserto, ad Henricũ Pragen Episcopum deficiunt. Propter quod Præmislaus, ne à suis traderetur in carcerem, per fugam sibi vix consulere potuit. Henricus Episcopus

Pragam, quæ pro Præmillao tenebãtur, obsidione cingens, Quinto tandẽ oblidionis Mense eam per deditionem accepit.

ANNO DOMINI 1194. Composita abintus, & extra pace, & subactis, quæ dudum auersa erant, in obedientia & tributũ nationibus, Cazimirus Polonorum Dux & Monarcha celebris & felicissimus apud proprias & exteras gentes habebatur, vtpotè, qui atrocissima bella armis & ingenio prospere gesisset, vnde illum in felicitate parẽ genitori suo Bolcslao Krzywousty nonnulli destinabant, quieturum se de cætero, & reliquum vitæ tẽpus in pace exacturum ratus, ad res vrbanas instaurandas, quæ sub curiu præcedentium bellorum, aut deprauatæ, aut neglectæ erant, animum intẽderat, omnẽ operam pro condendis & ornandis Castris & vrbibus deinceps nauaturus. Sed fatorum inuidia oppressus, & proprium propositum, & ipẽ subditorum, iam de altera felicitatis sorte nimia alacritate plaudentium, non impleuit, ne humanam felicitatẽ supergrediens, & triumphator magnificus, & instaurator magnanimus censeretur. Nam cùm Crac. Vrbe iuxta cõsuetum morem diem S. Floriani patroni loci, & regionis, sub magna deuotione, festiuitateq; solennes, & se dignas oblationes & ostias offerens, exegisset, pauperesq; Christi, & personas miserabiles, Ducali munificentia pauisset, in subsequenti. S Gottardi die Pontifices Barones, & Primos Poloniæ honore mensæ excepit. Vbi inter prandendum sub magna animorum hilaritate venẽre in mentẽ priores expeditiones, laboresq;, & priores frequẽtesq; de hostibus sub Cazimiri auspicijs relati triumphi, venẽre euitata superataq; pericula, & subsequuta tempora emerita & tranquilla, sub quibus se, & securos & beatos gloriabantur. Omnium tamen felicitatum & gloriarum suarum splendorem in Cazimirum Ducem & Monarcham suum referebant, cuius ductu & auspicijs tantum felicitates nacti essent, & bella domi, foriliq; prospere gesissent. Cùm itaq; singuli magnificis epulis opipare tractati, discedere parabant, Cazimirus Dux quasdam pontificibus de statu & immortalitate animæ, de beatorum beatifica fruitione quæstiones proponens, & scrupulosius quo poterat obscurarum latentiumq; rerum circumstantias exquirens, modico exhausto poculo retrorsum elapsus, subita vt ferunt virtute corruptus veneni, amissis sensibus concidit, & sub paucis horis ingrauescente morbo expirauit. Morbo nonnulli extinctum credidere, nonnulli veneno quod illi á quadam Crac: muliere, vt illum ad sui inflammaret amorem & Venerem, ferebant propinatum. Monitus siquidem à Fulkone Pontifice Crac:, quoniam vitare adulterij facinus non horrebat, mortis subitæ per venenum incurrit discrimen. Ex suo autem tàm subito & inopinato occasu, fletus ingens, tùm à consorte & duobus teneris filijs Leszkone & Cõrado, tùm à Pontificibus & militibus in Regia coortus, etiam in Vrbe exaudiebatur. Illum Ducem egregium, illum victorem propitium, illum iustũ iudicem, illum seuerum malis, placabilem bonis, exterminatorem grauaminum & abusionum, latorem optimarum legum, instauratorem denique & patrem patriæ, crebra ingeminatione, & comploratu appellabant.

Quarto

Quarto die comparatis omnibus, quæ ad funebrias Illustrissimi Principis necessaria visa sunt, in Crac: Ecclesia regales illi maximo sumptu atq; apparatu exequiæ habitæ sunt, corpusq; sepulchro, in chori latere edificato, manibus militum iusto honore tumulatum. Singulari probitate, modestia frugalitatè, cæterisq; id genus animi humani ornamentis constat illum in omni vita operam dedisse, impensius, ob morum suauitatem, felicitatemq; naturæ ab vniuersis ordinibus magno desideratus affectu.

Funeralibus exequijs ritè peractis, ad substituendum nouum Principẽ frequens Cracouiæ Conuentus indictus, & habitus est. In quo de surrogando Principe diebus aliquot, varijs diuersisq; votis certabatur. Et Fulko quidem Crac: Episcopus ad milites & multitudinem oratione habita, persuadebat fortissima ratione, nulla cunctatione in eligendo Principe vtendum fore, sed ex duobus Cazimiri filijs attentis beneficijs, quæ in patriam contulerat, alterum in solium paternum quantò celeriùs, & antequàm caliditas Miecslai senis, & aliorum Ducum sedem Crac: ambigentium, quicquam in aduersum moliri possit, euehendum, pendendúq; Cazimiro optimo Principi meritorum suorum & in patriam, & in singulos vicissitudo. Qui etsi domino vocante morte præoccupatus sit, in duobus tamen filijs, etsi non completam, optimam tamen & singularem indolem, & quæ prẽ se ferebat, habentibus viuit. Sed neq; patriæ statum sine Principe, velut apud gregem sine parente duraturam stare, neq; suas & patriæ res, legesq; saluas & incolumes fore, si proprio Principe, & apud se educato contempto, in alterius transeant ditionem. His q; & alijs eleganter propositis, maiorem natu Cazimiri filium Leszkonem decernebant substituendum. Huius sententiæ & Senatus, & maior pars militum assensi forent, vnus ex Baronibus negauit rem boni moris & exempli existere, vt ad gubernandum magnas nationes & populos puer surrogaretur, & infantilis, atq; inexperta ætas forsitan vel processu tẽporis deliratura, vel in regimine Principatus eratura, maturis & prudentibus imperet, illiusq; imprudenti regimine, statũ patriæ, & ea quæ a Cazimiro parta sunt, euersum iri, & regiones, quæ tributa pendunt, ad rebellionem reuerti, opportunitate nacta contingat, placere sibi, vt patriæ magis consulat, quàm pueris, & pro bene regendis rebus patriæ eiusq; quieti, & stabilimento, aut Mácislaus senex maioris Poloniæ Dux, qui & ipse obtinendi Monarchiam potior iure, quàm Cazimirus nuper mortuus censebatur, aut Miecslaus Opoliẽ & Ratiboriẽ Dux sufficiatur, cum sub alterius ex his Principatu & regimine sperandum sit patriam meliores, quàm sub puero effectus habituram. Probabant nonnulli sententiam taliter depromptam, & pedetentim in illam ibant & plures verisimiliter concedebant in illam. Prima quæ à Fulkone Episcopo explicata erat deserta, ni idem Fulko Episcopus Crac: sententiam ipsam refellendo demonstrasset, ea, quæ Baro differuisset, tùm demùm vera fore, vbi ius electionis, ius successionis, non perimeret. In præsenti verò consilio, quo tantummodo de iure succedendi non eligendi quæstio ventilatur, rationes & propositiones propositas,

locum

locum legitimum non habere, cùm acerbum nimis durumq; sit, quandam quoq; inhumanam redoleret tyrannidem, & crudelitatẽ, si filiorum Ducis Cazimiri ad iustam ætatem breui peruenturorum hereditas externo heredi tanda traderetur, cùm diuina Canonica & Imperiali lege filijs non adultis solùm modo, sed etiam posthumis paternæ portionis successio debeatur. Pro retinenda verò salute patriæ, pro manutenenda eius autoritate, pro benegerẽdis eius rebus, repellendisq; aduersitatibus, quid vetat curatores, prouisoresq; eligi? Et illis tàm filiorum Ducalium, quàm patriæ salutem & regimen mandari? Cùm Reges & Principes frequentius per administratorias potestates, & magistratus, quàm per seipsos etiam virilem ætatem consecuti, Regna & Principatus administrent. Accepta est hæc Pontificalis sententia, & omnibus quæ in contrarium allegabantur, abrogatis, consurgunt Proceres, & milites, & voce cælotenus emissa acclamant, viuat, viuat, Leszko Dux & Rex noster in æternum. Ac gradu concito, in talamum ingressi, puerum splendidè exornatum, alba Cæsariæ eum venustante, propter quam & Albus Leszko nuncupationem sortitus est, in publicum educunt, atq; in sede paterna collocatum Principem constituunt, duosq; sibi & Principatibus suis Curatores, videlicet Fulkonem Episcopum Crac., & Nicolaum germanum suum Palatinum Cracouiẽ deligunt, & illis se, donec Princeps adolescat in singulis parituros obstringunt. De hac autem Baronum & militum vniformi concordia, omnium pectora magna exultatio peruasit, gratulãtibus vniuersis pro mortuo Principe Oliuam tám speciosam sibi proluxisse. Quam Nicolaus Crac. Palatinus vir ea tempestate plurimum oculatus, & industrius amplius firmaturus. Nouerat enim vulgaris animos facilè aura frangi, & auerti, primum quidem omnibus in commune gratias agit, pro patriæ, & filiorum Ducaliũ ratione habita quod dignum se & honestum Reipublicæ statum formare studuissent. Et tandem vt in eo seruando, custodiendoq; constantes essent, ne in illius præuaricationem animo fierent procliui, ab vno quoq; iuramenti Sacramentum exigit.

Conradus verò minor natu Cazimiri filius Cristino Palatino Masouiæ cooperante, Masouiam & Cuiauiã cum suis pertinentijs ex integro suscepit.

Russiæ Principes, Conuentu apud Kiouiam celebrato, expeditionem contra Polowconum regiones assidua irruptione vastantes indicunt. Iraq; quamprimũ tempus æstiuale aduenit, Suantoslaus Wszeuoldowic Kiouiẽ Dux, Rurik Rosćislawic, Chleb Suantoslawic, Chleb Iurgieniec Turouiẽ, Wlodimirus Chlebowicz, Mśćislaus Romanowic, Izaslaus Dauidowic, & Wszewoldus Mśćislawic Duces Russiæ. Item milites Halicien Wladimirien & Luceñ per Romanum Ducem Wladimirien transmissi in terram Polowconum aduenium, & die 20. Iunij cum Polowcijs in maxima & forti multitudine in occursum eorum euntibus congressi Polowcos de sua virtute gloriantes, cæde magna in brachio Dei confligunt, & prosternunt, multisq; cæsis, aut captis, paucis verò effugientibus, Castris & tabernaculis eorum potiri, prædis & spolijs onusti victores cum gloria reuertuntur.

Henricus

Henricus Episcopus Pragẽ & Dux Bohemiæ exercitualiter Morauiam ingressus, affinem suum Wladislaum de ea exclusit, deinde tàm ex Bohemis, quàm ex Morauis maioribus copijs adunatis, iussu Henrici Imperatoris, qui Alberto Marchioni Serbiæ infensus fuerat, Serbiam ingressus, eã vastat, & multa relatu indigna, non solum in seculares & agrestes, sed etiam in Ecclesiastica Monasteria ac seruos Dei committit. Parem & ampliorem famam & gloriam, quam Russiæ Duces in Polowconum vastatione consecuti fuerant, Ior Russiæ Dux sibi comparaturus, cum duobus filijs suis de Siewior & Fratre suo Wszeuoldo Olchowic & militibus de Czernieiow & Nowogrod vadit cõtra Polowcos, & quamuis notabiles eorum copias protrauissent, vna tamen victoria non contenti constituerunt ire vltra flumen Don, omne genus Polowconum deleturi, & tanto insigniorem laudem habituri, quanto longiorem, & quam nemo ante illos tentare ausus fuerat, exegissent viam. Interim tamen Polowconum ingens multitudo eis prope Don occurrens, cunctos conflixit & deleuit, neminem ex hac clade superstitem esse sinens. In Russiæ posthæc terras circa Pereaslaw irrumpunt, & omnia castra in flumine Sula comprehendunt.

ANNO DOMINI 1195. Sublimationẽ Leszkonis Albi in Crac. Principatum ex morte Cazimri vacantem, per Fulkonem Episcopum Crac., Cracouienseq; & Sãdomirien milites factam, se neq; auisato, neq; consulto Mtecslaus Maioris Poloniæ Dux molestè ferens, frequenti suorum consilio aduocato, quantum animo ob id consternatus sit, quantis vexetur vraturque cruciatibus, quantam illi, & suis, immaturi pueri in Regnũ, quod sibi debebatur, euectio ignominiæ materiam attulerit, & in posterum allatura sit, edicit, omnem culpam in Fulkonem Episcopum & Crac. milites retorquet, quos propterea Principatum puero mandasse differit, vt Principatus totius administratio penes illos consistat, & appellatione quidẽ vana Leszko Princeps in fascibus appareat, illi reuera actione imperium gerant, & exerceãt ant, & in tenera quidem ac paruula ætate Leszkonem & Conradum Nepotes suos blandè tractari, dùm verò ad maiorem ætatem peruenient deleri illos à Cracouien. Baronibus veneno, & occupari, stirpe Ducali subiata, astruit Principatum. Nec nunc primum Crac. Proceres sed altera vice ignominiosæ exclusionis notam sibi inussisse. Et quamuis pacienter Fratre Cazimiro viuente, vtrumq; tulerit, ciuilem cladem stragesq; domesticas vraturus, eam tamen quæ nuper erupit, nulla ratione passurum, cum multiplici respectu velut natu maiori Crac: sibi quondam non legitime ereptus debeatur Principatus, & cura puerorum nemini magis, quàm sibi, qui alter pupillorum parens sit, contingat, armis eatenus ignominiam, & iniuriã a Crac: sibi illatam rescindendam fore, aut glorioſa morte occumbendum, ne sua despectui & irrisioni habeatur ætas, decreuit, & cum vniuersi propositum animi sui, velut efficax & necessarium commendassent, armari suos omnes in id bellum, quantò celeriùs quantoq; expeditius iubet. Boleslaũ dein-

de Ducem Alium Wratislauien & Miecslaum Opolien, & Ratiborien Duces, Nepotes suos, filios Wladislai exulis. Item Miczugium Ducem Pomeraniæ generũ suum, ad ferendũ sibi personalia subsidia multifaria exhortatione & prece accendit.

Iustius tamen bellum habiturus nuncium ad Fulkonem Episcopum Baronemq; Crac: mittit, requirens & sublimationẽ Nepotis Leszkonis Ducis velut iniustam, & in suum præiudicium atq; dedecus redundantem rescindi, & se in administrationem & Regimen Monarchiæ Polonorum, & Principatus Crac: ãdmitti. Fulkone autem Episcopo & Baronibus Crac: ius, quod sibi ad Monarchiam & Principatum Crac: competere astruebat, iustiori confutatione refelentibus, & se, antequam scita, & decreta sua abrogari, pupillorumq; hæreditates occupari patiãtur, honesta prius morte morituros, respondentibus, Miecslaus senex maioris Poloniæ Dux contra Crac: milites arma sumit, habens in suo comitatu Miecslaum Opolien & Ratiborien, & Iaroslaum filium Nepotis sui germani Boleslai Alti, Wratislauien & Miczugium Pomeraniæ Duces, & filium suum Boleslaum, copiasq; tàm equestres, quàm pedestres, versus Cracouiã Monarchiam resumpturus, alacri & ingenti spe plenus procedit, auxiliaribus Ducibus gradu tardiori agmen suum insequentibus, nullo autẽ pacto credebat Crac: milites secum in dimicationem venturos, sed pactis & conditionibus illum pro Principe & Monarcha abrogato Leszkonis Albi Principatu facile accepturos. Nõ ignari Crac: Barones & milites, quanto studio & cura, qualiq; animo & apparatu, quantis deniq; copijs Miecslaus senex maioris Poloniæ Dux bellũ ipsis indicturus procedebat, arma & ipsi de Principatibus Crac:, Sandomirien, Lublinen, Masouien, Cuiauien, Brestẽ supra Bug fluuium sito, Czerien, Lublinen, Masouien, Cuiauien, Brestẽ supra Bug fluuium sito, Czerisq; Russiæ ons, quæ Cazimiro, dùm viuebat, parebant, expediunt, Romanum insuper Mścislawic Wladimirien Ducem, & filiorum Cazimiri Decis affinem, per Cazimirum multis beneficijs obstrictum in sui suffragiũ accersunt. Tribus quoq; agminibus, quorum vnũ Nicolaus Palatinus Crac: alterum Gouoritius Palatinus Sandomirien, tertium Romanus Wladimirien, alias Lucen Dux ducebant, Miecslao seni maioris Poloniæ Duci, & suis auxiliarijs obuiam procedunt, populationem agrorum, & villarum, quibus iã Miecslaus senex ignem inijci iusserat, prohibituri. Iam vsq; in Andrzeiouien Cænobium, & Oppidum in Crac. Diœcæsi situm, Miecslaus senex cum suo tantummodo exercitu peruenerat, exinde ad fluuium Mozgawa, quatuor à Monasterio prædicto miliaribus decurrentem, statiua posuerat, dùm Crac. militum nunciatur exercitus hostilis aduenisse. In eo itaq; loco infestis aciebus, vterq; exercitus concurrit. Crac. enim milites nondum auxiliares Duces Miecslao scientes aduenisse, ne simul cum omnibus pugnare cogerentur, acies Miecslai faciliorem victoriam consecuturi inuadunt. Et sinistrũ cornu Romanus Dux, dextrum Palatinus Craco: Nicolaus tenebat. Gouoritius Sandomirien Palatinus in subsidijs relictus erat. Ad vesperum diei prælium extractum est, cùm in tertijs ceptũ esset, & miro pugnandi ar-

dore ab

dore ab vtrisq; certabatur, quãuis in vtroq; exercitu fratres cognati, affines, soceri, generi, variarumq; necessitudinum homines constiterant, nemo tamen animum, nemo feruorem belli remisit, nemo fratri cognato, aut amico indulsit, sed mutua se cæde obtruncañ, iuxta, atq; inter infestissimos, & perpetuo odio dissidentes hostes, bellum gerebatur. Quapropter neutra parte referente gradum, strages horrenda, cadauerum vtrinq; edita est. Ad Duces quoq; ipsos, qui suis laturi auxilium, prælio se prælium restituturi immiscuerant, clades peruenit. Boleslaus siquidem Miecslai senis filius, sub patris conspectu lancea traiectus, ex equo desiliens expirauit, Miecslaus senex Maioris Poloniæ Dux à Gregorio milite vulneratus, in mortẽ mucrone crebros ictus repetente agebatur, ni galea detracta se Miecslaum & Ducem, parciq; sibi & misereri postulãdo exclamasset, maiestatis autẽ suæ, & caniciei terrore, miles Gregorius perculsus, non solùm ferro abstinuit, sed etiam ex acie eductum, ne à quopiam alio violaretur, fuga, celeri sibi consulere persuasit. Romanus insuper Mścislawicz Wladimirien Dux pluribus vulneribus aduerso pectore acceptis, dùm suos Rutenos, partim stratos partim fuga dilapsos conspiceret, è prælio & ipse periculum vitaturus declinat. Multis deniq; militibus, de vtraque parte aut occisis, aut vulneratis, prælium direptum est, quòd tàm horrendo, & crudeli marte gestum est, vt vterq; exercitus cruenta referens vulnera, pro victo abierit, & nemo in certaminis loco compertus est, aliter, quàm pectore aduerso cecidisse. Cognata arma, acies fraternæ, vexillorum signa communia, vnius patriæ, vnius linguæ, infestis eò primum tum die bellum gessere animis. Solus Miecslaus Laskonogi Dux eadem die cæteris diffugientibus, in certaminis loco permansit, soluseque sibi soli cessisse victoriam gloriabatur. Vtroque exercitu ex certaminis loco difluente & dilapso. Miecslaus Opolien & Ratiborien Dux, qui & ipse partes Miecslai senis maioris Poloniæ Ducis iuuaturus, tardius egressus, prælio non interfuerat, cum nepote suo Iaroslao Boleslai Alti filio Wratislauien Ducis, & suis copijs, aduenit, eosq;, qui de Miecslai senis exercitu diffugerant, recolligens, in certaminis loco consedit, ac signis erectis quasi victoris in morem constitit. Cui & eã ipsam exultationem Gouoritius Palatinus Sandomirien, ad quem reliqui disturbati Crac: exercitus se applicauerant erecturus, nulla, suorum paucitate & recenti clade perculsus, inita ratione, occurrẽs, acerrimè pugnat, & potioribus de suis amissis, cæteris diffugientibus, numerositatè hostium superatus, in hostiles manus fugere turpe ratus, viuus venit, & longam captiuitatem apud hostes, antequam manu mitteretur, pertulit. Opolien Dux Miecslaus cum Nepote suo Iaroslao, ne iterum à Crac: militibus infectaretur, veritus, ex prælij loco Gouoritium Palatinũ Sandomirien, & nonnullos alios Crac: milites captiuos, spoliaq; relati triumphi secum ferens discedit. Et ab exploratoribus & Nuncijs doctus, Miecslaum senẽ grauiter vulneratum Lectica in Posnaniam deferri, exercitum verò suum & nepotis in Slesiam reducit. Sollicitus de futuro belli ineundi euentu.

Fulko Crac: Episcopus in villa sua Dzierzazna duobus miliaribus à conflictu distante substitit, & inter spem atq; metum positus, obsecrationibus lachrimis suis victoriã cedere precabatur. Aduenit interea ex prælio aliquis fugiens, & Pontifici de exitu belli auidè suscitanti, respondet, magna cæde Cracouieñ: Sandomirieñ, & Romanum Ducem Wladimiriæ cum exercitibus eorum per Miecslaum senem maioris Poloniæ Ducem contritos esse, & tàm Palatinos quàm Romanum in acie cum primoribus cecidisse, Miecslaumq; senem triumphali pompa insignitum, & spolijs atq; signis debellatorũ à se hostium onustum, celeri cursu ad occupandam Cracouiam contendere. Nondum is relationem suam absoluerat, & vnus quidã, itemq; alius & alius diuersum fereñ successisse casu adueniunt. Fulko autem Episcopus, quid veritas contineat gestiens agnoscere, vnũ ex Presbyteris suis sub dissimulato habitu in certaminis locum, singulaq;, & quali ordine acciderint, & quis successus apud Palatinos Crac: & Sandomirieñ, Ducemq; Romanum maneat, exploraturum mittit, iubens eum impigrum, diligentem, & cautum esse. Qui cum pedestri itinere ad prælij locũ ante occasum solis peruenisset, & ab his qui semineces relicti erant, & ab his qui interfectorum, aut exhalantium animas, legebant spolia, percunctata rescitaq; veritate ad Episcopum suum Fulkonem reuersus, singula eo ordine, quo acciderãt, exponit, referens Miecslaum Senem maioris Poloniæ Ducem, & pro nece filij sui Boleslai, & pro vulnere accepto, pro victo discessisse, Gouoritium Sendomirieñ Palatinum à Miecslao Opolieñ Duce & suo exercitu, qui superuenerat, conflictum & captum esse, Romanum Mścislawicz Ducem in Rusiam sauciatum, cæteroq; prout casus quemq; tulit in loca varia abijsse. Et Fulko quidem Episcopus mærore nimio confectus consternatis pupillis & patriæ consulturus, nocte subsequenti Ducem Romanum consecutus, obnixè rogat, quatenus cum his, quæ illum sequebantur, reliquijs Crac. redeat, arcemq; & filios Ducales contra sæuitiam Miecslai senis, quem sperabant supplemento militum habito, ad occupandum Crac. reuersurum, defensurus, sed Romanus Dux, duplici se causa præpeditum respondet, & defectu militiæ quæ aut prælio corruerat, aut fuga defluxerat, & acceptis vulneribus in corpore quæ tumescebant. Quærenti deinde Episcopo, quid in tàm periculoso necessitatis articulo agendum pro incolumitate patriæ optimum & necessarium fore censeret, respondet de capite omnem curam habendam esse, & Cracouiam omnium Prouinciarum Principem & Dominam ab hostili inuasione tutandam, qua salua & incolumi cætera omnia felicius secutura. Id consilium Pontifex Fulko sequutus, dùm altero die Nicolaus Palatinus Crac. instaurato exercitu, magnis ausis ignominiam acceptam ad Mozgauam deterfurus, Miecslaum senem, ne insequi pergeret prohibuit, & ne arx & ciuitas Cracouieñ in aliquod periculum recideret, Cracouiam redijt, & militum præsidio, non solùm Crac. arcem, sed & singula ditionis pupillorũ Castra, ne nunciata clades aliquam procellã excitet, muniuit, & ne nouandi res quisquam ausus sumeret, prouidit.

ANNO

ANNO DOMINI 1196. Fæda inter Miecslaum senem Maioris Poloniæ Ducem & Crac. milites pro Principatu ad Mozgauam gesta dimicatio, fæda insuper clades, per quam multi mortales ciuili bello, & nullam referente triumphum absumpti sunt, diu partem vtramq; sub quiete diffunuit, quasi ex cõposito vtroq; crederes treuga bellum suspendisse. Miecslaum siquidem senem maioris Poloniæ Ducem acceptæ ignominiæ plurimum puduit, quod in prælio inito multos milites, multasq; fortunas, & super hæc omnia charum filium suum Boleslaum perdiderit, & quod ipse nihil ex prælio preter vulnera, filijq; Boleslai cadauer retulerit. Tenebat & Cracouieñ milites ingens pudor, quod nonnulli eorum signis & locis desertis in fugam abierint, & partam propè victoriam è manibus emiserint. Sub hoc autem turbarum publicarum dispendio salutare visum est, Ducissæ Helenæ Cazimiri relictæ, supra sexum muliebrem singulari prudentia pollẽti, fasces imperij & regimen Principatuum committi, Ea conditione adiuncta, vt absq; Fulkonis Episcopi, & Nicolai Palatini Cracouieñ consilio & assensu, nihil in Rebuspub. statuat, innouet, & decernat. Itaq; vsq; ad filiorũ maturam ætatem Helenæ Ducissæ præfatæ arbitrio, & vacantium dignitatum & officiorum magistratus personis idoneis mandabantur, & Ducales cẽsus ac introitus, aut inferebantur in fiscum, aut in Reipub. distribuebantur commoda & profectus, charitate siquidẽ quam erga Cazimiri stirpẽ gerebãt, milites acti, conditionis suæ quodam modo in tẽpus, quod viri essent obliti, muliebri potius subiacere imperio, quàm Ducales filios deserere maluerunt.

Posnanienſis Episcopus Mrokota febri correptus moritur, & in Ecclesia Posnanieñ sepelitur, cùm decem annis regimini Pontificali præsedisset, cui per electionem Canonicam 8. Septemb. habitã, Philipus Canonicus Posnanieñ nobilis Polonus de domo Wieniawa via scrutinij succedit, à Zdzislao Gnesneñ Archiepiscopo Miecslao Duci maioris Poloniæ consentiente confirmatus & consecratus.

ANNO DOMINI 1197. Petrus tituli S. Mariæ in via lata Diaconus Cardinalis Capuanus vulgariter nuncupatus, à Summo Pontifice Cælestino tertio, Legatus de latere, ad reformandam Ecclesiam Polonicam destinatus, venit in Poloniam, qui Cracouieñ ciuitatem ingressurus à Fulkone Crac. Episcopo & omnium Ecclesiarum processione magno honore susceptus est, primam congregationem Crac., alteram in Lubcza agens, deinde in Gnesneñ, Wratislauieñ, Ploceñ, Posnanieñ, Wladieñ, Chelmen, & Lubuceñ, Diœceses se transferens, id præcipuum in Ecclesia reformanda sibi curæ assumpserat, quatenus Presbyteri à mulieribus & concubinis abstinentes, continentem & castam, & quæ laicos ædificare posset, ducerent vitam, cùm plures ea tempestate Sacerdotes vxoribus, velut iure legitimo vterentur. Cuius vsus corruptellam Cardinalis ipse summo studio a Polonica eliminauit, & abrogauit Ecclesia, & Presbyteris vxores accipere, & tenere sub grauissimis pænis interdixit, Laicis verò quacunq; excellentia pollentibus, connubia sua in facie Ecclesiæ contrahere instituit. Et hæc quidem salubris

præfati Petri Cardinalis constitutio, facilè á Polonorum Clero, & ab vniuersa Polonica Ecclesia accepta, & accurata diligentia custodita, seruataq; est, à Bohemis tamen Cleroq; Bohemico, apud quos Cardinalis ipse legationis etiam officio fungebatur, non solùm repudiata, sed parum abfuit, quin Cardinalis ipse constitutionem ipsam Ordines in Sabbato ficientes celebraturus, promulgans, & Presbyteros ad castitatis votum compellens violaretur. In cuius occisionem Bohemici sacerdotes grassari Pragæ ceperunt, nisi illorum improbos conatus Episcopus Pragen Henricus Ducalem tunc obtinens in Bohemia potestatem oppressisset. Non solùm autem in his sed in pluribus alijs Cardinalis ipse prædictus Polonicam Ecclesiam Pontificibus & Clero benevolis se præbentibus, ad singula reformauit.

Wladislavien Episcopus Stephanus cum annis sex sedisset, moritur, & in veteri Ecclesia Wladislavien sepelitur. In cuius locum Agerius natione Italus per electionem capitularem ab Innocentio Tertio prouisus successit. Valido languore Henricus Pragen Episcopus & Dux Bohemiæ correptus 17. Calend. Iulij moritur. In ægritudine tamen positus Præmislaum Ducem consanguineum suum, quem de Ducatu Bohemiæ eiecerat, in ipé mortis suæ Ducatum occupare molientem, per gentes suas conflixit, & de Bohemia fugauit, quamuis & parti suæ non incruenta prouenerit, multis cadentibus, victoria. Post mortem verò suam Dux Wladislaus Præmislai Ducis germanus, à vinculis, quibus propter germanitatem Præmislai, velut suspectus detinebatur, solutus, fauore militum in Ducem acceptus est. Verùm dum Ducatum prædictum mensibus 5. tenuisset, Præmislaus germanus suus collecto ex Bohemis & Almanis exercitu, venit in Bohemiam, pro principatu certaturus, Wladislaus autem quamuis maiori potentia gentium fultus esset, noluit velut vir pacificus in dimicationem cum Fratre venire, sed missis Comitibus & Baronibus pacem & fœdus cum Fratre inijt, fortéq; Moraviæ contentus, Præmislao de Ducatu Bohemiæ excesit. Qui à Philippo Romanorum Imperatore Friderici Secundi Fratre, quem Romana Ecclesia non accepit, accepit Diadema.

ANNO DOMINI 1198. Wladimirus Halicien Dux beneficio, brachioq; Cazimiri olim Poloniæ Ducis & Monarchæ, ad Halicien Principatum, à quo per Pannonios deiectus fuerat, restitutus, morte absumptus, dùm nullum superstitem reliquisset hæredem, magnam inter Leszkonem & Conradum Polonorum Duces eorumq; curatores, Crocovien q; milites ab vna & Rutenos, Rutenorũq; Duces partibus ab altera, dissidi suscitauit, procellam, iure quidem & æquitatis ordine, fœdere insuper cum Cazimiro Polonorum Duce per Wladimirum, dùm restitutus esset, icto, Halicien Principatus ad Poloniæ Regnum, & ad filios Cazimiri, super quo & Halicien milites sacramento addicti erant, debebat deuolutus censeri, multorũq; Principum Russiæ Ducatum prædictum sibi in feudum dari deposcentium ambitio, plures seditionum rumores concitatura videbatur. Ad quos ante-

quam latius serperent opprimendos, Nicolaum Palatinum Cracovien cum copijs tàm equestribus quàm pedestribus in Haliciam ad prouidendum de Ducatus vacantis statu, & vt in formã redigi, Regnoq; Poloniæ vniri posset, ordinandum mitti placuit. In lachrimis illicò Leszko Dux resolutus, ne se desereret, sed in illius expeditionis Comitem eum assumeret, primùm Curatores, deinde Consiliarios singulos blandis herens amplexibus precabatur.

Et dùm tàm mater Ducissa Helena, quàm Consiliarij resisterent & latius illum in aula interim manere persuaderent. Quantum inquit refert quod signa muta, & animi sensu carentia vobiscum itura sunt, & ego Dux vester iturus, relinquo. Assumite precor me, vt virorum contubernio fortium fortis euadam, quoniam inter fœminarum greges me tædet pudetq; amplius esse. Quod si non impetro sequar, vel vno tantummodo Comite contẽtus vestra vestigia. His alijsq; sermonibus suam indolem futuram exprimẽbus vsus, consiliarijs animum Ducalẽ certatim efferentibus, vt se assumerent, peruicit. Insequenti itaq; militum numero, dùm in Halicz peruenisset, Halicien illi primum occurunt, & velut Dominum suum legitimum deuotiùs suscipiunt & adorant, Idq; primùm ab eo precãtur, vt solus illis imperet, solus Halicien administret regatq; Principatũ, aliorum Russiæ Ducũ execraturos se, vel honesta prius morte perituros, pronunciant ditionem. Collaudatos & blãdè habitos Dux Leszko præcedere iubet, verùm illi Leszkoni & suis curatoribus infensi, quod rumore vulgato cognouerant, Romanum Mścislawic Ducẽ Wladimiriæ sibi pro Duce & præside Leszkonem locaturum, armis correptis obuiam Leszkoni, vt hosti procedunt. Sed cum leui negotio primæ eorum turmæ fusæ fugataq;, postremæ quoq;, in quibus erat ingens peditum multitudo, metu perculsæ, fuga dilapsæ essent, & Leszko ad oppugnandum Halicien Castrum properaret, Halicien missis caduceatoribus, petita obtentaq; venia portas castri Leszkoni aperiunt, & omnia quæ imperaret, se facturos repromittunt. Plenam & castri & totius Halicien Ducatus Leszkone Polonorum Duce possessionem consequuto tùm demùm inter competitores de Ducatu Halicien, Russiæ Duces, in altius certamen res venit, & post longa litigia inter eos ventilata, cæteris à proposito resilientibus, solus Romanus Mścislawic Wladimirien Dux, mortui Halicien Ducis nepos germanus, sibi Ducatum Halicien conferri ratione & respectu multiplici deposcebat. Hisq; cæteros Duces Russiæ à petendo Ducatu Halicien, tùm rogando & persuadendo, tùm terrendo auerterat. Apud Ducẽ quoq; Polonorum Leszkonem & suos Consiliarios in præfato Ducatu Halicien petendo, multiplicibus ingenijs vsus, supplicationem suam quotidie nouis adminiculis subornabat, iniquum esse ducens, vt patrui sui germani hereditas ad alium, quàm ad se peruentura ampliorem sibi mortis patrui causaret dolorem. Neminem præterea vt se adeò meritum inter Duces cui beneficium illud præstari æquum esset cum merita sua in Poloniam & Ducẽ Leszkonem præstita recentia stigmata, ad Mozgauam accepta, & plures sui milites illic desiderati testarentur. Adiungebat his causis minas iniuriam su-

am si à

am ii a Ducatu Halicienſi, & forte patrui excluderetur armis & omni hoſtilitate facultateq; ſe vociferans vlturum. Difficilis apud Leſzkonem Poloniæ Ducem & Conſiliarios ſuos huiuſce rei deciſio viſa, conſummatione illius in plures dies (ſub quibus Dux Romanus ſubmiſsius ſe gerens Halicieñ Ducatum, non iure, ſed precariò, non in proprietatem & titulũ, ſed in procurationem & regimen temporaneum ſibi petebat mandari) extraxit. Nemo erat ex Conſiliarijs Polonorum, cui ſatis placeret tàm fœcundum Ducatum Romano ſatis inter Rutenos diuiti & potenti, ne in ſuperbiam calcitraret erectus, & ex ſubdito hoſtis infeſtus fieret conferri, ſed Ducatum ipſum Polonorũ Regno velut neceſſarium, pluresq; allaturum cõmoditates vniri, Halicieñ inſuper Baronum & militum querellis & precibus mouebantur, qui ſibi callidum & verſipellem Principem varia tyrannide in ſe vſurum dari & præfici abhorrebant. Offerebant præterea Leſzkoni Duci Polonorũ, ſi in formam Prouinciæ redacti Romano non committerentur, auri, argenti, gemmarum, veſtium, equorum, boum & armentorum certam quantitatẽ Annis ſingulis penſuros. Mouebant iſta Leſzkonem Principem, & Polonorum Conſiliarios, reſpectus tamen futuri cum Romano, ſi refutatum iri ſuas preces contingeret belli, & ſuper impendens à Mieciſlao ſene maioris Poloniæ Duce hoſtilitas, ne pro vno & eodem tempore à fronte & tergo vrgerentur, Leſzkonem Ducem & Polonorum Conſiliarios peruicit, vt proprijs cõmoditatibus & cæterorum Ducum Ruſsiæ, & Halicieñ militum petitionibus neglectis, Halicieñ Ducatum Romano Wladimirieñ Principi ſubiectum, illum fidum ſibi putantes futurum conferrent, ipſumq; tunc de Ducatu præfato inueſtirent, & illius poſſeſsionem, non ſine Halicieñ amaro cruciatu, multiplex malum ſibi ominantium, traderent, Romano fidem deuotionem, & obedientiam in Ducem Polonorum Leſzkonem, æquitatem verò & iuſticiam in Halicieñ milites, & ſubditos, ſe iureiurando altrinſecus gente, & vouente cuſtoditurum. In hunc modum Halicieñ rebus compoſitis, Leſzko Dux cum ſua militia Cracouiam repetijt. Boleſlaus vnus ex filijs B. Hedwigis & Henrici cum barba Ducis Wratiſlauieñ ſubſtantiam paternam celebrato cum Fratribus Henrico & Conrado Criſpo, Ducibus Wratiſlauieñ patre permittente diuiſione, adeptus, Ducatum Lubucenſem, qui illi forte obtigerat arcem cum eius territorio Marchionibus Brandeburgeñ pro certa ſumma pecũniæ luxuriosè & prodigaliter viuẽs perpetuò vendidit, ex quo tempore præfatus Ducatus & Epiſcopatus eius Lubucenſis inſignis à Poloniæ Regno abſtractus, & ſequeſtratus, ac perperam, & iniustè Marchionatui Brandeburgeñ applicatus eſt, non ſine Regni Poloniæ notabili mutilatione vſq; in noſtra tempora durante. Adeò autem præfati Boleſlai Ducis malitia & tranſgreſsio progreſa eſt, vt in Oppido Sroda & in Cæmiterio Parochialis Eccleſiæ eiuſdem Oppidi Octingenti homines ipſo cauſam & occaſionem præſtante, flaminis incendio pergerent.

Cæleſtinus Papa Tertius, cùm annis ſex, mẽſibus ſeptẽ, diebus vndecim ſediſſet, Romæ moritur, & in Eccleſia S. Petri ſepelitur, cui Lerantius alias

alias Lotargius appellatus Innocentius Tertius natione Campanus ex Patre Traſimundo, quamuis ætate iuuenis, ſed ſcientia Diuina atq; humana acutus, in omnium conſpectu gratioſus, Vigeſima Secunda die mẽſis Februarij ſuccedit.

Eodem inſuper Anno in die S. Michaelis Henricus Imperator cùm annis vndecim imperaſſet apud Panormũ in Sicilia moritur, & Neapoli inſignitèr ſepelitur. Hunc pleriq; Annaliũ ſcriptores aſſerunt in fine vitæ ſuæ magnũ hoſtem & aduerſarium Eccleſiæ fuiſſe, & nonnullos Epiſcopos, qui nequitiæ ſuæ aſſentire noluerãt, (obquam cauſam graui anathemate Apoſtolico inuolutus fuit) trucidaſſe. In ſubſtituendo Imperatore, cùm Principes variaſſent, & Colonieñ atque Treuereñ Archiepiſcopi Ottonem Comitem Pictauiæ filium Henrici quondam Ducis Saxoniæ, Moguntineñ verò Archiepiſcopus cum alijs, Philippum Ducis Sueuiæ fratrem Henrici Sexti Imperatoris elegiſſet, grauiſsimus bellicus ſtridor, & permiſcua atq; miſerabilis vaſtatio, & cædes in Germania penè vniuerſa coorta eſt, incendijſque Almania fumabat. Philippus ius electionis de ſe factæ roboraturus, plures Almaniæ Principes ſibi conciliat, Bohemiæque Ducem Premiſlaum in ſui ſuffragium vocat; quem vt propenſiùs ſibi obligaret, in Regem creat, & ſub ſui in Bamberg præſentia, vel vt quidam ferunt, in Moguntia coronari in Bohemiæ Regem per Archiepiſcopum Mogntineñ procurat. Cuius freſusauxilio, Colonieñ Archiepiſcopatum, & alias Almaniæ ſibi aduerſas partes crudeliter deuaſtat.

Innocentius autem Papa odio habens Philippum, quòd frater ſuus Henricus Imperator multis contumelijs & iniurijs apud Siciliam Pontifices, & Sacerdotes Dei affecerat, Ottonis partes ſtudioſiſsimè promouebat. Cuius etiam mandato ipſe Otto Corona prima apud Aquiſgranum fuit inſignitus, & Philippus velut iniuſtus Imperij inuaſor anathematiſatus.

Franciſcus aliâs Franko, qui alio nomine Swantko appellabatur, Wrathiſlauieñ Epũs, qui cùm annis 17. ſediſſet, moritur. In cuius locũ Iaroſlaus Dux filius Boleſlai Albi Ducis Wrathiſl: Patre ordinãte & dirigente ſuccedit, à Zdziſlao Archiepiſcopo Gneſneñ confirmatus & conſecratus. Hic Iaroſlaus de conſenſu paterno Eccleſiæ Wrathiſlauieñ terram Niſeñ perpetua donatione contulit & inſcripſit in dotem, per communes Barones reconciliatus Patri, quẽ iuuenili ambitione feruens, & propter odiũ Adleidis Nouercæ, cùm filios ex ea ſuſceptos videret, à Patre ſibi præferri, nonnulis militibus id facinus nutriẽtibus, de Ducatu Wratiſlauieñ expulerat. Hic etiam Iaroſlaus donationem decimarũ noualium per Zeroſlaum prædeceſſorem ſuum Monaſterio Lubeñ in toto Territorio Legniceñ factam, velut menſæ Epiſcopali plurimum nociuam irritam fecit.

Rutenorũ Dux Suãtoſlaus Kiouieñ moritur, & in Eccleſia S. Cirilli, quã Pater ſuus Czernicow: Dux fabricauerat, ſepelitur. Poſt cuius mortẽ Runk Roſciſlawicz Dux apud Kiouieñ principatum cæpit, ſed cùm per Kiouieñ temporis proceſſu pulſus eſſet, ad Polowcos confugit.

ANNO Domini 1199. Halicieñ Prouinciam Romanus Wladimirieñ Dux, fauore, liberalitate, & largitione Leskonis Albi Polonorum Ducis consecutus, Halicieñ primum cepit blandus esse, mox infestus, & ad extremum truculentus, nec sua sponsio, fidesque, quam de regendo Halicienli Principatu in iustitia & æquitate Duci Polonorum Leskoni præstiterat, fuit constans & diuturna; sed iureiurando & fœdere præuaricato, primos Haliceñ nil hostile de illo suspicantes, ad se vocatos captiuat, è quibus quosdam publicè trucidat gladio, alios infodit mergitq; labulo, alios membratim discerpit, alios excoriat, alios exenterat, plures quasi lignum ad statuam ligatos missilibus cõficit, varioq; mortis genere interimit. Cùm autem occisorum militum affines, consanguinei, & filij, & ferè vniuersa nobilitas, tàm fœda crudelitate perculsa, in vicinas Regiones diffugisset, omnem suis eiulatibus & querellis in Leskonem Polonorum Ducem & Polonos, quod sibi tàm efferum nil præter humanam effigiem humani habentem Principẽ præfecissent, culpam retorqnentes. Romanus suis artibus vsus, exquisitis blandimentis & promissionibus illos euocat, & parumper in honore & fauore habitos, varijs tandem excruciatos interficit tormentis, & ferè vniuersam Halicieñ nobilitatem tyrannide sua necat, & extinguit, solitus eo pro excusando suo scelere, quasi solenne quodam & cælestе oraculum existeret, vti proverbio: neminem melle apum nisi prius examen oppressérit, secure vesci posse. Tantum autem terrorem sua truculentia & tyrannide, non proprijs tantummodo, sed & finitimis ingesserat, tantum sibi famæ & potentiæ breui quæsierat, vt facile omnibus Rutenorum imperaret Prouincijs, & singulos Rnssiæ Principes haberet tributarios & subiectos. Quæ res ne in Polonorum perniciem verteretur, sæpè Polonos affligebat Romani tyrãnidem in se quoque ominantes aliquando recisuram.

Miecslaus senex Maioris Poloniæ Dux, qui post cladem ad Mosgauam acceptam pacificus constiterat, ad res per bellum, & controuersias gerendas animum inclinat, & in Cuiauiensem Prouinciam, quæ de Leszkonis & Conradi filiorum sorte Casimiri erat, velut Principatibus suis confinem, ex propinquitate & opportunitate occupat, & in suam redigit ditionem. Quæ quidem iniuria à Letzkone Duce, & suis Curatoribus repressa tunc non est, quoniam & ciuile bellum verebantur nouas clades iterum pariturum, & atrox concertatio dissensioquè inter Nicolaum Cracouiensem de domo vulpium, & Gouoritium Sandomiriensem Palatinos, de domo Rauitarum ab æmulatione & liuore orta interuenerat, in eumque processerat ardorem, vt post plura seditiosa litigia, Gouoritius Sandomirieñ Palatinus hostis sui Nicolai Palatini Cracouieñ potentiã perhorrescens, in Bohemiam ad Fratres & cognatos domus suæ (beneficio Ducis Bohemiæ in sedes suas & hæreditates, eo tamen pacto, vt veteribus insignijs abrogatis in signum patratæ fraudis Asciam in Bohemico vulgari Baradaticam, in Polonico Oxam vocatam, pro armis deferrent, restitutus) exulare cogeretur.

Zdzislaus

Zdzislaus Gnesneñ Archiepũs cùm annis sedecim sedisset, moritur, & in Ecclesia Gnesneñ sepelitur. In cuius successionem, etsi Capitulares Thomam Archidiaconem Gnesneñ elegissent, Mieczslao tamen & Wladislao atque Ottone Maioris Poloniæ Ducibus instantibus Frater Henricus dictus Kietlicz Ordinis Minorum, Monasterij S. Iacobi Wratislauiæ ordinem professus, ex patre Theodorico Duce Bremeñ, & Eudoxia Ducissa Poloniæ genitus, licet renitens eligitur per Innocentium Papam Tertium, aut vt alijs placet per Martinum Quartum prouisus, Morauiæ Princeps propinqua cognatione, & B. Heduigim gradu tertio contingens.

Nono Calend. Maij, Bela Vngariæ Rex cùm annis viginti & tribus regnasset, moritur & in Alba Regali sepelitur, cui filius eius Emericus successit, communi & conformi Prælatorum & Baronum consensu, in solium paternum euectus, sed paruo regnauit tempore.

ANNO DOMINI 1200. Cuiauieñ Ducatu iniustè per Miecslaum Senem maioris Poloniæ Ducem occupato, Miecslaus ipse ad occupandum Crac: Ducatum & Polonorum Monarchiam animum omnesq; conatus intendit, & quia arma, quibus id primum assequi volebat, minus illi prospere cesserant, astu & dolis, quæ omnium armorum potentiam extinguunt, sperat se haud dubiè consequuturum. Fulconem itaq; Episcopum, & Nicolaum Palatinum Crac: germanum eius, cæterosq; primi ordinis & dignitatis viros, tùm per se magna comitate, tùm per literas & nuncios vana largitione sollicitat, quatenus illum filijs præsertim Casimiri Ducis Leszkone & Cõrado, nondum epheborum annos excedentibus, alienatis, in Polonorum Monarcham assumant prosperam & tranquillam vitam sub illius ditione acturi. Verùm cùm animos virorum huiusmodi blandicijs expugnare non posset, quippe magna charitate erga pupillos effecti, quidquid per Mieczslaum senem ingerebatur, surdis auribus excipiebant, ad matrem puerorum Ducissam Helenam Casimiri relictam, se totus conuertit, facilè sperans, quemadmodum successit, suis se calliditatibus, illam ad vota sua inclinaturum. Reijciebant etenim in illam Barones, quos Mieczslaus prece aut precio pertentauerat, sui consensus facultatem. Suggerit itaque Helenæ Ducissæ, atque suadet, vt patiatur sibi Principatus, & Monarchiæ Polonorum fasces deferri, stabilitura ex hoc Regnum filijs, & maximas commoditates & profectus perceptura, se quidem, ad quem velut natu maiorem Monarchiæ deuolutus censetur Principatus, dissentiente, non posse filios Casimiri neq; pacificè, neque legitimè in Principatu Crac: qui solio Monarchiæ reseruatus est, consistere, sed pro illius ademptione iniusta, nunquam se, & filios suos quieturum. Vbi tamẽ Ducissa Helena de Ducatu præfato cedere consenserit, velle se & filios Casimiri Lesconem & Conradum Nepotes suos primum adoptare in filios, deinde illos militari cingere balteo, Cuiauieñ restituere Prouinciam & Regnum Polonicum perpetuò illis, vt se mortuo, Principatus eorum non possit neque à filijs suis, neque à quoquam

alio reuocari in dubium, ſtabilire, neq; aliter poſſe illos iuſtè & tutè in Regnum ſuccedere, neque ſucceſsionem poſſe eſſe ſtabilem & diuturnam, ſi ab ipſo firmata & ſtabilita non fuerit; cùm huiuſmodi ſtabilimenti robur ex eius arbitrio & auctoritate pendeat. Ea verò quæ morte Caſimiri Fratris ſui ſequuta, de filijs ſuis ad Principatum & Monarchiam per Fulconem Epiſcopum & Barones electio & ſubſtitutio facta eſt, fragilis & ridiculoſa, nullũ penitus duramentum, ſi à ſe ratificata non fuerit, habitura, conſiſtat neceſſe eſt. Attendat præterea ſe ſenem & decrepitum, paruoque temporevicturum eſſe, & pro breuiſsimi temporis ſpacio non cunctetur de Ducatu Cracouieñ excedere, fructum multiplicis vſuræ filijs adiectura. His Helena Duciſſa crebro expugnata ſermonibus, facilitate muliebri omnia, quæ in dolo à Mieczſlao diſſerebantur, incredulitatem admittens, Fulcone Epiſcopo, Nicolao Palatino Cracouieñ cæteriſq; Proceribus, ne quicquam renitentibus aduerſantibuſq;, de Cracouieñ Principatu cum Leskone & Conrado filijs excedere, ſub pactis per Mieczſlaũ ſenem propoſitis, dummodo tamen ea ſe iureiurando obſeruaturũ aſtringeret, conſentit. Conſtituitur deinde ad hæc confirmanda B. Bartholomæi Apoſtoli dies, pro qua dùm Cracouiã, prout inter Helenã Duciſſã & Mieczſlaũ Ducẽ conuenerat, frequens Prælatorum & Baronum multitudo conueniſſet. Mieczſlaus ſenex facta promiſſa reſumit, Leskonem & Conradum in filios ſe adoptaturum, Cuiauiam ſe illis reſtituturum, Regnum ſe abſumpto ſtabilituru promittens. Quæ non ſolùm à Mieczſlao ſene, ſed etiam ab vtriuſq; partis Proceribus iureiurando, tunc in manibus Pontificalibus ſancita ſunt. Id vtraque parte laudante addictum, vt ſi aliquis pacta taliter percuſſa præuaricari, violare, infringere, & irritare, aut in earum violationem, & irritationem cõſulere, & aſſentiri præſumpſerit, per Gneſnenſem Metropolitanum, & quemlibet alium Prouinciæ Gneſneñ Pontificem anatematis innodetur opprobrio, Diuina vltione, per cuius nomen falaci cordi iurauerat puniendus. Icto huiuſmodi fœdere Duciſſa Helena cum Leſzkone & Conrado, multis Baronibus eam proſequentibus, ſecedit ex Cracouia Sandomiriam, reliquos Principatus & ſortes filiorum ſuorum gubernatura, Miezſlaus autem ſenex Monarcha Polonorum effectus, Cracouieñ ciuitatis, Arcis, & Ducatus accipit poſſeſsionẽ, & poſt paucos dies in Oppido Bitomieñ Caſtrum forte ædificat, vt Cracouieñ milites in fide contineat, & in rebellionis euentum propinquũ habeat præſidium, quo tutus diuertat. Tunc etiam Gouorcius Palatinus Sandomirieñ ex Bohemia amicorum literis reuocatus, reuertitur, & apud Leſzkonem & Conradum primum ſortitus locum, Nicolai Palatini Cracouieñ Principatibus diuiſis, hoſtilitatem cum vterque ſub diuerſo Principe conſtaret, non verebatur.

Quinta die Menſis Maij terræmotus in Polonorũ Regione, vicinisq; Regnis & terris ſub meridiano tẽpore exortus, & frequẽti dierũ ſpatio reſũptus; pluresq; turres, domos; & munitiones attriuit. Quæ res raro in Polonia cõtingens, velut prodigioſa, & apud pleroſq; in religionẽ verſa videbatur.

Conſtan-

Conſtantinopolis Græcorum ciuitas, in qua tunc Aſcharius imperabat, à Venetis & Francis capitur. Cuius captio longo tempore non credebatur, eò, quòd fatale fuit, eam non niſi per Angelum capi poſſe, ſed hoſtibus per murum, vbi Angelus pictus erat intrantibus, veritas fati, & equiuocatio erroris, tùm primum notata eſt. Aſcharius autem Conſtantinopolitanus Imperator capta Vrbe, verſus Ponticum mare, Terſonam trãſijt, & abinde poſtea Galatiam alias Halicieñ Prouinciam, quæ eſt pars Ruſſiæ ſub Polonorum Regno conſiſtens, peruenit, & à Romano Ruſsiæ Duce benignè & humanè ſuſceptus, tractatus, atque habitus aliquanto tempore illic permanſit.

Adleida virgo Religioſa & filia deuota Cazimiri olim Crac. & Sandomirieñ Ducis Monaſterium Fratrum Prædicatorum ſub Titulo S. Iacobi in Oppido Sandomirieñ fundat, & erigit. Quæ in virginitate Deo ſeruiens, cùm Anno Domini 1200. Octauo Decembris diem obijſſet, in eodem Monaſterio ſepulta eſt.

Emericus Vungariæ Rex cùm vix anno Regnaſſet, moritur, 8. Calend. Decembris in Eccleſia maiori Agrieñ ſepelitur. In cuius locum filius eius Ladiſlaus ſuffectus eſt, Coronatus 7. Calend. Decembris.

ANNO DOMINI 1201. Alterum iam annum Miecſlaus Senex in Monarchia & Principatu Crac. agebat, nondum tamen ex multiplicibus promiſsis & pactis Leſzkoni Duci & genitrici illius Helenæ Duciſſæ ſatis aliquod impleuerat, ſed nec Cuiauieñ terram ſuperioribus annis iniuſtè occupatam reſtituerat, ſed vafro vſus ingenio interdum publicas occupationes, interdum corporis valetudinem in ſui excuſatione opponebat. Tùm primum Duciſſa Helena Cazimiri relicta ſe à Miecſlao ſene circumuentã & deluſam vaniſsimis promiſsis querebatur, tùm etiam cepit agnoſcere muliebres ſuas actiones & conſilia, quibus in id ludibrij ventũ erat, virorũ conſilijs, quæ id maximè improbabãt longè inferiora, & minus tuta fore. Nondum tamẽ omni ſpe, quàm ex promiſsis Miecſlai ſenis cõceperat, depoſita, in Cracouiam adueniens, Miecſlaũ priuatim primùm, deinde publicè conuenit, vt pactorum ſecum & cum filijs ſuis initorum memor Cuiauieñ terram eis reſtituat, militari cingulo vtrumq; cingeret, & Monarchiæ atq; Principatus Crac: hæredes ſe moriente ſcribat. Verùm Miecſlaus ſenex, (vt erat, vir verſutiarum plenus) placidis primum Duciſſam, Helenã relictam Cazimiri, glotem ſuam habitis ſermonibus ſatis reſtare, aſſerit, quo hæc perfici poſsint, de tempore deinde vbi muliebrem importunitatem vidit. Eo reſponſo non contẽta fortius de pactorum violatione queri, reſpõdet, pacta ampliorem violationem ſumptura, ſi filijs proprijs, & debitã iam non ætatem tantũmmodo, ſed & prudentiam honeſtate neglecta Nepotes immaturos, & ephebos anteferat. Sed nec potuiſſe priuatis pactis filijs ſibi legitimè ſucceſſuris, ius publicum ſucceſsionis tolli, aut eneruari. Abiret, proinde, & intelligeret ius publicum iure priuato non poſſe con-

uelit, nec à se alios creari, aut scribi hæredes, quàm eos qui ex lumbis suis procedentes, quamlibet aliam creationem minimè forent laturi. Eo respõso Helena Ducissa, & violatum pacta, & preces suas repudiatum iri, dinoscens, tristis & gemens in Sandomiriam reuersa, plures ex Cracouieñ Baronibus, quorum fida quondam consilia neglexerat, per Nuncios & literas, ne tàm notoriam iniuriam sibi, & filijs suis illatam, inultam esse sinant, & filios suos in Principatum Crac: restituant, obsecrabat, promittẽs de cætero nil se, nisi ex eorum arbitrio in rebuspublicis acturam. Promouebat autem petitionem huiusmodi, non solùm filiorum Cazimiri charitas in pectoribus singulorum, ex beneficijs paternis viuens, sed etiam Miecslai senis odium, qui vt securius in Cracouieñ imperaret Principatu, aliquos Barones ex veteribus possessionibus ad se illas asserens, pertinere, deturbauerat, & Nobilibus ex maiori Polonia, quasi magis sibi fidis, illas, & publicos magistratus, atq; officia contulerat, pluresq; credebatur temporis processu firmato solio deturbaturus. In perniciem itaq; & exclusionem Miecslai senis facilè exulcerati, omnium animi consentiunt, & Miecslao in terras maioris Poloniæ diuertente Nicolaus Palatinus Cracouieñ arce Cracouieñ occupata, Leszkonem album & matrem eius Helenam Ducissam in Cracouieñ Principatum introducit, & omnium illi animos studiaq; conciliat, Officiales & Præfectos Miecslai, & quoscunq; illi fauere nouerat iubens post illum in maiorem Poloniam transmigrare. Et licet omnia Castra & munitiones Crac. Principatus Leszkoni parerent, solum tamen Bitomieñ Castrũ pro Miecslao sene tenebatur, in quod Miecslaus Dux fortissimum militum præsidium transmittens, Cracouieñ Prouinciam, spolijs, prædis, & rapinis, cæterisque incommodis vexare non omittebat.

Præmislaus Bohemiæ Rex prima & legitima sua vxore Adla sorore Marchionis Misneñ repudiata. Constantiam Regis Vngariæ Belæ sororem accepit in vxorem.

Decimo Calendas Februarij Iaroslaus Episcopus Wratislauiesis filius Boleslai Albi Ducis Wratislauiæ moritur, cùm Ecclesiam Wratislauiensem triennio vix exacto, gubernasset, & in Ecclesia Wrath. sepelitur. Cui Ciprianus Episcopus Lubuceñ, qui Abbas S. Vincentij extra muros Wrath. existens in Lubuceñ Episcopũ promotus fuerat, Canonicè postulatus succedit & ab Innocentio Papa tertio confirmatus, & post paucos dies Boleslaus Altus Dux Wrath. filium suum Iaroslaum sequutus 8. videlicet Idus Decembris moritur, & in Monasterio Lubcũ sepelitur. Hic cùm duas vxores habuisset, videlicet Venceslauam Rutenam, & Adleidam sororem Imperatricis, coniugem videlicet Conradi Secundi Imperatoris, ex Venceslawa quidem Iaroslaum Episcopum Wratislauieñ & Boleslaum filiamq; Algam nomine genuit, ex Adleida verò Henricum cum barba vocatum, Conradum Ioannem, & filiam Adleidam, quæ Dipoldo Marchioni Morauiæ fuit matrimonialiter copulata, suscepit. Sed omnibus filijs Boleslai Alti immaturè obeuntibus, & in Monasterio Lubeñ sepultis, solus Henricus cum

barba

barba superstes exittens Patri in Wrath. Ducatu, & in alijs Dominijs successit. Secundo genitus enim suus Boleslaus, dùm pro militia consequenda oras & regiones visitaturus se præparasset, 15. Calend. Augusti obijt Conradus Tertio nonas Iunij, & Ioannes Sexto Idus Martij fatis absumpti. Erat itaque Henricus cum barba, non solùm Ducatuum Poloniæ à Patre relictorum integritate conspicuus, sed etiam splendido, & raro coniugio Heduigis consortis suæ, filiæ Bartoldi Morauiæ Ducis celebris & clarus, quæ admirandis iam tunc fulgẽs virtutibus sanctitatis suæ decus longè lateq; diffundebat.

Ladislaus Vngariæ Rex cùm exiguo tempore regnasset, Non: Maij mortuus, & in Alba Regali sepultus. Post cuius obitum Andreas filius Belæ tertij adeptus est Regnum, in die Pentecostes fauore omnium coronatus. Huic erat coniunx Gertrudis filia Bartholdi Morauiæ Ducis, soror germana S. Heduigis, quæ tres filios videlicet Belam, Colomanum, & Andream, & vnam filiam, videlicet B. Elizabet produxit.

ANNO Domini 1220. Cracouieñ Principatu Miecslaus senex Maioris Poloniæ Dux graui molestia & dolore se querens, Baronum Cracouieñ dolo & iniquitate exutum ad repetendũ illum, animum & cogitationes intendit. Armorum autem via, velut quæ multas secum difficultates, modosq;, & casus fortuitos ferebat obmissa, ad ingeniorũ viã, plus cõmodi minus impensæ habiturus, se totum conuertit. Et Baronum quidem Cracouieñ pertentatis exploratisque animis, dùm spei suæ omnibus Principatum suum execrantibus non responderet effectus, ad nota & trita redit ingenia, & Ducissam Helenam Leszkonis & Conradi matrem Casimiri relictam, blandioribus quàm ante conuenit sermonibus. Et primum quidem suspitionis facinus ex transgressione prioris fœderis, quãtum valet extenuat, deinde muliebrem animum amplissimis promissionibus onerat. Non ex me, inquit, glos charissima fœderis inter nos icti conditiones putes neglectas, aut violatas esse, ad quarum executionem continuò ferebar, & nunc feror ardore, sed Cracouieñ Procerum, quod seruatæ & impletæ non fuerint, scias iniquitate effectum, qui non sinebant me procedere ad illorum executionem. Nec alia extat meæ expulsionis ex Principatu Cracouieñ causa, nisi quod me senserant eorum consilijs neglectis, ad obseruandum conditiones in fœdere expressas, processurum. Fides itaque mea & iurisiurãdi religio, in tuum, & filiorum tuorum profectum peruentura me Cracouieñ exuit Principatu. Quam quidem iniuriam, etsi ego patientiùs, quàm mihi conueniter, tulerim; te tamen pro filiorum tuorum commodis, quæ interceptum ac neglectum iri vides, non arbitror æquo animo laturam. Vt autem de mea in te, & filios tuos, Nepotes meos, fide aliquali significatione certior existas, Cuiauieñ Prouinciam, etiam iam nunc resigno, de eaque cedo, literasque quantumcunq; efficaces volueris, in filiorum tuorum fauorem, Principatum eis Cracouieñ me obeunte resignans in hæredes eos instituens, scribo, tibique trado. His Helena Ducissa liquefacta promissionibus, Miecslao

Duci se

Ducisse de Cracouieñ Ducatu cessuram, si promissas conditiones primùm impleuerit, obligat. Verùm Miecslaus Dux veritus, ne noua vis, nouaque consilia Cracouieñ Procerum, & præsertim Nicolai Palatini Cracouieñ, cuius nutu singula dirigebantur, conclusionem huiusmodi inficiat & irritet, Helenam Ducissam rogat, vt si velit singula pacta rata esse, Nicolaum Palatinum Cracouieñ & in exilium mitti, & de arcanis suorum consilijs consentiat eijci, ne de Principatibus & dominijs suis ludibria exerceat, ne prolibito suo vno derecto, alterum pro Principe instituat. Eo enim in magistratu, quem gerit, remanente, neq; fœderis impletionem, neq; concordiam & quietem inter se, & Nepotes prouenturam, eo verò exulante, ea omnia quæ aut pacta, aut concordiam inficere possent, cessatura. Hæc autem Miecslaus senex idcò æstuabat perficere, vt Nicolao Palatino, quem sciebat Leszkonis & Conradi Nepotum suorum fidelissimum, & constantem amicum & cultorem esse, sublato, facilùs in filios suos Wladislaum & Ottonem deriuaretur successio. Ducissa autem Helena Casimiri relicta, iam dudum Nicolao Palatino Cracouieñ, pro varijs rebus & suspicionibus, quibus inuidorum liuor eum onerarat, vt potè virum industrium, & iusto ac legitimo tenore singulas Reipublicæ partes administrante, offensa, in exclusionem exulationéq; facilem præstitit contensum. Quo periculo Nicolaus Palatinus intellecto, ad Ducissam Helenam Casimiri relictam, & filios suos Leszkonẽ & Conradũ supplex venit, orans vt fidelium suorum obsequiorum, tàm præstitorũ, quàm præstandorum memores, exulatum se iri non patiantur, in eius præsertim hostis fauorem, quem non nisi propter fidem in eos, patremque eorum habitam, sibi grauiter nosset iratum, ne quoque hosti communi suum deuouerent caput, quod ipse in certamine ad Mosgauam cùm eodem hoste habito extremo periculo pro eis obiecisset. Verùm cùm nihil pacificum à Ducissa & filijs responderetur, quippe tàm grauj indignationis nubilo Ducissa in Nicolaum Palatinum efferbuerat, vt supplicationes suas surdis auribus audiret, Palatinus ipse implacabilem attendens iram Ducissæ, rebus suis prospecturus, ad Miecslaum ipsum senem Posnaniam personaliter contendit, facilius sperans se apud publicum & iratum hostem, quàm apud Ducissam infensam, veniam obtenturum. Magna gratitudine & beneuolentia à Miecslao Duce exceptus, maximoque fauore & honore habitus est. Non dubitauit enim Dux Miecslaus Principalis & præcipui Baronis assistentia solium suum in Principatu Cracouieñ, pro se & filijs firmaturum. Gaudebat insuper eum sui rerum quoque suarum habere adiutorem, quem antea infestum expertus erat hostem, & cuius sola autoritate de Principatu Cracouieñ vice iam tertia exciderat. Omnium itaque offensarum superiorum culpas liberaliter illi donat & ignoscit, & amplissimis promissionibus oneratum, in sui fidem & amicitiam cõciliat, intelligens se ad conditiones in fœdere cum Helena inito, Palatini assistentia habita, cogi non posse. Nec eum fefellit opinio, eius quidem ductu & consilijs Miecslaus Dux senex in Cracouiam receptus est, & tàm Arx, quàm Vrbs Cracouieñ, cæteræq; Ciuitates & mu-

tes & munitiones in Ducatu Cracouieñ mandante & dirigente Nicolao Palatino Cracouieñ in ditionem Miecslai consignantur, totiusque Ducatus Cracouieñ plena possessio Miecslao, nulla illarum conditione, quam Helenæ Ducissæ promiserat impleta, assignatur, & in Ducissæ Helenæ odium singuli Cracouieñ Proceres Miecslao plenam & fidelem faciunt adhæsionem. Ex qua re Miecslaus senex iureiurando cum Ducissa & filijs eius se solutum tenens, cùm non ex sua resignatione, sed ex Nicolai Palatini Cracouieñ fauore, se asserit adeptum fuisse Principatum, nihil de his quæ promiserat, se censet impleturum. Et in hunc modum Ducissæ & Nepotibus de implendo fœdere, in conditionibus eius eam requirentibus, respondet; mulcentibusque responsionem suam Cracouieñ Proceribus, non modò Cuiauieñ terram iniustè occupatam non restituit, sed insuper Visliciẽ Oppidum cum tribus Castris ad terram Sandomirieñ pertinentibus, quæ in ditione Leszkonis & Conradi erant, occupat; pro quorum restitutione interpellatus respondet, illa iuris sui esse, & iustè occupasse, & non ad Sandomirieñ, sed ad Cracouieñ Prouinciam spectare debere. Sed neque tulisset cæteras Vrbes & munitiones Sandomirieñ terræ, sub ditione Nepotum esse, nisi illum magno animo de reintegratione vniuersæ Monarchiæ cogitationibus distentum, mors insperata ablumpsisset. Priùs enim quàm cogitata perficere cepisset, à morte præuentus, in Ecclesia Collegiata S. Pauli in Kalisz, cuius ipse fundator erat primarius, in sepulchro filij sui Miecslai sepelitur. Oppido autẽ Calisieñ de veteri loco, in quo tunc cõsistebat, in nouũ locũ, in quo nunc est situm, translato, Ecclesia etiam S. Pauli in Ecclesiam S. Mariæ Collegiatam translata & transmutata est, & fabrica Ecclesiæ S. Pauli labefactata & defluente, Ducale sepulchrum sub dio relictum monstratur potius ab incolis, quàm scitur. Reliquit autem Miecslaus senex duos filios, Wladislaum natu maiorem & Ottonem. alij enim antequam ad debitam ætatem peruenirent, diem obierunt. Et Otto quidem paucis annis post superuiuens moritur, filium Wladislaum vnum impuberem, Plwacz vocatus est, derelinquens, propter quod Wladislaus frater suus, qui magnus & Laskonogi vocatus, Neporis tutellam agens, vniuersum Principatum gubernabat.

Expulsionẽ suam Rurik Roscislauic, à Kiouieñ Ducatu acerbè ferens Polowconũ ad quos confugerat nactus in notabili numero suffragia, habẽs etiam in suo comitatu filios, Olech venit contra Kiow, & nemine aduersus eum stare, aut Castrum Kiouieñ defendere audẽte, Castrũ Kiouieñ 2. Ianuarij capit, barbarorum autem Polowconum multitudo & feritas, ciuitatem multifaria clade, crudelitate & spolijs affligens, in omnes etiam Ecclesias, Monasteria, ædesq; Deo dicatas, ac ministros eius desæuit, spoliãdo Metropolitanam Ecclesiam S. Sophiæ, & omnes alias. Vniuersis autem senibus & infirmis partim trucidatis, partim cæcatis, Sacerdotes, Monachos, Monachas, & omnes Kiouieñ Boiaros, ciues, & plebem communem, cum vxoribus, & paruulis, & lactantibus, in captiuitatem & regionem suam deduxit. Captiui etiã sub eodem tempore fuerunt, Mscislaus Wladimirowic, &

Roſciſlaus Dux cum militia ſua per Polowcos, quibus malis patratis, Rurik in ſede Kioujeñ vaſtata & penè deſerta conſedit.

ANNO Domini 1203. Ad ſubſtituendam in Cracouieñ Principatum, ex Miecſlai ſenis morte vacantem, alium Principem Fulco Epiſcopus & Nicolaus Palatinus Cracouieñ Generalem Conuentum Comitiorũ gratia, apud Cracouiam inſtituunt. Quo cùm militarium frequens numerus conueniſſet, ſinguli ad Leſzkonem Albũ, cùm ob paterna merita, tùm ne Principatus Cracouieñ ſequeſtrationem à Sandomirieñ acciperet, tùm ob indolem Principis ceperunt habere reſpectum, nec inter Principes Poloniæ alius æquè vtilis videbatur. Aduerſabatur huic voto Nicolaus Palatinus Cracouieñ & indignum cenſebat parere Principi, cuius ſingulæ actiones ex leuitate fœminea dependerent. (Notabat autem Helenam Duciſſam Caſimiri relictam, & matrem Leſzkonis) cuius bile indignabatur ſe ſuperiori anno fuiſſe proſcriptum. Parua tamen hæc cauſa & meliori ordine reſcindenda putabatur, alia multò acerbior extabat. Nicolaus enim Palatinus Cracouieñ & Gouoritius Palatinus Sandomirieñ in tàm teſtatas & vulgatas inimicitias deuenerant, vt vnus alterius ne dum fortunis, ſed & capiti inſidiaretur. Superiori quoq; tempore Gouoritius Palatinus Sandomirieñ potentiam Nicolai Palatini Cracouieñ non ferens, in Bohemiam exulatum abierat. De qua à Leſzkone Albo, poſtquam Miecſlaus Monarchiam & Principatũ Cracouieñ occupaſſet, reuocatus, in primo honoris gradu, apud Leſzkonem & Sandomirieñ Proceres habebatur. In huius itaque odium Nicolaus Palatinus Cracouieñ Leſzkonis magnopere abnuebat Principatum. Difficileq; erat illo diſſentiente in fauorem Leſzkonis aliquod concedere decretum, cũ & ſui, & Fulconis Epiſcopi reſpectu, cæteri Cracouieñ Proceres ex eorum ſententia penderent. Longo itaque tractatu habito, etſi omnium vota pro Leſzkone Albo inclinarent, non aliter tamen eum pro Principe ſuſcipere placuit, niſi vt Gouoritium Palatinum Sandomirieñ à ſe prorſus releget & abdicet, cum ex duorum mutua & infeſta colliſione, neq; Rempublicam legitimè poſſe dirigi, neque conſilia tutè tractari, neq; fidei & ſubiectioni locum eſſe. In hunc morem dùm Leſzko Albus Legatos Cracouieñ accepiſſet, diu cum ſuis, quid ageret, perplexus manſit, & optabile quidem erat Cracouieñ Principatum vltrò delatum ſuſcipere, & execrandis ſchyſmatibus, & bellis propterea orituris ſeminarium auferre. Nemini tamen ſatis placebat virum innocentem abſque demerito exiliationis pœna, quam de illo Nicolaus Palatinus Cracouieñ petebat multari, & in aſſecutionis Cracouieñ Principatus bene meritum Conſiliarium proſcribi. Dùm autem in huiuſmodi ambiguitate Leſzko Albus, & ſui Conſiliarij verſarentur, nec quale reſponſũ Cracouieñ legatis ederent, inuenirent. Gouoritius Palatinus Sandomirieñ difficultatis prædictæ nodum ſoluturus, ita diſſeruit. Indignum, inquit, clariſſime Princeps reor, vt propter me vnum cras forſitan aut hodie è vita ceſſurum, publica deferatur vtilitas, & ob meæ ſalutis vnius reſpectum ſalus

infinitorum

infinitorum negligatur, tu quoque à Cracouieñ Principatu, cuius tibi Diuina & humana lege debetur ſucceſsio, excedas portione. Cum in omnibus humanis actionibus optimum ſit, publica priuatis anteferri. De me quidem exiguam, & nullam dùm modo Cracouieñ Principatum aſſequaris, habendam fore rationem, & omnem moram exortæ propter me difficultatis cenſeo reſcindi. Nunquã enim in iuſta acie, horrendum, fideli ſeruo & militi pro Principe & Domino ſuo honeſtam mortem oppetere, quantò magis & mihi glorioſum erit, pro tui Principatus diffundenda amplitudine ad iniuſtum exilium ire, felicem me, & genus meum ratus, ſi quid indignum pro te & pro Republica, cui ſoli vitam debeo, pertulero. Plus virtuosè loquendo profecit, quàm ſi arrogãter ſe geſsiſſet, tàm modeſta enim & humili ſermonis ſuppellectili omnes mouit, vt potius de ſalute ſua ſeruanda, quàm de aſſequendo Cracouieñ Principatu cogitaret. Leſzko quoque Albus Dux Legatis Cracouieñ in conſilium introductis, ita reſpondet. Etſi veſtrum cæterorumq; Cracouieñ Procerum erga me fidem gratam commendatamq; habeam, qua me in Cracouieñ Principatum elegiſtis, in quem, & ipſum quoque iure naturali & Diuino mihi competebat ſucceſsio, non ſum tamen terrenorum Principatuum adeò auidus, vt pro illis conſequendis tyrannum me potiùs, quàm legitimum Ducem exerceã, & Gouoritium Palatinum Sandomirieñ, militem probatæ erga me fidei, pro ſola Nicolai Palatini Cracouieñ voluntate & beneplacito à me relegem, & virum innoxium contra fas iusque exulare compellam, & carnificina erga illum potiùs, quàm Ducali autoritate, improbo cõmercio, caliginẽ mihi & nomini meo, obfundens Cracouieñ nanciſcar Principatum. Alijs itaq; Cracouieñ Proceribus eam quã attuliſtis legationẽ dicatis me ita inſtructum norint, vt mallem priùs honeſtè mori, quàm innoxios iuxta ac ſceleſtos plus iuſto punire: Murmure deinde poſtquã Dux Leſzko finem dicendi feciſſet, à Conſiliarijs Leszkonis exorto, vexabatur nonnullorum probris Nicolaus Palatinus Cracouieñ quod & ſuperbiùs ſe, quàm ſuæ cõueniret conditioni gereret, & ſplendore, aliena inuidia & incõmodo laboraret, immoderataque eum cupijſſe ac petijſſe, parumq; honeſta aſſerebant quod ſolus contenderet, repudiatum iri, quæ cæteri probabant, ac contra omniũ decreta, ſuam valere ſententiã. Crac. Proceres de voluntate Leſzkonis Albi per Legatos ſuos certificati, quid facto opus ſit, altero apud Cracouiã Conuentu indicto conſultant, & quamuis omnes conditionẽ improbam de exiliando Gouoritio Palatino Sandomirieñ tolli, & Leſzkonem in Principem aſſumi frequentibus ſententijs decernerent: Nicolao tamen Palatino Cracouieñ in aduerſum cum Fulkone Epiſcopo germano ſuo, & cæteris ſuæ cognationis fratribus nitente, verſus Senatus, qui in bubali morem ab eo quocunque vellet trahebatur, ſententiæ ſuæ aſſenſus, Wladiſlaum Ducem Poſnanieñ filiũ Miecſlai ſenis nuper defuncti eligit in Ducem. Nobi quoque ad illum tranſmittuntur Nuncij, exhortaturi illum, vt Cracouiam quàm celerrimè adueniat, geminato iure & ſucceſsionis, & hæreditario, & paterno, & electionis conformis, nuper de eo á militaribus factæ Cracoui-

eñ Principatum possessurus. Wladislaus autem Miecslawic Posnanieñ Dux sciens Cracouieñ Proceres priorem electionē de Albo Leszkone Duce Sandomirieñ fecisse, petitioni Cracouieñ Legatorum consentire cunctabatur, bellorum dissidia, quæ quondam inter Patrem suum Miecslaum senem, & patruum Casimirum viguerant, execratus. Verùm Cracouieñ Legatis id reffelentibus, & refutasse Leszkonem Albū electionem de se factam astruentibus, Wladislaus Miecslauic expressam voluntatem Leszkonis Albi, ne se & patriam ciuili bello inuolueret, sciturus, Nuncios transmittit per quos & legationem Baronum Cracouieñ ad se factam insinuat, & an Leszko factam de se electionem ad Cracouieñ Principatum prosequi vel relinquere velit, diligentiùs explorat. Offerens se pro debito fraterno, quamuis & se iuxta, atque illum, tàm electionis, quàm paternæ hæreditatis respectu cōtingat in præfato Cracouieñ Principatu successio, iuri & voluntati suæ non aduersaturum. His Lezsko Albus consilio habito, contra omnium Consiliariorum vota respondet; electionem ad Cracouieñ Ducatum de se factam, dudum propter conditionem de exiliando Gouoritio Palatino Sandomiriensi appositam refutasse, nunc quoque nisi eadem purgaretur conditio, eiusdem voluntatis atque tenoris esse, nec posse adduci, vt cum Palatini sui dedecore & iniuria sui fasces augeat, Principatus. Ageret proinde, quod sibi & Reipublicæ profuturum existimaret, neque se, neq; fratrem suum Conradum ad Cracouieñ Principatum eius ascensum impediturum. Hæc responsio à Leszkone Albo iuuenili potiùs ardore, quàm maturo consilio facta, pluribus Ecclesiasticis & secularibus illam magnopere execrantibus, gemitus & lachrymas excusit, dolentibus & vociferantibus prosapiam Casimiri Ducis optimi à iusta Monarchiæ successione excludi. Wladislaus itaq; Miecslawic de voluntate Leszkonis Albi Sandomirieñ Ducis, certior factus etiam Ducis Opolieñ, Ratiborieñ, & Henrici Wratislauieñ animos sibi conciliat. Quorum etsi non magnopere sciebat prodesse sibi fauorem, volebat tamen, vt vir prudens & industrius, tollere inuidiam. Quibus omnibus perfectis Wladislaus Miecslawic in Cracouiam ascendit, & ab vniuersis Proceribus exceptus, omnium concordi fauore & consensu Monarcha factus: Cracouieñ accepit Principatum. In quo se mira benignitate omnibus gratiosum gessit, præbens quibuscunq; ad se faciles aditus, causas iusto decidens examine, iniurias ab infirmioribus propulsans, & singulorum iustis & honestis petitionibus condescendens. Vniuersa, quæ habere poterat, in milites munifica liberalitate effundebat, formam & fortitudinem nactus à natura egregiam, formæ tamen ipsi crurum obstabat alta tenuitas, ob quam & ipse Laskonogi appellationem sortitus est.

Henricus Dux Wratislauieñ & Silesiæ, frequentibus suæ consortis Ducissæ Heduigis fœminæ deuotissimæ & religiosæ precibus, consilijs & persuasionibus, permotus, in Ducatu suo, & loco qui nunc appellatur Trzebnica tribus miliaribus a Wrath: ciuitate distante, fundat Monasterium Sanctimonialium Ordinis Cistercieñ, sub honore & titulo S Bartholomæi Apostoli.

Pro dote

Pro dote autē Monasterij oppidum Trzebniceñ, item villas, Lipnicam, Comeschā, Breinow, Kotlowice, Tuczmandorff, Hartliptorff, Sudlino, Lawor, Skrankowa, Rozotnice, & plures alias villas, census & introitus, qui pro mille personis sufficerent, donatione perpetua contulit, & donauit, Ducissa B. Heduigi abdicante se iure dotalicij, quod in bonis Monasterio largitis habebat inscriptum. A fundamentis autem tàm Ecclesiam B. Bartholomæi, quàm Monasterium, & eius officinas initians, muro pulcherimo & sumptuoso infra Annos 15. consumauit, & Anno 1219. Ecclesiæ ipsius perfecit dedicationē. Compertum autem est facto calculo sumptus Ecclesiæ & Monasterij ad triginta millia Marcarum Polonicalium ascendisse. Sub omnibus autem 15. annis, quibus opus prædictum perficiebatur B. Heduigis nullum maleficum, quantocunq; scelere inquinatum, siue per Henricum Ducem, siue eius officiales & iudices, capitis damnati sententia permisit notari, sed quemlibet Monasterij Trzebniceñ applicabat laboribus, vt secundum culpæ demeritum duriori vel faciliori labore, diuturno, vel breuiore tempore patratum facinus expiaret. Ex Monasterio autem Bambergeñ Moniales ad suscipiendum lōcum illum nouum accitæ primum præfatum Monasterium incolere ceperunt, primaq; loci illius Abbatissa fuit, virgo Petrusza Almana, secunda Gertrudis Henrici Ducis & B Heduigis filia, & tàm in primitijs, quàm post centum Moniales in Monasterio ipso pro vno tempore dote Monasterij abundante immorari, & degere consueuerāt. Idcirco autem locus præfatus pro fundando Monasterio prædicto acceptus est, licet se alij maiori commoditate subnoxi offerent, quod Henricus Dux venationibus operam dans, in eum ipsum locum, tunc quidem palludinosum, cum equo incidens, non se aliter periculum imminens, euitaturū existimaret, limosa congerie inuolutus, vt amplius, nisi inuocasset auxilium ex alto, familiaribus comitibusquè per alia loca saltusquè discurrentibus, ferret opem nemo, nisi se voto obstrinxisset, Monasterium Sanctimonialium illic quamprimum fundaturum. Verum vt est conditio hominum periculorum articulo, multa arduaq; polliceri, & promissionum vota, facile cōsequuto, obliuisci. Henricus Dux ab imminenti voraginis exitio, cum qua diutius luctatus fuerat, sola ope diuina liberatus, quod solenniter vouerat, cepit negligere, voti sui cūctatorē se magis aliquanto tēpore exhibens quàm impletorem. Fœmina autem B. Heduigis consors sua, & votum huiusœmodi virum suum Ducem Henricū sub prædicta necessitate emisisse, & in eam diem neglexisse per Spiritum intelligens, non prius illum salubribus, tùm precibus, tùm monitis ad reddēdum votum, quod emiserat, & cuius emissionem, quod absq; arbitris facta esset, tàm Ducissam suam Heduigim, quàm quoslibet alios celatum iri crediderat, adducere destitit, donec sponsionem suam pleno operi mandauit, cuius quidem Monasterij tàm ædificatione, quàm dotatione perfecta, cùm Dux illustris à Petrusa Abbatissa & Sanctimonialibus quæreret, si qua re adhuc ipse vel Monasteriū ipsarum indigeret, offerens se cuilibet indigentiæ Ducali munificentia prouisu-

rum, &

rum, & responso accepto dotalia sibi & Monasteria ab eo præstita munera plena ac sufficientia fore, neq; Monasteriũ ampliori prouisione indigere, ex responsionis euentu loco nomen indidit, & ipsum Trzebanic, quod in vulgari Poloniço sonat nullius egens appellauit.

Lustro vno in Pontificatu Wladislauien Ogiorius Episcopus exacto moritur, & in Wladislauien Ecclesia sepelitur. Cui Bartha Italus Auditor Palatij, ab Innocentio Papa prouisus succedit.

ANNO DOMINI 1204. Leuis & parua Leszkoni Albo Crac: Principatus, (in quã omnibus primarijs Consiliarijs aduersantibus prorupit, temere magis quam consulto) renunciatio, & cessio primum videbatur, quæ processu temporis non solùm illius famam & amplitudinem diminuit, sed etiam hostium, & inuidorum ceruices contra illum suscitauit, & erexit. Romanus namq; Wladimirien Dux, qui ex concessione & munificentia Leszkonis etiã Halicien adeptus erat Principatum, cognoscens illum à Monarchia & Principatu Cracouien excidisse, & tantummodo ad Sandomirien, Lublineñ, Masouien, Cuiauieñq; Ducatus redactum esse, contemptui illum, tùm propter diminutam potentiam, tùm propter lasciuam, & nondum ad virilem ætatem pertingentem, & cuilibet iniuriæ opportunam, habere cepit, in rebellionem quoq; versus, pensa hactenus denegat tributa, & se non vasallum, neq; subiectum, sed hostẽ infestum Leszkoni & suis Ducatibus declarat. Nam & negotiantes in terris suis Polonos singulis fortunis despoliat, & commercia illis cum suis subditis de cætero interdicit. Adhæc & terras Sandomirien, Lublineñ, suis finitimis, primum clandestinis, mox etiam publicis excursionibus inuadit, & vexat. In pleriſq; quoq; locis præsidia locat, & milites in frequẽti numero illis imponit, terras Leszkonis vastaturus. Tulit aliquanto tempore Leszko Dux atroces huiusmodi iniurias, & missis ad Romanum Nuncijs, redire ad bonã mentem monebat, existimans se illius temeritatẽ, beneuolentia magis, quàm hostilitate reciproca sanaturum. Verùm dùm Romanus ex verbis & legationibus Leszkonis inflatus magis quàm correctus nihil pacificum respõderet, repressalibus Leszko vti cepit, & vicissitudinarijs ordinatis prælidijs, Rutenos temerè progressos, & ad spolia effusos, aliquot certaminibus prosperis strauit, eorumq; insolentiam breui compescuit.

Morauorum Princeps Dipoldus Præmislao Bohemiæ Regi & Bohemis infestus, Bohemiam hostiliter ingreditur, & pluribus spolijs, incendijs, & damnis in ea cõmissis adeò in illam propter Præmislai Regis absentiam, qui tunc in expeditione Almanica constitutus, Philippum contra Ottonẽ pro Imperio dissidentem adiuuabat, grassatus est, vt etiam Pragam graui & diuturna obsidione stringeret. Quam Præmislaus Rex ex Almania reuersus dissoluit, Dipoldo cum suis detestante certamen.

ANNO DOMINI 1205. Excursionibus priuatis & leuibus Romanus Mścislawic Wladimirien Halicien Dux, Casimiri olim Cracouien & Sando-

& Sandomirien Ducis germanus Nepos ex sorore non contentus, quibus hactenus Polonorum oras vexauerat, in eam temeritatem grassatus est, vt Leszkoni & Conrado Principibus & Dominis suis, quibus fidem & subiectionem iureiurando se seruaturum obligauerat, generale bellum inferre, & Principatus eorum non horeret inuadere. Animum siquidem Romani magnum suapte & ferocem opes immensæ tyrannidæ quæsitæ, Russia ferè vniuersa subacta, equestres & pedestres copiæ ex ipsa Rusia coactæ, Polonorum imperium laceratum & distractum, & in plures scissum Principatus, Procerum Regni scysmata & discordiæ, Ducum quoque ipsorum Leszkonis & Conradi semiplena ætas, ad inferendum bellum magnopere accendebãt. Accessit & durior responsio legationi suæ per Leszkonem & Cõradum facta. Dum enim peteret & moneret pro damnis & impensis circa dimicationem in Suchodol, contra Miecslaum senem factam sibi satisfactionem impendi, & omnem oram terræ Lublineñ in perpetuam possessionem sibi tradi, resignari, & inscribi, responsum est, Nihil illum velut profugum & desertorem meruisse. Quo responso factus iratior, Poloniam magnis copijs inualit. Prius tamen quàm exercitibus & copijs in vnum congestis Rusiæ fines excederet, mittit Romanus Mscislauic Dux ad sui scysmatici ritus, Wladimirien Episcopũ, nuncios speciales, cum donis, rogans, vt sibi in Polonicam expeditionem processuro, & triennio Polonos vastaturo, quo felicius bellum tractet, & de hostibus trophæa referat, Pontificali autoritate benedicat. At Wladimirien Episcopus missa munera dedignatus, nuncijs etiã benedictionem instantius flagitantibus respondet: Non se Romano Duci impia bella aggredienti, & Polonis, non tàm iniustum, quàm execrabile bellum inferenti, cùm sæpenumero Poloni pro Rutenis contra barbaras nationes pugnãtes, capita sua morti & periculis obijcere consueuerint, benedicturum. Super qua responsione Dux Romanus nimio exagitatus furore, Episcopo Wladimirien remandat, se eam contumeliam capitis Pontificalis truncatione, cùm ex Polonico bello redierit, vlturum. Sed eius minas Episcopus Wladimirien negligens reintimat, frustra se terroribus exagitari, quoniam & mors sibi nunquam pro veritate pauida fuerit, & Romanus, an ex nefario bello rediturus sit, ignorat. Magnitudo fidei etiam in scysmatico Episcopo admiranda. Maximis itaque & frequentibus copijs ex equestri & pedestri milite coadunatis, primo ætatis tempore Romanus Rutenorũ Dux in terras Polonorum descendens, Lublineñ Regionem sibi finitimam primum inuasit, Castrumque Lublineñ, quod per præsidium Polonorum militum tenebatur, obsidione cingit, & pro eius conquisitione plures conatus & studia Polonis probè arcem defendentibus, integro mense intendere non destitit: Matronas, vxores, filias militũ captiuas in quadam indagine vt pecora præcepit detineri, & à suis Rutenis permisit impudicè tractari. Interim autem Leszkonis & Conradi Ducum iussione, ex Sandomirien, Masouien, & Cuiauien Prouincijs, grandis confluxerat versus Sandomiriam exercitus, non solùm ex militaribus, sed etiam ex agrestibus collectus. quem etiam

aliqui

aliqui voluntarij milites ex Cracouieñ Ducatu coauxerãt. Romanus ab exploratoribus factus certior, Leszkonem & Conradum exercitibus collectis in armis esse, obsidione Lublineñ soluta, quam sibi minus prosperè videbat prouenisse, in vlteriores Polonorum regiones, singula rapinis & flammis cõsumendo procedit. Minaturq; se, non solùm Poloniæ Regnum vastaturum, sed & paginam Diuinam Latinorum exterminaturum. Mittitur itaq; Fulco Cracouieñ Episcopus, cum Vito Ploceñ Episcopo, & cum aliquibus Baronibus ad furiam eius mitigãdam, & pacem tractandam, afferendo satisfactionis æquitatem, si Poloni in aliquo fœdera societatis temerassent. At ille dolos in pectore versans, pacem pollicitans, & nũcios circumuentos remittens, grassari in vlteriora cepit. Quosdam quoque Clericos captiuos ictibus sagittarum iussit obrui, vt eliceret fidelem ab eis relationem, vbinam Leszko cum exercitu latitaret. Ad fluuium quoque Vistam perueniens, partim illum nauibus & lembis, partim vadis in aliquot locis repertis, siccitate æstatis aquis illius diminutis superat, & ad Oppidum Zawichost statiua ponit, illicq eum consistentem frequentes sui exploratores de Polonorum aduentu auisant. Quorum cùm irrideret relationes, milites, quos pro excubijs tenendis transmiserat, exploratorũ sententiã confirmant, sed cùm his quoq; Romanus diffideret, & Polonos nequaquam secum pugnaturos crederet, 19. Die Mensis Iunij, S. Geruasij & Protasij Martyrio dicata, sole oriente, Leszko & Conradus Duces cum Polonorum exercitibus quorum Cristinus Palatinus Masouiæ erat Ductor, aduenerunt, & ordinatas acies decertare parati ostendunt. Romanus ex fastuoso trepidus factus, vix primas acies vrgentibus & infestantibus eum Polonorum sagittarijs explicare, in spacio arcto permissus, copias & ipse suas tumultuario magis, quàm legitimo more educit, & signis collatis dimicat. Ingenti clamore ab vtroque exercitu sublato, infestis lanceis concursum est, & æquo primum Marte prælium geretur, Polonos quidẽ indignatio iusta, quod Vasallus eorum nulla offensa læsus, ipsis vltrò bellum inferret, Rutenos libertatis memoria, & Dux ipse adhortans, vnumquenq; ad sustinendum certamen accendebat. Polonorum Duces Leszko & Conradus, etsi exercitui præsentes affugissent, pugnæ tamen propter ætatem interesse prohibiti, paululum à certaminis loco declinantes, exitum rei inter spem & metum anxij præstolabantur, in loca tuta cum custodibus suis, si hostibus cessisset victoria, diuersuri. Interim feruente pugna primis Rutenorum ordinibus per Polonos contritis & prostratis, Polonorum res meliori, Rutenorum deteriori loco esse cepit. Abundante tamen multitudine, & Romano integros pro cadentibus, aut vulneratis, subducente, prouidentia & solicitudine Ducis Romani prælium in pluribus locis inclinatum restituitur, Poloni non Rutenis, sed Duci Romano, velut proditori fidefrago & transfugæ irati, ad illius occisionem ardentissimè conspirant, & globo facto, Romanum inter primos pugnantem, ex insignibus cognitum adorti inuadunt. Romano Duce grauissima cuncta obseruante oculis, manus vniuersa militum, quæ circa illum conglobata, hactenus illum egregiè

egregiè defenderat, à Polonis deleta, strenui ac fortissimi quique pugnatores, ante Ducis sui ora cæsi, mutuoque cadentes fugam & Ducis Romani, & cæterorum suorum Rutenorum inhibebant. Inter hæc Romanus Dux vltimi periculi videns sibi imminere discrimen, iam enim & equus cui insidebat, telis frequentibus confossus, excutere illum satagebat, per medias acies prorumpens, ad fluuium Vistulam peruenit, vbi equus corruens illum deseruit. Hinc verò maius obortum periculum, quonam modo manus illorum effet euasurus, & fluuium traijceret, tandem effetã vt fertur, æquam à suis sibi administratam ascendens fluuium ægrè superauit, iumento quoq; illi, quo adiutore fluuium traiecerat, non secus quàm parenti suo, pro sua salute egit gratias. Mixtus deinde fugientium suorũ turbæ promiscuum vulgus à Polonis fugientes insequentibus, & gregarium militem illum existimantibus, obtruncatus est. Dum insuper milites & gentes Romani Ducis, qui periculum mortis fugiendo, & tranando Vistam euaserant, in ripa altera Vistulæ conglobati & densi, aliorum suorum commilitonum prospectando effugium starent, humus ripæ ab vngulis equorum, & grauitate in ea tantum, molem sustinere non valens, disrupta, dehiscens raptim sub fossa corruens, plures hostium cuneos in Vistulam præcipitatos absorbuit. Gloria autem totius triumphi, tunc ex Rutenis relati, in Cristinum Comitem Palatinum Ploceñ, absque controuersia conferebatur; qui & Princeps militiæ erat, & suo astu & industria pugnam confecerat. Ruteni cum dudum in fugam spectassent, nisi Romanus obstitisset, terga vertunt, & in fluuium Vistam, à quo haud longè pugnatũ est, prout quemque fors ferebat, cæci & desperati desiliunt, & in gurgites vndarum prolapsi certatim vir virum præmens, suffocabãtur. Plerique etiam ripa Vistæ, vt præmissum est, ad quam natando fugiebant, ab vngulis equorum contrita, cadente absorpti sunt, pauci quos aut natandi ars, aut equorum fortium robur adiuuerat, tranarunt, & hi quoq; maiori ex parte à militibus Polonorum eos vsq; Wladimiriam nocte & interdiu prosequentibus, nonnulli ab agrestibus, dùm vel errarent in siluis, vel hospitarentur in villagijs, trucidati vel capti sunt, & de Romani illo potentissimo frequentissimoq; exercitu pauci admodum euasisse reperti erant, qui suis tàm ingentem cladem nunciarent. Ad Vistæ ripas cadauerum, complicabantur acerui, illuc enim cunctantibus Rutenis verticibus vndarum se condere, aliquanto maior cædes, quàm pro numero ædita est, adeò, vt fluuius Vistula cruore humano tinctus, aliquandiu rubrum colorem cum natiuo commisceẽs, cædis magnitudinem intuentibus, testaretur. Multos denique imperitos natandi, qui graues erant armatura, aut senio hausere gurgites. Castris & spolijs Rutenorum Poloni potiti, ex opulentissima suppellectili illic reperta, vasis quoque aureis & argenteis celatis, vestibus, equis, armis, admodum ditati & magnificati sunt. Victoria quoq; ipsa tàm sonora & famosa fuit, vt vicinarum nationum gentiumque crebris celebraretur sermonibus. Poloni quoq; quibus prouenerat, quosque fama diuitijs & honore extulerat, varijs illam, & seriem eius prosequebantur carminibus, quæ etiam in hanc diem

clamor vocem in cœlis audimus promulgari. Cadauer Romani Ducis, quod iam Sandomiriæ Leszkonis iussu sepultum erat, exhumatum per Rutenorũ Proceres, omnibus, quos ceperat, ex Polonis restitutis, in libertatem captiuis & mille marcis argenti ad sepulturam à Leszkone Polonorum Duce redemptum, & in Wladimiriam delatum est: Leszko & Conradus Polonorum Duces propitiationi Diuinæ & suffragijs Sanctorum, eorum præcipuè, in quorum die pugnauerant, omnem adscribens victoriam, altare in Cracouien Ecclesia S. Gerualio & Protasio erigunt, & largissimis prouentibus illud dotant. Quibus processu temporis adeo castratum esse constat, vt non nisi in Ligatorum platea lapidea, & hæc ipsa deserta, & ex stillicidio ruinata, & locus in postico domorum Canonicalium, ex tam dote amplissima remanserit. Cædes Romani Ducis & suorum exercituum adeo Rutenorum Proceres nationesque attriuerat, atq; humiliauerat, vt vltra non auderent Polonorum terras lacessere. Episcopus Wladimirien maximum ex illa apud suos Rutenos clade preconium consequutus, fama & opinione, quasi futuri euentus præscius cladem Romano Duci prædixerit, celebris habebatur. Fertur Romanus nocte præcedente, cladem per quietem somniasse, quod paruus auium rubra capita (quos Scrzygielki appellamus,) habentium numerus ab ea parte, qua Sandomiria sita est, aduenies, maximum pallerum numerum deuorauit. Id cùm amicis in diluculo retulisset, licet pleriq; iuuenes felix auspicium pronunciassent, senes tamen & prudentes astruxerunt somnium triste esse, & Polonis quidem felicem portendere successum, Rutenis verò aduersum & calamitosum.

Vastationẽ crudelẽ, quã in se, terrisq; suis Russiæ Duces à Polowcys pertulerãt, dolẽtes in eã diẽ eis transiisse impunitã, expeditionẽ cõtra Polowcos cõcludũt, & indicunt; Et opportuno tẽpore adueniẽte, vadũt Duces Russiæ cũ copijs suis ex pedite & equite collectis cõtra Polowcos, videlicet Rurik Kiouien, Iaroslaus Pereaslauien, magni Wzeuoldi filius, Romanus Mscislawicz, Halicien & Wladimirien, & Roscislaus Mcislawic. Et inuadẽtes tabernacula, quæ ipsi magis proprio & vsitato vocabulo turres, id est wieze, appeliãt, magnos greges hominũ, vtriusq; sexus, senibus trucidatis, magnas prædas camelorũ, pecorum & pecudũ capiunt, & in Russiam deducunt. Pleriq́ne etiam Rutenicæ gentis, captiui prædis, ac spolijs multifarijs onusti, nullam ipsis aduersitatem aut resistentiam passi, in Russiam alacres reuertuntur, de quo apud Russiæ regiones, lætitia immensa coorta est. Et quoniam Rurik Kiou cũ Dux Polowcos ad vastandum Russiæ terras conduxerat, & omnium malorum, quæ in terris Rutsiæ patrata fuerant, auctor extiterat, à Romano Mscislawicz Halicien & Wladimirien Duce, cæterisque rogantibus & probantibus, cùm ex Polowcis redirent, captiuatur, qui illũ catenatũ in Kiow deducens, totondit eum in Monachum, & vxorem eius in Monachã, filias insuper eius liberas dimittens, filios ipsius Roscislaum & Wladimirum ca ruat, & in Halicz deducit captiuatos.

Eodem tempore Lituani magna multitudine glomerati, veniunt contra Russiam,

Russiam, contra quos Duces Olechouici exeuntes, cum illis campestraliter congrediuntur. Et licet multi ex Rutenis cecidissent, Lithuani tamẽ ad vltimum conflicti sunt, & ferè vniuersis captis, aut occisis, pauci effugiũt. Tùm quoque primum Lithuanicæ gentis nomen, quod in eum latebat diem, auditum: Serui enim Rutenorum existentes, annis pluribus persomata & suberes pendebant.

Suantoslaus Mscislawic Dux intelligens Kiouiensem sedem vacuam Principe esse, fauentibus Kiouiensibus Arcem Kiouiensem ingreditur, cæteris id minus suscipere, tunc metu Romani Mscislawic Halicien Ducis, dõ audiẽtibus & in illa in morẽ Monarchiæ Pricipatũ suscipit. Quod cũ Romano Mscislawic Halicien Duci molestissimum foret, quippè qui Rutenorum Monarcha reputari, & summam rerum Rutenicalium apud se consistere voluit, cum potentijs suis in Kiow aduenies, Swantoslaũ Mscislawic ex Kiow cum ignominia exturbat & depellit, in Sedeq́ue Kiouien Roscislaum Rurikowic, quem apud se tenebat captiuatum locat. Alterum quoque germanum suum Wladimirum de captiuitate dimittit, vt fama tàm poenitẽtiæ, quàm clementiæ suæ magis sonora fieret, & æstimatio sui nominis augeretur, vt quoq; expeditionem, quam in Polonos eo anno moturus erat, liberius transigeret.

Albertus Tertius Liuonien alias Rigen Episcopus, qui Bartholdo Liuonien Secundo Episcopo à Liuonensibus propè Rigam interfecto successerat, ordinem Fratrum de militia Christi nuncupatum, qui gladium & desuper crucem mantelo insutam pro insignibus deferebant, apud Liuoniam instituit, pro defensione fidelium contra barbaros, & tertiam partem bonorum Rigen Ecclesiæ illis in dotem assignauit. Quem Gregorius Nonus ortatus Teutonicorum vniuit, & vt in iurisdictione Prælatorum Liuoniæ consisteret, constituit.

ANNO Domini 1206. Leszko Albus Dux Sandomirien, dùm post relatam de Romano Rutenorum Duce famosam victoriam, & apud exteras & proprias nationes nominatus & celebris haberetur. Cracouien tamen Proceribus, qui pro solo Nicolai Palatini Cracouien beneplacito naturali relicto, Wladislaum Miecslauic maioris Poloniæ Ducem pro Domino & Monarcha assumere, & Cracouiam illi tradere coacti erant, magis charus magisq́ue desideratus esse cepit, Cùm multis gradibus, & virtutũ morumq; honestate clarior, & felicitate factiuitateq; superior, Wladislao Miecslawic putaretur, non solùm ab his, quos Pater suus Casimirus multis beneficijs devinxerat, verũetiã ab his, qui nouandarũ rerum studiosi erant, dignus Principatu & Monarchia Cracouien iudicatus. Et viuente quidem Nicolao Palatino Cracouien, studia Procerum Cracouiensium erga Leszkonem Album conticescebant, omnibus autoritate & Potentia Palatini Nicolai, à rerum nouatione deterritis, quamprimum verò anni huius tempore Nicolaus Palatinus Cracouien, ex cuius beneplacito ferè singulorũ voluntas de-

pendebat, mortе abſumptus eſt, illicò ſub Fulconis Crac. Epiſcopi præſentia, Conuentu apud Cracouiam celerius indicto, omniumq; Cracouieñ Baronum & militarium votis & ſuffragijs Leſzko Albus Sandomirieñ Dux, Monarcha & Princeps Polonorum decernitur, & omnes in eius aſſumptionem, & in Wladiſlai Miecſlawic Ducis deiectionem coniurant.

Dux interea Wladiſlaus Miecſlawic præſidio Cracouieñ arci, regioni, & vrbi impoſito, fatis abſumitur, & in Eccleſia maiori Cracouieñ iuſto honore ſepelitur. Dictus verò fuit Laskonogi, eò quòd erat longarum tibiarum proceræ ſtaturæ, pulcher aſpectu, ſolo intuitu gratiam in ſe aſpicientium merebatur, militia ſtrenuus, in Teutonia à pueritia imò ab infantia nutritus & eruditus, in tormentis exercitatus, moribus comptis cunctis præeminebat, pauperum, oppreſſorum, viduarum, orphanorum ſagaciſſimus auditor & protector. Cuius morte ſequuta, & impedimento ſublato, Miſsi extemplo Sandomiriam ad Leſzkonem Album Nuncij decretum de eo vniuerſali conſenſu factum publicant, ſimulq; orant, vt ſolium paternũ non cũctetur accipere & conſcèndere, magis hactenus à Wladiſlao Miecſlawic, potentia Nicolai Palatini Crac: cum ſui iniuria occupatum, quàm aliquo iure legitimo poſſeſſum. Qui tàm Crac: precibus, quàm ſuorum Baronum Sandomirieñ conſilijs victus, Cracouiam aduenies, ab vniuerſis ordinibus ſtatibuſq; mira fide, deuotione, & honore exceptus, Cracouieñ adipiſcitur Principatũ, & Wladiſlaũ Miecſlawic maioris Poloniæ Ducẽ & capitaneos, Præfectoſq; ſuos, de illo effugat, & exturbat, & ones ciuitates munitas & Caſtra fauentibus ſingulis eius imperio, in ſuam redigit poteſtatem. Wladiſlaus autem Dux, qui Laskonogi propter tibiarum longitudinem appellatus eſt, ignominiam & iniuriam ſuam, cùm eſſet vir modeſtus & pacificus, patienter ferens, in Poſnaniam cum ſuis ſeceſsit, & Ducatu ſuo contẽtus Cracouieñ Ducatum non repetere ſtatuit. Mittit autem Leſzko Albus Dux Cracouieñ, Sandomirieñ, & Lublineñ militum exercitum, præficiens illi Suhiſlaum Caſtellanum Sandomirieñ in Ducem & Capitaneum ad vaſtãdam Ruſsiam. Qui Suantoſlaum Ducem Ruſsiæ Patrem Agaſiæ, quæ poſtea Conrado Maſouiæ Ducì nupta erat, cum quatuor militibus inſignioribus Ruſsiæ captiuat, & iuſſu Leſzkonis miſerabiliter ſuſpenſos in eculeo interimit, propter quod facinus, reor Leſzkonem ipſum etiam occiſum fuiſſe & itirpem ſuam non protelaſſe.

Bohemorum & Morauorum exercitus ſuperioribus vaſtationibus, hinc inde habitis, & animis irritatis & frementibus campeſtri certamine congreſſi, dùm mutua colliſione plures milites amiſiſſent, Morauis cæſis & profligatis, Bohemi efficiuntur victores, licet & ipſis, multis militibus deſideratis, non incruenta ceſſerit victoria. Varijs odiorum & diſſenſionum turbinibus Ruſsiæ Duces clandeſtinè colliſi, tandem in apertum furorem, diutius illum celare non valentes, prodeunt, & hoſtiliter conueniẽtes, videlicet Georgius Wladimirieñ & Iaroſlaus Pereaſlauieñ ãb vnâ Item Wladimirus Conſtãtinus & Mſciſlaus Duces Smoleñ & Nouogrodeñ Fratres Germani, partibus ab

bus ab altera. 12. Aprilis mucrone in propria viſcera verſo, conſligunt, & multis mortalibus vtrinq; cæſis, captis, aut in vndis ſubmerſis, ceſsit Conſtantino Wladimiro & Mſciſlao victoria. Qui Georgium Wladimirieñ Ducem in Wladimiriam diffugientem ſequuti, Wladimirieñ arcem obſidione cingunt. Videns autem Georgius propter defectum militum ſe Caſtrum tueri non poſſe, exit ad victores Duces petens pacem, & conceſſa eſt ei pax ea conditione, vt de Caſtro excedat. Quo excedente datum eſt Conſtantino, exercitum deinde victores Duces contra Iaroſlaũ in Pereaſlaw poſt fugam ſe continentem ducunt, Qui illicò à victoribus pacem petiuit. Quàm cùm æquis conditionibus, & quod ſibi Pereaſlaw retinere liceret, impetraſſet, plurima munera reconciliatis tranſmiſit Ducibus. Cæſa ferũtur eo prælio Rutenorum pluſquàm decem millia.

ANNO DOMINI 1207. Monarchia Polonorũ & Cracouieñ Principatus ad Leſzkonem Album Caſimiridem plenè deuolutis, Conradus natu minor portionem hæreditatis paternæ ſibi ſequeſtrari efflagitare cepit. Epheborum ſiquidem ætatem tranſgreſſus, iuris eſſe ſui æſtuabat. Ad quod non ſolùm naturali ferebatur affectione, ſed inſuper aliquorum Procerum fortunam ſuam extolli ambientium inſtigabatur perſuaſione. Conuentu itaque ob eam rem apud Sandomiriam, propter Ducitſæ Leſzkonis & Conradi Matris præſentiam indicto, cùm Fulco Cracouieñ, & Getko Ploceñ Epiſcopi, primiq; ex Baronibus omnium Principatuum conuenirent, varijs tractatibus, per plures dies habitis, diuiſio tandem Principatuum & terrarum inter Leszkonem & Conradum germanos, in hunc modum celebrata & ſancita eſt, vt Leſzko Albus velut Monarcha, & natu maior, Cracouieñ, Sandomirieñ, Lublineñ, Siradieñ, Lancicieñ, & Pomeraniæ terras, & Ducatus obtineat, Maſouiam propter amplitudinem diffuſam, cum Chelmeñ, Cuiauieñ & Dobrineñ terris Conradus natu minor pro ſua ſorte & portione accipiat. Hæc diuiſio, cùm ab vtroq; Principe accepta & approbata foret, etiam verbali ſponſione à Ducibus & Baronibus interpoſita, firmata eſt, & anatematis execratio in præuaricationem appoſita, rebuſq; taliter compoſitis, vterq; Dux in ſuam ſedem abijt.

Lithuanis ea tempeſtate in æſtate terras Ruſsiæ vaſtantibus, Rutenorum Duces Wlodimir Rurikowic Kiouieñ habens in ſuo Comitatu Smolneñ militiam, Romanus Boryſchouic Conſtantinus, Mſciſlaus, & Roſciſlaus filij Dauid occurunt, & Lithuanos magna cæde conſligunt, multoſq; ex Ducibus Lithuanorum interficiunt, fugientes autem Lithuanos in longum proſecuti, multos in vicis, ſiluis, cæteriſq; abditis locis, quibus ſe à facie perſequentium condiderant, occidunt.

Fulco alias Pelka Cracouieñ Epiſcopus, cùm annis vno & viginti ſediſſet, vndecima die Menſis Septembris moritur, & in Eccleſia Cracouienſi ſepelitur, genere nobilis, ſed actionibus nobilior, plures liberalitates, priuilegia, & immunitates Eccleſiæ Cracouieñ apud ſedem Apoſtolicam, & ſignanter, vt Epiſcopus Cracouieñ omnibus alijs Epiſcopis Prouinciæ, &

Ecclesiæ Polonæ loco & voce prior sit, & primus Gnesnen Archiepiscopo in consecrando manum imponat, obtinuit. In locum eius conformi electione Magister Vincentius Kadlubkonis de Karwow Vico propè Opatow sito, Præpositus Sādomirien, cū esset genere nobilis de Domo & Familia Rozæ, licet aliquā dignitatē aut præbendam in Crac; Ecclesia non obtineret, propter excellentiā ingenij & doctrinæ quibus pollebat postulatus, & ab Innocentio Tertio confirmatus, Cui naturæ prægnantis diues, & fœcundus vterus præclarum ingenium contulerat, quē iam benigno lumine astra inspexerant, vt sine externæ opis adminiculo, nouum condendo corpus, de Annalibus Polonorum, Historiæ magnificos per seipsum literarum sensus expresserit, & literarum studijs decus & ornamenta, mores ingenuos, & normam rectè videndi comparauerat, disciplinam pro nobilitate, pro patria, pro parente, pro nutrice adoptauerat. Et quamuis ad illa vsque tempora Duces & Monarchæ Poloniæ, qui apud Cracouiam Principabātur ad suum beneplacitum sedem Crac. contulissent, decedentibus Episcopis nouos pro suo laicali more substituendo. Quidā tamen Prælati & Canonici Crac. viri elegantes, & fortes columnæ, huic abusioni, & corruptelæ viriliter restiterunt, & vnanimiter præfatum Magistrum Vincentium in Episcopum Crac. elegerunt, & electionem eius Innocentio Tertio Sūmo Pontifici præsentarunt, qui præsentatum confirmauit, & per Henricū Gnesnen Archiepiscopum demandauit consecrari. Fuit autem ex Prælatis Carc. vnus Ioannes Archidiaconus, qui liberā electionem Episcopi Cracouien Capitulo obtinuit.

Resanorum ea tempestate Dux Chleb nomine, stupendæ crudelitatis & auaritiæ homo, integrum apud Resanos Principatū occupaturus, sex Fratres germanos impia cæde sustulit, sed & plures de Boiaris, quos ceptis & conatibus suis obstare credidit, vario mortis genere deleuit.

Gregorius Papa nonus Anno Pontificatus sui vndecimo, ad instantiam Rigen, Olisien & Derpaten Episcoporum Liuoniæ, ordinem Fratrum militiæ Christi vniuit, & incorporauit ordini B. Mariæ Teutonicorum, crucem nigram in Albo pallio deferentium, & ab eo tempore cepit esse vnus ordo ordinans, & statuens, quod ordo ipse sub iurisditione Episcoporū cōsisteret.

Cracouien Episcopum Fulkonem Wratislauien Episcopus Cyprianus, cùm in sede ipsa annis sex sedisset, secutus est, & sexto Calend: Decemb: diem obijt, in Monasterij Lubē Ecclesia debito honore tumulatus, Laurentium Canonicum Wratislauien per Canonicam Electionem, quam quidem Henricus cum barba Dux Wratislauien ratificauit, electum habuit successorem nobilem de familia Doliuitarum ab Henrico Archiepiscopo Gnesnen confirmatum, & in Olobog consecratum.

ANNO DOMINI 1208. Occiso apud Zawichost Romano Wladimirien & Halicien Duce, qui sibi ferè vniuersæ Russiæ, partim tyrannide, partim largitione & ingenio vsurpauerat, dominationem & Principatum,

cipatū Russiæq; Duces in suum coegerat obsequiū & tributū, plures sibi aut armis, aut prece, aut precio, Russiæ Dominium destinabant. Procere, verò & Boiari Russiæ in varias voluntates scissi, patriam etiam horrendis bellis impleuerant. Ad finitima itaq; Regna vt bellum ciuile tolleretur, censebant Primores habendum recursum, vt alicuius illorum viribus & potētia opprimerentur, exorta mala, & oritura. Et licet aliqui Polonorū Ducum suaderent petere suffragia, & in eorum transeundum ditionem, recēntis tamen cladis apud Zawichost acceptæ memoria, ne ad Polonos deficerent prohibebat, Pannonij aptiores rei huic visi, per Primores Rutenorū aditi sunt, & Rex Vngarorum Andreas à Rutenis suppliciter exoratus, vt filium suum Colomanum illis in Dominum præficeret, offerentes se illi fide, & deuotione sincera parituros. Incredulitatē Rex Vngariæ legatione Rutenorum admissa, filium Colomanum cum magnis copijs in Russiam, & motus intestinos compressurum, & Regnum Rutenorum apud Halicien accepturum, transmittit. Qui dùm Haliciam peruenisset à primis Rutenorū Ducibus & Boiaris iusto honore excēptus est, & Castri Halicien illi tradita possessio, & Mscislaus Mscislawic vnus ex Russiæ Ducibus de Halicien Principatu excluſus. Qui sub eodem, quo ingressus erat Haliciam, tempore, se ab Episcopis Catholicis videlicet Vincēnio Episcopo Crac. & alijs Episcopis quos secum ex Pannonia adduxerat, in Regem Haliciæ inūgi & Coronari, Regemque vocari & intitulari Gallatiæ, & vxorem suam Salomeam Reginam, ita enim à Patre doctus erat, procurauit. Quæres Rutenorum animos fluxam suapte fidē habentium à Colomano cum eis inconsultis confecta coronatio fuerit & alienauit, & in odium, atq; irritationem perduxit, portendentibus coronationem ipsam & ritus ipsorū, & generis exterminium effecturam. Omnes itaq; in Colomanum conspirāt & exercitibus Colomani, qui eum in Russiam conduxerant, ad Vngariam reuersis, dum se Colomanus tutum crederet, Rutenorum Principes Msciflaus, ob præstantiam Chrobi appellatus, Rutenorum & Polowconum adiutes auxilijs Haliciam perueniens, nonnullis Halicienſium fortaliciis & curijs captis, spoliatis & incensis, ad Halicienſem quoq; arcem obsidionem admouit. In cuius oppugnatione dum Polowconum Dux Misferwica alias Miciewnica supernè occisus esset, Polowcy in Ducis sui vltionem multa & execranda mala Halicien terræ, intulerunt, scindendo quosdam Halicien in quatuor partes, cæteros occidentes, exureñ, mutilando, & plurimos in perpetuam abducendo seruitutem. Expugnata & capta arce Halicien à Rutenis plurimi Polonorum & Vngarorum Proceres occisi aut capti, & qui se redimere auro parato non poterant, in seruitutem venundati. Notus etiam Colomanus Rex electus, per fugam turpem, Vincentio Crac. Episcopo & Iuone Cancellario Poloniæ simul fugientibus, sibi consuluit. Eodem insuper anno præfatus Colomanus Salomeam Virginem, sororem Leszkonis Ducis Crac. accipit in vxorem, cum qua vsq; ad mortem cælibem vitam ducens, & sibi & consorti, decus virginitatis seruauit.

Philippus

Philippus Dux Sueuiæ alter contendentibus de Imperio dum fauorem & assistentiam multorum Principum contra Ottonem Comitem Pictauiæ aduersarium suum sibi vindicasset, & ab Adolpho Archiepiscopo Coloniẽsi, qui Ottonem elegerat & coronauerat, etiam se coronari, prece, & precio obtinuisset, potentiaq; sua continuò inualesceret, contra Ottonem à Bartoldo Comite Palatino de Virkinlinbah qui partem tenebat Ottonis, sub pace simulata in Bamberg occiditur. Ex quo magna orta est in Almania commotio, sed per Innocentium Papam, qui in odium & detestationem domus Sueuiæ, propter mala Henrici, quæ cõmisit in Romanam Ecclesiam fauebat Ottoni, sedatur. Ipse quoq; Otto Philippi competitoris sui filia desponsata, pacificatis rebus Almaniæ venit cum magno exercitu Romam, & magno honore fauoreq; susceptus, pridie Calend. Octobris in Ecclesia S. Petri ab Innocẽtio Papa Imperialem accepit benedictionẽ.

ANNO DOMINI 1209. Electionem filij sui Colomani de Regno Halicien Andreas Vngariæ Rex molestè ferens, expeditionem insignẽ in Rutenos, magno sumptu & cura parauerat. Pro comperto enim habebat ferè vniuersos Russiæ Duces, in eius deiectionem conspiratsse, & bellum in eam ætatem maximis apparatibus gerendum decreuisse. Duplex malùm superimpendens vitaturi. Vnum, ne Vngari regionem eorum iuris sui facerent, si Colomanus Tronum suum in Halicien Regno stabiliret, alterum ne pœnas oppugnati & obsessi, anno transacto in Halicz Colomani, & pluribus crudelibus & nefarijs operibus in Halicien per se & per Polonicos patratis, iusta supplicia darent. Intelligens autem Andreas Vngariæ Rex Russiæ Duces Polowconum auxilia in quantitate magna contraxisse, & ipse ad Leszkonem Album Monarcham Poloniæ mittens exercitum notabilem, ex Polonorum militibus in bellum Halicien mitti obtinuit. In tẽpore itaq; quo inter Leszkonem Ducem & Andream Vngariæ Regem cõuenerat, & Vngaricus & Polonicus exercitus ad Halicz conuenit, Vngaricum Palatinus Vngariæ Attilia Filnia, Polonicũ Nicolaus Palatinus Cracvir in armis egregius, ducebant. Nec Ruteni remorantur, quatuor unim Duces videlicet Mieclaus Mscislawic, Wlodimirus Rurikowic, Roscislaus Dauidowic, & alter Roscislaus Mscislawic, cæteris omnibus suas copias destinantibus aduenium. Polowconum, deinde exortus ingens, & Vngaricum & Polonicum exercitum geminata superans quantitate. Communi autem consilio Vngari & Poloni bellum aduersus Rutenos gesturi, arcem inprimis Halicien fortius, quo possunt, communiunt, sed & in ipsa arce ex Ecclesia S. Mariæ in castellata, alterum Castellum fortius efficiunt, præsidioq; fortiorum, quos inter Vngaros & Polonos habebant, militum superimposito, Colomano cum vxore, & matronarum fœminarumq;, & imbecillium grege relicto, ipsi contra Rutenos ex Halicz egrediuntur, & aciebus ordinatis prodeunt ad pugnam, Polonis dextrum, Vngaris & Halicien sinistrũ cornu tenentibus, leuis deinde armaturæ militibus præmissis, exercitum

Rutenorum

Rutenorum infestabant. Duas etiam acies Ruteni constituerant, vni Mieclaus Mscislawic, alteri Wlodimirus Dux præerant, Polowconum verò turmæ in loco remotiori consistentes id sibi consilij & propositi sumpserant, vt pugna feruente, quasi ex insidijs prodirent. Mscislaus autem Mscislawic quãta hostilis foret potentia conspecturus, in æditiorem locum ascendit, sed à Wlodimiro Duce argutus vehementer, quod in periculoso tempore speculatoris magis, quàm Ducis officium gereret, & suo discessu vniuerso, Rutenorum exercitui ruinam compararet, illicò descendit & suos ad congressum animãs, benè illos in virtute S. Crucis triumphũ relaturos sperare iussit. Sub quo tempore Polonicum agmen exercitum Wladimiri fortissimè inuadit, plurimisque Rutenorum cadentibus, exercitus Wladimiri contritus est, & in fugam cum Wlodimiro & alijs duobus Ducibus, Roscislao Dauidowic, & Roscislao Mscislawic, qui & ipsi in illo constiterant, versus. Fugientes autem in plura miliaria non Polonicus tantummodo, sed & Vngaricus exercitus persecutus est, plurimos trucidans, aut captiuans, & iam exiltimans debellatum. Ea res, eaque tàm longa persequutio Polonis & Vngaris victoriam adimens, clade ingenti illos affecit. In terga enim Vngarorum & Halicien qui solutis ordinibus incedebant, Mieclaus cum Polowcis irruens, ipsos facili negotio fundit & prosternit. Duces insuper Roscislaus Dauidowic & Roscislaus Mscislawic, dùm Vngaros secessisse agnoscunt, fugam sistunt, & in pugnam redeuntes, latus Vngarici exercitus inuadunt, plurimisque cæsis, Palatinum Vngariæ Attiliam capiunt, & plenam victoriam de Vngaris & Halicien Rutenis consequuntur. Palatino enim capto, Vngari & Halicien animos remiserant, passimque à Polowcis trucidantur, quoniam neq; dimicandi, neque fugiendi facultas illis esse poterat, Rutenis & Polowcys vndique circumfusis. Redeunt interim Poloni ex cæde & persequutione Wlodimiri, & ducentes secum spolia, & maximum captiuorum numerum, carmen patrium, ignari cladis quæ Vngaris & Halicien acciderat, canebant, existimãtes se plenam victoriam retulisse. Verùm à Roscislao Dauidowic & Polowcys ab omni parte circumsepti, dùm neq; pugnandi, neque euadendi locus esset, occiduntur. Locant deinde Ruteni & in altum erigunt Polonicum signum, ad quod dùm residuitas Polonorum, qui vel ex cæde diffugerent, vel ex persequutione Wlodimiri redierant credentes illic suos cõsistere, confluxissent, omnes passim trucidantur. Nec interfectorum poterat numerus æstimari, adeò vt flumina rubra ex cruore forent, & morientium atque vulneratorum vociferatio in Castro Halicien exaudiretur. Iacebãt autem interfectorum, velut arena, cadauera insepulta, nec erat circumquaq; Halicz, qui occisos sepeliisset. Polowcy autem multis Nobilibus spolijs, equis, armis, vestibus potiti, etiam plurimos Vngaros & Polonos in terras suas perpetuam laturos seruitutem dedixerant. Mandauerat autem Mscislaus Mscislawic victoria potitus, superbè ea abutens, suis Rutenis, ne quenquam Vngarum aut Polonum viuum esse sinerent. Quapropter non ab hostibus tantum Rutenis, sed etiam Halicien gratificatonẽ

Mſciſlao, & ſuo decreto impenſuris, ad quos confugerant, aut apud quos latitábant, pecorum more ſtrãgulabantur, peneq; omnis Polonorum & Vngarorum exercitus deletus eſt. Efferebatur autem tunc Mſciſlaus Mſciſlawic Dux, quod & victoriam retuliſſet, & cædem in deuictos Vngaros & Polonos fieri iuſsiſſet, à Rutenis. Qui in lætitiam effuſi vociferabantur magnis clamoribus dicentes. O magne Dux & victor Mſciſlae Mſciſlauice, ô fortis accipiter ad conterrendum fortes & robuſtos, armaq́ue illorum transmiſſus à Deo, deſignans ſe glorificare, qui te victo, ſibi deſtinabant victoriam, quoniam à te omnes magnifico & glorioſo Domino noſtro humiliati & conflicti ſunt. Aſſumpto deinde Mſciſlaus Dux Palatino Vngariæ Attilia, ad Caſtrum Halicien acceſsit. Ex quo iam Vngari & Poloni, futuræ obſidioni ſe præparantes Halicien Rutenos cum vxoribus & pignoribus eorum perfidiam eorum & victualium defectum veriti, eiecerant. Et dùm non aperiretur illi Caſtrum, quod Palatinus Vngariæ Attilia aperiendum, nec victori vltra reſiſtendum, apud quem Duces & Imperium Regnumque Halicien Deus conſiſtere voluit, ſuadebat. Mſciſlaus ad Caſtrum reuertus, iterum ad eos qui Caſtrum obſeruabant, Caduceatorum Demetrium, vnũ ex ſuis Rutenis apertionem perſuadens tranſmittit. Qui dùm vacuus redijſſet, iterum perſonaliter ad Caſtrum acceſsit, & repulſum tertiò paſſus, vniuerſam Arcem die altero ſæpiuit, aſſerens ſe obſeſſos non pugnando, ſed cædendo tantummodo confecturum. Dùm autem Colomanus & hi qui ſecum vnâ in arce erant, negligenter intra obſidionis tempus, portam tam Caſtri poſteriorem obſeruarent, nocte vna Ruteni ſuffoſione facta, in Caſtrum irrumpunt, & porta occupata Mſciſlaum cum gentibus Vngaris & Polonis, pauore nimio conſternatis, & ex Caſtro partim diffugientibus, partim ſe præcipitantibus, caligine nocturna metum cauſante, omnia maiora viderentur, intromittunt. Caſtro potitus Mſciſlaus luce erumpente, ad Eccleſiam S. Mariæ & Caſtellum in quod Colomanus filius Vngariæ Regis cum vxore, & potioribus militibus, atque fœminis, ſe irruptione comperta receperat, accedens, illud obſidere cepit, ſæpiuſque colloquium cum Colomano filio Regis Vngariæ expetijt. Quod cùm ſibi militibus Vngaris & Polonis ſuadentibus negatum fuiſſet, perſeuerandum in obſidione duxit. Siti deinde Colomanum & ſuos premente, vas aquæ illis à Mſciſlao tranſmiſſum eſt, quod pro magno munere acceptum, & in capita per menſuram diſtributum, vix dimidiæ parti ſatisfecit. Famæ deinde premente obſeſſos, vitam tantummodo pacti ſe Mſciſlao dedunt, oſtiaq́ue aperiunt. Mandante autem Mſciſlao educebantur Vngariæ Barones, & vxores eorum, & plures inſignes perſonæ, fœminæ & matronæ, nonnullíſq; Polonorum milites, quos omnes aut Polowcys diſtribuit, aut eurienſibus ſuis donauit. Vltimus omnium Colomanus Filius Vngariæ cum vxore ſua eductus, à Mſciſlao acceptus eſt, & in Torczsko tranſmiſſus, mandante Mſciſlao vt ſub diligenti cura & cuſtodia aſſeruetur, licentiatisq́ue exercitibus Mſciſlaus in Halicz conſedit. Dùm autem Nuncius tantæ cladis ad

Vngariæ Regẽ perlatus fuiſſet, nimio mœrore conſternatus, & manu frontem verberans, lachrymis indulgebat, dolens ſe tàm turpiter conflictum. Quibus ad conſolationem conſortis abſterſis, militem ſuum Iaroſz ad Mſciſlaum Ruſsiæ Ducem mittit, monens vt filium ſuum, & vxorem eius, cæteroſq́ue vinctos ſolueret, denuncians ſe ni id fecerit, cum omni potentia contra Ruſsiam venturum. Quo terrore huiuſmodi nihili pendente, & aſſerente, non in ſua poteſtate, ſed in Diuina victoriam conſiſtere, & ſe illum ſi venerit, excepturum, & in virtute Dei confligturum: Hungariæ Rex Andreas ea reſponſione magis magiſq́ue conſternatus, cùm & Conſiliarij illum de ſuperba legatione coarguerent, & niſi gratiorem ei intimaret, filium non eſſet viſurus, meliora conſilia ſequutus, manſuetiorem legationem per eundem Iaroſz ad Mſciſlaum æquis conditionibus offerendo pacem, & ſolui petendo filiũ tranſmittit. Conſors inſuper Andreæ Regis ſpecialem legationem ad Mſciſlaum mittens, ſubmiſsius quàm Reginæ cõueniebat, pro relaxatione filij ſupplicabat. Mieciſlaus autem veritus, ne, ſi Colomanum dimitteret, de nouo contra illum reintegraretur bellum, Colomannum relaxare negauit, ſed proprijs præfectis in Caſtro Halicien poſitis, in Kiow ad Mſciſlaum Romanowic Ducem Kiouien tranſijt, & pluribus diebus illic in ſolatijs & voluptate exactis, in Halicz rediens, illic regebat Principatum.

Prima Auguſti, Mſciſlaus filius Boleſlai victorioſi Dux maioris Poloniæ fundat Monaſterium S. Benedicti in Koſciol ante Kaliſz, Monaſterio Tynecenſi illud ſubijciens. Cui donat pro dote villas Koſciol, Gora, Korieiowo, Krankowo, Glogow, Krzywoſandowo, Kliſowo, Piotrowo, Nadzierzowo cum molendino ante Kaliſz, & Liſciec ante Konin, libertando eaſdem villas & earum bona ab omnibus angarijs, tributis, & ſeruitutibus Polonicalibus, in præſentia Ducum Wladiſlai Opolien, Wladiſlai filij ſui maioris Poloniæ, & Herkem Baldi Caſtellani Caliſien.

Philippus Poſnanienſis Epiſcopus poſt annos tredecim, quibus Poſnanien rexit Eccleſiam, hominem exuens, in Poſnanien Eccleſia ſepultus. Paulum Primum Poſnanien. Cancellariũ, ex Capitularibus Canonicis electum, & ab Henrico Gneſnen Archiepiſcopo, de Wladiſlai Mieciſlawic Maioris Poloniæ Ducis conſenſu, confirmatũ & conſecratũ habuit ſucceſſorẽ.

ANNO Domini 1210. Singulis terris & Prouincijs, duæ in ſuam ſortem & portionem obuenerant, Leſzko Albus Dux & Monarcha Polonorum prouiſurus, ſingulas eorum ſpecialiter & ſeriatim adibat, calamitatem mœſtitiamq́ue cordis, quæ pectori ſuo ex clade Rutenica apud Halicz accepta grauiter inſederat, exterminans, reſtaurans deformata, violentos & calumniatores puniens, & quæſtiones, liteſq́ue ſubditorum diſſoluens. Sed & terram Pomeraniæ ſub ſuam ſortem cadentem adijt, cum ampliore Baronum & militum quam ſolebat frequentia, in ipſam deſcendit, & tàm à militibus quàm ciuibus honore debito ſuſceptus, omnem æſtatem, & autumnum in ea exegit. Caſtra & ciuitates illius, videlicet Nouoſlupsko,

Gdansk, Gniew vilitando, ordinando, & iura populis reddendo, adhibitis Palatinis, Castellanis, & cæteris, qui Magistratus publicos gerebant Terrestres. Verùm quoniam terra ipsa remotius, quàm quæcunque alia à sede Cracouiensi porrecta est, & difficile erat super omnibus quæstionibus & iniurijs ortis & oriendis, ad Ducem Leszkonem, & eius Tribunal habere Pomeranis recursum, Pomeranorum igitur assiduis precibus, & instantijs motus Leszko Albus, & de pacifico tranquilloque terræ Pomeraniæ statu, prouisurus, Suantopelkoni natu maiori genere nobili de domo Griphonum filio Mscinigij Ducis Pomeraniæ, prudentia & ingenio præstanti, Pomeraniæ Capitaneatum committit, & ei in totum in administranda iustitia, in regendo defendendoque Ducatu, in decidendis quæstionibus, vices suas plenariè committit, illique Principatum in Pomerania cõfirmat, neglectis alijs Principibus, Comitibus, & Baronibus, æquè claris, moderatis, & insignibus, credens eum singula non insolenter, nec infideliter, sed modestè & sincerè administraturum. Vtrumq; autem Palatinum, tàm Gedaneñ, quàm Sweceñ & cæteros dignitarios, ac officiales, Capitaneos ac tenutarios illius iubet parere ditioni, recepto ab eo iurisiurandi sacramento corporali, quod terram præfatam Pomeraniæ pro Duce Leszkone filijsque & successoribus suis Ducibus Polonorum fideliter tenebit, & ipsos colet, & venerabitur fide, obsequio, & obedientia pura, nunquam ab illorum subiectione & dominio se sequestrando. Præstabit etiam annis singulis marcas mille argenti, & in fiscum Ducalem Cracouieñ curiam inferret, & pro illorum amplitudine & commodis intendet toto posse, nunquam illos deserendo in prosperis, aut in aduersis casibus. Verùm Suantopelkus præfatus, breui post fidem cum tempore varians & mores cum dignitate permutans, fluxa variaque fide esse cepit, & malignitatis aculeum contra proprium calcitrando Principem exacuit, situm terræ, & callida eorum, quibus præfectus fuerat imitatus ingenia, Principi & Domino suo Leszkoni Albo vice qualibet tantò illudens acerbiùs, quantò operosius vberiorem spem fidelitatis suæ & obsequij repromittebat. Pomeraniæ enim gubernationem sortitus, insolenter se gerere, & in summa totius Pomeraniæ Principatum appetere cepit. Metuens autem Pomeraniæ Principatum, quem auaritiæ zelo, & multo malignitatis spiritu occupandum censuerat, amittere, multis se actionibus teterrimis vt illum quoquo modo retineret, implicabat.

Filium suum Colomanum & vxorem eius Salomeam aliàs Salomeam Andreas Vngariæ Rex de captiuitate soluturus, plures cum Mscislao Mscislawic per Barones & Consiliarios suos egit tractatus, & conuentus. In vltimo autem Conuentu in finibus Vngariæ habito, pax perpetua his conditionibus inter Vngarum & Rutenum conuenit, vt alter filiorum Vngariæ Regis Belæ, filiam Mscislai Mariam in consortem habeat. Mscislaus de Halicieñ Ducatu Colomano post triennium cedat, & tàm ipsum Colomanum quàm vxorem suam, & omnes suæ potestatis captiuos liberet, quæ omnia eo anno fuere consummata.

ANNO

ANNO DOMINI 1211. Secundorum euentuũ certaminumq; prosperitate, quibus Colomanum Vngariæ Regis filium de Halicieñ Regno primum eiecerant, deinde insigni pugna fuderant, Rutenorum Duces elati, plures faciebant in regiones Polonorum excursiones. A Lituanis insuper, & adiuti & docti, rapta præda cum celeri festinatione in propria recurrebant, & nusquam consistere ausi, magnis incommodis & vastationibus Poloniæ Regnum affecerant, iamq; eam inflationẽ pompãq; induerant, vt Polonos contemptui, & ludibrio haberent. Quibus rebus Leszko Albus Polonorum Dux & Monarcha permotus, habito cum Cõsiliarijs maturo tractatu, Sulislaum Castellanum Sandomirieñ cum expeditis militibus in Russiam talionem Rutenis relusurum, & incursiones eorum oppressurum transmittit. Sulislaus autem Castellanus Sandomirieñ Rutenorum terras ingressus, flammis illas vastat, & cædibus, magnoq; numero captiuorum congesto, illos in Poloniam vinctos remittit. Rutenorum autem Duces vastationem tàm crudelem regionum suarum non ferentes, illi occurrunt, & pugnandi copiã faciunt quàm superioribus annis vafro vsi consilio, detrectauerant. Pugna autẽ commissa Ruteni facili negotio, dùm primas acies Poloni strauissent, victi, fugatiq; sunt, & Suãtoslaus Mscislawic, & quatuor alij Duces, videlicet Georgius, Iaroslaus, Wladimirus & Constantinus, multúsq; militum & nobilium Russiæ numerus captus est. Sed non minor erat desideratorum, in quos ab ira Poloni gladios strinxerant, numerus. Et milites quidem, nobilesq; Rutenorum Sulislaus Castellanus Sandomirieñ in vinculis habuit in Poloniamq; deduxit. Quorum pleriq; aut liberalitate Leszkonis Ducis manu missi sunt, aut à suis redempti. Suantoslaum verò Ducem & quatuor Duces alios secum captos, propter furtiuas excursiones, quibus Poloniam plurimum vexauerant, attriuerantq;, vindicandas, & in futurum prohibendas vinctos renuit, victoremq; exercitum de victorum spolijs ditatum & onustũ, non sine sui amplissima laude in Poloniam reduxit. Processu deinde temporis Duces Rutenorum Suantoslaum Mscislawic Georgium, Iaroslaum, Wladimirũ, & Constantinũ Polonorũ Dux Leszko à captiuitate absoluit.

Cometes stella in Mense Maio eo anno apparuit, quæ caudam & faucem ab origente dirigens in occidentem 18. diebus durauit, regionibus Russiæ magis propinqua, cladem, quam in anno sequenti à Tartaris pertulerant, portendebat.

Miecslaus Dux Primus Ratiborieñ & Opolieñ filius olim Wladislai exulis, & circa Posnaniam à fratribus conflicti, 13. Maij moritur. Agilis multũ & procerus statura, peritus artis gladiatoriæ, multas pugnas duelli & torneamentorum in Almania non sine multorum admiratione animosè exercens. Cui filius eius vnicus Casimirus succedit in Principatibus. Fundauit autem præfatus Miecslaus Dux Monasterium Sanctimonialium ordinis Præmonstrateñ in Ribniki, & sufficienter illi dotem præstitit, quod postea filius suus Casimirus in Carnow[illegible] à Iluuj Malpadeñ, qui illic de prope Odræ

pe Odræ miscetur, transtulit. Contors autem eius Ludimilla obijt tredecimo Calend: Octobris.

ANNO DOMINI 1212. Natalem Christi huius Anni Leszko Albus Polonorum Dux & Monarcha, Cracouiæ cum genitrice sua Helena Ducissa, & Vincentio Episcopo Crac: Baronibusq; in magna egit solennitate, & aliquot diebus splendidis conuiuijs Consiliarios tenuit. Et quia eo anno res omnes ad tranquillitatem reciderant, singulis hostibus in circuitu aut quiescentibus, aut debellatis, rebus vrbanis & ciuilibus vacatũ est, & iudicijs particularibus, & generalibus in singulis districtibus instauratis, iura populis reddebantur. Sed nec ea tranquillitas ad integrum tuta fuit, nam superna vexatio acerbitatem ingessit. In mense siquidem Iulio fulminis ictu ærarium Cracouien Ecclesiæ de cælo tactum est, cuius virtute tignis & roboribus tectum, sustentantibus incensis, etiam flamma ad interiora ærarij, nemine ardorem restinguente, peruenit, scriniaq; & cistas corripuit, & casulas, cappasq;, & multa Crac: Ecclesiæ ornamenta atq; decora, largitione & liberalitate Regũ Principũ, Põtificũ, & Christi fidelium donata, quæ in cistis ipsis condita erãt, dissoluit & deuorauit. Crac: Ecclesiam suis preciosis & charis indumentis, pignoribusq;, quibus vltra cæteras Poloniças Ecclesias dotata erat, priuauit. Quod quidem factum prodigij loco habitũ, etiam apud ministros Dei, & alios timoratos viros in relligionẽ versum est, autumantibus conflagrationem ipsam solius Dei nutu propter facinora illũ prouocantia prouenisse.

Potentiam suam Tatarorum gens in eam diem ignorata, & vix audita, ad partes septemtrionales extensura, Polowcys ex illa parte magis conflictantibus, & pluribus alijs nationibus conflictis, deletis aut subiungatis, etiam ad terras eorum, qui citra mare Rutenis confinanter degebant, venit, Polowcy de potentia sua diffisi, periculum quod illis à Tataris imminebat, petentes se vniuersis potentijs Rutenorum adiuuari insinuant, denunciando par discrimen, si victi à Tataris fuerint Rutenis imminere. Veniunt & sub idem tempus ad Russiæ Duces Tatarorum Nuncij, exornans eos ne se bello Polowconum implicent, nec se iungendo Polowcys, necessitatem Tataris bellum contra Russiam mouendi imponant, sed si sapiunt, de suis finibus Polowcos hactenus plurima mala Russiæ terris infereñ, exterminent, cum de alijs Regionibus Tatari sint illos verisimiliter exterminaturi. Duces autem Russiæ parum prouido vsi consilio, & nulla super his matura deliberatione præmissa, gentium iure violato, Tatarorum interfectis Nuncijs vadunt exercitualiter contra Tataros auxilium Polowcys laturi, videlicet Mscislaus Romanowic cum militia Kiouien, Item Mscislaus Mscislawic cũ Halicien militia, Item Wladimir Rurikowic, cæteriq; Duces Russiæ, item Duces Smolen, item Duces Czernicowien, item omnis terra Polowconũ, & omnes Duces eorum, & aliquibus Ducibus & militibus Russiæ in equis euntibus, aliquibus in nauibus perueniunt vsq; ad Protoce, & inde singuli accensis

accensis equis duodecim statiuis ad flumen Kulcza perueniunt, quo iam Tatari Castra sua posuerant, & illicò Tatari respirandi spacio non dato, in Rutenos & Polowcos irruunt, Polowcis autem contritis & diffugientibus, etiam acies Rutenorum turbantur, & hi duo Duces Mscislaus Kiouiensis & Czernicouiensis captiuantur, plurimaq; cæde ædita, multis aut captis, aut necatis, cæteri diffugiunt, sed in fugientes aliud æquè horrendum discrimen à socijs Polowcys in quorum terras fugam maturabant editum, nulli enim ætati aut conditioni parcendo Polowcy agrestes, Rutenos, si equites, propter equos, si pedites, propter vestes, trucidabant. Qui verò ex Rutenis in montes fugerunt, fame moriebãtur, pleriq; in aquis suffocantur, horrendumq; malum in illa die sequutum est, quale nusquam in terris Russiæ visum fuit, neq; auditum. Mscislaus autem Mscislawic Halicien Dux, dùm fugiendo ad naues peruenisset, superatis fluuijs, naues, persequutionem Tatarorum veritus disrumpi mandauit, abindeq; fugax in Halicz pauore & trepidatione plenus peruenit. Dùm verò alia omnis Rutenorum multitudo ad naues fugiendo peruenisset, & eas offendisset violatas, in mœrorem versa, dùm vndas tranare non posset, fame contabescens illic consumpta est, præter Duces & aliquos eorum milites, qui in lembis fluuios traiecerant. Wladimirus autem Rurikowic fuga & ipse saluatus, in Kiow perueniens, sedem accepit Kiouien, eaq; prima clades extitit quam Ruteni pertulere à Tataris.

Otto Imperator omnibus insignibus Imperialibus functus, & nullum sibi sciens in Imperio competitorem superesse, insolenter se gerere, & Innocentio Papæ Tertio, cuius fauore protectus & adiutus ad Imperiũ conscenderat, rebellis & aduersarius esse cepit; vnde & Regnum Siciliæ prætendens illud pertinere ad Imperium, Innocentio Papa, ne quicquam prohibente & obstante inuadit, & magnam illius partem dedentibus se, aut expugnatis Vrbibus Friderico abstulit, propter quam causam Innocentius Tertius videns se deceptum ab Ottone ipsum excommunicat, & ab Imperio deponit, & omnes Principes ac Barones à fidelitatis iuramento absoluit, mandans Principibus & Electoribus, vt ad electionem alterius procedant. Qui Apostolico parentes mandato, Fridericum Secundũ Siciliæ Regem ex Henrico Quinto, & Constantia Monacha vetula genitum, in Imperatorem eligunt. Fridericus autem in Regem Romanorum declaratus, in Almaniam descendens, & Conuentus aliquot celebrans, beneuolentiam sibi conciliat Principum, & à Seyfrido Moguntinẽsi Archiepiscopo, Apostolicæ sedis tunc Legato, Aquisgrani coronatus est, & Almania bellis & schysmatibus intestinis feruere cepit.

Asserũt Annales Vngariæ Regis cõsortẽ & B. Helizabeth genitricẽ vxorẽ Bankbani in curia sua obseruãtẽ fratri suo ad illudendũ tradidisse, & Bãkbanũ de genere Bor ortum ducentem, in vltionem stupri vxoris suæ Reginã Gertrudi nocẽdidisse, in genus quoque Bankbani varia cæde sæuitum esse.

ANNO

ANNO Domini 1213. Miserando & misarabili casu Pannoniorum Regnum ea tempestate afflictum, & apud Polonos sibi conterminos, varijsque necessitatibus coniunctos, & apud vicinas exterasq; nationes sonorum suæ lamentationis edidit eiulatum, cuius Rex Andreas filius Belæ Tertij etsi splendido coniugio & prolis multiplicitate felix & insignis esset, & de consorte sua Gertrudi filia, Bartoldi Moraviæ & Carinthiæ Ducis sorore germana S. Heduigis Ducissæ Wratislauien, & Henrici cum barba consortis, tres filios, Belam, Colomanum, & Andream, quartam verò B. fœminam Helizabeth Landgrauio Turingiæ Ludouico Hermani Principis primogenito in ætate tenera desponsatam, & multa sanctitate refulgentem, suscepisset. Tantæ tamen suæ felicitatis fulgorem fortuna nihil ad plenum tribuens caliginoso euentu repente confudit. Præfatam siquidem Reginã Gertrudim, vnus ex maioribus Vngariæ Baronibus Bãkbanus vocatus, Borortus de genere, mucrone transuerberãs funesta occisione 4. Calend. Octobr. necauit. Cuius quidem necis duæ à scriptoribus feruntur fuisse causæ, vna quidem, quod præfata Gertrudis Regina vxorem præfati Bankbani, in sua curia consistentem, cuidam fratri suo aduenæ & hospiti illudendam consenserat, in cuius sceleris vltionem Bankbanus stuprati coniugij pœnam, quam à patratore non potuit, à conciliatrice exegit; sed absurdum videtur, vt fœmina alioqui per se pudica & casta, & quæ sanctam filiam progenuerat, genusque ab ingenuis, & religiosis parentibus ducebat, stupra & adulteria procurasse credenda sit. Alia verò, quod cùm Andreas Vngariæ Rex ad cõsilium consortis suæ Gertrudis plures Almanos in Vngariam accersisset, & cum illis Vngarorum Castra & munitiones expugnaret, Magistratus quoque Reipublicæ Vngaris neglectis Almanis mandasset, Vngari contemptum in se dolentes, ad occidendum Regem Andream conspirant. Et cùm prebente illis animum, & ductum Bankbano conspirationem completuri, in Curiam Regis aduenissent, Andreas quidem Rex à Gertrude Regina admonitus fugiens, mortem euasit, Bankbanus verò Rege non comperto, Gertrudem Reginam supplices manus porrigentem pro vita, lanceis & hastis perfossam obtruncauit. In cuius necis tàm horrendæ vltionem, Andreas Rex Bankbanum, & omne genus suum ad interremptionem vsque & exterminium deleuit, corpus Reginæ occisæ in Monasterio de Pilis iusto cum honore sepultum est. Hæc dùm viueret, in Ecclesiam Wratislauien liberalem se exhibens & munificam, nobilem Coronam auream quam pro ornamento diebus solennibus gestare consueuerat, eidem Ecclesiæ Wrathislauien transmisit, qua conflata, calix aureus, iuxta eiusdem Gertrudis Reginæ voluntatem & desiderium est fabricatus.

Tredecimo Calend. Nouemb. Wladislaus Ottonis, Dux Calisien fundat Monasterium in Olobok Sanctimonialium Ordinis Cistercien in terra Calisien, & Diœcesi Gnesnen, & illud sũptibus Ducalibus ex fundamẽtis extruit, cui in dotem villas & hæreditates infrascriptas assignauit, videlicet Olobok, Kithadlowo, Zydowopole, Wrosle, Rablany. Item, Wierzbieta filius Cle-

tihus Clementis militis, contulit quatuor villas paternas Monasterio præfato, videlicet Konarowo, Grzybowo, Mislakowo, & Drufzkowo. Item, idem Dux Wladislaus contulit eidem loco villam Staw, commutatam à filijs Laurentij, Dobrogostio, & Crefzacha, pro tribus villis, Chotnino, Golkowo, & Pieniaszkowo. Henricus autem Archiepiscopus Gnesnen ad petitionem Wladislai Ducis, consecrauit in Olobok Basilicam, Monasterio verò contulit Decimas Archiepiscopales de consensu sui Capituli, in villis quæ sunt inclusæ inter Olobok & Barycz fluuios.

Tàm virili ætate quàm viridi Henricus Wratislauien & Slesiæ Dux cum felici & B. Heduigi fœmina consorte sua, in prospera & æquabili fortuna traducta, magna vt vterq; coniugum tempestate sub media pace, dùm iam in occiduam vergerent ætatem, obrutus est duorum siquidem filiorum, videlicet Henrici & Conradi, qui Crispus vocatus est, qui vsque in virile robur euaserat, dùm iam Tertius Boleslaus fato subtractus esset, liuoroso inter illos serpente, collidebantur odio, alterum Esau, alterum Iacob ex euentu & conditione crederes, cùm pro vno pater Henricus, pro altero genitrix staret Heduigis. Henricus siquidem Dux pater minorem natu Conradum singulari affectione complectens, Ducis Saxoniæ illi filiam desponsat, & Lubuceñ terram, Lusatiæque regionem perpetua illi consignat portione. Henricũ autem natũ maiorem B. Heguigi persuadente, Slesiis & Wratislauien Ducem destinat. Id cum molesto & irato animo Conradus ferret, & ex naturali instinctu Polonis amicus facilis & blandus, Teutonicis verò hostis infestissimus foret, parentum ordinationem armis rescindere, dùm preces inualidæ essent, constituit, exercituque notabili ex Polonorum & Lubuceñ militibus & agminibus comparato, fratrem inuasit. Et licet vterq; parens tollere dissidium fratrum, & quietare maximis conatibus laborassent, vidẽtes tamen labores suos in cassum recidere, vtrumque filium propositum suum (Dux Henricus Glogouiam, & Ducissa Heduigis in Neptz secedens) exequi passi sunt. Non tulit & Henricus natu maior Fratris Conradi inuasionem, sed exercitum ex Polonis & ex Teutonicis colligens, Conrado inter Legnicam & aureum montem in loco qui dicitur Studnica, seu Rutfa Ecclesia occurit, vbi dùm congressu facto, fortiter ab vtraque parte pugnatum foret, plurimis in ore gladij cadentibus, Henrico cessit victoria. Conradus Crispus cum multis suorum amissis, ex prælio diffugisset, ad patrem Henricum in Glogouiam diuertit, ratus, prout euenit, & se illic tutum consistere. Verùm cùm dierum processu in siluas Tarnouien venandi gratia processisset, feram agitans & equo corruit, fractisque cruribus exspirauit, in Monasterium Trebniceñ delatus, operante sorore Agneta Abbatissa Trebniceñ, quæ eum tenerrimè viuentem dilexerat, in Capituli loco sepelitur. Quo sic abiumpta fraternum & domesticum bellum, quod quandoque resumi & reintegrari nemo dubitabat, cõquieuit. Ne autẽ Matri religiosissimæ Hedwigi Ducissæ mors filij Conradi Crispi præcordia dolore ingenti repente denunciata fauciaret,

non ad funerias filij, sed ad visitationem ægroti venit rogata est. Illa autem & cladem primum, & mortem filij dudum in spiritu præcognoscens, & illum iam extinctum esse sciens, nuncijs respondit. Quare, inquit, languidum Conradum filium meum simulantes, viuere illum confingitis, cuius occasus dudum ante mihi fuit cognitus, quoniã sua temeritate sanguis funderetur plurimorum. Iuit deinde ad exequias filij, & iusta illi pro Ducalis dignitatis excellentia, & pro maternæ charitatis affectu impendit.

ANNO Domini 1214. Nondum pubertatis annos Wladislaus Dux, (qui ex post cùm esset in sputu nimius Plwacz agnomen sortitus erat) filius Ottonis filij Mściſlai senis Ducis maioris Poloniæ transgressus curatorem ac tutorem suum Wladislaum maioris Poloniæ Ducem, & Ottonis fratrem ab aliquibus, ob proceritatem staturæ magnum, ab aliquibus verò ob proceritatem & excellentiam tibiarum Laskonogi vocitatum, qui velut patruus suus germanus, ipsius tutoriam assumpserat, fastidiebat, Principatumque maioris Poloniæ partiri, & sibi illius dimidium à patruo consignari depoſcebat, vehementer ad Principandũ aspirans, & disciplinam patrui sui magnopere abhorrens. Prauam autem suam intentionem non solùm innata prouehebat ambitio, sed nonnullorum nobilium & adolescentum, qui ta secum vnâ creuerant, nutriebat, incendebatque persuasio: Verùm cùm Wladislaus magnus Laskonogi partim ingenijs, partim autoritate iuuenilem ætatem frustraretur, Wladislaus Plwacz, moræ cuiuslibet impatiens, satellitibus aliquibus cinctus, Calisien Castrum subintrat, & patrui sui Officialibus expulsis, tàm Castrum, quàm Ciuitatem occupat, & se in Castro recludit, resistentiam pro viribus si impetereretur, Wladislao magno patruo suo oppositurus. Quod cùm Wladislao magno nunciatum fuisset, magnas copias ex militibus & agrestibus subitò contrahens, Castrum Calisien obsidione cingens, Nepotem etiam in eo concludit. Qui dùm quindecim diebus obsidionem continuasset, victualiaque obsessis scirẽtur propediem defectura, veriti obsessi, ne si Castrum per violentiam caperetur, iratus Wladislaus magnus in eos aliquid grauiùs statueret, caduceatoribus missis, vt & incolumes eos esse, priscumq; honorem & fauorẽ retinere liceret, de dedendo Castro paciscuntur. Wladislaus verò Plwacz de fauore patrui diffidens, carceribus se deputandum pertimescens squaloribus, cum septem tantummodo commitibus nocturno tempore ex Castro Calisien. dilapsus, versus Cracouiam ad Leszkonem Album contendit, & inde ad Andream Vngariæ Regem perueniens, causis itineris expositis, humanè amiceque ab illo fotus, exceptus, honoratus, & habitus est.

ANNO Domini 1215. Nobilem & illustrem Cracouiensem Ecclesiam Vincentius Cracouien Episcopus sui Pontificatus tempore amplius illustraturus, pro habendis quotidianis refectionibus vndecim decimas manipulares, & septem pecuniarias in villis circumcirca Chcow Oppidum sitis ad mensam suam Episcopalem pertinentibus, donatione perpetua contulit & do-

tulit & donauit. Ex quarum introitibus in vino, luminaribus, cæteriq; suis necessitatibus, procuratur Cracouiensis Ecclesia, & Prælatis Canonicisque Ecclesiam ipsam frequentantibus, distributiones frequentes ac quotidianæ largiuntur. Nimium fortunatus, nimiumque liberalis Episcopus, æterna in laude versandus, quòd & Ecclesiæ suæ prouidit necessitatibus, & plurimum illi contulit stabilimenti & decoris, amplissimam sui doni compensationem, per gratiam pontificis & remuneratoris superni, abundè iam consequutus. Ne autem de nominibus villarum decimas huiusmodi afferentium, à quopiam ambigi posset, etiã nomina earum inserui. Primo quidem manipularium, Gnoynik, Golpridowa, Tymowa, Twerkowa, Larkow, Viazd, Opatowice, Lucilawice, Iazceschowa, Konczyská, & Zdania. Item pecuniarum, Brzozowa, Olszowa, Slona, Bieznik, vel Bruznik, Polichta, Poszna. Item in Oppido Casimirien. Cracouiæ vicino, ita vt candela inextinguibilis nocte dieque ardeat in altari, reliquum Canonici in suos vsus conferãt. Asserunt alij decimas ipsas, non mensæ Episcopalis, sed Ecclesiæ Parochialis in Czehow extitisse.

Actum est eo anno in Mense Nouembre apud Lateranum Concilium celebre & famosum, per Innocentium Papam Tertium congregatum, quod tanta frequẽtia illustrium personarum fuit insigne, vt ex Patriarchis, Archiepiscopis Episcopis, alijsque præstantibus Prælatis mille ducenti quindecim numerarentur, in quo & pro generali subsidio terræ Sanctæ ferendo eximius laborauit, & plures ordinationes vtiles pro reformanda Ecclesia Dei, & sollendis nonnullis abusibus edidit. Cui etiam Concilio B. Dominicus, Pater & Institutor Ordinis Prædicatorum interfuit, & illic sui Ordinis confirmationem ab Innocentio Papa fieri petiuit. Quem in Tolosanis partibus verbo & exemplo contrà hæreticos prædicando instituerat. In eodem insuper Lateranen. Concilio, præfatus Innocentius Papa desiderio animæ suæ potitus, quo æstuans in sermone in Concilio proposito, quam quasi Propheticè inchoauerat, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, obijt. Cui Honorius Tertius succesit, à quo B. Franciscus post multos labores per multam instantiam Ordinem suum obtinuit confirmari. Beatus insuper Dominicus ex Hispanijs iterum Romam reuersus, vbi Magistrum Rimaldum Decanum S. Auiani Aurelianen. de peregrinatione terræ Sanctæ reuertentem offendens, ad assumendum Ordinem suum induxit. Quo assumpto, cum B. Dominico aduenit Bononiam, & cepit prædicare & commendare Ordinem Prædicatorum, & eundem Ordinem Domino cooperante per totam Lombardiam & Venetijs in breui tempore feliciter disseminauit. Quasi enim tuba sonora, vox prædicationis eius corda audientium percutiebat, & pectora indurata efficaciter liquefaciebat.

Bartha Episcopus Wladislauien. cùm annis prope duodecim Wladislauien. Ecclesiam rexisset, rebus excipitur humanis, dolore calculi correptus. Quo apud Ecclesiam Wladislauien. tumulato, Michael Polonus nobilis de familia Godziemba per electionem Canonicam ab Honorio Papa

Tertio, Cõrado Masouiæ & Cuia: Duce eius electionẽ promouẽte prouitus.

ANNO DOMINI 1216, Duobus de Imperio videlicet Friderico & Ottone contendentibus, durus bellorum ſtridor Almaniam præmebat, magnæ etenim atquè frequentes pugnæ cum cæde & interitu multarũ inſignium perſonarum inter Fridericum & Ottonem habitæ ſunt, & nunc vni, nunc alteri obueniebat victoria. Nec dubium quin Otto, qui plures amicos & fautores in Almania habebat, ſuperior euaſiſſet, niſi Innocentius Papa Tertius duram ſententiã tuliſſet contra omnes Ottonis fautores. Quo ſuffragio Fridericus adiutus contra Ottonem præualuit. Et Otto ad Philippum Regem in Gallias, qui ſuæ parti fauebat, diuertit. Et quamuis Innocentio Papæ non placuiſſet electio Friderici, diſſimulauit tamen propter odium Ottonis, quia durum erat tot Principes perturbare, coronare tamen Fridericum diſtulit, iuuenilem illi ætatem obijciens, quæ dilatio ab electione Friderici, vſq; ad mortem Innocentij, quod fuit ſeptenale ſpatium, tendebatur. Innocentius autem Tertius Papa poſt Concilium apud Lateranũ celebratum, in Tuſciam deſcendit, ad pacificandum Piſanos & Genuẽſes, quatenus vnitis potentijs facilius terræ Sanctæ poſſent ferre ſuffragia. Sed cùm veniſſet Peruſium, infirmatur, & moritur, cùm annos 17. Menſes 10. dies 23 ſediſſet, & in Eccleſia S. Laurentij in Peruſio honorificè ſepelitur. Procurantibus autem Peruſinis, claudi Collegium Cardinalium, Epiſcopus Hoſtiẽſ Romanus natione, in ſummum Pontificem concorditer electus eſt, & Honorius tertius vocatus, qui eodem promotionis ſuæ anno ordinem Prædicatorum, quem Innocentius quidem confirmare decreuerat, ſed morte præuentus neglexerat, confirmauit.

Lituani cùm in Anni huius hyeme Ruſsiæ regionem prædatũ veniſſent, raptaq; præda more ſuo diffugerẽt, à Duce Iaroſlao Wſzeuoldowic, & Nouogrodenſi conſecuti, prælio inito cõfliguntur. Rutenis quoq; non incruenta ceſsit victoria, quoniam & Dux Dauid Choropecki, & plures alij Ruſsiæ milites deſiderabantur, ſequenti quoq; tempore, dùm alius Lituanicus exercitus ciuitatem & regionem Polocko vaſtaret, Dux Mſciſlaus Dauidowic cum Smoleñ militia celeri curſu in Polocko aduenies, Lituanos incautos offendens, abſq; numero ſternit & occidit. Pluresq; verò qui in curias aut domos occultandi gratia confugerant, inde extractos vario ſupplicio necat, alios etiam in lacubus ſubmergit, & paucis euadentibus fere omnes deleuit.

Andreas Prageñ Epiſcopus, tàm à Præmiſlao Rege, quàm à militaribus & nobilibus Bohemiæ plures iniurias & oppreſsiones, cùm in villarum calculationibus, & tributorum exactionibus, tùm in decimarum denegationibus, quas & ſibi, & Monaſterijs, & pijs locis, ac vniuerſo Clero irrogabãt, perpeſſus, dùm videret Regem & nobiles inexorabiles, in ampliora Eccleſiarum grauamina graſſari, & plus ſolito ad facinora legi diuinæ contraria procliues eſſe, & nec precibus, nec admonitionibus ſalutaribus acquieſcere velle,

re velle, ſed deteriora indies ſectari B. Adalbertũ, quondam Prageñ Epiſcopum immitatus, cui meritò ſucceſsiſſe ſe ſciebat. Primum Præmiſlaum Regem & Barones Bohemiæ excommunicationis ſententia percellit. Deinde cùm Rex & ſui cenſuras irridentes contemnerent, vniuerſum Regnum Bohemiæ Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. Et furorem Regium extimeſcens atq; militum quarto Idus Aprilis deſerta ſede ſua, ne contaminaretur ſordibus ſceleratorum, Romam aliquibus Eccleſiaſticis & timoratis viris eum comitantibus, ſeceſsit, nec ad plebem obſtinatam, cuius duram & irrefragabilem ceruicem nouerat, difficulter domari, quanquam Metropolitanus ſuus Archiepiſcopus Moguntineñ pluribus inſtantijs elaboraſſet eum reducere, vſq; ad diem mortis ſuæ redire acquieuit. Adeò enim grauamina Regis, & militum in Clerum efferbuerant, vt in quibuſlibet Teloneis, in quibus Iudæus nonniſi pro capite nummum reddebat, Presbiteri & clerici ratione Coronæ ſiue tonſuræ triginta ſoluere cogebantur. Neq; ea tantum modo, ſed & plura alia ferè barbara adeò, vt pleroſq; rederet viuere, ſubire impellebantur, cum Chriſti Domini ſacerdotes viliorem contemptibiliorem què apud Bohemos quàm Iudæi obtinebant locum.

ANNO Domini 1217. Tyrannidem qua Conradi Maſouiæ & Cuiauiæ Ducis germani Leſzkonis Albi, pectus refertum erat, quam in ærarie iuuenili effudit, quamque ex poſt effuſſurus erat horrendus ſuarum Prouinciarum caſus monſtrauit. Erat illi Baro & miles inſignis Criſtinus nomine, hæres de Gozdowo Ploceñ Palatinus, genere nobilis de domo & familia, quæ pro inſigni Lilium defert Gozdouitarum, ſed opere & virtute, quoties quid agendum aut expediendum erat, nobilior, per quem ſalutem Polonis Deus dederat in prælio Zauichoſteñ, cum Romano Duce Ruſsiæ habito, ſub cuius ordinatione & regimine, & Ducatibus Maſouiæ, & Cuiauiæ tranquilitas prouenerat, & Ducales prouentus magnopere augebantur, plectebantur ſcelerati, & honorabantur virtuoſi. Qui dùm effeminatos & laſciuos mores ad quæque turpia deuiè procliues Ducis ſui Conradi corripit, cùm illum primùm ſecretè, demum coram Conſiliarijs, vt quoſdam abuſus prauos & illecebras reſcindat, virtutibuſque det operam, reprehendit & inducit. Non tulit Conradus correptiones huiuſmodi ſalutares, necnon frugiferas, ſed in furorem nefandum excandeſcens, præfatum Criſtinum Palatinum Maſouiæ, ſui honoris & ſalutis ſyncerum Zelatorem & ſeruatorem, adoleſcentiæ inſuper ſuæ præceptorem, pædagogum, & inſtitutorem captiuat, & ſqualido carceri ineludit. Sub quo quidem tempore hoſtes & inuidi ſui, plures de eo criminationes & figmenta apud aures Conradi, ſingula ad crudelitatẽ recipientis, & ſignanter Ioannes Czapla Cancellarius ſuus Dualis, ingerebant. Quibus Conradus Dux incenſus & inflatus, præfatum Criſtinum Palatinum, primum in villa Kouale excæcari præcepit. Sed neq; hoc genere crudelitatis contentus, peſsimis aſſentatoribus ſuggerentibus, excæcatum iugulari, & militem ſtrenuiſsimum, totiuſque Maſouiæ florem,

virum clarum & heroicis splendentem operibus, dùm æquare non potuit, per eleuationem suspicionis & inuidiæ, salutaria monita perosus, indigna morte truculenta Tyrannide & improbo consilio Ioannis Caple, Scholastici Plocensis vsus necauit. Post cuius excessum Masouiæ & Cuiauiæ Ducatum speciosus status plurima caligine obductus est & varijs iactatus casibus, sensim in præcipitem ruinam innocentem sanguinem vindicante Deo, ferebatur. Hunc ea strenuitate & animositate præditum Annales perhibent fuisse, vt Prutenis, Lituanis, cæterisq; gentibus deuictis, atq; domitis, & sub iugum coactis, censuales illos atq; tributarios Polonorum Ducibus fecerit, Victriciaq; arma sua vltra mare proferens, id sibi nomé eamq; famam à proprijs & exteris, quæsierat, vt magnus Masouiæ Palatinus à proprijs & finitimis vocitaretur. Quem splendorem Dux Conradus Masouiæ impatientius ferens, suũ & filiorũ suorũ statum ab eo depressum, aut eneruatum, iri veritus, ipsum iniusto & crudeli mortis genere consumi mandauit. Corpus tamen suum in maiori Plocensi Ecclesia debito honore tumulari passus est. In fortissimum siquidem & sibi fidum militem, seuiebat etiam in occisum simplici genere mortis in eo non contentus, per quem hostibus in circuitu fuerat formidabilis. Truculentum profectò, & plusquam barbarum tyrannidis ingenium, quod tàm nobilem & incly tum militem tàm insignem Ducẽ & victorẽ, tàm necessarium bellatorem extinguere potuit. Ab eo quidem Titus Romanorũ Imperator Vespesiani filius habuisse scribitur diuersissimum, qui duos patricij generis in affectione Imperij conuictos, à reatu & pœna nobiliter absoluens, nihil amplius, quàm vt desisterent à proposito monuit, dicens, Principatũ fato dari, si quid præterea poscere ab eo vellent, promittens se tributurum. Nec tantæ præsumptionis iniquitas contenta, suis finibus prolem eius persequitur, & proscribit. Diuinæ verò prouidentiæ iusticia, reddens vnicuiq; pro opere iustam mercedem, nec permittens tantam iniquitatẽ, præsumptionis impunitam transire, vt iusto Dei iudicio idem Dux Conradus puniretur, in quo deliquit, barbaras nationes Prutenorum terrarum suarum conterminas, morte audita Christini, in lætitiam permisit, prorumpere, dicentium. Honor nobis & facilis ad terram Polonorum aggressio, post quam ipsi Deum, & liberatorem suum occiderunt. Christinum appellantes Deum. Ipse enim virtute sua Heroica & adiutorio Dei suffultus, totam terram protegebat & defendebat. Quo occiso idem Dux Conradus Dei adiutorio obscelus crudelitatis destitutus, terras suas à modo reliquit indefensas. Vnde euenit, vt cùm per frequentes Polowconũ in cursus terra eius deuastaretur, & depopularetur impunè, coactus est inuocare auxilium Henrici Ducis Wratislauien, ad cuius persuasionem barbaris repressis, & terra Chelmen in suum statum restituta, Fratres Cruciferos in sui auxilium aduocat, & ipsis terram Culmen à Prutenis defendendam assignat. Et rectè auaritiam Conradi præfati Ducis iusticia puniuit diuina. Nam qui Christinum Palatinum felicitati & amplitudini eius inuidens propter prædi-

orum &

orum & fortunarum, tàm apparatuum, quàm ornamentorũ & rerum copiosam abundantiam cæcauit, & iugulauit, & prolem eius proscripsit, ipse non solùm prædia, & possessiones, sed etiam Principatuum suorum terram insignem coactus indebitè alienare, & posteritatem suam ac reliquos Principatus, graui vexatione reliquit crudeliter impugnandam.

Plocensis Ecclesia casuali incendio in Castro Plocensi exorto, grauem percepit in rebus suis, & supellectili conflagrationem.

ANNO Domini 1218. Statum suum Pontificalem Vincentius Kadlubkonis Cracouiensis Episcopus intelligens diuersis curis & periculis implicitum esse, ex pelago multifariorum naufragiorum euasurus, cùm esset vir raræ doctrinæ, & religionis immensæ, Episcopatu, quem annis iam prope duodecim gesserat, cedere decreuit. Id dudum longo ante tempore perficere nequiuit, aduersantibus eius sancto proposito Leszkone Albo Duce, & Cracouiensi Capitulo, qui & Rempublicam & Ecclesiam persona tàm egregia, & insigni spoliatum iri vehementer dolebant, tandem frequentibus precibus & humilitate profunda, & Ducalem & Capitularem renitentiam expugnauit. Cui dùm successor idoneus quæreretur, Iwo filius Saulis Comitis de Konskie, genere nobilis de Domo Odrowaz & natione Polonus Cantor Gnesnensis, Canonicus Cracouiensis, & Leszkonis Albi Cracouien & Sandomirien Ducis Cancellarius, inter cæteros Duci & Capitulo dignior videbatur. Qui vt propter literarum peritiam, & prudentiæ humanæ fulgorem, Vincentio in Episcopatu succederet. Verùm dùm in admittenda Vincentij cessione per summum Pontificem difficultas timeretur. Iwo assumpto sibi in Comitem & Consultorem Iackone de Opolien Prouincia & villa Lanka, Canonico Cracouien viro sensato & industrioso, ad Honorium Tertium in vrbem se contulit, & tàm Vincentij cessionem admitti, quàm suam nominationem confirmari, & in Cracouien Episcopatum se promoueri, personam suam Vgolino Cardinali, Episcopo Hostien propter familiaritatem præcipuam, quam inuicem in studio Parisiensi contraxerant, coram Papa & Cardinalium Collegio altis efferente laudibus, facilè obtinuit. Qui dùm Romæ promotionis suæ pertractans negotia moraretur, B. Dominicum magnis iam prodigijs, initia suæ Sanctitatis & religionis declarantem videre, eiusque familiari conuersatione vti prædicationi suæ coram interesse promeruit. Et dùm die quadam Stephanus Cardinalis ad S. Sixtum, vbi vir Dei Dominicus cum fratribus suis morabatur, veniisset, Nepos Cardinalis præfati equo in foueam præcipitatus, plangentium manibus exanimis efferebatur, vir Dei Dominicus, obsecrante illum fratre Tangredo, viro magnæ religionis atq; dicente, Quid agis Pater? casus iste tuæ virtutis experimẽtum expectat. De superna autem Dominicus certus virtute, defunctum oratione fusa, vitæ pristinæ incolumem reddidit. Quo quidem miraculo suo, Cracouien Episcopus, qui omnibus quæ circa resuscitatum agebantur, aderat, prouocatus in Poloniam, rediturus, Fra-

tres à B. Do-

tres à B. Dominico petijt. Alios autem obtinere non valens, tres suos Comites & familiares, videlicet Iackonem Canonicum Cracouien. qui & ipse de domo Odrowaz erat. Item Ceslaum Polonum, Henricum Morauum, & Hermanum Teutonicum, ad Ordinem per B. Dominicum assumi obtinuit, & illos secum in Poloniam deducens, primus Ordinem Prædicatorũ in Polonia B. Dominico adhuc superstite plantauit. Et Iwo quidem ex Roma reuersus, ab Henrico Gnesnen. Archiepiscopo, in Episcopum Cracouien. consecratus est, Vincentius verò in Andrzeouien. Monasterium, vbi tunc sacra Cistercien. religio, magnis fratrum studijs colebatur, se conferens, & habitum & Ordinem suscepit, & ex bono optimus effectus, nudus Christũ sequi, & in vitæ austeritate Deo suo militare cepit. Vndosum hoc, quod inter nos & Deum peccatis interlatrántibus separat, præsentis vitæ salutem Pontificali exutus amictu, & cura expeditius tranaturus. Cuius generosus spiritus ad superna & cœlestia, summiq; boni vertice semper anhelans, haud tollerare poterat, in terrenis sicut in vmbra prorsus educari, nisi ad cœlestes radios in sanctæ religionis, austeritate mentis suæ aciẽ attentius dirigeret.

Colomanus filius Andreæ Vngariæ Regis in Russiam cum Vngarorũ copijs adueniens, & ab Halicien. & à Duce Mscislao Mscislawic magno honore susceptus est. Ducatum autem Halicien. & Arcem Mscislaus Dux iuxta fœdus cum Patre suo Andrea initum, resignans, & de illis excedens, in Iorek se contulit, & anno sequenti rebus humanis exutus, in Ecclesia S. Crucis in Kiow, quam fabricauerat, sepelitur. Cepitque extunc Colomanus Halicien. Ducatum pacificè possidere, non tamen diuturna fuit illi huiusmodi pacifica possessio.

Ducibus Cernicouien. copias suarum gentium contra Kamieniecẽ ducentibus, Dux Mscislaus Smolnen. Polowcos in subsidium transmittit. Cui potentiæ Cameneceñ dum non possent resistere, regio eorum varijs calamitatibus afflicta subiacuit.

Otto Quartus Romanorum Imperator, qui cum Philippo annis vndecim, solus verò annis decẽ regnauerat, 14. Calend. Iunij apud Arconburg fluxu sanguinis moritur.

Andreas Vngariæ Rex patris sui Belæ votum redempturus, in subsidium terræ Sanctæ transtretat cum Duce Austriæ, & alijs diuersarum nationũ Cruce signatis, & cum Saracenis fortiter pugnant, ferè totam terram Sanctam recuperant. Rex verò Vngariæ breui illic tempore commoratus, cum magno damno terræ sanctæ, Patriarcha nequicquam admonente, & ex post excommunicante, recessit, plures peregrinos arma & galeas atque iumenta secum trahens.

ANNO Domini 1219. Gnesnensis Ecclesiæ Metropolitanus Henricus, cùm in Archiepiscopali sede annis decẽ & nouẽ sedisset, ad horam extremam perueniens, salutari sumpto viatico, 22. Martij moritur, & in Ecclesia Gnesnensi iusto honore sepelitur. Post cuius mortem Prælati & Canonici Gnesnenses capitulo celebrato, Vincentium genere nobilem, natione Polonum eligunt. Qui tandem probante electionem suam Wladislao Magno Laskonogi maioris Poloniæ Duce, ab Honorio Tertio in Archiepiscopum Gnesnensem confirmatur. Iste Archiepiscopus Henricus cùm esset animi generosi in beneficijs distribuendis, & funiculis in Ecclesiæ libertatibus Polonorum dilatandis, multos labores subijt, & sustinuit, pro Ecclesiæ Polonæ libertate acquirenda & dilatanda. Nam cùm Cleri & Sacerdotes ad iudicia Iudicum secularium, etiam pedaneorum indifferenter traherentur, etiam inuiti, ipse de consensu & decreto vnanimi Ducum Poloniæ, per eius solertiã & industriã ad eam sententiam inductorum, vniuersos Clericos, Monachos, Ecclesiastici fori, priuilegio fecit gaudere, nempè vt non possint conueniri, nisi coram suis Prælatis, videlicet Archiepiscopo, Episcopis, Abbatibus, Archidiaconis, & alijs Officialibus Ecclesiasticis, nec per conuentionem, aut aliquam exceptionem ad forum laicorum possint compelli, sed nec coram ipsis Ducibus, aut eorum officialibus respondere. Et eandem libertatem obtinuit originarijs & ascripticijs Ecclesiarum. Deinde, cùm pro hac libertate cõfirmanda, Romam se personaliter conferendo, assiduo conatu & pio studio laborasset, & ibidem rebus omnibus pro libito apud sedem Apostolicam ac pro voto obtentis, & confirmatis, accepto legationis officio, in Gnesnen. Prouinciam, & in Regnum Poloniæ redijsset, cum magno honore à Ducibus Poloniæ receptus, Priuilegium Ecclesiasticæ libertatis in multis articulis, quibus vim Ecclesiasticæ libertatis gnauabatur, petijt & obtinuit confirmari. Tandem Synodo Prouinciali congregata, Clericos in sacris ordinibus cõstitutos, vxoribus priuauit. Et quia ex constitutione Petri Capuani Cardinalis sedis Apostolicæ legati super vxoribus dimittendis, nullus fructus hactenus prouenerat, ne vaga licentia eis dimitteretur, specialiter omnes Clericos, tactis Sacrosanctis Euãgelijs, vxores deinceps, & quaslibet concubinas, fecit abiurare & ab eis cõtineri.

ANNO Domini 1220. Proceres Craconien. veriti, ne proprijs Ducibus Leszkone Albo & Conrado sine liberis obeuntibus, in peregrinorum Ducum ditionem deuenire cogerentur, Leszkonẽ Ducem suum, duo & triginta annos habentem, coniugium assumere compellunt, varia tamen apud Consiliarios erant vota, alij enim cum Vngaris, alij cum Almanis, alij cum Bohemis, cæteri cum Rutenis futuram affinitatem præstantiorem iudicarãt. Visit tandem ea pars, quæ cum Rutenis amicitiam suadebat. Pro illaque tempestate Rutenorum amicitia potior iudicata est, cùm vt dominium Polonorum latiùs posset porrigi, tùm vt cum Rutenis pax plurimis bellis & simultatibus infecta posset reformari. Itaq; ex Consiliariorum sententia, Leszko Albus virginem genere & moribus, formaq; ingenuam Grzimislauam, filiã Iaroslai Ducis Russiæ, accipit in vxorem, & nuptiæ, sumptu & apparatu magnifico, in vrbe Cracouien. celebrãtur. Quarum celebritas per actus militares & hastarum ludos in dies plures fuit protracta ea demũ affinitate, tàm Polonis quàm Rutenis certa & optima pax effulsit, iugi bel-

lo, quo se vtrinque collidebant penitus sublato, & superioribus inimicitijs obliteratis, captiui quoque in bellis transactis capti, tàm ingenui, quàm agrestes manumissi

Cristinus, aliàs Christianus Frater, Ordinis Cistercien, per Conradum Masouiæ Ducem in Culmen Episcopum assumptus est, & per Honoriũ Papam tertium prouisus. Huic Conradus præfatus, propter suas virtutes & probitatem, & quia Ducem Slesiæ Henricum Michaëlem Wladiensem, & Laurentium Lubucen, Episcopos, aliosque plures milites cruce signatos ad reparandum Castrum Culmen à Prutenis sole æquatum, & desolatum induxit, plus quam centum villas interra Culmen donauit.

Fridericus Secundus Romanorum & Siciliæ Rex, Henrici quõdam Imperatoris filius, morte Ottonis Imperatoris sequuta, rebus Imperij miro modo pacificatis, cum magno apparatu Romam veniens, honorificè à Papa Honorio & Senatu receptus est, & in Basilica S. Petri vigesimum secundũ agens annũ, Imperiali benedictione ab eodem Honorio sublimatus est.

Magno luore acti Rusiæ Duces, quod Colomanus Vngariæ Regis filius, pacificè Arcem & Regionem Halicien hactenus possedisset, Danielem Romanowic Ducem suapte ad id procliuem, quod regionem ipsam patet uus habuerit, incendunt. Qui illorum adiutus suffragijs in Halicz aduenies, & omnia neglecta offendens, Arcem occupat, & Colomanum nisi cum Vngaris expellit.

ANNO Domini 1221. Motibus exterioribus atq; bellis quietatis, nouum dispendium Poloniam, siue id cælestis faciebat ira, siue fatorum necessitas, peruasit. A festo siquidem Paschæ vsque ad tempora autumnalia pluuiarum & imbrium continuus descensus, tantam fluuiorum inundationem causauit, vt aquis supra modum crescentibus & inflatis, quidam particularis cataclismus, terris timebatur accidisse, vndarum autem, tàm horrenda & insolita eruptio, pleraſque villas in basso sitas demolitione perpetua absorbuit, vernalia frumenta seri prohibuit, & quæ terræ per autumnum inserta erant, vorauit, præter pauca loca, quorum agros collium aut montium altitudo à pestc huiusce modi defenderat. Germina itaq; frugum huiusmodi alluuione depasta, multis incommodis non solùm Poloniã, sed & omnes finitimas regiones, in quibus æquè prouenerat vexauêre. Nam & domesticorum animalium pabulis deficientibus, mors primum obuenit, deinde fames valida, & spacio triennali continuata, etiam plurimos mortales agrestes, præcipuè victualium inedia tabescens, adeò absumpsit, vt plures villæ & oppida habitatoribus consumptis, vacuæ desertæque remanerent. Malum autem huiusmodi ex imbrium multiplicitate proueniens, hyems grandis & sine exemplo subsecuta, ingrauauit, sub quo etiam tempore pecorum & pecudum magna mortalitas sequuta est.

Fridericus Secundus Romanorum Imperator & Siciliæ Rex, quamuis in principio sui imperij sincerè & relligiosè se erga summũ Pontificem gessisset, velut filius ab Ecclesia educatus, & quæ illum cæteris præteritis in cul-

men Impe-

men Imperiale suo fauore opera & auctoritate euexerat, Verum in processu temporis morte Matris sequuta, ab iniquis consultoribus subuersus, in Sicilia Ecclesias grauare, & in seruitutem redigere cepit. Quamobrem Honorius Papa paternè primum illum monet, vt à talibus desistat. Quo non obtemperante, contra ipsum procedit per sententiam excommunicationis. Et cùm magis rebellem contumacemque aduerteret, manum suam contra illum aggrauat, & omnes subditos tàm Regni Siciliæ, quàm Imperij à iuramento fidelitatis absoluit. A quo quidem tempore Fridericus prædictus magnam tyrannidem in Ecclesiã & omnes sibi deuotos & adhærentes exercuit, & illam vsque in diem mortis suæ non remisit.

Vndecimo Calend. Iulij apud Oppidum Korczyn Grzimislawa Ducissa, consors Leszkonis Albi Cracouien & Sandomirien Ducis infantem pulcherrimum enixa est, qui patre iubente Boleslaus nomen accepit. De cuius ortu pater vehementer exultans, cùm illum magnis votis expetijsset, & celebritatem magnificam diebus aliquot Cracouiæ tenuit, & in Ecclesias, Monasteria, pia loca, & miserabiles personas, multos liberales sumptus gratificaturus dono sibi cælitus præstito, effudit.

Andreas Vngariæ Rex iniuriam suam & filij sui Colomanni per Danielẽ Romanowic Ducem irrogatam, vltum iri satagens, duos filios suos Colomannum & Belam contra Danielem & Halicien cum magnis copiarũ exercitibus & Baronibus præcipuis transmittit. Qui etsi Halicien Castrum tribus hebdomadis obsidione & impugnatione vexassent, & propediem illius conquisitio speraretur, duplex tamen malum, videlicet dissenteriæ pestis, & fames in exercitum & equos eius seuiens, ipsos cepto irrito redire in Vngariam plurimis desideratis coegit, plures etiam pabulandi gratia longius progressi aut capiebantur, aut a Rutenis obtruncabantur.

ANNO DOMINI 1222. Singulari erga B. Dominicum & nouum ordinem suum iam ab Honorio Papa tertio confirmatum. Iwo Cracouien Episcopus flagrans deuotione, aliquanto tempore, ex quo de Italia cũ fratribus sibi per B. Dominicum consignatis Cracouiam aduenerat, deliberatio illum tenuit, quo nam in loco primitias seruorum Dei locaret. Communicato autem super hac re cum Leszkone Albo Cracouiẽ & Sandomirien Duce, nec non Capitulo & Consulatu Crac: consilio, Ecclesiam SS. Trinitatis, quæ mater & origo Parochiarum erat, & locum speciosum pro Cõuentu & officinis Monasterij Fratribus Dominicanis assignauit, locumque præfatum calicibus, cassulis, libris, cæterisq; ad cultum Monasterij necessarijs dotat, Fratribus habitacula construit, & eorum defectibus prouidendo, tàm habitum, quàm victum administrat. Quorum vitam & religionem Iacek de Prouincia Opolien Canonicus Crac: æmulatus, ordinem eorum cũ pluribus alijs, quorũ pectoribus clementia diuina terrenorũ contemptũ infuderat, assumit. Erigit extunc Iwo Epũs, in circo Vrbis Crac: nouã Ecclesiã, & eam in honorẽ Beatæ Mariæ Virginis dedicat, & in eã ius Parochiæ, quæ alias apud S. Trinitatis Ecclesiam cõstiterat, transfudit, ac transfert.

Eodem tempore atq; anno Iwo Crac: Epiſcopus præfatus, feruido erga Deum, & cultum nominis ſui augendum æſtuans ardore, in vico patrimonij ſui hæreditario Kaczyce vocato, prope Oppidum Slomniki, in ſua Crac: Diocæſi ſito Ciſtercien Ordinis Monaſterium de nouo erigit atq; inſtituit, eiq; pro dote villam eandem Kaczyce, & villas Prandocin, Mankowice, Cholewice, nec non decimas manipulares menſæ Epiſcopalis, in eiſdem quatuor villis prouenientes, conſignat, donat, & inſcribit, locúquè vaſis & veſtimentis neceſſarijs exornat.

Ploceñ ciuitas per Prutenos & Pomeranos vaſtatur, & cõburitur, magnaq; clade, tàm ciuitas Ploceñ, quàm Regio Maſouiæ à barbaris obruitur, ſed neq; in ſolo Pontifice Crac: Iwone amor Dei viguiſſe conſpectus eſt, quin etiam in aliorũ cordibus flammam ſuæ dilectionis accendit.

Nicolaus ſiquidem de Henrichowo Ducis Wrathiſlauienſis Henrici cum barba ſecretorum Notarius, genere & actione Nobilis, dùm Annis pluribus in obſequijs eiuſdem Henrici Ducis cum barba verſatus, non paruam rerum & pecuniarum ſuppellectilem collegiſſet, Dominæ ſuæ Duciſſæ S. Heduigi & conuerſatione ædificatus, & exemplo, quod cæleſti amore totam viderat mancipatam, de conſenſu & annuentia Ducis Henrici cum barba in villa patrimonij ſui Henrichow Wratiſlauieñ Diocæſis propè oppidum Niſſam ſita Monaſterium Ordinis Ciſtercien fundat, & tàm villã eadem, quàm alias ad illum locum ſpectantibus dotat. Nequè ſua omnia Deo donaſſe contentus, locum etiam ipſum ſpreto ſeculo ingreſſus, aſumpto habitu, in ordine vſq; ad mortem felix fundator militauit.

Andreas Vngariæ Rex nouo exercitu in eum Annum comparato filium ſuum Colomannum contra Halicieñ tranſmittit, qui magis quàm Anno tranſacto vſus proſpera fortuna Daniele Romanowic Ducenõ vltra audente ſe ſibi potentiæq; ſuæ opponere, abſq; omni reſiſtentia Halicieñ potitus eſt Regione & arce.

ANNO DOMINI 1223. Miſerabilium perſonarũ quarum in Crac: ciuitatẽ frequens concurrebat multitudo ſtatui & conditioni Iwo Crac: Epiſcopus prouiſurus in villa Pradnik ante fores Crac: ſita, de conſilio & aſſenſu capituli ſui Crac: Hoſpitale, vt eſſet omnium miſerabilium perſonarũ vtriuſq; ſtatus receptaculũ, erigit & fundat, quod Fulco Epiſcopus Crac: fundare & dotare ni morte abſumptus fuiſſet, decreuerat, & villa Krowodrza, item villis vtraq; Wronin, item decimis nonnullis manipularibus de menſa ſua Epiſcopali ſufficienter dotat, & in hoſpitali huiuſmodi fratres hoſpitalarios, qui de Saxia nominantur, duplatam crucem albam, in pallio nigro deferentes ſub Regula B. Auguſtini militantes, inſtituit. Verùm perpẽdens ſitum in villa Pradnik hoſpitali huiuſmodi à ſe erecto, velut à frequentia & communicatione hominum longius diſtante parum conuenire, hoſpitale præfatum Cracouiam de Pradnik transfert, & in Sancti Spiritus honorem Eccleſia dedicata tàm pro fratribus hoſpitalarijs, Monaſterium & Monaſterij officinas, quam pro infirmis & miſerabilibus perſonis habitacula conſtruit

conſtruit, vtrorumque inopiam de menſa ſua ſuſtentans, & defectus propter famem, quæ altero iam anno Poloniã, ſegetibus aquarum imbribus abſumptis, vehementius premebat. In tranſlatione autem huiuſmodi Anno Domini 1244. ſexta die Aprilis facta Iwo Epiſcopus præfatus, hoſpitali huiuſmodi duas Eccleſias Parochiales, vnam videlicet S. Crucis in Cracouia, alteram S. Martini in villa Epiſcopali Biskupice, ſupra Wieliczkã ſita, cum earum decimis, & prouentibus, pro eiuſdem hoſpitalis ſubſiſtentia vniuit.

Vincentius Kadlubkonis olim Cracouieñ Epiſcopus cùm annos quinque in ordine Monaſterij Andrzeiouieñ relligioſè exegiſſet, octaua die Menſis Martij laborum ſuorum immarceſcibilem coronam à Chriſto, propter quem omnia deſeruerat, percepturus, carnis ergaſtulo ſolutus eſt, & in eodem Monaſterio in chori medio ſepultus eſt. Qui dum Epiſcopalem Cracouieñ adhuc rexiſſet Cathedram, viuacitate ingenij qua pollebat, ſuper rebus geſtis, patriæ, diſcreto, politoq; ſtylo, quæ incipit, tres tribus ex cauſis teatrales odere ſolennitates edidit Chronicam, quam ſic acuratè, cogitateque perſcripſit, vt ad priſcorum laudem maximè acceſſerit, quos tantopere admiramur. Multa de exteris geſtis, plura quàm de proprijs perſtringens, per varia hiſtoriarum, quidquid concinnum & aptum Polonis fuit, pulcherrima varietate intexuit, quæ à multis Polonorum celebrantur & leguntur, & ob varietatem, tàm domeſticæ, quàm peregrinæ hiſtoriæ, & ob elegantiam ſcriptionis grauitate verborum non vulgarium referta, licet carpatur a quamplurimis, quod verboſus fuerit, alienarum hiſtoriarum diligẽs, propriarum negligentior ſcriptor. Hic decem Præbendas in Kielceñ Eccleſia, fundaſſe & dotaſſe aſſeritur, decimas quoq; manipulares iuxta Cchow conſiſteñ ab Eccleſia Parochiali in Brzezie abſtractas Capitulo & Eccleſiæ Cracouieñ pro adminiſtratione vini & olei contuliſſe.

Wladiſlaus Ottonis maioris Poloniæ Dux, cùm annis ferè nouem metu patrui ſui germani Wladiſlai magni Laskonogi apud Pannonios exulaſſet, in Poloniam clandeſtinè ſub habitu Monachali, ne agnoſci à Polonis poſſet, reuertitur, icto prius per internũcios affinitatis fœdere cum Suantopelkone Pomeraniæ Præfecto, quod illius ſororem germanam Helingam nomine ſibi matrimonialiter ſociaret. Qui ſibi in ſpem amplæ dotis ſuffragia, quibus paternam à patruo repetereț ſortẽ, obligarat ſe laturum. In primo itaq; Wladiſlai Ottonis ex Vngaria reditu, Wladiſlaus ipſe ferẽte ſibi Swantopelkone Pomeraniæ Capitaneo, opẽ, ſuaſu & ingenio Caſtrum Vſcie ſitu & arte fortiſsimum, quod duo fluuij, videlicet Noteſz & Guida ambiũt, negligentius à Capitaneo aſſeruatum, ſeptima die Octobris irrupit, occupat, & acquirit, & vicinas ex illo vexare extunc cepit regiones.

Gregorius de Creſcẽtia Cardinalis & Honorij Papæ Tertij de latere legatus, venit in Poloniam, & tàm à Leſzkone Albo, quam Iwone Epiſcopo, & vniuerſis ordinibus Cracouieñ cum magno honore ſuſceptus eſt, vbi & pluribus diebus immoratus, & quoſdam Clericorum reſcidit abuſus, & nõnullas edidit pro Cleri regimine conſtitutiones. Sub cuius præſentia laco-

bus eiuſdem Cardinalis Secretarius natione Romanus, ordinem Prædicatorum in Monaſterio S. Trinitatis Cracouiæ aſſumpſit, ſeculo renunciando, familiaribus eiuſdem Cardinalis ingreſſum ſuum fletu & lachrimis proſequentibus, & Eccleſia S. Trinitatis in die S. Gregorij per Iwonem Epiſcopum conſecrata, in Cænobialem ex Parochiali mutata eſt.

Goſlaus alias Gredka Plocẽſis Epiſcopus cùm annis decemſeptem ſedilſet, moritur, & in Plocenſi Eccleſia ſepelitur. Prælatis autem & Canonicis Ploceñ monſtruoſam & diſcordem electionem de aliquot perſonis celebrantibus, vacatio Ploceñ Eccleſiæ in biennium producta eſt. Quo tandem concordia reſciſſa, Ioannes ſuccedit, cedente de iure ſuo Guntero, qui ſe gerebat pro electo Epiſcopo Plocenſi, cùm diſcordia inter eum & Ioannem alterum electum in biennium extracta fuiſſet. Fuit autem Hic Ioannes Polonus nobilis de domo & familia Gozdauitarum, ætatis iam tunc infirmæ & fractæ.

ANNO DOMINI 1224. Maceratis aut abſumptis in Polonorum Regionibus biennali fame pluribus mortalibus, annus tertius duobus tranſactis, ſeuerior aduenit, qui non ſolùm domeſticis animalibus, ſed & hominibus extitit fatalis, & ampliorem ſtragem peſtemq; quàm duo præteriti, in hominibus & beſtijs cauſauit. Non ob id tamen Legum ſeueritate quicquam detractum aut remiſſum eſt, ſed iura populis in fame iuxta atq; vbertate reddebantur. Colloquia autem quod Polonis generale, & ſacroſanctum iudicium eſt, nullam admittens prouocationẽ, in Rezegrod inſtituta, Leſzko Albus Crac: & Sandomirienſis Dux ac Polonorum Monarcha ſolus per omnes dies, quibus iudicium tendebatur, iudicio præſedit, & non ſine omnium admiratione cauſarum nodos prudentiſſimè diſſeruit. Cum autem eum illic Cletus Agrieñ Epiſcopus ab Andrea Vngariæ Rege miſſus legatus offendiſſet cuius legationis ſumma erat, Andream Vngariæ Regem de tranſmarinis partibus, in quas pro defenſione terræ Sanctæ paternum votum redempturus, transfretauerat, alacrem & incolumẽ, & nonnullis Sanctorum oſſibus onuſtum in Vngariam redijſſe. Subinferẽdoq; petebat, vt motus nonnulli inter eos qui Regnorum finitima incolũt, per ſui abſentiam exorti ſedarentur, paſsiſq; damnum & iniuriam reſtitutio proueniret. Orabat deinde, vt ſi illum Bohemis bellum inferre contingeret, in ſui auxilium, vel perſonaliter veniret, vel militiam ſuam tranſmitteret. Et de reditu quidem vicini atq; amici Regis à Leſzkone Duce amico more congratulatum eſt, correctio iniuriarum & reſtitutio damnorum inter ſubditos accepta, & ob id dies certa iuxta obſeruantiam, in Regnorum metis inſtituta, ſed & ſuffragium in Bohemicum bellum per ſe aut milites ferendum promiſſum.

Pruteni barbari facta irruptione, in Monaſteriũ Oliua Abbatẽ cum Fratribus & vniuerſo eius Conuentu captiuant, & verſus Gdansk deductos, omnes crudeli morte, interemerunt, & extunc Culmeñ & Lubuceñ terras per inſultus & excurſiones clãdeſtinas vaſtare ceperunt. Ad quorum com-

preſsionem

preſsionem Conradus Dux Maſouiæ fratres Cruciferos, qui dicebãtur milites Chriſti, rubeo enſe & cruce ſignatos, accerſijt, & Caſtrum Dobrzyn, vt contra Prutenos debellarent, eis tradidit, ſed illis non proficientibus, & tenuem reſiſtentiam barbaris opponentibus, terræ prædictæ Culmeñ & Lubuceñ fuerunt penitus deſolatæ & deſtructæ.

Duciſſa Grzymiſlawa Leſzkonis Albi conſors, partum fæmineum edidit. Qui etſi Patri Leſzkoni ſemiplenè gratus eſſet, eo tamen vno iucundabatur, quod filia tunc genita, & ſterilitatis opprobrium conſortis ſuæ abſtulerat, & ſpes certiſsima futuræ maſculinæ prolis erat. Quæ in Baptiſmo patre iubente Salomea vocata eſt.

ANNO DOMINI 1225. Ad notariam ſuam ignominiam & offenſam Henricus cum barba Sleſiæ & Wrath: Dux, exiſtimans pertinere, quod Leſzko Albus Caſimiri filius Monarchiam Polonorum & Crac: Ducatum, qui ſibi velut Duci ſeniori & natu maiori debebatur, occupaſſet, exercitum tàm de ſuis, quàm exteris gentibus precio conductis, comparat, & verſus Crac: procedit. Leſzkonem Album de Monarchia amoturus Marci Palatini Crac: & aliorum militum ſuæ factionis perſuaſione inductus. Orta enim diſſenſione inter Iwonem Cracouienſem Epiſcopum, Hoſtaſium Comitem, & eorum ſocietatem, qui orant de armis Odrowaſz ab vna, & Marcum Palatinum Crac: Magiſtrum Andream filium Clementis, & eorum cognatos, de Domo Griphonum partibus ab altera, pro eò quòd Dux Leſzko Crac: Ioannem militem Fratrem germanum præfati magiſtri Andreæ Canonici Crac: & nonnullos eius cognatos, habitis officijs dignitatibus & magiſtratibus, ex ea cauſa priuauerat, quòd cùm in Maſouia in cuſtodia cum Derſlao filio Abrahiæ, & Budeſlao filio Crzeſlai fuiſſent, ad defenſionẽ terræ poſiti, facto in curſu Prutenorum, prædictis Marci Palatini cognatis, perfugam ſibi conſulentibus, Derſlaus Budeſlaus & alij multi pro defenſione patriæ in conflictu ceciderunt. Vnde cùm vidiſſent ad honores ſe non poſſe reſtitui, machinantur Ducem Leſzkonem de Crac: eliminare, & Henricum Ducem Wrath: ſubſtituere. Quapropter Marcus Palatinus cum ſuis cognatis & ſocijs exulando, ad Henricum Ducem Wrath: proficiſcitur. Qui congregato exercitu, venit Cracouiam & ſtitit ibidem octo diebus. Sui autem præpoſiti Leſzko nõ ignarus, & gẽtes plurimas de Dominijs ſuis contra Ducem Henricum armauerat, & Conradum Maſouiæ Ducem germanum ſuum, ad repulſionem huiuſmodi iniuriæ, cum omnibus Maſouieñ & Cuiauienſium militum copijs in adiutorium ſuũ accerſiuerat, inferendũ ſibi ab Hẽrico bellum, duplatis viribus & conatu omni atquè ad niſu propulſaturus. Iam Henricus cum Barba Dux Sleſiæ vſquè ad fluuium Dlubnia, non longè à Cracouieñ Ciuitate peruenerat illicq; Statiua habebat, dùm vterq; Dux Leſzko Albus & Conradus ordinatis aciebus illum excipiunt, ad decernendum parati, & accincti. Henricus autem Sleſiæ Dux, cùm & ſuaptè eſſet vir ingenij pacifici & modeſti, & à coniuge ſua B Heduigi crebro admonitus

foret

foret, vt ſede ſua Wratiſlauienſi contentus, ſtatum ſuum, & ſuorum quæritando Monarchiam, non adduceret in diſcrimen, cum & Leſzkonis Conradiq; copias ſuis multò fortiores ſuperioreſq; non ignoraret, & milites ſuos grandi pauore, paucitate ſua conſpecta, & hoſtilibus viribus penſatis, intelligeret perculſos miſsis caduceatoribus, colloquium & tempus expetijt. Quod cùm à Leſzkone & Cõrado Ducibus, quippè, vt qui ipſi ciuile & fraternum certamen magnopere abhorrebant, conceſſum eſſet, in tabernaculo in medio vtrorumq; Caſtrorum ad id defixo, cum certo & æquali Conſiliariorum numero, conueniunt. Vbi primum Henricus Dux dicere iuſſus, longum de iure ſuo, quod ſibi in Monarchia Polonorum competebat, ſermonem diſſeruit. Cui cum Leſzko Albus reſpondendo rationes ſuas diſſoluiſſet, Iwonis Epiſcopi Craçouienſ & communi Baronum interpoſitione pacificuntur, & in eam concordiam reducuntur. Quod Henricus Wrath: & Sleſiæ Dux de omni iure & titulo Monarchiæ Polonorum Leſzkoni Albo cedat, & omne ius in Monarchia ſibi competens, in Leſzkonem transfundat. Initum eſt & à Ducibus ſpeciale fœdus, & iureiurando firmatum, vt vnus alterius procuret honorem, & commoda, & occupationem terrarum & Ducatuum, quos ſortiti fuerant, non aſpiret. Datis deinde inter ſe muneribus, celebratis etiam conuiuijs, in magna animorum identitate & amore, ex hoſtibus facti amiciſsimi, in ſuos Ducatus reuertuntur. Leſzko ſiquidem Albus ſacto fœdere tam Henricum Sileſiæ, quàm Conradum Maſouiæ Duces Cracouiam inuitauerat, & tàm ipſos quàm eorum milites magnificis tractauit neceſſarijs. Conrado tamẽ in Maſouiam diuertente, Henricus Dux Sleſiæ octo diebus Cracouiæ moratus eſt, ſplendidè & humaniſsimè à Leſzkone habitus, etiam amplis donis ab eo ſibi datis, onuſtus, lætus in Sileſiam remeabat, cum apud Cracouiam ſtando, octo dies abtumpſiſſet.

Colomanus Andreæ Vngariæ Regis filius, dùm annis tribus in Principatu Halicienſi ſediſſet, apud Halicienſ arcem morbo, an veneno, incertum eſt, correptus, moritur. Poſt cuius mortem Daniel Romanowic Dux, Rutenis fauentibus, arcem & regionem Halicienſem occupauit, in eaque conſedit. Sed Izaſlaus Dux Halicienſ Ducatum ſibi vendicaturus, fretus Polowconum auxilio, cõtra illũ venit, & pugna commiſſa, Daniel victus, ſuccumbit. Duxque Wladimirus & Frater ſuus, qui Danieli auxilia tulerant, captiuantur, propter quod Arx, & regio Halicienſ, in ditionem Michalconis Ducis, fauente Izaſlao conceſsit.

Ærarium Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis, Item turris Monaſterij Sanctimonialiũ in Zwierzyniec, Item dormitorium fratrum Prædicatorũ in Cracouia, fulmine tacta, accẽſa & exuſta ſunt, hominibus illæſis & incolumibus.

Wladiſlaus Ottonis maioris Poloniæ Dux ſuffragio filiorum Ioannis Alberti, & Laurentij adiutus, Monaſterium Mogilno deuaſtat, & deprædatur. Anno verò inſequenti, idem Wladiſlaus Dux, Dobrogoſtoné, & alios multos nobiles Poloniæ occidit, & horrea Wladiſlai Laskonogi maioris Poloniæ Ducis in Miedzwiec, & in alijs pluribus villis depredatur & incendit, & Poloniam

loniam magnæ ſubijcit vaſtitati. Electus enim fuerat potenti brachio per Leſzkonem Ducem Craçouienſ, & per Wladiſlaum ſenem patruum ſuum de ſuis Principatibus, videlicet Caliſsienſ, & Rudenſ, nec in Poloniæ Regno conſiſtere auſus, in Vngaria, Bohemia, & Almania annis aliquot exilium agebat, ſed affinitatẽ & ſuffragia Suantopelki Pomeraniæ Præfecti, ducendo ſororem eius in vxorẽ, nactus, pœnas exiliationis ſuæ vlturus in ſingula quæcunque nefanda maximo conatu graſſabatur.

ANNO DOMINI 1226. Iniuriam Wladiſlaus Magnus alias Laskonogi, Maioris Poloniæ Dux, per Nepotem ſuum Wladiſlaum Ottonis illatam, vindicaturus, & Caſtrum Vſcie quod interceperat, recuperaturus, omnium ſuarum terrarum colligit exercitum, & Vſcie Caſtrum obſidione vallans, etiam Nepotem ſuum Wladiſlaum Ottonis in eo concludit, omnibuſq; expugnationum generibus vſus, nunc bombardis illud quatit, nunc turres admouet, nunc militum manu ad eius conquiſitionem intendit. Sed cùm à Wladiſlao Ottonis & ſui Caſtrum ſtrenuè defenderetur, ipſe etiam ſitus loci, conatus Wladiſlai Magni facilè diſſolueret, & ſpes ſuæ recideret in irritum, obſidio in diem S. Margaretæ extracta eſt, cùm primo vere cepiſſet, Remittebant itaque milites animum, & negligentius obſidionis munera illis diſtributa; ſiue dùm ad ſtationes & excubias eundum eſſet, ſiue cum hoſtibus dimicandum, ſiue ne quid ad obſeſſos importari poſſet, prohibendum obibant. Sed & obſeſsi huiuſmodi obſidentium negligentiam ceſſandõ, ab eruptionibus, & laſſos peneque victos ſe fingendo, amplius nutriebant. In Apoſtolorum itaq; diuiſionis die, dùm ſoluta omnia in Caſtris obſidentium Wladiſlaus Ottonis, quoſdam etiam ſtationibus deſertis, longius à Caſtris progreſſos, quoſdam ſomno ſtratos, alios inermes, nonnullos per ebrietatem temulentos, ſupernè ex arce conſpexiſſet, ſuos ad bellum paucis cohortatus, promittens illos, ſi paululum adniti vellent, ea die poſſe fieri victores, in Caſtra hoſtilia cum omnibus, qui ſecum obſidebantur, irruit, & tumultariè inermes agreſſus, omnes ſternit aut fugat, maioremque quàm pro numero ſtragem cunctis pauore perculſis, aut diffugientibus, ædit, ſed & Palatinum Poſnanienſ Dobrogoſtium, cum pluribus alijs inſignibus militibus obtruncat, donec clamore & cohortatione Ducis Wladiſlai Magni milites globo facto, ipſum de Caſtris, nonnullis etiam ſuis, aut ſauciatis, aut cadentibus, in Caſtrum retro cedere compellunt. Qua quidem clade Wladiſlaus Laskonogi deterritus, altera die motis Caſtris obſidionem ſoluens abijt. Sed Wladiſlaus Ottonis & Suantopelkonis affinis, ſui & aliquorum militum, qui ſuæ parti fauebant, fretus potentia, patruum inſequutus, Poſnanienſ & Caliſsienſ Caſtra & Ciuitates, quæ ſuæ ſortis erant, dedentibus ſe Caſtellanis & Ciuibus comprehendit, & omnia quæ ſuæ ditionis erant, recuperat, horreaque in Miedzwiec & in alijs pluribus locis vaſtat, prædatur & incendit, & Maioris Poloniæ terras pluribus incurſionibus & ſpolijs affligit.

Grzimiſlawa conſors Leſzkonis Albi, Ducis & Monarchæ Regni Poloniæ, filium pulcherrimum apud arcem nouæ Ciuitatis Korczyn enixa eſt, cuius natiuitas in magnum gaudium ceſsit. Baptiſatus autem à Fratre Hęrardo Prouinciali Ordinis Prædicatorum, & Fratre Artungo eiuſdem Ordinis & Satrapis Regni, Boleſlaus vocatus eſt, Patre Leſzkone iubente.

Cracouienſis Epiſcopus Iwo Monaſterij in Kaczyce Ordinis Ciſtercien, quod nuper fundauerat, cõditionem meliorẽ effecturus, cùm intelligeret ſitũ loci parum idoneum pro Monaſterio fore, de ſui Capituli Cracouienſis conſilio & aſſenſu, in villam paternæ ſortis Mogilam prope fluenta fluminis Viſłæ, locum vberiorem & egregium, & pluribus cõmoditatibus refertum, illud transfert, nonullaſque decimas manipulares menſæ Epiſcopalis in Oppido Dobczyce, & villa Viniari, aliiſque villis circa Dobczyce ſituatis, eidem Monaſterio donat, pulcherrimoque opere partim ex delata petra, partim ex cocto latere, tàm Eccleſiam, quàm Monaſterium ædificat, & honori B. Pauli Apoſtoli illud dedicat, & intitulat. Quod quidem ſalutiferum opus, cuius tunc iacta ſunt fundamenta, non ſine ampliſsima præfati Pontificis laude temporis ſucceſſu proſperatum, etiam in diem hodiernam, propitia diuinitate, in relligionis cultura & temporalium affluentia perſeuerat, præfatus inſuper Iwo Epiſcopus, anno eodem ſecundum Monaſterium Ordinis Prædicatorum, ſub titulo B. Iacobi Sandomiriæ erigit, & Fratribus loco conſignato, etiam Eccleſiam, cellas, & Monaſterij officinas, Fratribus conſtruxit.

Celebrauit & hoc anno Vincentius Archiepiſcopus Gneſnenſis Synodum, in Eccleſia S. Blaſij, vbi contentione, de prima ſeſsione inter Iwonem Epiſcopum Cracouienſem, & Laurentium Epiſcopum Wratiſlauien, exorta, quo ne Epiſcopo Cracouien ius ſuum per priuilegia Apoſtolica probante, Laurentio Wratiſlauienſi Epiſcopo nil opponente, aut producente, de loco tamen cedere nolente, Iwo ex Synodo receſsit.

Vigeſima tertia Ianuarij, Suantopelkus Pomeraniæ Dux, de conſilio & aſſenſu Michaelis Wladienſi Epiſcopi, fundat & erigit Monaſterium Ordinis Prædicatorum, ſub titulo & honore S. Nicolai in Ciuitate ſua Gdansk, & locum prædictum libertatibus & priuilegijs inſignijt.

Ioannes Plocenſis Epiſcopus cum annis quatuor ſediſſet, à podagrica vexatus paſsione, obijt. Cui per electionem Canonicam Gunterus Canonicus Plocenſis ſucceſsit, nobilis de domo Pruſſorum, à Vincentio Gneſnenſi Archiepiſcopo apud Znenam, Conrado Maſouiæ & Cuiauiæ Duce conſentiente, confirmatus & conſecratus.

Honorius Papa Tertius, cùm annis vndecim, Menſibus duobus, diebus tredecim, in Pontificatu Romano ſediſſet, Romæ moritur, & in Eccleſia Mariæ maioris ſepelitur. Cui Hugolanus Epiſcopus Cardinalis Hoſtienſis, natione Campanus, Frater Ordinis Prædicatorum, Gregorius Nonus appellatus, apud Septifolium electus, nona Martij ſuccedit. Qui multas à Friderico Imperatore pertulit aduerſitates.

ANNO

ANNNO DOMINI 1227. Affinitate quam cum Wladiſlao Ottonis Maioris Poloniæ Duce, per ſororem habebat Suantopelkus Pomeraniæ Capitaneus, & plurimis opibus terra mariq́ue in Præfectura Pomeraniæ quæſitis, nec non & ſucceſſuum felicitate, qui ſibi & Wladiſlao Ottonis prouenerant, in ſingularem pompam elatus, Dominum & Principem ſuum Leſzkonem Album Cracouienſem & Sandomirienſem Ducem, cuius vice & auteritate honore præfecturæ apud Pomeranos fungebatur, perſe & creebras legationes ſollicitare cepit, quatenus illum in Ducem Pomeraniæ creare & ſibi vſum purpuræ, titulumq́ue Principatus Pomeraniæ, ſuperiore dominio ſibi reſeruato, concedere dignaretur. Hic de armis Griphonum, quẽ inferiori Pomeraniæ & Kaſzubiæ liberalitas Boleſlai Krzywouſti Polonorũ Ducis, filij Wladiſlai, ex Barone in Principẽ creauerat. Seddùm Leſzko Albus petitionẽ ipſam velut friuolã & temerariã damnaret, & plurimũ ob id contra Suãtopelkonẽ irarum cõciperet, Suantopelkus repulſa irritatus ad defectionẽ ſpectare cepit, tributaq́; ex Pomerania Leſzkoni Albo ſolui ſolita, mittere intermiſit. Cuius rebellionẽ & contumaciã Leſzco Albus antequã altius ſerperet, coaleſceretq́ue, in ipſis initijs oppreſſurus, cõmunicato cum Henrico cum barbo Sleſiæ & Wratiſlauiæ Duce (in quo rerum & actionum ſuarum ex familiaritate pridem contracta ſumpſerat locaueratq́ue fiduciam) conſilio, apud Zanzauam prædium Monaſterij Trzemeſzneñ prope Oppidũ Znenam ſitum, pro die S. Martini indicit celebratq́ue Conuentum, iubens Suantopelkonẽ præfectum Pomeraniæ perſonaliter illic intereſſe, ſpecie quidem, vt Reipublicæ, velut Monarcha Polonorum prouideat, & ſtabilimentum firmitatemque imponat, re autem vera, vt Suantopelkonem illuc ſine ſuſpicione aduenientẽ opprimat, corripiatq́ue, è Terris Pomeraniæ in quibus ſe admodũ firmauerat, in ſuumq́ue nomen milites iurare impulerat, ſine bello & armis exueret. Verùm Suantopelkus Pomeraniæ præfectus, vt erat vir & callidtate & prudentia rara pollens, Conuentum apud Ganzauam, non contra alium, niſi ſe & ſuum periculum, prout erat, indictum ratus, omni humanitate abiecta, cum affine ſuo Wladiſlao Ottonis in Leſzkonis Albi, & Henrici cum barba, quem cum Leſzkone Albo venturum agnouerat, caput conſpirant, clandeſtinaſq; conflant inſidias. Ad quas perpetrandas Wladiſlaus Ottonis maioris Poloniæ Dux, quamuis Leſzkoni Albo & Henrico cum barba propinquo conſanguinitatis gradu coniunctus, compertus eſt aſpiraſſe Suantopelkone Pomeraniæ præfecto ad permulcendum animum eius, vniuerſi Regni Poloniæ Principatum Leſzcone & Henrico ſublatis, deſtinante. Cùm itaq́; ad diem S. Martini conſtitutam Leſzko Albus fraudem & dolum abeſſe putans, conficiendæ quoque rei, & recuperandæ Pomeraniæ ſtudio captus, & Henricus cum barba Sleſiæ, & Conradus Mazouiæ Duces in Ganzauam pro tenendo Conuentu cum Baronibus, militibus,

& frequentia hominum conuenissent, & diebus aliquot cum Wladislao Ottonis, Maioris Poloniæ Duce, in continuis de stabiliēda inter eum & Wladislaum Magnum Laskonogi patruum suum Gnesneñ Ducem, pace versarentur tractatibus, in insidias præcipitati sunt. Dum enim præfati Duces à Pomeranis satisfactionem de grassaturis & damnis, quæ per frequentes insultus cum Wladislao Ottonis in terris Maioris Poloniæ fecerant, peterent, alioquin iniurias propulsando minarentur terras Pomeraniæ se hostiliter inuasuros, Suantopelkus Pomeraniæ præfectus venire differens, aduentum suum Duci & Domino suo Leszkoni Albo intimabat, frequentibus nuncijs magis explorandæ rei, quæ in Ganzaua gereretur gratia, quàm pro sui excusatione transmissis. Iam quarta, ex quo in Ganzaua Duces conuenerant agebatur dies, & plurimarum rerum expeditione perfecta, balnea ad curandum, abluendumque corpora intrauerant, cum subito Suantopelkus Pomeraniæ Capitaneus opportunitatem temporis, per exploratores sibi declaratam in suffragium sui doli habiturus; nusquam magis se Duci Leszkoni nocere ratus, quàm cum amicus putaretur, cum gentium ex Polonis & Pomeranis collectarum multitudine superuenit, & hostiliter tàm hospitia, quàm tabernacula Ducalia & militaria irrumpens, singulos sibi rēsistentes obtruncat, Cuius rei periculo Duces in balneo existentes, intellecto, Leszko quidem Albus, velut corpore iuuenili vegetior, de balneo exilit, & equo a suis tibi ministrato, conscenso, versus villam Marcinkowo, paucis illum comitantibus fugere cepit. Quem Suantopelkus omnibus alijs præteritis, velut prædam diu concupitam insectatus, suos omnes in illius necem exhortabatur, asserens omnem triumphum suum in illo vno corpore consistere. Itaq; pauci à multis vndiq; coarctati, quàmuis diu satisq; strenuè luctarentur, ad extremum tamen omnes vnâ simul cum Duce & Domino suo Leszkone Albo à nefario proditore perimuntur. Tanta autem fuit Suantopelkonis & suorum ad delendam stirpem Regalem & eorum, qui secum vnâ venerant, rabies, vt non solùm in milites & armatos, sed etiam in nudos & hos qui in balneo consisterent, seuirent. Henricus enim cum barba Wratislauien & Sleziæ Dux à Carnificibus in balneo comprehensus, aliquot sauciatur vulneribus, qui & ipse tunc occubuisset, nisi quidam miles suus vocatus peregrinus de Welzemberg mira fide, miraq; deuotione in Dominum & Principem suum vsus, corpus Ducale suo tegens obstitisset, qui tandem multis vulneribus confosus, in terramq; procidens, etiam cadauer suum exanime in corpus Ducale superiecit, & vterq; mortuus creditus, sæuitiam carnificum remisit. Maximè profecto, & plus quã raræ miles iste in Principem suum fidei, qui occidendi Principis in se necem transtulit, spontaneum se pro vita domini sui constituit vicarium. Poterat & Leszko Albus Dux Crac. mortem euadere, si æque forté, æque fidum in sua cohorte iuxta ac Dux Henricus nactus foret militem, cuius quidem militis peregrini fidem æstimare verbis arduum est, qui se primum vulneribus deinde morti, ipse pro suo Principe obiecit, seq; quàm Ducē suum

Lum occidi passus est, meritus vt per omnium ora extenta laudationis materia caneretur Magna & in alios ea die quæ fuit 14. Nouembris strages edita est quasi illico Suantopelcus cum Wladislao Ottonis in Polonia essent regnaturi. Corpus Leszconis Albi in Cracouiam per suos, qui superstites remanserant, relatum, in Ecclesia Cracouieñ cum maximo luctu planctuq; sepulturæ mandatum est, Suantopelcus non secus quàm hoste Principe & Domino suo cæso, neq; sceleris pœnituit, neq; aliqua re funus suum honorauit. Ab eo quoq; die se Pomeraniæ Principem legitimum gerere cepit. Henricus lectica vectus Wratislauiam reuertitur de vulneribus inflictis breui curatus, militem spectatæ fidei peregrinum semper commēdans, prolem suam larga extulit donatione. Interfuerunt autem huic colloquio in Gonsaua habito Vincentius Gnesneñ Archiepiscopus, Iwo Cracouieñ, Laurentius Wrath:, Michael Wladislauieñ, Paulus Posnanieñ, Laurentius Lubuceñ, Episcopi, Gunterus electus Plocensis & Barones quàm plurimi.

ANNO DOMINI 1228. Crudeli & infausta nece Leszconis Albi per Suantopelkonem Pomeraniæ præfectum de scitu & annuentia Wladislai Ottonis maioris Poloniæ Ducis sequuta, mox nouũ bellum, nouaq; arma inter superstites, Conradum videlicet Masouiæ germanum Leszconis Albi ab vnâ, & Henricum cum barba Sleziæ & Wrath: Duces, partibus ab altera concitatur, vtroq; Monarchiam Polonorum & Leszkonis puerorum curam ad se rapere festinante. Et Conradum quidem Masouiæ Ducem Leszkonis defuncti germanum, Henricum verò Slesiæ Principem annositas, quod natu maior esset & Duciss Grzymislauæ relictæ Leszkonis Albi, & nonnullorum Crac. Baronum, & signanter Marci Crac, Paccoslai Sandomirieñ Palatinorum, ac cognatorum eorum, partes Duciss Grzymislauæ sequentium, crebro ingeminatæ preces, concitabant. Quæ Conradi Masouiæ Ducis tyrannidem perosa, se filiumq; paruulum Boleslaũ & filiam Salomeam, & eius Principatus atq; terras in tutellam & gubernationem Henrici Sleziæ Ducis, commendabat, petens se & Paruulos á gubernatione Conradi eripi, & vindicari. Ex hac itaq; occasione & causa ciuili & domestico inter Duces præfatos bello subsequuto, vterq; cum gentibus ius suum armis defensurus, versus Crac: aduenit. factaq; est Prouincia Crac. sedes belli, Et arcem quidē & ciuitatem Cracouieñ Grzymislaua cũ filio obtinebat, non permittens Conradum & suos contingere illam. Henricus verò Sleziæ Dux, duas nouas munitones, vnam prope Oppidum Scalã in colle, quam Pradnik fluuius præterfluit, & cuius in hanc diem ostentãtur reliquiæ, alteram in Merbore erexerat, & forti præsidio militum imposito, etiam vniuersam Cracouieñ Prouinciã occupaturũ se sperabat. Conradus itaq; Masouiæ Dux, maximi momenti fore, & ad victoriam spectare credens, si nouas munitiones per Henricum erectas deiceret, ad oppugnãdum munitionem prope Scalam sitam copias ducit, vbi illi Henricus Sleziæ Dux occurrens, durum prælium secum committit, & plurimis hinc in-

de cadētibus filius quoq; Cōradi Masouiæ Ducis Przemislaus adolescēs inter primos pugnās occubuit. Cōradus signo receptui dato, pro victo abijt, & laus victoriæ penes Henricū remansit, cladē autē & ignominiā tunc acceptā, Conradus Masouiæ Dux correcturus, versus alterā munitionē Marbore, fortunam belli ex loco tentaturus aduenit, sed fortuna sua cum loco mutata non est, maiori enim cæde ab Henrico Sleſiæ Duce, & suis prope villam Wrocirzysz conflictus, cum suis in proximas siluas & colles refugit, & vtramq; munitionem inexpugnatam pluribus de suis aut occisis, aut captis reliquit. Duobus aduersis prælijs Conradus Masouiæ Dux ab Henrico Sleſiæ Duce fusus, fugatusq;, in Masouiam secesserat, ad reintegrandum de nouo bellum milites in supplementum lecturus, verùm cùm in eam militiam, ægrè & minus obedienter suos transire, tempus quoque ætatis transfluxisse animaduerteret, omnem apparatum bellicum ad dolos & ingenia conuertit, facilius illis quàm armis ratus Henricum aduersarium suum oppressurum. Iam siquidem Henricus Sleſiæ Dux debellatum, pro Monarchia & Cracouiensi Principatu, hostem credens, filium suum Henricū cum copijs in Sleſiam, colonis ab vtroque exercitu vexatis compassus, securus & tranquillus in Cracouiēn Ducatu, fidos sibi & puros singulorum animos reputans obuersabatur. De quo Conradus Masouiæ Dux ab exploratoribus certior factus in Cracouiēn Prouinciam aduenit, & fauentibus illi nonnullis Crac: militibus ad innouandum res procliuis, Henricum Sleſiæ Ducem in Spytkowice consistentem, & auditioni missæ deditum, in Ecclesia captiuat, & in Masouiam ad Castrū Ploceñ, &, vt alij asserunt, in Czyrsko deportat captiuatum. Verùm cùm Henricus filius suus, qui Annam Othocari alias Przemislai Bohemiæ Regis filiam ex secunda vxore Constantia, & filia Vngariæ Regis nomine genitā habebat in vxorē, & quatuor filios, videlicet Boleslaum, Wladislaum, Henricum & Conradum, & quinq; filias, videlicet Heduigim, Agnetem, Constantiam, Elizabeth, & Gertrudim ex eadem suscepisset, paternam liberationem effecturus, grandem exercitum tàm ex proprijs quàm mercede conductis militibus congregasset, hostili vexatione Masouiam & Cuiauiam ni Pater in libertatē rastauraretur, inuasurus. Beata Heduigis plurima mala, clades, videlicet, neces, sanguinis Christiani profluuia, desolationes, exustiones, vastationesq; terrarum, & agrestiū pauperumque hominum oppressiones & angustias, exinde orituras euersuram in Masouiam se personaliter contulit, & Conradum Masouiæ apud Plocko, vel vt alijs placet, apud Kruswiciam & Czyrsko adiens, funestum mortem iam tonantem extinxit, ad eius siquidem conspectum Conradus Masouiæ Dux omnem qua flammabat ferocitatem deposuit, & quasi victus, quodamque terrore correptus, omnibus suis votis & precibus se morem gestorum repromisit. At illa Deo inspirata non solùm Henricum Sleſiæ Ducem virum suum, & Conradum Masouiæ Duces dissidentes prudentia qua polebat reconciliauit, sed etiam affinitatis iura, quo in post quietiores essent, inter ipsos connexuit. Cessit siquidem Henricus cum barba Sleſiæ Dux de iure Mo-

narchiæ & tutoriæ Cōrado renuncians iuri, quod sibi in illius quæsierat, captiuoque Conradi libertati restituit, renunciationemque ipsam corporali firmauit iuramento. Duas verò Neptes suas, Henrici videlicet filij sui filias, ex Anna filia Regis Bohemiæ susceptas, videlicet Constantiam & Gertrudim, filijs Conradi Casimiro & Boleslao desponsat in vxores, Casimiro Constantiam, & Boleslao Gertrudim. His itaque pactis & conditionibus, & B. Heduigis fœminæ iam tunc in operibus famosæ meritis, bellum acerrimum gestum & gerendum sublatum est, & Henricus Sleſiæ Dux ex captiuitate liberatus, in Sleſiam redijt, Conradus verò Masouiæ Dux se & Monarcham, & puerorum Leszkonis tutorem Grzymislaua matri eorum nequicquam aduersante repugnanteque gerere cepit. Gregorius tamen Papa Nonus Henricum Wratislauien Ducem, ab huiusmodi iuramento, tanquam per vim exacto absoluit.

In magna multitudine, & quæ vix æstimari poterat, Tatari Rusiæ terras ingressi, plurima mala, cædes & flammas in illis committunt, & vniuersam terram Rzeszanska vastant, spoliant, Ducemque Rzeszanorum occiso, etiam senes & impuberes necant, cæteram multitudinem captiuam in seruitutem abducunt, Castraque conquisita incendunt, neq; his contenti, iterum in anni huius hyeme in terram Susdali aduenunt, & terra vniuersa peruastata, etiam Georgium Ducem & filios eius, pluresque alios Susdalorum Duces interficiunt, & Wladimiro Duci Castrum Rostow auferen incendunt, & captiuis plurimis atq; prædis pro libito potiuntur.

Præmislaus alias Otocarus Bohemiæ Rex valetudinarium & mortiproximum se intelligens, filium suum Venceslaum ex Constantia sorore Belæ Vngariæ Regis, quam legitima & priore vxore Adla viuente superduxerat, susceptum, in Ecclesia Pragen in Regem, Consortem verò eius Cunegundim, Philippi Ducis Suæuiæ in Regem Romanorum in discordia electi, filiam in Reginā per Sifridum Archiepiscopum Moguntinen in Dominica Quadragesimæ, ordinauit se spectatore inungi & coronari.

Gregorius Papa Nonus B. Helizabeth Andreæ Regis Vngariæ filiam, & Ludouici Langraphi Turingiæ relictam, canonizat, cuius sacrum corpus Fridericus Imperator Romanorum in Margburg hospitale, quod viuens fundauerat, & munifica largitione dotauerat, de tumulo associatis plurimis Pontificibus & Principibus, cum magna solennitate & gloria leuat, & protecta capitis sui ornanda, corona aurea donat.

In Brzesko villa, Oppido Brzeko propinqua ad fluenta Vistæ, Monasterium Fratrum Ordinis Præmonstratēn fundat, & in dotem illi conferuntur villæ & decimæ manipulares cum Brzesko Oppido.

ANNO DOMINI 1229. Concordia inter Henricum Sleſiæ, & Conradum Masouiæ Duces apud Plockam, per B. fœminam Ducissam Heduigim Henrici consortem, & eius solertissimam interpositionem celebrata, grauique & infausto bello ciuili extincto, rursus aliud bellum inter Maioris Coloniæ Duces, Wladislaum Laskonogi patruum, & Wadislaum Ottonis Nepotem ex-

potem exarſit. Proprio ſiquidem, & externo milite Wladiſlaus Laskonogi adiutus, venit contra Wladiſlaum Ottonis, iniuriam ſibi anno ſuperiori illatam vlturus. Nec Wladiſlaus Ottonis prioribus fidens ſucceſsibus detractauit bellum, ſed aduenienti patruo cum ſuis militibus occurit, et quamuis acriter pugnans, cùm eſſet & robore & numero militum inferior, a Wladiſlao Laskonogi patruo ſuo victus, pluribus ſuis deſideratis, aut captis, etiam ipſe Wladiſlaus Ottonis è prælio fugere turpe ratus, captus eſt, & à Patruo Wladiſlao Laskonogi in vincula coniectus. Sed cùm proceſſu temporis fauentium ſibi, ſuffragio captiuitatem euaſiſſet, in Pomeraniam ad Suantopelkonem vxoris ſuæ fratrem, qui Leſzkone Albo apud Ganzawam occiſo, totius ſibi Pomeraniæ dominatum vſurpauerat, auxilia ab eo inſtaurandi contra Wladiſlaum Laskonogi belli quæſiturus, diuertit. Qui non ſolum illi gentes ſuas Pomeranicas conceſsit, ſed etiam perſonaliter cum eo contra Wladiſlaum Laskonogi venit. Quorum aduentu Wladiſlaus Laskonogi deterritus, cùm in ſuis erga ſe fluxam & ambiguam noſſet fidem, qui illum propter libidines & ſpurcitias ſuas, ceteraſque actiones Principe indignas in liuore & contemptu habebãt, decertare cum adueniente Nepote & hoſte infeſto, ne à ſuis deſertus, captiuitatem incideret, non auſus, Caſtris & munitionibus in maiori Polonia relictis, diſceſsit, & in Caſtrum Ratibor ſe recepit, à Caſimiro Mieſzkowic Ratiborien Duce amicè habitus, & exceptus. Propter quod Wladiſlaus Ottonis militibus & Caſtris ſe illi prona & obſequenti voluntate dedentibus, & propriam ſortem obtinuit, & patruelem occupauit. Habebat & aliorum aſſertio, quod Wladiſlaus Laskonogi quindecima Iulij fortiter dimicans, ſuccubuit, & fugere turpiter coactus eſt, Palatino Poſnanienſi cum multis alijs interfecto.

Iwo Cracouien Epiſcopus aliquod Monaſteriorum in ſua Diœceſi, videlicet Mogila, Dlubnia, in Mſtow, item Hoſpitale pauperum in Cracouia, item Eccleſiarum Parochialium in Dzierzazna, Wawrzyńczyce, & Daleſzyce. Sancti Pauli in Sandomiria fundator & dotator, ſplendorem Metropolicum Eccleſiæ ſuæ Cracouien, ab alijs Prædeceſſoribus ſuis neglectum, ſatagens reſtituere, optimum & oportunum tempus ratus, quo reſtitutio ipſa poſſit prouenire, in Italiam ad Gregoriũ Papã Nonum ſibi multipliciter propter cõmunionem familiaritatis & amicitiæ in ſtudio Pariſienſi, dùm ambos minor haberet ſtatus, contractam, fauorabilẽ, & affectũ ſe contulit. Tyrannidem etiam Conradi Maſouiæ Ducis, qui in Cracouien & Sandomirien Ducatibus, tutorio nomine Principabatur, cum quo tàm pro Eccleſiæ, tùm pro iniurijs militarium in plures ſimultates deuenerat, declinans. Et cùm Papam Gregorium, cuius erat in ſtudijs Galliarum apud Pariſios chamrus ſocius, & ſingulari familiaritate obſtrictus, in Peruſio reperiſſet, maximo honore obuiam illi multis Prælatis mandato Papæ eũtibus, & exceptus & habitus eſt, Dignitaſque & præeminentia Metropolica Eccleſiæ Cracouienſis facile Gregorio Papa precibus ſuis morem gerente, reſtituta. Verùm dùm deuotione feruenti prouocatus, obtenta a Gregorio licentia Romam ad

mam ad viſitandum Sanctorum limina veniſſet, febribus correptus eſt. A quibus nondum liberatus Roma egreſſus, & itineris labore, & ſolis ardore ingrauauit ægritudinem. Et cùm in priſtinum Burgum deueniſſet 21. Iulij, exactis 12. in Pontificatu annis, moritur, & in Mutineñ maiori Eccleſia à familiaribus ſuis iuſta funeri ſoluentibus, ſepelitur, oſſa tandem eius poſt aliquot annorum ſpacium, per Fratres Prædicatores domus Cracouiẽſis quam vt ſupra narauimus, ipſe fundauerat, ex Mutina Cracouiam afferuntur, & in medio chori Monaſterij S. Trinitatis reconduntur.

Frequens Tatarorum multitudo in Smolneñ & Czernieiouien regiones adueniens, eas crudeliſsimè cæde & ſpolijs, nulli parcens ætati, quatit, & peruaſtat. Caſtris autem & fortalicijs plurimis, ex quibus & Duces, & milites diffugerant, conſiſtere in illis non auſi, potita ea incendit. Et nullam reſiſtentiam ſentiens, ſingulis à facie eorum in paludinoſa & muia loca ſe ſubducentibus, onuſta captiuorum multitudine atque præda, in ſua reuertitur.

ANNO DOMINI 1230. Optimo & Heroicæ conditionis viro Iwone Eccleſia Cracouien deſtituta viduataq; Pontifice, cùm propter illius mortem, ſingulari confecta eſſet anxietate & mœrore, duplicem ſuper hæc miſerandum & deteſtabilem caſum excepit, diuiſionis vnum, conflagrationis alterum. Quamuis enim Capitulum Cracouiense de ſubſtituendo altero Epiſcopo Viſlaum Canonicum Cracouien, natione Polonum, genernobilem, de armis Zabawa vitæ quoque ſpectatæ & doctrinæ elegiſſet, Rudolpho tamen Cantore Romano, & Magiſtro Andrea Canonico, electioni ſuæ, quamuis Canonicæ, aduerſantibus, ingens & monſtruoſa diuiſio in Eccleſia Cracouienſi integro biennio vigebat. Præfatus enim Magiſter Andreas, qui cum Iwone Epiſcopo in Italiam tranſierat, aſsiſtente ſibi Rudolpho Romano, obtinuit ſibi de Epiſcopatu Cracouien per Papam prouideri- & ob hoc, cauſa Viſlai & per biennium pendente, differtur conſecratio. Sed Henrico Duce Cracouien & Wratiſlauien, qui Crac: Ducatũ abſolutus à Papa de iuramento recuperauerat, interpoſitionẽ ſuam apud Papã faciente, electio cõfirmatur Viſlai, prouiſione Magiſtri Andreæ caſſata. Propter quam & confirmatio Viſlai apud ſedem Apoſtolicam & conſecratio ex huiuſmodi cauſa fuit per biennũ non ſine maximo Crac. Eccleſiæ diſpendio, & ſubſtantiarum euiſceratione impedita & protalata. Vrilaus præfatus Epiſcopus de domo Zabawa fertur fuiſſe, & Eccleſiam Parochialem in Koſcielec, prope Proſzowice, pulchro lapide petræ tabulatæ, quòd villa ipſa patrimonium ſuum fuerat, ædificaſſe. Cuius progenitores, quia ex terra Pomeraniæ Cracouiam aduenerant, pro aduenis habebantur, & maior inuidia Viſlao in ſua electione propterea origebatur. Dùm inſuper ſub hac contentione turris Eccleſiæ Cracouien ſumptibus Iwonis Epiſcopi, & ſui teſtamẽti exequutorum ſollicitudine, piumbo tegeretur, operario negligentius ignem tractante, carbo ignitus ex foco fortuito decidit, & proxima laqueata arida reperiens, facilè nocte incendit, vniuerſamq; Eccleſiam, roboratum

ignem pluribus mortalibus, ne quicquam reſtinguere aut inhibere audentibus, exuſsit.

Wladiſlaus Dux filius Ottonis ſumptis ſibi in auxilium quibuſdam Poloniæ militibus, & ſignanter Albrachto & Laurentio filijs Ioannis, Monaſteriũ inſigne Mogilno ſpoliat, prædatur & deuaſtat, oſtendẽs ſe & à ſanguine, & à maioribus moribuſq; priſcorũ Regũ, Principũ, & Heroũ Poloniæ magnopere degeneraſſe, cùm Monaſteria ab ipſis fundata, ipſe deleret.

Decimo Calend. Ianuarij, Przemiſlaus aliàs Ottocarus Bohemiæ Rex moritur, & in Pragenſi maiori Eccleſia ſepelitur, cui filius ſuus Venceſlaus biennio ante, Patre iubente, coronatus ſucceſsit.

Pruſsiæ populis in Regnum Poloniæ barbaricam feritatem per clandeſtinas & ſubitas inuaſiones & incendia, abductioneq́ue perſonarum vtriuſq́ue ſexus, in ſeruitutem perpetuam euomentibus. Conradus Maſouiæ Dux cùm terras ſuas haberet, cum eiſdem barbaris, vicinas & conterminas multipliciter grauatus & afflictus, ſeptem Fratres Cruciferos de domo Teutonica Ordinis Sancti Sepulchri Dominici Hieroſolymitani, quorum Hermanus Ballie de Salca Primicerius & Magiſter habebatur, in ſui auxilium ex Almania de conſilio Criſtini Eepiſcopi Culmenſis viri relligioſi de Ordine Ciſtercieñ accerſijt. In primario quoq́ue eorum aduentu in Caſtro Dobrzin, à quo Fratres Dobrzinẽſes appellati ſunt, ipſos locat. Proceſſu verò temporis eis Caſtrum & Oppidum Nieſzow, cum villis Murzynow, Orlow, & cum ſuis attinentijs donat, largitur, & conſignat. Cùm autem aliquot ſecundis prælijs vſus, adiuuantibus illum Fratribus Cruciferis ſtragem ingentem in Prutenos edidiſſet, precibus aſsiduis Henrici cum barba Wratiſlauieñ & Sleſiæ Ducis perſuaſus de conſilio conſortis ſuæ Ducciſſæ Agaſiæ, & filiorum ſuorum Boleſlai, Caſimiri, & Semouiti, necnon Prælatorum & Baronum terrarum ſuarum, videlicet Gunteri Epiſcopi Plocenſis, Michaelis Epiſcopi Cuiauienſis, Criſtini Epiſcopi Culmenſis, Pacoſlai Comitis Derſouieñ, terras Chelmeñ & Lubauiæ infra fluuios, Oſſam, Drwancam, & Wrolam ſitas, in quibus barbari Rogow Caſtrum & Oppidum, & alias munitiones occupauerant, eis inſcribit, & donat, licet de facto, non de iure, cùm in præiudicium Regni Poloniæ donationẽ ipſam Conradus Dux non poterat aliquatenus feciſſe. Quæ quidem donatio, etſi pro ea tempeſtate videbatur ſalutaris, expoſt tamen Cruciferis ad occupandum terras reſiduas Regni Poloniæ ſemper anhelantibus, maxima Chriſtiani ſanguinis Polonis ſedes ſuas naturales defendentibus, ſequuta ſunt profluuia, & cædes etiam relatu horrendæ commiſſæ. Nec inter Reges & Duces Poloniæ præter præfatum Conradum extat alius, qui per donationem terrarum prædictarum Nieſzouieñ & Chelmeñ, & vocationem Cruciferorum, maiorem cladem aut peſtem ad Poloniæ Regnum inuexerit, maioribuſq́; bellis Polonos inuoluerit. In ea autem terrarum Culmeñ & Lubauiæ per Conradum Maſouiæ & Cuiauiæ Ducem donatione Fratribus Cruciferis facta, id primum & præcipuè fuit cautum, & ad id ſe tàm Magiſter Hermanus, quàm Fratres

Fratres Cruciferi patentibus literis aſtrinxerant, quod Prutenicæ terræ & cuiuſlibet alterius ſub barbaris conquirendæ poſſeſsio debebat inter Conradum Maſouiæ & Cuiauiæ Ducem, ſuoſq́ue filios, & ſucceſſores Poloniæ Principes, & Magiſtrum atque Ordinem Cruciferorum ex æquo partiri & terrarum Culmeñ & Lubauiæ donatio, terra Prutenica conquiſita, irritari, & ad Conradum Ducem ſuoſq́ue ſucceſſores pleno iure deuolui. Ordinatio quoque ipſa & conditiones ei appoſitæ, literarum apicibus fuerunt firmatæ, & per nonnullos fide dignos viros apud Ploceñ Duces & eorum cameras viſæ ſæpius & tractatæ. Reliquit autem Hermanus de Salca Magiſter Ordinis in locum ſuum Fratrem ſuum de Landisberg Conradum, qui cum auxilio Ducis Conradi Maſouiæ & gentium ſuarum in littore Viſlæ in loco edito ædificauit Caſtellum, quod vocauit Fogelſang, ex quo cepit Prutenos impetere, & eorum ſubitas incurſiones prohibere. Conſultanti autem ſuper donatione terræ Culmeñ Cruciferis facienda, Conrado Maſouiæ Duci, fabula à Trogo deſcripta, & penè in ſimili euentu, dùm Maſilieñ fundaretur ciuitas, ab vno Regulorũ in coniectura perſpicaciſsimo à Conſiliarijs Polonicis in detractationẽ eorum, quæ conceperant obijcienda erat. Canẽ aliquando partu grauidam, locum à paſtore precario petijſſe, in quo partum effunderet. Quo obtento, iterum ſollicitaſſe, vt ſibi educare in eodem loco teneros partus liceret. At poſtremò adultis catulis, fultam domeſtico præſidio, proprietatem loci Hero ſuo excluſo, vendicaſſe. Nec ſecus Cruciferos egiſſe, qui ſuos fundatores ſedibus excluſos, eorum terras per fas & nefas occupare non pudebat.

ANNO DOMINI 1231. Moram ſuæ expulſionis & exilij, quæ in quartum iam annum tendebatur, à Wladiſlao Ottonis Caliſsieñ Duce germano Nepote Patratam, per quam & Ducatu ſuo, & rebus quibuſlibet exutus erat, Wladiſlaus Laskonogi Poſnanienſis Dux moleſtè ferens, & propriorum militum, qui ad eum ſub exilij tempore defecerant, & aliquorum voluntariorum, aut ære alièno, aut iudicijs damnatorum nactus auxilia, ex Ratiborieñ Oppido, in quo miſerabile illud exilium hactenus egerat, diſcedens, verſus maiorem Poloniam contendit, & Caſtrum Gnezna, quod ſui iuris, ſuæq́ue ſortis erat, obſidione valauit, ſperans non illud ſolùm, ſed & Caſtra reliqua per deditionem breui recepturum. Verùm cum ſpes non reſpondiſſet, ſtrenuè militibus Wladiſlai Ottonis Caſtrum Gneſneñ defendentibus, obſidio in duos menſes protracta eſt. Intra quos nemo ex militibus & ſubditis Wladiſlai Ottonis notatus eſt, ad Wladiſlaum Laskonogi, omnibus turpes & fœdos mores ſuos abhorrentibus, defeciſſe. Fama quoq; non temere orta vulgatum proditumq́ue foret, Wladiſlaum Ottonis cum Suantopelkone Pomeraniæ Duce ſocero ſuo, & validis ſuis & exterorum copijs, pro ferenda obſeſsis ope, prope diem aduentare, triſtis & gemens, fortunamq; ſuam carpens, in expugnato Caſtro Gneſneñ, pro cuius expugnatione tám vires quàm ingenia intenderat, aliquot de ſuis militibus amiſsis, obſidionem ſoluens diſceſsit, & in ſolitum exilij ſui locum Ratiboriam re-

meauit, & anno eodem 15. Calend. Septembris in Oppido Sroda, tàm mærore quàm conſcientia actorum facinorum grauatus, fato ſubtractus eſt, & apud Ratiboriam, vel vt alijs placet, in Monaſterio Lubucēſi ſepultus, nulla ſtirpe relicta. Ex cuius morte, plena ſui Principatus poſſeſsio ad Wladiſlaum Ottonis, velut Nepotem germanum tranſijt. Iple quoque Wladiſlaus Ottonis Dux vtrumq; Ducatum Poſnanieñ videlicet & Caliſieñ & omnem maioris Poloniæ oram pacificè & abſque omni inſidiarum & defectionis reſpectu poſsidere cepit,

Conradus Maſouiæ Dux cum fratribus Cruciferis, & nonnullis peregrinis in ſui auxilium aduenientibus, vt amplior, & efficacior Prutenis barbaris opponeretur reſiſtentia, in arbore quercus Caſtrum edificat, & præſidio tàm fratrum Cruciferorum quàm propriorum militum impoſito, Prutenos cepit à vaſtatione terrarum ſuarum cohibere. Locauit & tunc ciuitatem Torun, quam poſtmodum in aptiorem tranſtulit locum. Pruteni verò barbari in eorum præſidiorum, quæ Conradus Dux erexerat, deſtructionē, duo Caſtra erigunt, vnum iuxta Viſlam vltra Torun, quod vocatur Rogow, aliud iuxta Torun, in eo loco, vbi nunc antiqua Gulmeñ ciuitas extat. Fabricāt & tertiam munitionem in lacu. Pipinus Prutenus Chriſtianis infeſtiſsimus, qui etiam in diem hanc lacus Pipini dicitur. Omnia tamen Caſtra prædicta infra paucos dies per Fratres Cruciferos & Polonorum milites fuerunt expugnata, & Pipinus captus. Qui ventre aperto ad quercum per circuitum vſquequo euiſceraretur, agitatus, vecordiæ ſuæ pœnas dedit.

Fridericus Auſtriæ Dux vltum iri ſatagens iniurias, quas patri ſuo & Ducatui Auſtriæ Venceſlaus Bohemiæ Rex intulerat, cum potentia exercituum ſuorum Bohemiam inuadit. Quē in id bellū proficiſcentē ſectuus, Przemiſlaus Marchio Morauiæ, germanus Venceſlai Behemiæ Regis cum eodē Friderico Auſtriæ Duce confederatus. Item Otto Morauiæ Dux. Item Henricus germanus Ducis Morauiæ, Marchio de Werde. Item Herebrehardus Epiſcopus Bambergeñ. Item Bartoldus Patriarcha Aquilegieñ, etiam germani Ducis Morauiæ, filij Bartoldi Ducis Morauiæ, & fratris germani B. Heduigis, conſortis Henrici Wrathiſlauieñ & Sleſiæ Ducis cum ſuis gentibus comitabantur. Tantus autem & tam fortis exercitus, cui Bohemiæ Rex Venceſlaus imparem ſe videns, reſiſtere, & cum illo decertare non audebat, cum ex Bohemis plures ſibi ſciret parum fidos, & Przemiſlai Marchionis Morauiæ partibus fauentes, vno duntaxat Caſtro vetero expugnato, & nonnullis damnis irrogatis, propter infirmitatem Friderici Auſtriæ Ducis, qua ſubitò correptus eſt, in propria parum operatus, redijt.

Andreas Vngariæ Rex & B. Helizabet pater, cū annis triginta Vngariæ Regnum ſub tranquillo & felici regimine tenuiſſet moritur, & in Monaſterio de Egrus ſepelitur. Cui Bela filius eius maior natu ſucceſsit, pridie Idus Octobris in Alba regali diademate inſignitus.

Vndecimo Calend: Nouembris Paulus Poſnanieñ Epiſcopus cum conſenſu Capituli ſui fundat Monaſterium Fratrum Prædicatorum in Srzodka

ad ſiniſtram viæ, quæ ducit de Srzodka in Glogouiam, è regione Eccleſiæ Sanctæ Margaretæ.

Gunterus Epiſcopus Ploceñ, cùm ſediſſet annis quinq;, in Vienna Auſtriæ Romā pergens moritur, & illic ſepelitur. Cui Petrus dictus Romanus Canonicus Ploceñ ſucceſsit, per electionē Canonicā de Domo Polukoſa.

Viſlaus electus Cracouieñ conſecratur in Epiſcopum Cracouieñ, per Vincentium Archiepiſcopum Gneſneñ in Eccleſia Cracouieñ, ſublato diſsidio, quod biennio inter eum, & filium Clementis Magiſtrum Andream Cracouieñ, de natione Griphonum viguerat. Gregorius enim Papa Nonus eidem Andreæ Romæ præſenti, iure ſuo de Cracouieñ Epiſcopatu prouiderat. Henrico tamen Wratiſlauieñ & Cracouieñ Duce interpoſitionem faciente, ad Papam electio Viſlai confirmatur, prouiſione Andreæ caſſata.

ANNO DOMINI. 1232 Beneficia Diuina Wladiſlaus Ottonis, qui & Plwacz cognomen à nimio ſputamine ſortitus eſt, maioris Poloniæ Dux, frequentius in eum, & in diræ captiuitatis euaſione, & in hoſtium debellatione collata, repenſurus, cùm & ex obitu patrui ſui Ducis Wladiſlai Lalkonogi quies optima, & Principatuū amplitudo, & ex conſorte legitima Suantopelkonis Pomeraniæ Ducis ſorore, duo elegantes filij Przemiſlaus Primus, & Boleſlaus Pius, rarum quidem, ſed multiplex bonum proueniſſe, duabus Eccleſijs Cathedralibus, Gneſneñ videlicet, & Poſnanieñ, ſub ditione ſui Ducatus conſiſtentibus, magnas immunitates, libertates, & priuilegia donauit, & conceſsit, abſoluendo Eccleſiarum præfatarum villas habitas & habendas & earum incolas, ab omni ſolutione, ſeruitute, datia, & onere, quæ olim Duci, & eius Cameræ præſtabantur, & ab omni ſua ſuorumq; Palatinorum, Caſtellanorum, Iudicum, & Officialium, à qualibet ordinaria & extra ordinaria iuriſdictione, & omne Ducale ius, quod ſibi in bonis Eccleſiarum præfatarum hactenus competebat in Petrum Archiepiſcopū Gneſneñ, & Paulum Poſnanieñ Epiſcopum, eorumque ſucceſſores conferens, & transfundens. Poteſtatem etiam monetam fabricandi, & venationes in bonis Eccleſiarum exercendi, quod ſibi tunc Principi congruebat, vtriq; Puntifici attribuens. Donauit præterea Poſnanieñ Eccleſiæ, & eius Epiſcopo Paulo villā Sulkowa Krobia, largos præbentem introitus. Quapropter paternum corpus Ottonis Ducis & Boleſlai magni Primi Regis, & aliorum Regum Poloniæ cadauera in ea condita, in qua & ipſe ſepulturam ſibi deſtinabat huiuſmodi, ſingulari donatione voluit amplius aſſerere.

Laurentius Wratiſlauieñ Epiſcopus cùm annis 25. ſediſſet, 7. Idus Iulij in Prichow moritur, & in Eccleſia Wratiſlauieñ ſepellitur. In cuius locum Thomas natione Polonus, & genere nobilis, per electionem Canonicam ſubſtitutus eſt, & per Vincentium Archiepiſcopum confirmatus. Qui non ſolùm propter nobilitatem generis, de ſtirpe enim Kozlerogi ducebat genus, ſed etiam propter ſcientiæ & prudentiæ raras quibus clarelcebat, dotes, opinione & fama apud proprios & finitimos celebris, in racem Ponti-

ri alem iubhmari promeruit. Accedit autem præfato Laurentio mors non vulgaris, ex aſsiduo ſiquidem & nimio roſarum odoratu, morbum rheumatis incurrens, curari non poterat.

Vincentius Gneſnenſis Archiepiſcopus cùm annos prope 12. ſediſſet, moritur, & in Gneſnenſi Eccleſia ſepultus, per electionem Canonicam Petrum habuit ſucceſſorem. Eadem etiam mortis conditione.

ANNO DOMINI 1233. Deuotio & liberalitas Wladiſlai Ottonis Maioris Poloniæ Ducis, in Gneſneñ & Poſnanieñ Eccleſias exhibita, mentes & pectora Baronum & Satraparum Maioris Poloniæ, tàm ingenti anxietate & liuore exacerbauit confecitque, vt primum occiſionem illius conſpiratione clandeſtina multifariè molirentur. Sed cùm inſidiæ in illum inſtructæ ſpei eorum & intentioni non reſpondiſſet, Wladiſlao Duce machinationes illorum ſolertiſsimè deuitante, in apertam rebellionem verſi ad Henricum cum barba Wrath: & Sleſiæ Ducem, quem ſciebant Wladiſlao Ottonis Duci ſuo, propter vulnera apud Ganzauam in occiſione Leſzkonis Albi Crac: & Sandomirieñ Ducis accepta hoſtem infeſtum, aduenient & ſibi Principatus Maioris Poloniæ tradituros, in eiuſq; ditionem & obedientiam ſe vniuerſaliter tranſituros, caſtraque & munitiones conſignaturos, repromittunt. Deditionem autem terrarum Maioris Poloniæ tunc ſibi impenſam Henricus cum barba Sleſiæ Dux, vir alioquin deuotus, religioſus, & iuſtus, quamuis nouiſſet iniuſtam, & ex iniqua & iniuſta liuoris radice coortam, contra fœminæ S. Heduigis conſortis ſuæ perſuaſum, non eſt aſpernatus, vt per occaſionem ipſam iniuriarum ſuarum, & vulnerum à Wladiſlao Ottonis, quem illius ſtragis & tradimenti, in Ganzawa commiſſorum, conſtabat Principalem fuiſſe commentatorem, poſſet commodius pœnas meritas exigere. Quapropter exercitu non mediocri ex proprijs & auxiliarijs congeſto, hoſtiliter terras Maioris Poloniæ, eas vtcunq; occupaturus, ingreditur. Sciens autem & probè noſcens, Wladiſlaus Ottonis animos ſuorum militum à ſe alienatos, ſibique aduerſos & infeſtos eſſe, cum Henrico Duce Sleſiæ velut cum potentiori congredi veritus, ne à reſiduis militibus, qui in partibus ſuis remanſerant, aut proderetur, aut deſereretur; in Caſtris ſe continuit, & Caſtris Bnin & Srzem, ne per Henricum occuparentur crematis, Caſtrum Gneſneñ forti & fideli militum præſidio communiuit, & ad ſocerum ſuum Suantopelkonem Dominum Pomeraniæ, in Pomeraniam diuertit. Quapropter Caſtra & ciuitates principales Maioris Poloniæ, Poſnanieñ, Caliſieñ, Pyzdreñ, Sredeñ. Item Caſtrum Biechow, per Barones & milites Maioris Poloniæ, Duci Henrico cum barba deduntur, & conſignantur. Qui illorum poſſeſsionem nactus, etiam Caſtra demolita & conflagrata, videlicet Srzem & Bnin reficit & reparat, militibuſque & defenſoribus fortiſsimis communiuit, datque Caſtra ipſa Nepoti ſuo germano ex ſorore filio Dipoldi Marchionis Morauiæ Borzywoio in tenutam & exilis, quoſcunque rebelles & inobedientes in terris Maioris Poloniæ cogeret in ſuam

in ſuam ditionem, obedientes verò & deditos in fide contineret. Præfatus ſiquidem Dipoldus Morauiæ Marchio à Venceſlao Bohemiæ Rege, & cognomine Monoculo fratre ſuo ex Morauia pulſus, in Vngaria conſeneſcens obijt. Mater verò eorum Adleidis ſoror Henrici cum barba, poſt mortem mariti ex Morauia, per eundem Venceſlaum Regem Bohemiæ electa, in paternam domum cum quatuor filijs, videlicet Borzivoio, Boleſlao, Premiſlao, & Wladiſlao reuerſa eſt. Et Marchioniſſa quidem Adleidis in Monaſterio Trzebniceñ degens, mortua eſt. Cuius cineribus alter filiorũ Premiſlaus breui matrem ſequutus, appoſitus eſt, vltimus filiorum Boleſlaus ſortem Clericalem optimam ducens, Canonicus Maideburgeñ effectus, reliqui duo Wladiſlaus & Borzywoius, apud Auunculum ſuum Henricũ Wratiſlauieñ & Sleſiæ Ducem, militabant.

Wladimirus Kiouieñ Dux veritus ritum ſuũ Græcum per Fratres Prædicatores, videlicet Martinum de Sandomiria Priorem Kiouieñ, & alios Fratres eius, vt pote viros Religioſos, & exemplares peſſundari & confũdi præfatos Fratres de Eccleſia S. Mariæ in Kiow Ordini præfato conſignata, & circa quam habebant ſuum conuentum, expellit, redeundi facultatem eis interminans.

Epheborum ætate, Boleſlaus, qui pudicũs appellari meruit, Crac. & Sandomirieñ Dux, filius Leſzkonis Albi tranſacta, annum prope 15. attigerat, & tàm ſuæ Duciſſæ genitricis Grzymiſlauæ, quàm Cracouienſium & Sandomirieñ Procerum, præcipuè tamen Viſlai Cracouieñ Epiſcopi inſtigatione frequenti & perſuaſu, tutoriam patrui ſui Conradi Maſouiæ Ducis, ſibi, & Ducatibus ſuis plurimum pernicioſam & damnoſam excutere, & ſe in libertatem vendicare deſtinabat. Verũm Conradus Maſouiæ Dux, tutoriam ſibi à Nepote eripi, & conſuetis introitibus ſe plurimum dolens ſpoliari, tàm Duciſſam Grzymiſlawam, quàm Nepotem Ducem Boleſlaũ Pudicum ad colloquium amicabile, quaſi de Rebuſpublicis ſuorum Principatuum tractaturus, inuitans, eos captiuat, & in Maſouiam deductos, primum in Czyrſko Caſtro ſuo forti includit, exprobrans, tàm matri, quàm filio præcipitanter nimis & immaturè ad principandi auctoritatem aſpiraſſe. Deinde illos in Sieciechouieñ Caſtrum ſupra fluuium Wiſla in Diœceſi Craçouieñ ſitum tranſportat, & arctæ deputat cuſtodiæ. è Theſauris ſuis omnem ſibi diripit ſuppellectilem, & ad Principatus ſuos occupandos, & ipſum è vita exterminandum, magno conatu animum intendit. Vnde & illum arctæ apud Czyrſko includit cuſtodiæ, & Principatum eius cepit occupare. Interim Wladiſlaus Gneſneñ Dux petitione & conſilio Marci Palatini Crac. inductus, perſuadet Duci Conrado, vt animo lenitatis Nepotem pertractet, nec aliquid in vitam ſuam aut ſuorum præſumat machinari. Qui, vt erat conſilijs tractabilis, in Cœnobium Sieciechouieñ eos tranſmittit, ſub diligenti cuſtodia ibidem detinendos, donec deliberet, quem finem præſenti negotio imponat.

Interea Boleſlaus filius Senior Conradi Mazouiæ Ducis terram San-

domirieñ

domirteñ potentialiter ingreditur, & tanquam vacantem occupat, Fratres quidem muneribus demulcens, & promissis, contradictores verò emisso edicto proscribens, bona eorũ diripiens & dissipans, coegit exulare. Quorũ quidẽ in Russiam alij, alij in partes, alias timore mortis fugientes, diuerterunt, misericordiam Dei implorantes vt tyrannidem Boleslai Ducis deprimeret, orphanisq; & desolatis misereatur.

Gregorius Papa Nonus B. Dominicũ Ducem & institutorem ordinis prædicatorum Bononiæ sepultum, pluribus corruscantem miraculis Reatæ canonisat, & Sanctorũ adscribit Cathalogo, anno à morte eius vndecimo.

Hermanus Magister Cruciferorum Castro altero Kwidzin in terra Culmensi ædificato, Castrum Wilna, quod in vicino situm erat à prutenis occupatum, & ædificatum successu temporis expugnat & conquirit, & milites Prutenorum, qui in præsidio illius fuerant, captiuat.

ANNO DOMINI 1234. Infidelium Prutenorum terras vastaturi, & barbaricam illam nationem & genus ad cultum religionis nostræ adducturi, Conradus Mazouiæ & Cuiauiæ Dux, non ex proprijs solùm Cuiauieñ & Mazouieñ, sed ex Cracouieñ & Sandomirieñ, quas pupillari & tutorio nomine Boleslai pudici Nepotis sui tenebat terris, Henricus Wratislai filius S. Heduigis, Wladislaus Ottonis Maioris Poloniæ, Suantopelk & Sambor germani Pomeraniæ Duces, validum exercitum, validasq; equestres & pedestres copias, nunquam aliàs in terris Prussiæ visas congregantes, in terram Prutenorum Ossa flumine superato comitantibus & adiuuãtibus illos magistro Hermano, & Fratribus Ordinis S. Mariæ Teutonicorum, quos vt in superioribus præmisimus, Conradus Dux ipse in sui auxilium contra præfatos Prutenos clandestino & tumultuario bello terras suas afflgentes acciuerat, Summi Pontificis Gregorij Noni specialibus literis admoniti, hyemali tempore Suantopelkoni Duci cura totius exercitus commissa, descendunt, & duobus mensibus terram Prutenicam in girum, ignibus, flammis, & spolijs, deuastantes, cum Pruteni decernere non ausi, pugnandi copiam non facerent, cæde de quinq; millibus barbarorum edita, & Castro Radzin, quod magis Catholicis imminebat, sub Prutenis conquisito, & proprijs militibus locato, Ciuitate quoq; Kwidzin loca ta, in propria redeuntes multitudinem captiuorum & spoliorum reduxerunt. Sub ipso verò tempore, quo Conradus Mazouiæ Dux bello Prutenico occupatus erat, Boleslaus Pudicus Crac. Dux, qui vnâ cum genitrice sua Grzymislawa Ducissa Leszkonis Albi relicta, captiuitatis molestias in Sieciechouieñ Castro anno vno & paulò amplius pertulerat beneficio Nicolai Gallici Abbatis Sieciechouieñ Ordinis S. Benedicti euasit. Qui Castrum Sieciechouiense vigilibus, cæterisq; capti Ducis Boleslai custodibus, tàm pecunia, quàm promissis corruptis, Ducem Boleslaum & Ducissam Grzymislawam solui obtinuit. Gratia siquidem Dei quæ subuenit in periculis, & in necessitatibus laborantibus, oppressionem duræ captiuitatis,

uitatis, prætati Boleslai cum matre misericoditer prospiciens, consilium inspirat Nicolao Abbati & quibusdam alijs eos liberandi. Nam cùm quadam nocte custodes epulis delibati, potu repleti, securitate dissoluti, solitarum vigiliarum excubias intermisissent, Boleslaus Dux cum matre intempestæ silentio noctis euectionibus clanculè præparatis, claustro egreditur. Cui captiuitatem euadenti, duo Castra Sandomirieñ videlicet & Zauichostеñ vltro tradita sunt. Quibus forte imponens præsidium, non audens in terris proprijs cõsistere, nec alteram captiuitatem experiri (Dux enim Conradus Principaliora in Cracouieñ, Sandomirieñ, & Lublineñ terris Castra in ditionem Masouitarum tradiderat,) cogeretur, in Slesiam & Wratislauiam ad Ducem Henricum cum barba, tertio affinitatis gradu per lineam directam, sibi coniunctum, refugit. Qui exulem & fugitiuum blandè & comiter suscipiens, omni honore & humanitate tractauit, omniaque de se bene sperare, iussit. Qui dùm se iuuari, & in Principatus suos restitui, summopere expetijsset, Henricus quidem Dux in omnibus se sibi morigerum tore repromisit, quæ tamen præmia laborum & impensarum, & quis fructus penes illum manere deberet, quæsiuit. Tunc Boleslaus pudicus omnes expensas & labores se refusurum, aut aliquas sortes Principatuum suorum sibi largiturũ pollicebatur, de quo fuere fœdus & pacta inita. Interea filius Conradi Boleslus collectis quibusdam Sandomirieñ militibus & suis; terram Cracouiensem ingressus, furiosè in populum debachabatur, afflictaque ea deprecationibus & grassaturis, in terram Sandomirieñsem reuertitur. Cracouieñ verò huiusmodi iniuriam non ferentes, Vislicienſem terram frequentibus incursibus spoliabant, sicque mutuis vicissitudinibus vtramq; terram crudeliter vastañ, in desolationem miserabilem redegêre. Auditis & intellectis omnibus iniurijs, quas Boleslaus præfatus Cracouiensibus hostiliter intulerat, Wratislauieñ Dux Henricus cum barba, cum omnibus potentijs suis versus Cracouiam vna cum Boleslao Pudico contendit, & à singulis ferè Baronibus Cracouieñ & Sandomirieñ exceptus est, & tàm Vrbs, quàm arx Cracouiensis, reliquæq; omnes Ciuitates, & Castra, Præfectis Conradi Ducis eas deserentibus, facile in suam & Ducis Boleslai venêre ditionem. Adeo enim dominatum Ducis Masouiæ Conradi aspernabantur, vt ad aduentum Ducis sui naturalis Boleslai singuli in eius obedientiam & susceptionem confluerent. Henricus autem cum barba Wratislauieñ Dux, Cracouieñ, Sandomirieñ, & Lublineñ Principatuum possessionem nactus, benignum se tutorem & curatorem Boleslao pudico præbuit, & tàm maioris Poloniæ, quàm Crac. & Sandomirieñ se Ducem gessit & titulauit, præsertim ne Dux Boleslaus per ætatem Ducalia bona inter milites distraheret, omnes tamen regiones ex integro Boleslao restituit, & eum cum matre fecit gaudere plena & quieta omnium suorum Principatuum possessione.

Singularis feruoris & relligionis in Deum miles Theodoricus Palatinus Cracouiensis, genere, fide, & nobilitate insignis, de domo & familia Gri-

phonum, quem difficultate nominis Græci, Polonorum lingua volens eum Theodorum appellare, Cedronem, & omnes eiusdem nominis appellationem sortitos, appellauit & vocauit, cultum ampliaturus diuinum, & sibi viam structurus in cælum, in villa sua hæreditaria Ludzimierz prope Oppidũ Nowytarg sub Alpibus Pannonicis sita, Monasterium Ordinis Cistercien, sub titulo S. Mariæ sub Pontificio Vislai Cracouiensis Episcopi, & de eius speciali cõsensu fundat, & tàm præfatam villam Ludzimierz quàm alias plures sibi pro perpetua dote consignat. Cui etiã præfatus Vislaus Gracouien Episcopus decimarũ manipularũ post omnes villas in possessione & terra Monasterio attributa locandarũ, donatione adiecit. Verùm cum Fratribus Monasterij prædicti in Ludzimierz ex Italia accersitis, varia á viris Belial prædam agentibus, vidisset impedimenta, & spolia inferri, decennio lapso, posteaquam in Ludzimierz fundationem huiusmodi consummauerat, in villam Schyrzyc á Sulislao Ioannis militis filio Canonico Cracouien pro centum marcis argenti comparatam illic transtulit, vbi in hodiernam diem perseuerat. Liberalitatem Vislai Episcopi, Prandota Episcopus Cracouiensis immediatus eius successor, supergressus de consensu Capituli, decimas manipulares mensæ suæ in villis Boznanowice, Gostachow, & Dlichow, & in Nigra tylua, post centum mansos Franconicos, loco prædicto & Cœnobio inscripsit perpetuò & donauit.

Decimo Calend. Februarij, Dionysius de Gozdzikowo Comes Palatinus nobilis genere, de domo & familia Vieniawa, caput Zubronis deferente miles & Domicellus Posnanien, feruorem deuotionis suæ, quo in Deum & redmptorem suum æstu magno flagrabat, vberius effundere satagens, & cultum nominis sui propensius agere, in villa sua præfata Gozdzikowo, quæ extunc & in hodiernum diem cepta est appellari paradisus, Monasterium Fratrum Ordinis Cistercien, sub honore & titulo Glorioſæ Virginis Mariæ fundat, & primum villam suam præfatam Gozdzykowo, item & alias villas suas videlicet Liuam, Klodawam, Gorzykam, & Polenc, ipsi Cœnobio & Fratribus in illo militantibus, & militaturis, quos primum de Monasterio Leuineñ eiusdẽ Leuineñ Monasterij tunc Abbatem mitti obtinuerat in dotem perpetuam donat & assignat.

Quarto Nonas Ianuarij, Warmien Pruteni Clauſtrum Oliwa incendunt, & septem conuersos & triginta quatuor Monasterij seruos igne, & gladio miserabiliter interimunt. Sub eodem tempore Fratres Cruciferi cum auxilio Marchionis Mysneñ, victis Prutenis de Territorio Pomeraniæ in ædes suas cum præda euntes, fidem Christi illos coegerunt suscipere. Castrum Ploceñ per Henricum Marchionem Mysneñ capitur, sed per Ducem Conradum & filios eius Boleslaum & Casimirum reacquiritur, & Almani alij miserabiliter trucidantur, alij cum Ecclesia Cathedrali comburuntur: alij per pedes suspenduntur. Anno quoq; eodem per Ducem Conradum Masouiæ, Ordo & Monasterium Fratrum Prædicatorum fundatur in Plocko.

ANNO

ANNO Domini 1235. Prutenica expeditione Conradus Dux Masouiæ, quam etiam anni huius æstate facturus erat, omissa, omnes vires, omnesque conatus & studia contra Boleslaum Pudicum Cracouieñ Ducem, eiusque tutorem Henricum cum barba Silesiæ Ducem, non secus quã in propria viscera conuertit, & alta trahens suspiria, vehementi stomachatione vexabatur. Quod Boleslaus Pudicus Cracouiensis Dux, & Grzymislawa Ducissa mater eius manus & captiuitatem euaserant, quod Henricum cum barba in suum auxilium acciuerant, quod ei tutoriam, & Cracouieñ, Sandomirieñ, & Lublineñ Principatuum possessionem abstulerãt. Cum copijs itaque tàm proprijs quàm auxiliaribus in terrã Cracouieñ adueniens, defectionem aliquorum Castrorum & Ciuitatum ad se sperans, plures ex Baronibus & Capitaneis, vt Henrico & Boleslao Ducibus desertis ad se deficerent, tùm largitione, tùm promissis sollicitabat. Sed dùm omnes illum, & eius promissa aspernarentur, maioribus ignibus, vt erat vir in bilem procliuis agi cepit, & Ecclesiam S. Andreæ sub Castro Cracouieñ, quæ nondum tunc ambitu murorum ciuitatis Cracouieñ erat inclusa, pro suburbana habebatur, Item Ecclesiã in Prandocin, Item Ecclesiam Collegiatã Scarbimirieñ, Item Monasterium Andrzeouieñ incastellauit, quatuor quoque loca ipsa valido militum præsidio imposito, armis & victualibus communiuit. Primusque extat inter Polonorum Duces, qui ædes sacras prophanare & vsibus bellicis applicare ausus, detestabilem illum morem suis successoribus pernicioso dereliquit exemplo. Quamuis autem Henricus cum barba Conradum Masouiæ Ducem, & eius exercitum, dùm huiusmodi nefandas incastellationes committeret, aut per insidias, aut per locorũ iniquorum occasionem, plurimum lacessisset, in congressum tamen vniuersæ dimicationis, quoniam facilius illum frangi cunctando, quàm decernendo rebatur, non venit. Sibi quidem, & Castrorum, ciuitatumq; munitiones, sibi militum deuotionem & fidem, sibi supplementum militum, sibi victualium omnium abundantiam videbat suppetere, ea verò breui hostibus defutura. Multis siquidẽ difficultatibus Conradus Masouiæ Dux adductus, multa sui exercitus parte amissa, magnis tamen populationibus & damnis terris Crac. & Sandomirieñ irrogatis, in Masouiam mærore tabescens, redijt. Post cuius discessum Ecclesia S. Andreæ per Henricum cum barba, & Boleslaum Pudicum, eorumq; milites, tàm arcta & dira obsidione constricta, & Mensibus aliquot angustiata est, vt milites Conradi pacti ne quid hostile paterentur, in deditionem cum Castello venirent. Contra autem tria reliqua Castella in Prandocin, Scarbimiria, & Andrzeiow per Conradum dispositа, alia rursum tria Castella ex lignis & blãcis è regione, & in vicinio eorum, per Henricum cum barba & Boleslaum Pudicũ Ducẽ erecta, atq; edificata sunt. Et miro bellãdi studio, vtriſq; pro victoria adnitentibus particularia certamina hinc inde sæpius celebrata fuêre ab Henrici cum barba, & Boleslai Pudici militibus, ne quid ad Con-

radi milites importuni posſit, magna cura prohibentibus. Conradi verò militibus excurſiones nocturnas & clandeſtinas, exuſtioneſq; earum villarum, quæ tributa repromiſſa exoluere neglexiſſent, irrogantibus. Inter hæc tamen coloni & à proprijs, & ab hoſtibus vexati intermittebant agriculturã, & agris colonijſq; delertis, in loca tutoria ſe cõferebãt, calamitaſq; & deſolatio dietim augebatur. Irrepſit & aliud malum, in Poloniæ Regnõ quæ priorem perniciem duplicauit. Frumentis namque tàm æſtualibus, quàm hyemalibus, cùm per aſperitatem hyemis, tùm per imbrium frequẽtem inundationem conſumptis, ingens fames vniuerſam Poloniam longo tempore oppreſsit, neque facile tantum malum, bello ciuili durante, poterat reſtingui.

Andreas Vngariæ Rex pater B. Elizabethæ, cùm annis triginta regnaſſet, moritur, & in Varadino ad pedes S. Ladiſlai Regis ſepelitur. Cui filius eius Bela ſucceſsit Pridie Idus octobris in Regem Hungariæ, in Alba regali Coronatus.

Borzywoi maioris Poloniæ miles multo tempore cum Paulo Poſnanien Epiſcopo, pro villarum terminis, cæteriſq; iniurijs Eccleſiæ Poſnanien irrogatis, diſſidens, cùm in Srzem Oppidum ad componendum differentias, per amicos communes, data acceptaq; ſecuritate veniſſet, Paulum Epiſcopum Poſnanien, nil tale ſuſpicatum in dolo captiuat, ſed captiuitatem ſuam præfatus Paulus Epiſcopus euadens, ipſum excommunicat, fuitq; prædictus Borzywoi per vniuerſam Eccleſiam, pro excommunicato habitus, & in ſingulis Eccleſijs publicè denunciatus. Dum quoq; pertinaci contumacia cenſuram tolerans Epiſcopo ſatisfacere, à ſe per fraudem violato, contemneret, apud Srzem captus, & necatus ſuæ vecordiæ pœnas dedit. Wladiſlaus ſiquidem Maioris Poloniæ Dux Caſtro Srzem conquiſito, illud incendit, & tàm Borzyuoium quàm Sandiuogium auxiliatorem eius occidit.

Wladiſlaus Ottonis Maioris Poloniæ Dux fundationem Hoſpitalis & Monaſterij Ordinis S. Ioannis Hieroſolimitani in Poſnania per Mieciſlaum Auum, & Wladiſlaum Patruum ſuum, Duces maioris Poloniæ, nec non & dotationem præfato Monaſterio, per dictos Duces factam, innouat, & ſub præſentia Pauli Epiſcopi Poſnanien, plurimorumque tàm Eccleſiaſticorum quàm ſecularium donationem, per præfatos Duces ante annos plures de villis infra ſcriptis factam confirmat, videlicet Obiezierze cum aſcripticijs, Wierzchucino, Drozin, cum foro & taberna, Wielkie, Kurzęcino, Wyganowo, Miloſtowo, Ondregowo, & Pogorzelica cum Naulo, libertans hæreditates & bona prædicta ab omni ſeruitute, onere, datijs, & tributo, ordinans, vt ex bonis Monaſterij prædicti horæ Canonicæ, reſq; diuinæ expleantur, alantur pauperes & peregrini. Quicquid verò reſiduum fuerit, in ſubſidium terræ ſanctæ domui Ieroſolimitanæ tranſmittatur.

ANNO DOMINI 1236. Ad obtinendam vniuerſi Regni Poloniæ Monarchiam, Henricus cum barba Sleſiæ & Wrath: Dux aſpirans, dum ætate

ætate tranſacta Conradum Maſouiæ Ducem de tutoria Ducis Boleſlai Pudici exuiſſet, & Principatuum Crac: Sandomirien & Lublinen poſſeſsionẽ, velut tutor Boleſlai Pudici nactus eſſet, rurſum contra Wladiſlaum Ottonis Maioris Poloniæ Ducem expeditionem mouet, & Caſtrum Gneſnen, quod iam vnicum pro Wladiſlao Ottonis tenebatur cæteraq; omnia in Ducalibus Maioris Poloniæ ſuperbam & iniuſtam dominationem Wladiſlai Ottonis aſpernantia in ditionem Henrici cum barba ceſſerant, obſidione firma cingit, plenam Ducatuum Maioris Poloniæ, & pacificam poſſeſsionem, arce illa, quæ ſola reſtabat, conquiſita, habiturus. Magnis itaq; viribus & conatibus, ad illius conquiſitionem æſtuando, plura tormenta & machinationes contra Caſtrum admouit, & obſeſſos proiectione frequenti tormentorum, & ſagittarum ignitarum, ſperans ſe Caſtrum, quod pro maiori parte ex materia lignea fabricatum erat, aliquando incenſurum affligebat. Oppugnabat etiam illud crebra inuaſione & impetu militum, qui ſupernè ab obſeſsis ſaxis obruti mortuos & vulneratos plures deferentes, ſegnius munera obſidionis & expugnationis conatibus eorum ſingulis recidentibus in irritum obibant. Interim cùm & longum tempus in obſidione arcis præfatæ fruſtra abſumptum eſſet, & arx ipſa præſidio militum valido ſepta, qui etiam & Caſtra Henrici cum barba per eruptiones continuas laceſſentes, pleroſq; milites de hoſtibus ceperant, inexpugnabilis videretur. Noua etiã pernicies Henrico cum barba acceſsit, tres namq; machinæ, quæ potiores habebantur, ex vehementi & continua proiectione fractæ & ruinatæ ſunt. Ex qua re, neq; enim apud obſeſſos ex arce omnia ſpectantes ignota eſſe poterant, obſeſsis creuit audacia, obſidẽtibus verò deſperatio. Itaq; Henricus cum barba Dux, deditionis ac expugnationis ſpe omiſſa, obſidionem ſoluens, multis damnis acceptis in Sleſiam redijt. Poſt cuius diſceſſum Wladiſlaus Ottonis cum gentibus & militibus, qui illius partes ſequebantur, Caſtra & munitiones, quæ per milites Henrici in Maioris Poloniæ Ducatibus tenebantur, laceſſere, impugnare, inuaſiones, exuſtioneſq; villarum, & Oppidorum, quæ à ſe defecerant, facere non deſijt. Inter quæ Caſtrum Srzem, quod Borzywoio Dipoldi Marchionis Morauiæ filio, & Henrici ex ſorore Nepote commiſſum erat corruptis vigilibus, nocturna irruptione inuadẽs, & Borzywoium Marchionem Sandiuogiumq; militem, cæteris metu perculſis diffugientibus, ſibi reſiſtentes occidit. Caſtriſq; ſpoliato, ne ab hoſtibus iterum locaretur, illud incendit, & in Pomeraniam ad Suantopelkonem Socerum ſuum diuertit. Deinde in Caſtra Nakiel & Vśćie, quæ in fide ſua manebant, ſe recepit, hoſtilitatẽ & periculum veritus, intelligẽs Maioris Poloniæ Barones & milites, in fide & obedientia Henrici cum barba conſtantes & perſeuerantes fore.

Penultima Iunij Conuentus Principum Poloniæ apud Dankow habitus eſt. In quo Domicillæ Henrici Ducis Sleſiæ iunioris Conſtantia & Gertrudis illic perſonaliter aduectæ & adductæ per Michaelem Wladiſlauien & Petrũ Placen Epiſcopos, in facie Eccleſiæ ſolenniter filijs Ducis Conradi Mazo-

di Mazouiæ, Boleslao & Casimiro actualiter desponsantur. Nuptiarum tamẽ solennitas in aliam diem Virginibus in Wratislauiam deductis, dilata est. Secunda autem die Iulij, Conradus Mazouiæ Dux præfatus, fecit diuisionem Principatuum suorum, inter duos filios præfatos, & cesserunt Duci Boleslao Ducatus Masouiæ, Casimiro verò Lancicien & Cuiauien Ducatus, & ambo iureiurando in præsentia Wladislauien & Plocensis Episcoporum & plurimorum Baronum terrarum prædictarum, promiserunt se diuisionem huiusmodi seruaturos.

Sexto Maij Casimirus Opolien & Ratiborien Dux, filius Mieszkonis filij Wladislai Ottonis Sleziæ Ducis, Frater Patruelis germanus Henrici cum barba, in Opole moritur, & in Ecclesia fui Monasterij Czarnowas Ordinis Præmonstratẽsi, à se illic ex Rybniki propter loci commoditatem translato, vnâ cum filia sua eiusdẽ loci & ordinis Sanctimoniali virgine, pluribus virtutibus & mira deuotione insigni sepelitur. Qui duos filios videlicet Miecslaum & Wladislaum reliquit. Miecslaus itaq; maior natu existens, virginẽ Iuditam filiam Conradi Masouiæ & Cuiauiæ Ducis in sponsam accepit, sed sterilitatis opprobrium passa, nullam prolem reliquit. Susceptit autem præfatos filios Casimirus ex Wenceslawa Ducissa, quæ & ipsa Tertio Idus Martij diem obijt.

ANNO Domini 1237. Regionibus aliquot & colonijs ex ciuili & domestico bello, quo se inuicem Henricus cum barba Slesiæ & Wratislauien, & Boleslaus Pudicus Crac: & Sandomirien Duces ab vna: & Conradus Masouiæ Dux partibus ab altera ferè integro biennio collidebant, vehemẽter quassatis, & afflictis per Barones, & Consiliarios communes agitari, de pace ceptum est. Et aliquot dietis ob eam rem celebratis, tandem execrabili & funesto bello abrogato, damnis hinc inde illatis, compensatis, & captiuis vtriusque partis absolutis, pax in hunc modum concluſa est. Vt Boleslaus Pudicus Cracouien & Sandomirien Dux, ex quo annos pubertatis scitus est transcendisse, Ducem Masouiæ Conradum non teneatur tutorem ferre, sed liber & sui iuris vir Dux & Dominus censeatur, & pro arbitrio suo sibi curatorem & prouisorem constituat. Qua quidem pace, pactis, & iureiurando firmata, Boleslaus Pudicus sub omnium præsentia Henricum cum barba Ducem Sleziæ sibi in curatorem depoſcit & assumit, seque illi & suis salubribus consilijs directionibusq; repromittit, pariturum, germanum patruum Conradum Masouiæ Ducem, non secus quasi acerrimum hostem vitans. Qui etsi ob id vehementer se quereretur iniuriatum & confusum, pactis tamen & iureiurando constrictus compositioni paruit, & præsidia ex Ecclesijs incastellatis, videlicet Scarbimirien, Andrzeiouien, & Prandocineñ deduxit. Itaque ex eo tempore Henricus cum barba se Monarcham Regni Poloniæ gesit, & tàm solertia, quàm natu & principalioribus, qui in eum confluxerunt, inter Poloniæ Duces maior habebatur, Nam etsi propter amorem, quo in Boleslaum Pudicum flagrabat, à titulo Ducatus Cra-

couien &

couien & Sandomirien abstinuit, sed duntaxat se Maioris Poloniæ & Slesiæ Ducem & Dominum nominauit. In ipsis tamen Ducatibus Cracouien & Sandomirien magis illi & suis Imperijs, quàm proprio & naturali Duci Boleslao Pudico post fœdus cum Conrado Masouiæ Duce ictum parebatur. Sed & Dux Boleslaus Pudicus gratificari Henrico curatori suo volens, & impensas, quas pro se & suis Ducatibus de manu Conradi Masouiæ Ducis eripiendis fecerat, refundere, Nobiles Duci Henrico cum barba reditus ac introitus, tàm in Cracouien & Sandomirien Ducatibus, quã in Zuppis Vielicien, theloneisque consignauerat, Monarchali autem potestate, præsertim in Cracouien & Sandomirien terris Henricus obtenta, bona Monasterij Opatowien Cracouiẽsis Diœcesis, videlicet Oppidum Opatow cum sexdecim villis, & aliquot manipularibus decimis, templarijs exclusis, quorum insigne illud erat Cœnobium, annuente & vltro consentiente votis suis Boleslao Pudico Ecclesiæ Lubucen sui dominij applicat. Nec his contentus in terris maioris Poloniæ Oppidũ Casimierz cum suo districtu, cum 14. villis & totidem decimis, Item in terris Sleziæ Oppidum Borek cum decimis, cum villis & lacubus, præfatæ Lubucensi Ecclesiæ donat. Dux Miecslaus propter mentem capitis parum sanam appellatus Choscisko, Ducatum Cuiauien ex Patris sui Ducis Masouiæ Conradi concessione inter fratres sortitus, dùm quasdam viduas & orphanos præter æquitatem & iusticiam spoliasset, & vaccis earum mactatis, substantijsque occupatis, splendidum conuiuium ex illis optimatibus & militibus Cuiauien præparasset, & in illo oppipare vsurus consedisset, inter prandendum & conuiuandum, iustissimo Deo, enormia sua facta præsentia & transacta puniente, mures infiniti conueniunt, ipsumque deuorare ceperunt. Qui imminens periculum euitaturus, nauim conscendens, ad aquas & flumina perrexit. Quibus nec quicquã suffragrantibus, à muribus illum per omnes vndas & maria insectantibus, miserabiliter consumptus & deuoratus est. Documentum non inutile iniuriæ viduis & orphanis inferendæ posteris præstiturus. Reconciliationi inter Henricum cum barba maioris Poloniæ & Sleziæ, & Conradum Masouiæ & Cuiauiæ Duces confecta, nuptiarum etiam solennitas Wratislauiæ acta est: In qua iuxta ordinationem B. Heduigis, & pacta in Plocko per medium eiusdem B. Matronæ inita, Boleslaus filius Conradi Masouiæ Ducis maior natu, virginem Gertrudim filiam filij Henrici cum barba, Neptem B. Heduigis accepit in vxorem. Nam etsi vt in superioribus præmisimus, matrimonium huiusmodi dudum fuisset contractum, nõ tamen poterat, cùm propter minorennitatem contrahentium, tùm propter bella orientia, nisi eo anno consumari. Celebritati autem huiusmodi Beata fœmina Heduigis, vt personaliter interesset, nulla poterat prece & supplicatione moliri, sed in Monasterio Trzebnicen se continens, contemplationi & orationi sanctæ iugiter insistebat. Quæ etiam cum viro suo Henrico Wratislauien Duce continentium se lege perpetua vincientes, per annos triginta gratiam coniunctionis non repetebant. Boleslaus Pudicus Cracouien & Sandomirien Dux,

precibus

precibus & consilijs genitricis suæ Grzymislawa Ducissæ fœminæ religiosæ & deuotæ, persuasus, Fratres minores Ordinis S. Francisci Cracouiam ex Praga vocat, illisque pro Ecclesia & Monasterio in ciuitate Cracouien locum amplum donat, Ducalibusque impensis, tàm Ecclesiam, quàm Cœnobium pulchro opere ex latere cocto inchoat, & consumat, quamuis in annis pueritiæ constitutus.

Gregorius Papa Nonus ciuitatem insignem Constantinopolim, quæ vetusto nomine Bisantium vocabatur, de captiuitate liberaturus, Vilhelmum Episcopum Mutinen, adiungens ei fratrem Martinum de Sandomiria Ordinis Prædicatorum Polonũ natione virum prouidum & doctum, ad Ludouicum Franciæ Regem transmittit.

Premislaus Marchio Morauiæ, germanus Venceslai Bohemiæ Regis, sciens sibi præfatum Fratrem suum Venceslaum multipliciter infestum esse, in Hungariam effugit, Castris suis Morauiæ præsidio fideliũ militũ commẽdatis. Qui tandẽ à Rege Bohemiæ Venceslao obsessi, Castra ipsa reddere sibi coacti sunt. Præmislaus verò Marchio Morauiæ à Bela Hungariæ Rege benignè habitus, etiã inter positione sua Marchionatũ Morauiæ rehabuit.

Hermannus Cruciferorum Magister domus Teutonicæ, Conradi Masouiæ, Suantopelk & Samborij Pomeraniæ Ducum fretus auxilijs, in Prussiæ terram descensu per aquam, & terram facto, Castrum & Oppidum Elbang in Pogosimo districtu edificat, & militum valido præsidio communit, ciuitati dato nomine à fluuio Elbing, qui illinc decurrens, stagno magno, quod Hab dicitur, se miscet.

Fratres Prædicatores, videlicet Frater Martinus de Sandomiria, cum alijs Monasterijs S. Trinitatis in Cracouia fratribus, missi in Italiam, ossa Iwonis Episcopi Cracouien ab Episcopo Mutinen impetrata, Cracouiam referunt, & in Monasterio præfato S. Trinitatis in Chori medio condunt.

Boleslaus pudicus Crac. & Sandomirien Dux cum matre sua Grzymislawa, dolos & insidias Conradi Masouiæ Ducis, & filij sui Boleslai perhorrescens, & in terra Sandomirien, quam pro suo domicilio, & statu Ducali tenendo consignauerat, non audens remanere, petit ab Henrico cum barba in aliqua munitione Crac. terræ collocari, donec furor aduersariorum suorum conquiescat, & Baronibus suis congregatis & adunatis, status Principatuum suorum vires resumens, aduersus eos inualescat. Dux itaq; Henricus Curator suus munitionem rupis, quæ dicitur Skala in Przegimia, eis concedit ad habitandum, & certis reditibus prouidet ad victum. Vbi collocati ferè quinquennio delituerunt, ipse verò Henricus cum barba Dux cum omnibus prouentibus reditibusq; Cracouiam ad vsum suum retinens, habito communi consilio Episcopi & Baronum, Rempublicam prouidè ordinauit, leges, quibus humana audatia coerceretur, instituit & cõscripsit, Viros industrios & prouidos præfecit beneficijs ac magistratibus, pestiferum genus hominum videlicet maleficos & calumniatores exterminauit, leges concussionis elisit, videlicet Pomocne, virginale & viduale, & si quæ

etsi quæ sunt similia, perosus extirpauit. Libertatem insuper Ecclesiæ confirmauit, sicq; in eo statu terra posita, eoquè regnante, quasi per decennium creuit rerum incrementum & profecit, mutuo vinculo connexa societatis.

ANNO Domini 1238. Monarchiam Regni Poloniæ Henricus cum barba Maioris Poloniæ & Slesiæ Dux adeptus, ad felicem tranquillumquè statum Polonia sub regimine & Principatu tàm iusti & celebris Principis visa est peruenisse. Sed & Henricus Dux præfatus in Maioris Poloniæ Ducatu, solium suum quietum credebatur firmasse, cùm subitò nouum dispendium, nouaquè pernicies Regno Poloniæ accesit. Dux namq; Henricus ad Partes inferiores Ducatum suorum, Krosnam propè terminos Bohemiæ descendens, languere grauiter cepit. Et quamuis de languore suo consors sua B. Heduigis per celerem nuncium certior facta fuisset, visitare tamen illum, quamuis precibus viri multipliciter rogata intermisit, ne quam scintillam coniugalis mœroris viso ægroto marito cõtraxisset, quem infra annos triginta, quibus vterque cœlibem agebat vitã, rarissimè, & non nisi in necessitate ineuitabili, quum pro necessitatibus egenorũ, viduarum, pupillorum, Monasteriorum, Ecclesiarum, & miserabilium personarum intercedendũ erat, adibat. Ingrauescente itaq; infirmitate, omnibus Ecclesiasticis sacramentis ritè & religiosè perfunctus sex lustris, vt præmisimus, in cœlibatu, consorte in sororem commutata exactis, 14. Calend. Aprilis in Oppido suo Krosno feliciter expirauit. Qui ob id Henricus cum barba appellationem sortitus est, quoniam à tempore, quo cœlibem vitam ad instigationem consortis suæ B. Heduigis agere cepit, barbam in conuersorum morem crescere permisit, splendidisq; indumentis auro & Oltro nitentibus abiectis, laneo, & humili amictu vtebatur. Cùm autem ad Monasterium Trzebniceñ per ipsum fundatum, & liberaliter dotatum, in quo B. fœmina Heduigis arctissimam agebat inter Sanctimoniales Cistercien vitam, funus suum illic sepeliendum ductum fuisset, omnibus Monialibus, & pluribus alijs, tàm Nobilibus, quàm rusticanis hominibus vtriusque sexus, qui ad cohonestandũ funebrias suas ex Maiori Polonia & Slesiæ Ducatibus in maxima multitudine obuiam corpori mortuo cõuenerant, effusis, sola fœmina B. Heduigis in Monasterio Trzebniceñ substitit, & honorẽ illum impendere corpori mariti neglexit. Sed Sanctimonialibus, cæterisquè tàm viris, quàm matronis mortem Henrici Ducis viri sui magno eiulatu, magnisquè lamentis & vociferatione incondita, deflentibus, hæc sola siccos tenuit oculos, neq; in omnium fletu visa est lachrimasse. Sed & nonnullas Sanctimoniales obitum Henrici Ducis præfati, tàm ingenti mœrore, vt penè mortuæ viderentur, persequentes corripuit, asserens iniquum & scelestum esse, tàm inconuenienti & immoderato mœrore voluntati diuinæ, & eius beneplacito aduersari. Successit autem optimo viro Henrico Duci, in vtroque Ducatu Dominio Cracouien & minoris Poloniæ videlicet & Slesiæ, filius suus Henricus, qui illi, cæteris filijs morte sublatis, vnicus remanserat. Neq; maioris Poloniæ Prælati Barones, & Nobiles quicquam diminuere aut varia-

re, ex præterita obedientia & subiectione, quam patri Henrico cum barba præstiterant, in filio dignum ducebant, quamuis sciebant se alium iustiorem Ducem, & hæredem Wladislaum Ottonis, qui morte Henrici cum barba sequuta, plerosque eorum magnis promissis & precibus, vt de se recogitarent, sibiq; Ducatum proprium & paternum redderent, sollicitare non desiit, firma certitudine freti Henricum Secundum ex Beata Heduigi genitum, & paternos & maternos mores optimos sectaturum.

Apud Halicien Ciuitatem Monasterium Fratrum Ordinis Prædicatorum fundatur, & fratres Prouinciæ Polonicæ domum illis accipiunt. Petrus Episcopus Plocensis cùm annis sex sedisset, ex vicio pulmonis moritur, & in Ecclesia Plocensi debito honore tumulatus, Andream habuit successorem à Gnesnensi Archiepiscopo Fulkone, Conradi Masouiæ & Cuiauiæ Ducis consensu accedente, confirmatum. Hic Andreas Cracoien Ecclesiæ Scholasticus, Nobilis genere de domo & familia Griphonum, de terra & regione Cracovien ex villa Brzeznica ortus, filius Marci Palatini Cracouiensis.

ANNO Domini 1239, Wladislaus Ottonis Maioris Poloniæ Dux, vniuersali annuentia & conspiratione de Ducatu suo pulsus, mortem Henrici cum barba hostis & competitoris sui, nullam videns rebus commoditatem, quã sperauerat attulisse, graui dolore & molestia actus, apud Suantopelkonem in Pomerania exulans, languorem contrahit, & infra paucos dies, rebus exuitur humanis. Corpus exanime ita enim moriturus rogauerat in Posnaniam adductum, in sepulchro Patrum & Auorum suorum, Regum & Principum Poloniæ, in Ecclesia maiori Posnanensi, permittente Henricõ Pio maioris Poloniæ Duce, Beataq; matre Heduigi mandante, exequijs iusto honore peractis, humatum est. Post cuius mortem Castrum Gnesnen militibus, qui in eius præsidio erant longa spe fatigatis, in plenam deditionem Henrici Pij venit. Reliquit autem Wladislaus Ottonis duos filios ex sorore Suantopelkonis Helinga, qui sibi Ducatum Pomeraniæ filio vsurpauerat, genitos, videlicet Boleslaum & Przemislaum, duorum tantummodo Castrorum cum eorum attinentijs, videlicet Nakiel & Vscie, quæ sibi vnica dùm moreretur, supererant. Nam alia omnia in ditionem & subiectionem Henrici Sleziæ Ducis concesserant possessores. Ex morte Henrici cum barba Polonorum Principis & monarchæ, Conradus Masouiæ Dux fastuosus & insolens esse, magnasquè iras contra Boleslaum Pudicum Cracouiensem & Sandomirien Ducem, quod se contempto Henricum cum barba in suum tutorem acciuerat, & eo Duce ac adiutore prælijs aliquod secundis, contra eum vsus fuerat, euomere cepit. Quapropter haud longe post Henrici cum barba obitum fœdus ictum irritauit, & clandestinis primum, deinde publicis inuasionibus, Cracovien, Sandomirien, & Lublinen terras vastabat. Ad cuius insolentiam compescendam Boleslaus Pudicus Cracouien & Sandomirien Dux, notabilibus Baronibus, videlicet Clemente de Klimuntow Castellano, Ianusio Palatino Crac: ad Belam Vngariæ Regem missis, filiam

filiam eius Kunegundim qua Kinga dicta est quã soror Boleslai Salomea, cõsors Colomani Halicien Regis & filij Belæ, de præstantia virtutũ & morum commẽdauerat precatus, accipit in vxorẽ, virginem ea tempestate singularis formæ & virtutis, cuius futuram optimam indolem ipsa etiam crepundia præmonstrauerunt. Quamprimum siquidem Anno Incarnationis Domini nostri 1204. apud Pannonias Matris aluo primis in lucem infantula edebatur horis, non ab eiulatu & lachrymis vt cæteri infantes, sed à Gabrielica denunciatione suos auspicata est ortus; claram enim articulatam & sonoram, Aue Regina cœlorum, in idiomate Vngarico, edidit vocem. Quartis insuper & sextis ferijs semel tantummodo vbera lugere contenta, Præsulem Beatum Nicolaum in ipsa infantia æmulabatur. Deducta est autem præfata virgo Kinga cum magno apparatu ferens secum amplam quadraginta videlicet millium Marcarum dotem Cracouiã, vbi & solennitas nuptiarum 12. diebus acta est. Ex eo tamen tempore, & deinceps Kunegundis Ducissa præfata, Celsitudinis suæ nomẽ & meritum ea celebritate per pietatis opera apud regiones Polonicas, diffandebat, vt non secus quàm altera egregiæ virtutis B. Heduigis Ducissa Trebniceñ, cuius & ipsa Kunegundis Neptis ex sorore germana fuerat, in Populo Polonico videretur surrexisse, & ab omnibus mundanis abhorrens officijs, & ab omni ambitione auersa, hoc vnũ concupiscens, nil preter cœlestia desiderauit. Feruntur autem ambo in æuum virgines permansisse, & primo nuptiarum die, primo quidem ad vnum annum, quo lapso, ad alterum, & deinde in tertium, quo effluxo, felici Kunegundi operante, & instigante, in omne æuum Domino cœlt cœlibatum spõtaneè vouisse & seruasse. Ex quo Boleslaus Pudicus Dux meruit appellari. Splendidum autem matrimonium Conradus Masouiæ Dux videns Nepotem suum Boleslaum Pudicum sortitum, lacessere illum destitit, & pacificatus est illi.

Externis bellis Conradus Masouiæ Dux paululum quietatis, horibilem & detestabilem rem perpetrans, in proprios & domesticos furere cepit, Diabolico vexatus instinctu, Ioannem Czapla appellatum, & in iure Canonico peritum, Cancellarium Ducatus sui, Scholasticum Wladislavien & Plocen, in ordine constitutum Præsbyterali, & filiorum suorum Boleslai & Casimiri Pædagogum temerariè per Semouitum filiũ captiuat, & squallido carcere diebus aliquot maceratum, tandem in eculeo tortum, velut furem in publicum patibulum egit, extinctum quoque, & ex priori suspendio sublatum, cùm eum aliqui fratres Prædicatorum depositum in ciuitatem ferrent sepeliendum, Ducissa Agasia plena furia eis ablatum, non secus quam altera Iezabel sanguinem sacerdotalem sitiens, super currum positum, duobus bobus vectum, in altero rursus patibulo, studiosè ad id circa Ecclesiam S. Dominici fabricato, supra Vislam è regione Ecclesiæ Plocensis maioris, suspensum vt esset tàm tremendum quàm ignominiosum spectaculũ, alligauit. Quem frarer Martinus Prior Plocensis Ordinis Prædicatorum, missis Fratribus de Patibulo secundo depositum, in Ecclesia maiori ordinauit se-

peliri. Leuissima causa ad patrandam tam horrendam tyrannidem, sibi & domui suæ sempiternam ignominiam inusturam permotus, Casimirus siquidem alter filiorum præfati Masouiæ Ducis Conradi, anno eodem virginem Constantiam filiam Henrici Pij Wrath: Ducis dudúm sibi per B. Hedwigim relictam Henrici cum barba desponsatam, acceperat in vxorem. Et nuptijs pro magnificentia celebratis tam soceri quàm generi Wratislauiæ, Casimirus nouæ sponsæ captus amore, in domo soceri Wrath: longum tempus morabatur. Et licet Pater Dux Conradus illum tàm Nũcijs quàm literis redire in Masouiam iuberet, obauditis tamen paternis imperijs diutius, quám sat erat redire tardauit. Credens prædictus Conradus Masouiæ Dux permissu & licentia præfati Ioannis Scholastici velut Pædagoi & Magistri se & suas iussiones á filio Casimiro contemptum iri, & veritus ne in vindictam captiuitatis idem Henricus aliquam vexationem terræ suæ inferre moliretur, præfatum Ioannem Cancellarium & Scholasticũ promissa omni securitate, per se & vxorem suam blandè reuocat, quasi consilium ab eo de filij reuocatione petiturus. Verùm omnem culpam & bilem in Magistrum Ioannem Scholasticum & Cancellarium retorquens, furori indulgens, non discussa non examinata veritate, crudele & detestabile facinus in virum innocentem admisit, & Palatini Plocen Cristini de Gozdowo viri optimi, & bellatoris eximij, iniustæ morti, aliam iniustiorem addidit, & truculentiã suã altero facinore ingeminauit, propter quod Andreas Episcopus Plocen eum & vxorem eius publicè excommunicauit.

Reconciliatione celebrata Conradus Mazouiæ Dux, Castrum Bidgostien quod à Suantopelbone Pomeraniæ Duce interceptum & occupatum fuit, recuperat. Suantopelkus verò in vltionem amissi Castri cum exercitu aliquanto ex equite & pedite congesto, Cuiauien terram Ducatui suo vicinam ingressus, tumultuario more igne vastat, & oppido Inowladislauiensi & pluribus villis exustis, in munitiones se recepit. Eodem anno Castrũ Santok per Polonos negligentius custoditum, per Saxones intercipitur. Maideburgen Archiepiscopus Vilebrandus forti collecto exercitu contra Poloniam venit, Castrumq; Lubus obsidione cinxit, asserens illud per Henricum Quintum Imperatorem Romanorum sub Boleslao Krzywousti expugnatũ, Ecclesiæ suæ Maydeburgensi perpetuò donatũ fuisse. Dùm autem aliquot hebdomadis obsidionem continuasset, Henricus Maioris Poloniæ & Slesiæ Dux cum copijs insignibus aduenit, & exercitũ hostilẽ solutũ & incautũ aggressus, facilè fudit, & in turpem fugam egit, obsidionemq; soluit. Maideburgen verò Archiepiscopus Vilebrandus pluribus de suis amissis, tristis & mœrens incolumis tamen euadit.

Pompinus Cruciferorũ Secundus Magister, copias suas à Prutenis barbaris eo anno ad internecionem deletas vlturus, in earum supplemẽtũ nouas surrogans, Castrum Balgam sub Prutenis conquirit. Quod repetendũ barbari, duobus Castris in circuitu erectis, tanta vexatione & fame, non sinendo aliquid importari, Cruciferos strinxerant, vt parum abfuit, nisi Otto Dux

to Dux de Brunswig cum noua militia aduenies, barbaros repulisset, quin in hostium vnâ cum Castro venirent potestatem. Eius enim potentia Pruteni barbari conflicti sunt, & duo Castra barbarica, videlicet Portegal, & Schrandin, quæ in editioribus locis edificauerant, & ex quibus Balgam & Fratres in eius relictos præsidio penè vsque ad deditionem coangustiauerant, expugnatam, frequenti Prutenorum præsidio, aut occiso aut capto. Sub eo quoque tempore idem Pompinus, alias Pompo Prussiæ Magister, Conuentũ & Monasteriũ Fratrum Minorum in Thorun, sub Titulo S. Mariæ Virginis erigit, & fratribus minoribus aream ad habitandũ assignauit.

ANNO DOMINI 1240. Horrendam & execrabilem necem in virum bonum & innocuum Ioannem Cancellarium Masouiæ, Wladislauiensem & Plocensem Scholasticum per Conradum Masouiæ & Cuiauiæ Ducem miserabiliter patratam, in vniuerso Regno Polonorum diuulgatam vox mæroris & lamentationis est subsecuta. Quæ Petrum Gnesnensem Archiepiscopum ad mulctandam iniquitatem patrati sceleris permouit, Andrea pontifice Plocense pauore, qui in virum constantem cadere poterat, ne Ducale facinus in Scholasticum suum admissum, virga Apostolica feriret, mortis respectu constricto. Communicato itaq; virorum prudentum, & iuris diuini atque humani peritorum consilio, Petrus Gnesnensis Archiepiscopus vniuersas Ecclesias in Plocen Diocæsi sitas, & vniuersam Plocensem Diocæsim missis processibus publicis quibus tàm ab Episcopis, quàm clero & populo Plocen paritũ est, Ecclesiastico supponit interdicto. Furori primum hæc res apud Conradum Ducem fuit, post terrori, dum cõperit Petrum Gnesnen Archiepiscopum acriori censura in se vsurum, subitò ergo ad pœnitendum conuersus, missis Nuncijs conuentum sibi dari petit. Quo apud Lanciciam constituto, Conradus Masouiæ Dux illuc personaliter cum Andrea Episcopo Plocen, & Consiliarijs aduenies, signa pœnitẽtiæ de admissa in Christũ Dei nece, dedit, se quoq; pro diluẽdo apud Dominũ facinore quamlibet pœnitentiam salutarem laturum attrinxit. Definitum tandem, Duce Conrado taliter humiliato, & ab omnibus laudatum & acceptum est, vt in expiationem & expurgationem commissi Parricidij, villam Lowicz cũ siluis & nemoribus eam in circuitu ambientibus, quæ quondam Ducalis venatio habebatur, Ecclesia Gnesnensis & eius Pontifices perpetuo iure possideant, Ducem tamen Masouiæ vnã Marçam auri soluendo recognoscant. Et quilibet Gnesnensis Antistes Ecclesiæ, Canoniam Præbendatam in Plocen Ecclesia obtineat, & Canonicus natus Plocen censeatur. Ecclesijs verò Wladislauiensi & Plocensi certas libertates, iura, donationes conferat perpetuo duraturas. Definitione itaq; huiusmodi probatã, donatione etiam Villagio Lowicz, & eius attinentijs Ecclesiæ Gnesnensi per Ducẽ Conradum Masouiæ, verbo & literis roborata, Petrus Gnesnen. Archiepiscopus Ducem Conradum, & à reatu parricidij, ad cautellam absoluit, & Interdictum sustulit, diuinaq; in Plocensi Ecclesia resumi, & Ducẽ

Conradum pleniorem absolutionē apud Summum Pontificem petere mandauit, Verúm Summus Pontifex Gregorius Nonus, absolutionem, quam Petrus Archiepiscopus Gnesneñ Duci Conrado impenderat, Pronunciãs irritam & inanē Thomæ Wratislauienñ Episcopo,& Gerardo Cracouienñ Scholastico dedit in mandatis, vt recepta à Duce Cõrado condigna satisfactione, absolutionis beneficium eidem impenderent. Qui priorem satisfactionem Gnesneñ Wladislauienñ & Plocenñ Ecclesijs per Conradum Ducem factã approbantes, Ducem præfatum à reatu parricidij exacta prius à filijs præfati Ducis Conradi, Boleslao Masouiæ, & Casimiro Cuiauiæ Ducibus, omnium eorum quæ Conradus Dux Ecclesijs præfatis Gnesneñ, Wladislauienñ & Plocenñ contulerat, confirmatione, prout hæc omnia in literis originalibus præfati Ducis Conradi, quas Wladislauienñ Ecclesia obseruat, à nobis frequentius visis & tractatis continentur, absoluerunt. Quorũ tale est exemplar. Cum piarum sit mentium ibi culpam agnoscere, vbi culpa minimè reperitur, multò magis vigilare is debet sollicitè & studiosè, quem culpa deprimit manifesta, & euidentia patrati sceleris, ab Ecclesiæ excludit vnitate, qualiter valeat & possit maioris Ecclesiæ in gremium reuocari, ac gratiam deperditam consequi sui conditoris. Pensatis igitur his & alijs exhortationibus patrum beatorum, & in corde nocte, dieque reuolutis, ego Conradus Dux Lancitiæ pensans me Deum & Ecclesiam scilicet Wladislauienñ & Plocenñ enormiter offendisse, ex hoc quidem quod in calore indignationis intemperatæ, ductus consilio peruersorum, Dominum Ioannem Scholasticum earundem Ecclesiarum suspendij morte absq; deliberatione iussi interire, Ecclesiam Romanam de necessitate super hoc dùm consuluissem, ab ipsa munus absolutionis postulando, & absolutionis, per venerabilem patrem meum Petrum Gnesnensem Archiepiscopum mihi impartiri petendo confirmationem, quam absolutionem sedes Apostolica reddens irritam & inanem venerabili viro Domino Thomæ Episcopo Wratislauiensi, & discreto Viro Domino Gerardo Scholastico Cracouienñ delegauit, vt recepta à me condigna satisfactione mihi impenderent manus absolutionis. Prædicti verò Patres mei in negetio libi commisso ratione præuia incedeñ, rigorem iuris erga me misericorditer temperando, ad absolutionem meam processerunt, suscepta à me eadem satisfactione, quam in accessu absolutionis primo factæ ad instantiam Domini Archiepiscopi Ecclesijs prænominatis meo detestabili facto lesis, & dehonestatis, contuleram, humiliter & deuotè. Verùm quia in satisfactione exhibita assensum meorũ filiorum Dominus Episcopus Wratislauienñ & Scholasticus Cracouienñ supradicti, non inuenerant ad hoc accessisse, negotium absolutionis meæ aliquantulum extitit propter hoc prorogatum, & me extunc pia monitione ac paterna exhortatione sollicitauerunt, quatenus filij mei, scilicet Boleslaus Masouiæ, & Casimirus Cuiauiæ Duces, in suis Ducatibus Ecclesijs nominatis satisfactionem impensam, & libertatem perpetuò indultam suo gratuito assensu solidarent. Videntes autem filij mei nominati hæc

Eccle-

Ecclesiæ Sanctæ cedere ad honorem, & animæ meæ esse ad salutem, satisfactionem iam datam,& libertatem impartitam,ratam habentes, inclinati paterna petitione, Domino Thomæ Episcopo Wrath. proprijs sigillis instrumentum communitum, in quo libertas Ecclesiarum prædictarum plenius continetur specificatum transmiserant. Vt autem hæc donatio robur fortiatur perpetuæ firmitatis, & à meis successoribus inuiolabiliter conseruetur, sine omni concussione patribus meis Reuerendis Domino M. Cuiauienñ, & Domino P. Masouienñ Episcopis præsens instrumentum conferendum duxi, supplicãdo, quatenus has meas collationes, non solùm in armario Ecclesiæ Wratislauienñ fideliter & diligenter faciant conseruari, sed per Sedem Apostolicam meis temporibus procuretur etiam confirmari, vt zelus ambitionis nullum meorum successorum, dùm claufero diem extremum, flectat & reducat, ad facti tàm pij perturbationem.

Gregorius Papa Nonus cùm annis 14. sedisset, per Fridericum Imperatorem multis tribulationibus pro zelo & defensione Ecclesiæ concussus, tandem bono fine Mensis Augusti 14. die ad Dominũ transijt, & in Ecclesia S. Petri sepultus, Celestinum Quartum Episcopum Sabineñ, natione Mediolaneñ, non tamen immediata post mortem Gregorij, sed biennio prope transacto Friderico Imperatore discordiæ & Zizaniarũ semen serente, habuit successorẽ. Cui Fridericus Imperator talibus versibus missis minabatur.

Roma diu titubans varijs erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.
Fata docent, stellæq; volunt, auiumq; volatus,
Quod Fridericus ego malleus orbis ero.

Cui taliter Summus Pontifex respondit.

Niteris incassum Petri submergere nauem,
Fluctuat, ast nunquam mergitur ipsa ratis,
Astra silent, nil fata monent, nil prædicat ales.
Solius est proprium scire futura Dei.

Hic Papa cùm sedisset 18. diebus, moritur, & in Ecclesia S. Petri sepelitur. Post cuius mortem vacabat sedes Papalis 22. Mensibus, & diebus 14. Sub quo tempore Fridericus Imperator hostis Ecclesiæ, multa in Ecclesiæ turbationem ampliorem molitus est, fideles quosquè & deuotos Ecclesiæ opprimit, depredatur, & vexat.

Henricus Secundus Wratislauienñ Dux, & B. Heduigis ac Henrici cum barba filius, monente eadem Illustrissima matre Heduigi, Fratres minores Wratislauiam aduocat, & Ecclesiam S. Iacobi Apostoli de nouo erectam, & locum pro Monasterio illis donat. Sed dùm cum Tataris pro fide & religione nostra ac fidelium defensione fortissimè pugnãs occubuisset, Anna

Ducissa

Ducissa relicta sua, & Ecclesiam S. Iacobi & Monasterium, quæ maritus imperfecta reliquerat, consummationi mandare curauit.

Fratres Cruciferi Castro Balga sub Prutenis conquisito, valido illud muniuerunt præsidio, contra quos generatio vna de Varmieñ potens & valida, quæ Bogietina dicebatur, duas munitiones, quarum vnam Portegal, alteram Schrando appellabant, extruxit, ex quibus in tantum Fratres Cruciferos coangustiauerant, quod de Balga fugere disponebant. Interim verò Otto Dux de Brunsuik, cùm suis militibus superuenit, & Prutenos Balgam obsidentes profligauit, munitiones verò eorum expugnatas confregit, sub idem tempus Magister Liuoniæ Frater Volquinius ordinem suum, qui dicebatur, ordo militum Christi, cum ordine Cruciferico nigræ Crucis vniuit. Et post hæc eodem anno in congressu cum Lituanis habito cum quinquaginta Fratribus, & multis sui ordinis pugnans interficitur.

FINIS LIBRI SEXTI.

Rect. Colon.

a, genu